ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI
VATICANI SECUNDI

Vol. I: Periodus prima

Vol. II: Periodus secunda

Vol. III: Periodus tertia

Vol. IV: Periodus quarta

CURA ET STUDIO
ARCHIVI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN I
PERIODUS PRIMA

PARS IV

CONGREGATIONES GENERALES XXXI-XXXVI

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXI

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS XXXI
1 decembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXXI

1 decembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Concilii*:

Praesidet hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus P. D. card. Ioseph Frings, arch. Coloniensis.

Laetissime communico omnibus Patribus valetudinem Summi Pontificis amatissimi in melius versam esse [*plausus*] adeo ut speret se crastina e fenestra, ut ceteris diebus dominicis, posse cunctis gentibus benedictionem impertiri [*plausus*]. Interea idem Summus Pontifex salutem plurimam omnibus Patribus dicit eisque benedictionem paternam largitur [*plausus*]. Oremus omnes pro Pontifice nostro Ioanne!

Em.mus ac rev.mus D. praefectus Congregationis Caeremonialis notum facit omnibus em.mis Patribus cardinalibus a crastina usque ad diem 7 decembris esse induendas vestes laneas violacei coloris.

Durante hac congregatione generali suffragatio fiet circa propositionem hanc, quae vel est iam distributa typis impressa, vel mox distribuetur. Propositio ita sonat: « Expleta disceptatione circa decretum *de Ecclesiae unitate,* Sacri Concilii Patres illud adprobant tamquam documentum in quo recoluntur quae in fide sunt communia et uti pignus recordationis et benevolentiae erga fratres separatos orientis. Hoc decretum vero, attentis emendationibus propositis, in unum documentum componetur cum decreto *de Oecumenismo* a secretariatu ad unitatem christianorum fovendam confecto, et cum cap. XI *de Oecumenismo* schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* ».

Suffragatio fit per *placet* et *non placet.*

Item, durante hac congregatione generali, distribuentur aliae emendationes de schemate constitutionis *de sacra Liturgia.* Attamen suffragatio de his novis emendationibus fiet feria II proxima.

Nunc notos facio exitus suffragationum habitarum heri circa emendationes *de sacra Liturgia*:[1]

Circa VI emendationem:

Praesentes votantes	2.122
Dixerunt *Placet*	2.101
Non placet	15
Vota nulla[2]	6

Ideo est approbata emendatio VI.

Quoad VII emendationem:

Praesentes votantes	2.120
Dixerunt *Placet*	2.004
Non placet	101
Vota nulla[3]	15

Ideo etiam VII emendatio approbata est.

Circa VIII emendationem:

Praesentes votantes	2.116
Dixerunt *Placet*	2.092
Non placet	19
Suffragia nulla[4]	5

Etiam VIII emendatio placuit.

Denique circa IX emendationem:

Praesentes votantes	2.117
Dixerunt *Placet*	2.097
Non placet	13
Vota nulla[5]	7

Igitur etiam IX emendatio est approbata.

Omnes igitur emendationes propositae de cap. I schematis *de sacra Liturgia* approbatae sunt. Rogatur commisio, ut velit procedere ad insertionem emendationum in textum.

---

[1] Cf. vol. I, pars III, p. 694.
[2] Quorum unum est *placet iuxta modum*.
[3] Quorum unum est *placet iuxta modum*.
[4] Quorum unum est *placet iuxta modum*.
[5] Quorum unum est *placet iuxta modum*.

Suffragatio circa propositionem iam lectam explicit hora 10,45. Illa hora colligentur schedulae.

Nunc ad schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia*. Verba dicet em.mus ac rev.mus D. card. Alfredus Ottaviani, praeses, deinde relationem faciet exc.mus D. Franciscus Franić, ep. Spalatensis.

Et veniam loquendi petierunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Achilles Liénart, ep. Insulensis in Gallia; Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Ioseph Bueno, arch. Hispalensis in Hispania; Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria; Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; exc.mi DD. Lucianus Bernacki, ep. aux. Gnesnensis in Polonia; Aemilius De Smedt, ep. Brugensis in Belgio; Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis; Arturus Elchinger, ep. coad. Argentoratensis in Gallia; Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis in Italia; Antonius Pawłowski, ep. Vladislaviensis in Polonia; Ioannes Van Cauwelaert, ep. Inongoënsis in Congo; Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia; Boleslaus Kominek, arch. tit. Euchaïtenus in Polonia; Franciscus Marty, arch. Remensis in Gallia; Ioseph Gargitter, ep. Brixinensis in Italia; Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis in Gallia; Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali; Iulius Barbetta, ep. tit. Pharanitanus in Italia; Narcissus Jubany, ep. aux. Barcinonensis in Hispania; Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Monaco.

DISCEPTATIO

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE ECCLESIA *

[9] CAPUT I

DE ECCLESIAE MILITANTIS NATURA

1. [*Prologus*: *Dei Patris consilium*]. Aeternus Unigeniti Pater, cum liberrimo eoque arcano sapientiae suae consilio statuisset genus humanum, per peccatum Adami protoparentis ex statu iustitiae originalis misere delapsum, per Incarnati Filii sui mortem redimere et in regnum eius transferre,[1] ubi venit plenitudo temporis misit eum [2] qui per Spiritum Sanctum sese hostiam Deo immaculatam offerens [3] acceptabilem sibi populum mundaret; [4] complacuit enim Patri ut redempti, maxime in novo et aeterno Testamento, non plane singuli coram se, quavis habitudine connexioneque seclusa, sanctificandi consisterent, sed ut ex multitudine advocati, novum genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, novum scilicet Israël constituerent,[5] sub uno Capite Iesu Christo, cuius virtute omnes simul essent non solum redempti, sed in opere salutifero Christi perpetuando redemptores.[6]

---

* Textus Patribus distributus est in congregatione generali XXV, die 23 nov. 1962. Cf. Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum Secundum, *Schemata Constitutionum et Decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus,* Series secunda: *De Ecclesia et de B. Maria Virgine,* Typis Polyglottis Vaticanis 1962.

In voluminis initio legitur: « Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut haec Constitutionum et Decretorum schemata, in Concilio Oecumenico Vaticano secundo discutienda, ad eiusdem Concilii Patres transmittantur.

Ex Aedibus Vaticanis, die X mensis novembris anno MCMLXII.

Hamletus Ioannes Cicognani
a publicis Ecclesiae negotiis

Notae, quae singulis schematum capitibus adiciuntur, schematum partem non habent; sed a Commissionibus praeparatoriis ideo exaratae sunt, ut Patribus schemata pervestigantibus exstent subsidio. Verba autem, initio singulorum numerorum characteribus cursivis inter uncas [ ] posita, in redactione definitiva tollentur ».

2. [*Consilii Patris per Filium exsecutio*]. Cum igitur Unigeni- [9]
tus Dei Filius ex muliere factus habitavit in nobis,[7] ut novus Adam caput totius generis humani constitutus, voluntati Patris obsecutus est; [8] qui Magistri [9] Sacerdotis [10] Regis [11] munera pro nobis obivit et populum Dei [12] ad aeternam salutem non modo per se, sed et per electos a se praepositos multipliciter sanctificat sapienterque gubernat. Quos enim praepositos in eo populo instituit, eos muneribus praeconis, sacerdotis, regis, sub Petro exercendis, exornavit dicens: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (Mt. 28, 18-20); et: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur » (Mc. 16, 15-16).

Itaque novus hic populus, quem Paulus Apostolus Israël Dei [10]
appellavit,[13] non tamquam effusa turba, sed ut confertum agmen procedit, quod esca spirituali nutritum, et de spirituali consequente illud, petra potatum,[14] portis inferi [15] et insidiis diaboli victor adversans, ad finem usque saeculi, in unitate fidei, in sacramentorum communione et in apostolicitate gubernii, unum singulareque in spiritu et caritate iugiter perdurabit.

3. [*Israël Dei indoles, voce Ecclesiae variisque figuris expressa*]. Porro sicut Moyses, eum qui in deserto peregrinabatur, Israël secundum carnem,[16] Dei Ecclesiam nuncupavit,[17] ita et Christus Israël Dei, qui in praesenti saeculo incedens, futuram eamque manentem civitatem inquirit,[18] Ecclesiam edixit eamdemque suam esse praenuntiavit,[19] non modo quod eam suo sanguine acquisivit,[20] verum etiam quod eamdem debitis mediis ad finem proxime instructam, super Petrum [21] eiusque successores aedificavit in quibus idem Petrus perpetua sua esset auctoritate superstes.

Quo autem clarius definitiusque Ecclesiae suae indolem naturamque hominibus patefaceret, eam ipse sive per se, sive per Apostolos diversis figuris repraesentavit nominibusque appellavit, quibus socialis et mysticus ipsius aspectus potissime describerentur: itaque quae regnum [22] domus [23] templum [24] Dei praedicatur, eadem grex seu ovile,[25] sponsa [26] Christi, columna et firmamentum veritatis [27] edicitur.

[10] 4. [*Figura corporis Christi*]. Ex omnibus tamen figuris, ob elementum sociale una cum mystico clarius in eo expressum, principem locum figura corporis tenet, qua Christi instinctu [28] Paulus usus est: « Et ipse est caput corporis Ecclesiae » (Col. 1, 18); « quae est corpus ipsius et plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur » (Eph. 1, 23); etenim quotquot in Ecclesiam baptismate ingressi [29] et in sanctorum communione Christum induti sunt,[30] cum de uno pane eucharistico participent, in unitate unius Corporis consummantur: [31] « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim ex uno pane participamus » (1 Cor. 10, 17 gr.).

5. [*Enucleatio figurae corporis*]. Ecclesia ergo, eo ipso quod corpus est, oculis cernitur, quod quidem ceterae quoque figurae eiusdem insinuant; ipsa porro est multorum membrorum, haud
[11] sane aequalium, compages,[32] cum alia aliis subdantur, cumque clerici et laici, praepositi et subditi, magistri et discipuli, diversique status in ipsa consistant, quibus Christus Caput et loco et perfectione et virtute omnibus praestat.

In hac corporis compage membrorum praeter connexionem e vinculis socialibus, iuridicis et ministerialibus ortam, alia quoque connexio inest quae eorumdem augmento,[33] actibus,[34] passione [35] completur, immo vero naturae ac vitae ea conformitas quam Dominus illustravit quando et se viti et nos palmitibus comparavit dicens: « Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere » (Io. 15, 5).

Sicut autem Christus Caput est Corporis, ita et Spiritus Sanctus, in Capite et in membris inhabitans,[36] eius est Anima; qui unus cum sit, totum Corpus in unitate constituit et tenet [37] et membris omnibus, secundum mensuram donationis Christi,[38] gratiam et dona administrat et charismata confert.[39] Quam ob rem Ecclesia una persona, mystica sane, in Christo Iesu esse dicitur: « Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu » (Gal. 3, 28 gr.).

In eo tamen non omnia membra sanctitate virescunt, quia aegrota in ipso membra consistunt quae nempe gratia et caritate privata, saltem virtute fidei cum Christo Capite iunguntur.[40] Horum tamen peccata Ecclesiam quidem offendunt; sed eiusdem sanctitatem essentialem non laedunt; Ecclesia enim sancta est potissimum quia, ut Sponsa Christi, in sanctitate constituta

cum sit,[41] sua membra ad sanctitatem gignit, numquam membris [11] sanctitate praestantibus caret,[42] et insuper non modo peccata membrorum suorum reprimit, sed et ipsa membra quae aegrota sunt suo ministerio in pristinam et aliquando uberiorem reddit sanctitatem. Ecclesia quippe pia Mater est, utpote quae non modo verbi praedicatione sua membra concipiat, baptismate pariat, sed et salutaris veritatis sacramentorumque pabulo enutriat, vitaeque divinae in dies magis unita faciat.

6. [*Ecclesia societas est mysticum Christi Corpus*]. Cum autem S. Spiritus multa charismata Ecclesiae elargitur, quae correspondent indoli eius sociali et missioni eius divinae, in variis officiis et ministeriis, eo fine, ut qui iisdem donati sunt, tamquam Dei adiutores[43] una secum in aedificationem corporis Christi operentur,[44] falso Ecclesia hierarchica seu iuris ab Ecclesia charismatica vel amoris, quam vocant, re differre dicitur. Quam [12] ob rem Ecclesia societas et Mysticum Christi Corpus haud binae res sunt, sed una tantum quae humano et divino se praefert aspectu; quae ergo ob analogiam non parvam Incarnati Verbi mysterio assimilatur.[45]

Etenim sicut in Verbo Incarnato natura humana ut vivum instrumentum divinae eiusdem naturae, pro nostra et totius mundi salute inserviit et in caelis inservire perseverat, ita Ecclesiae societas praeconis, sacerdotis, regis charismatibus exornatur, ut Spiritui Christi in aedificatione Corporis Christi serviat; haec enim charismata, non aliter atque cetera quae a S. Spiritu tribuuntur, tamquam veritatis et caritatis servitium ministeriumque exercenda sunt, ut parta per Christum salus simulque beneficia omnia quae inde proficiscuntur, in omnes homines atque ad omnes aetates propagentur.[46]

7. [*Ecclesia Catholica Romana est Mysticum Christi Corpus*]. Docet igitur Sacra Synodus et sollemniter profitetur non esse nisi unicam veram Iesu Christi Ecclesiam, eam nempe quam in Symbolo unam, sanctam, catholicam et apostolicam celebramus,[47] quam Salvator sibi in Cruce acquisivit[48] sibique tamquam corpus capiti et sponsam sponso coniunxit, quamque post resurrectionem suam S. Petro et Successoribus, qui sunt Romani Pontifices, tradidit gubernandam;[49] ideoque sola iure Catholica Romana nuncupatur Ecclesia.[50]

[12] NOTAE

[1] Cf. Col. 1, 13.
[2] Cf. Gal. 4, 4.
[3] Cf. Hebr. 9, 14.
[4] Cf. Tit. 2, 14.
[5] Cf. 1 Pt. 2, 9 et Gal. 6, 16.
[6] Cf. CLEMENS ALEXANDRINUS, *Strom.* 7, 2; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: AAS 35 (1943), pp. 221.
[7] Cf. Gal. 4, 4.
[8] Cf. Phil. 2, 8.
[9] Cf. Mt. 23, 8-10; Io. 13, 13-14.
[10] Cf. Hebr. 4. 14; 5, 10; 9, 11-14.
[11] Cf. Lc. 23, 3; Io. 18, 37. De triplici munere messianico cf. etiam EUSEBIUS, *Hist. Eccl.* 1, 3; PG 20, 68-73 et *Demonstr. Evang.* IV, 15: PG 22, 290-291; Io. CHRYSOSTOMUS, *in 2 Cor.* hom. 3, 5: PG 61, 411;
[13] *Fastid. Britt. De Vita Christi,* 1: PL 50, 384; S. THOMAS, *Ad Rom.* lect. 1 et *Summa Theol.* III, q. 31, a. 2; *Catechismus Tridentinus* I, cap. 3, 7. Accedunt plura documenta pontificia Leonis XIII, S. Pii X et Pii XII.
[12] Cf. 1 Pt. 2, 10.
[13] Cf. Gal. 6, 16.
[14] Cf. 1 Cor. 10, 3.
[15] Cf. Mt. 16, 18 et Eph. 6, 11.
[16] Cf. 1 Cor. 10, 18.
[17] Cf. Num. 20, 4; Deut. 23, 2.
[18] Cf. Hebr. 13, 14.
[19] Cf. Mt. 16, 18.
[20] Cf. Act. 20, 28.
[21] Cf. Mt. 16, 18.
[22] Cf. Mt. 16, 19; cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: ASS 28 (1895-96) p. 724.
[23] Cf. 1 Tim. 3, 15; Mt. 16, 18; cf. LEO XIII, l. c.
[24] Cf. 1 Cor. 3, 16; 2 Cor. 6, 16; Eph. 2, 21.
[25] Cf. Io. 10, 16; 21, 15-17; 1 Pt. 5, 2-3; Lc. 12, 32; Mt. 26, 31; cf. LEO XIII, l. c.
[26] Cf. Apoc. 21, 9; 22, 17; Eph. 5, 22-32. Praedicatio Christi descripta ut sponsalia: Mt. 9, 15; Mc. 2, 19; Lc. 5, 34; Io. 3, 29.
[27] Cf. 1 Tim. 3, 15.
[28] Cf. Act. 9, 4; 22, 7; 26, 14; cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 193.
[29] Cf. Io. 3, 5.
[30] Cf. Gal. 3, 27.
[31] Cf. Io. 17, 23.
[32] Cf. Rom. 12, 4-8; 1 Cor. 12, 1-31; Eph. 4, 11-16; LEO XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: ASS 22 (1889-90) p. 392; Id., Litt. Encycl. *Satis cognitum,* l. c. pp. 710 et 724 s.; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. pp. 199-200.
[33] Cf. Eph. 4, 11-14.

[34] Cf. 1 Cor. 12, 18-30. [13]

[35] Cf. 1 Cor. 12, 26 coll. Col. 1, 24; 2 Tim. 2, 10.

[36] Cf. Rom. 8, 11.

[37] LEO XIII, Litt. Encycl. *Divinum illud,* 9 maii 1897: ASS 29 (1896-97) p. 650; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. pp. 219-220: DENZ. 2288; S. THOMAS, *in Col.* 1, lect. 5: Sicut constituitur unum corpus ex unitate animae, ita ecclesia ex unitate spiritus ».

[38] Cf. Eph. 4, 7.

[39] Cf. 1 Cor. 12, 4-11, coll. 1 Cor. 12, 28 et Eph. 4, 11-12.

[40] Cf. CONC. TRID., Sess. VI, Decr. *de iustificatione,* c. 15: DENZ. 808, et can. 28: DENZ. 838; PIUS V, *Errores Baii,* prop. 63-64: DENZ. 1063-1064; Io. CHRYSOSTOMUS, in *ep. ad Eph.,* cap. 6, hom. 22, 4: PG 62, 161: « nam multi sunt uniti Christo, ipsum autem non diligentes »; AUGUSTINUS, *Serm.* 349, 2: PL 39, 1530, docet etiam in Corpore Christi meretricis amorem perducere ad gehennam; Id., *De abstinentia,* cap. 11: PL 40, 366, comparat Ecclesiam cum carne concupiscenti contra spiritum, quatenus nondum pacem ex infirmitate languoris in membris habet: [14] « Deinde, cur non confiteamur in hominibus spiritualibus Ecclesiam subditam Christo, in carnalibus autem adhuc concupiscere adversus Christum... Has enim carnis concupiscentias Christus in suis sanat, sed in nullis amat. Unde sancta Ecclesia quamdiu habet etiam membra talia, nondum est sine macula et ruga ».

[41] Cf. Eph. 5, 26-27.

[42] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 201.

[43] Cf. 1 Cor. 3, 9.

[44] Cf. Eph. 4, 11-16.

[45] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum*: l. c. p. 712.

[46] PIUS IX, Epist. *La Chiesa di Dio,* 2 marzo 1871: ASS 6 (1870) p. 267; LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* l. c. p. 710; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 206-207; S. THOMAS, in *Eph.,* 4, lect. 4; *Quodlib.* VII, q. 6, a. 2, ad 5.

[47] Cf. *Symbolum Apostolicum*: DENZ. 6-9; *Symbolum Nic.-Const.*: DENZ. 86, coll. *Prof. Fidei Trid.*: DENZ. 994 et 999.

[48] Cf. 1 Pt. 2, 9; Act. 20, 28; Eph. 2, 15-16; Hymn. Vesp. in festo SS. Cordis.

[49] De identitate Ecclesiae Catholicae et Corporis Mystici cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 221 ss.; Id., Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: AAS 42 (1950) p. 571: DENZ. 2319. Sequitur Pius XII vestigia multorum praedecessorum.

[50] Ecclesia est Catholica Romana: cf. *Prof. Fidei Trid.*: DENZ. 999, et CONC. VAT. I, Sess. III, Const. dogm. *de fide cath.*: DENZ. 1782. Data opera in Conc. Vat. I dictum est « catholica apostolica Romana » et non Romano-catholica, quia ultimus dicendi modus sapit doctrinam trium ramorum.

[15]

Caput II

DE MEMBRIS ECCLESIAE MILITANTIS EIUSDEMQUE NECESSITATE AD SALUTEM

8. [*Necessitas Ecclesiae ad salutem*]. Docet S. Synodus, sicut semper docuit sancta Dei Ecclesia, Ecclesiam esse necessariam ad salutem,[1] neminemque salvari posse, qui sciens Ecclesiam Catholicam a Deo per Iesum Christum esse conditam, tamen eam renuat intrare, vel in eadem perseverare.[2] Sicut autem nemo salvari potest, nisi per Baptismum re susceptum, quo quis non ponens obicem incorporationis [3] fit membrum Ecclesiae, vel saltem per votum Baptismi,[4] sic nemo salutem obtinere valet, nisi membrum Ecclesiae exsistat, vel voto ad eamdem ordinetur. Ut autem salutem quis acquirat, non sufficit, ut sit reapse membrum Ecclesiae vel voto ad eam ordinatus, sed insuper requiritur ut moriatur in statu gratiae, fide et spe et caritate cum Deo coniunctus.[5]

9. [*Quinam membra sensu proprio*]. Etsi plures relationes reales exsistunt in ordine iuridico [6] et sacramentali, immo exsistere queunt in ordine mystico,[7] quibus omnis omnino baptizatus cum Ecclesia connectitur, tamen ii soli ex antiquissima traditione vero et proprio sensu Ecclesiae membra vocantur, ex quibus ipsa Ecclesia, ut est una et indivisibilis, indefectibilis et infallibilis, in unitate fidei, sacramentorum et regiminis, coalescit. Ii igitur vere et proprie membra Ecclesiae dicendi sunt qui, regenerationis lavacro abluti, veram fidem catholicam profitentes et Ecclesiae auctoritatem agnoscentes,[8] in compagine visibili eiusdem [9] cum Capite eius, Christo videlicet eam regente per Vicarium suum,[10] iunguntur, nec ob gravissima delicta a Corporis Mystici compage seiuncti sunt.[11] Voto autem ad Ecclesiam ordinantur non catechumeni dumtaxat,[12] qui, Spiritu Sancto movente, conscio et explicito desiderio ad Ecclesiam aspirant, sed ii quoque, qui etsi ignorantes Ecclesiam catholicam esse veram et unicam Christi Ecclesiam, tamen, gratia Dei implicito et inscio desiderio simile praestant,[13] sive quod sincera voluntate id volunt quod vult ipse Christus, sive quod etsi ignorantes Christum, sincere adimplere desiderant

voluntatem Dei et Creatoris sui. Gratiae autem caelestis dona [16] nequaquam illis defutura sunt, qui luce divina recreari sincero animo velint ac postulent.[14]

10. [*Unio cum separatis*]. Cum omnibus autem, qui veram fidem vel unitatem communionis sub Romano Pontifice non profitentur, tamen desiderio, etsi inscio, ea cupiunt, pia Mater Ecclesia semetipsam scit plures ob rationes coniunctam, singulari modo si baptizati christiano nomine gloriantur, et, quamquam non credunt fide catholica,[15] tamen amanter in Christum credunt Deum et Salvatorem, imprimis autem si fide et devotione erga Sanctissimam Eucharistiam et amore erga Deiparam eminent. Nam fidei illi communi in Christum accedit eiusdem consecrationis baptismalis participatio; orationum, expiationum et beneficiorum spiritualium aliqua saltem communio; [16] immo aliqua in Spiritu Sancto coniunctio, quippe qui non solum donis et gratiis in ipso mystico Corpore operatur, sed sua virtute, non exclusa gratia sanctificante, etiam extra venerandum illud Corpus agit, ut fratres separati, modo a Christo statuto, eidem incorporentur.[17] Ut autem illa Spiritus Christi ad Corporis Mystici augmentum operatio uberiorem consequatur effectum, Ecclesia precari numquam desinit, ut fratres separati internis divinae gratiae impulsibus ultro libenterque dociles se praebendo, ab eo statu exire studeant, in quo ad salutem sempiternam obtinendam tot tantisque caelestibus muneribus adiumentisque carent, quibus illis solummodo frui licet, qui reapse sunt membra Ecclesiae.[18] Memores igitur sint omnes Ecclesiae filii conditionis suae eximiae, non propriis meritis, sed gratiae peculiari Christi adscribendae, cui si cogitatione, verbo et opere non correspondeant, nedum salventur, severius iudicabuntur.[19]

NOTAE

[1] Doctrinam Patrum: IGNATII ANTIOCH., ORIGENIS, CYPRIANI, HIERONYMI, AUGUSTINI, FULGENTII vide apud TROMP, *De Spiritu Christi Anima*, pp. 210-213. Quoad doctrinam Ecclesiae, cf.: *Symbolum Athanasianum*: DENZ. 40; PELAGIUS II, Ep. *Dilectionis vestrae*, ann. 585: DENZ. 247; INNOCENTIUS III, *Prof. fidei Wald.*: DENZ. 423; BONIFACIUS VIII, *Bulla Unam Sanctam*, 18 nov. 1302: DENZ. 468; CLEMENS VI, Epist. *Super quibusdam*, 29 sept. 1351: DENZ. 570 *b*; CONC. FLORENT., Decr. *Pro Iacobitis*: DENZ. 714; *Prof. fidei Trid.*: DENZ. 1000; BENE-

[17] DICTUS XIV, *Prof. fidei Maronitarum*: DENZ. 1473; GREGORIUS XVI, Litt. Encycl. *Mirari vos,* 15 aug. 1832: DENZ. 1613; PIUS IX, Litt. Encycl. *Quanto conficiamur moerore,* 10 aug. 1863: DENZ. 1677; *Syllabus,* n. 16-17: DENZ. 1716-1717; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: AAS 35 (1943) pp. 242-243; Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2319; *Epist. S. C. S. Officii ad Archiep. Boston.,* 8 aug. 1949 [invenitur in tertia editione Encycl. *Mystici Corporis,* cura P. TROMP, in Appendice].

[2] *Epist. S. C. S. Officii ad Archiep. Boston.,* 8 aug. 1949.

[3] Obex poni potest tum ratione gratiae, tum ratione effectus iuridici, cf. CIC, can. 87. Obex gratiae v. g. habetur si adultus baptizandus non vult abstinere a peccato mortali; obex admembrationis, si adultus baptizandus caret fide. In documentis ecclesiasticis limitatio « nisi ponatur obex » saepius supponitur. Cf. *Prof. fidei Trid.*: DENZ. 996, ubi dicitur « sacramenta gratiam conferre » sine ulla restrictione, in oppositione ad Can. de Sacr. in genere: DENZ. 849. Generatim quoque definitur Sacramentum: « signum sensibile, a Christo institutum, conferens gratiam, quam significat », et nemo exigit, ut addatur « non ponentibus obicem ».

[4] CONC. TRID., Sess. VI, Decr. *de iustificatione*: DENZ. 796, coll. cap. 14 *de lapsis*: DENZ. 807.

[5] *Epist. S. C. S. Officii ad Archiep. Boston.*: « Neque enim putandum est quodcumque votum Ecclesiae ingrediendae sufficere ut homo salvetur. Requiritur enim ut votum, quo quis ad Ecclesiam ordinetur perfecta caritate informetur, nec votum implicitum effectum habere potest, nisi homo fidem habeat supernaturalem (Hebr. 11, 6; Conc. Trid.: DENZ. 801) ».

[6] Omnis baptizatus vi baptismi est subiectus legibus Ecclesiae. Cf. BENEDICTUS XIV, Litt. Encycl. *Singulari nobis,* 9 febr. 1749, § 14; LEO XIII, Litt. Encycl. *Annum sacrum,* 25 maii 1899: ASS 31 (1898-1899) p. 647; PIUS XI, Litt. Encycl. *Quas primas,* 11 dec. 1925: AAS 17 (1925) p. 601: DENZ. 2196; Can. 12.

[7] Cf. § 10, de unione in Spiritu Sancto.

[8] Mutata sunt verba Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 202, quia inter baptizatos, qui auctoritatem Ecclesiae non agnoscunt, perplures sunt qui numquam sese personaliter ab Ecclesia separaverunt, ut v. g. omnes Baptistae, qui dum baptizantur ponunt obicem admembrationi.

[9] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. 199-200; 223-224.

[10] BONIFATIUS VIII, Bulla *Unam Sanctam*: DENZ. 468; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 211.

[11] Cf. 1) CLEMENS VIII, Instr. *Magnus Dominus,* 23 dec. 1595: « § 1. Nuper vero venerabilis frater Michael, Archiepiscopus et Metropolita Kiovensis... et cum eo plerique eius Comprovinciales Episcopi... *divina Spiritus Sancti luce eorum corda collustrante,* coeperunt ipsi secum cogitare, et inter se multa consultatione, et prudentia adhibita conferre, et serio tractare, *se et greges quos pascerent, non esse membra Corporis Christi,* quod est Ecclesia, qui visibili ipsius Ecclesiae capiti, Summo Romano Pontifici non cohaererent... Quamobrem... decreverunt redire ad suam, et omnium fidelium Matrem, Romanam Ecclesiam »;

2) BENEDICTUS XIV, Litt. Encycl. *Singulari Nobis,* nn. 13 et 14:

« Compertum est, eum qui baptisma ab haeretico *rite* suscepit, illius vi Ecclesiae Catholicae membrum effici... Exploratum habemus, ab haereticis baptizatos, si ad eam aetatem venerint, in qua bona a malis dispicere per se possint, atque erroribus baptizantis adhaereant, illos quidem ab Ecclesiae unitate repelli, iisque bonis orbari omnibus, quibus fruuntur in Ecclesiá versantes; non tamen ab eius auctoritate et legibus liberari »; [18]

3) Pius IX, *In suprema,* 6 ian. 1852, *Acta,* P. I, vol. I, 89 s.: « Nec enim fieri unquam poterit, ut in Unius Sanctae Catholicae et Apostolicae communione sint, qui divulsi esse voluerint a soliditate petrae, super quam Ecclesia ipsa divinitus aedificata est... Itaque non aliud Vobis imponimus oneris, quam haec necessaria; nimirum ut ad unitatem reversi consentiatis Nobiscum in professione verae Fidei, quam Ecclesia Catholica tenet et docet, et cum Ecclesia ipsa, supremaque hac Petri Sedi communionem servetis »;

4) Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. pp. 202-203 et 242-243;

5) *Epist. S. C. S. Officii ad Archiep. Boston.;*

6) Vide etiam Pii V, Bull. *Regnans in Excelsis,* 25 februarii 1570: « § 3. ... Elisabeth haereticam... eique adhaerentes in praedictis, anathematis sententiam incurrisse, esseque a Christi Corporis unitate praecisos », et perplura alia similia;

7) Ut cognoscatur mens Ioannis XXIII, feliciter regnantis, cf. Alloc. *In sollemnis,* 14 nov. 1960: AAS 52 (1960) p. 1009: « [Fratres], qui a Nobis sunt disiuncti, quique extra saepta Ecclesiae catholicae sunt... ut... in eam unitatem coire aliquando possint, [de qua Io. 17, 19-21] »; et: *Orat. ad Spir. S.,* 24 nov. 1960: « Ti preghiamo ancora per le pecorelle, che non sono *più* dell'unico ovile di Gesù Cristo, affinchè anch'esse, che pur si gloriano del nome cristiano, possano finalmente ritrovare l'unità sotto un solo Pastore ». Quid ad mentem S. Pontificis sibi velint verba « si gloriano del nome cristiano », clare apparet ex *Allocutione ad fideles Irlandiae*: *L'Oss. Rom.,* 18 mart. 1961: « Siate *Romani* come siete cristiani. L'appartenenza alla Chiesa di Roma è il distintivo per ogni *vero* cristiano »;

Epist. *Quotiescumque Nobis,* ad Card. Tien-Chen-Sin, 29 iun. 1961: *L'Oss. Rom.,* 29 iun. 1961: « ... Atque in primis vos, Venerabiles Fratres, hortamur, ut has gravissimas ac salutares veritates in memoriam ovium vigilantiae vestrae creditarum redigere ne omittatis. Scilicet debitum Omnipotenti Deo exhibere cultum cum eoque coniungi neminem posse, nisi per Iesum Christum; non posse vero coniungi cum Christo, nisi in Ecclesia et per Ecclesiam, quae est mysticum eius corpus; non posse denique ad Ecclesiam pertinere, nisi per Episcopos, Apostolorum successores, cum Supremo Pastore coniunctos, qui successor est Petri »;

Litt. *Encycl. Aeterna Dei sapientia,* 11 nov. 1961: AAS 53 (1961) p. 794: « At illud perspectum habeatur necesse est, non esse christifidelium cum divino Redemptore omnium Capite perfectam illam unionem, qua videlicet iidem cum Ipso unum vivens et adspectabile corpus efficiunt, nisi, pariter iisdem animi virtutibus, religiosorumque communicatione

[19] rituum et Sacramentorum alii cum aliis cohaereant, pariter omnes eandem fidem servent ac profiteantur ».

[12] De catechumenis, cf. S. AMBROSIUS, *De obitu Valentini* 51: PL 16, 1374; S. AUGUSTINUS, *De Bapt.* IV, 21, 28: PL 43, 172; INNOCENTIUS II, *Epist. ad Episc. Cremon.*: PL 179, 624 s., coll. DENZ. 388; INNOCENTIUS III, Epist. *ad Episc. Meten.*, 28 aug. 1206: PL 215, 986 s., coll. DENZ. 413.

[13] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. pp. 242-243; *Epist. S. C. S. Officii ad Archiep. Boston.*

[14] Cf. PIUS IX, Alloc. *Singulari quadam,* 9 dec. 1854: DENZ. 1648.

[15] Distinguendum est inter fidem divinam simpliciter, et fidem divinam catholicam. Potest autem fides catholica considerari obiective (cf. v. g. DENZ. 1000), et subiective (cf. DENZ. 1792). Fides catholica subiectiva supponit magisterium Ecclesiae ut normam fidei et motivum credibilitatis. Baptismus non facit membrum, nisi accedat fides catholica subiectiva. Quando in *Conc. Trid.,* Decr. *de iustificatione,* cap. 7: DENZ. 800, agitur de fide, qua quis vivum membrum Corporis efficitur, si accedit gratia, quaestio est de illa fide subiectiva quam catechumeni ab Ecclesia petunt, i. e. de fide *catholica,* formata caritate.

[16] Non adhibetur vox « Communio Sanctorum », quia in traditione diverse intelligitur.

[17] Nota distinctionem S. AUGUSTINI: « *Ducere in via* et *ad viam; ducere in Christo* et *ad Christum* ». Cf. *In Ps.* 85, 15: PL 37, 1092; CLEMENS VIII, Instr. *Magnus Dominus*: « § 1. ... Divina Spiritus Sancti luce eorum corda collustrante, coeperunt ipsi secum cogitare... se et greges quos pascerent non esse membra Corporis Christi, quod est Ecclesia ».

[18] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. pp. 242-243. Cf. CLEMENS VIII, l. c.; PIUS IX, *Syllabus* n. 17: DENZ. 1717; *Epist. S. C. S. Officii ad Archiep. Boston.*

[19] Mt. 5, 19-20; 7, 21-22; 25, 41-46; Iac. 2, 14.

CAPUT III [20]

DE EPISCOPATU UT SUPREMO GRADU SACRAMENTI ORDINIS ET DE SACERDOTIO

11. [*Episcopatus ut Sacramentum*]. Apostolus et Pontifex confessionis nostrae, Iesus (cf. Hebr. 3, 1), Pastor et Episcopus animarum nostrarum (1 Pt. 2, 25), potestatem authentice docendi et gubernandi in Ecclesia ita instituit ut natura sua arcto vinculo coniungeretur cum potestate sanctificandi quae in Sacramento Ordinis confertur.[1] Episcopatus ergo, procul dubio, ad Sacramentum Ordinis pertinet, atque est praecellenti gradu sacerdotium, quod nimirum et voce sanctorum Patrum et rituali Ecclesiae consuetudine summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur.[2] Immo, quia ex Traditione, quae praesertim liturgicis ritibus [3] et Ecclesiae tum Orientis tum Occidentis usu innotescit,[4] perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis episcopalis gratiam Spiritus Sancti conferri, dubitare nemo debet episcopatum esse vere et proprie gradum supremum Sacramenti Ordinis.[5] Praeterea Episcopus consecratus ita charactere sacramentali ordinis ornatur, ut numquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri, vel potestatem valide conferendi sacramentum confirmationis et ministros Ecclesiae ordinandi amittere possit. Proinde Sancta Synodus declarat Episcopos, etiam sola vi Sacramenti suscepti, presbyteris, in hierarchia nempe Ordinis, superiores esse.

12. [*De Presbyteris*]. Presbyteri, qui ab Episcopis ad ipsorum societatis et operis adiumentum ordinantur, et in quos veluti paternae plenitudinis abundantia transfunditur,[6] licet Pontificatus apicem non habeant, tamen sacramento recepto veri sunt sacerdotes.[7] In sacrificio Missae offerendo et sacramentis administrandis et ipsi in persona Christi agunt. Nullam tamen obtinent iurisdictionem vel curam animarum nisi, directe vel indirecte, ex collatione Romani Pontificis vel Episcopi competentis a quo ut cooperatores assumuntur, et cuius in pascendo grege vices agunt.

[21]

NOTAE

[1] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: ASS 28 (1895-1896) p. 723; PIUS XII, Alloc. *iis qui interfuerunt Conventui alteri catholicorum ex universo orbe, pro Laicorum Apostolatu,* 5 oct. 1957: AAS 49 (1957) p. 924.

[2] LEO XIII, Ep. *Apostolicae curae,* 13 sept. 1896: ASS 29 (1896-1897) p. 200.

[3] In omnibus documentis liturgicis, iam a primis saeculis Ecclesiae, consecratio episcopalis describitur ita ut clare appareat eius sacramentalitas; per eam enim confertur aliqua gratia Spiritus Sancti.

[4] Certum est saepe datam esse consecrationem episcopalem subiecto qui nondum erat sacerdos: cf. GREGOR. NAZ., *Orat.* 18, 33: PG 35, 1027-1030; IO. CHRYSOST., *De Beato Philogonio, Hom.* 6, 2: PG 48, 751; AUGUSTINUS, *Epist. 209*: PL 33, 953 s.; *Liber Pontificalis,* ed. Duchesne, I, 209; *Ordines Romani*: cf. M. ANDRIEU, *Les Ordines Romani du Haut Moyen-Age,* III, Louvain, 1951, p. 572 s., p. 608 et 610.

[5] Hoc etiam apparet ex modo loquendi Romanorum Pontificum: v. g. LEO XIII, Ep. *Apostolicae curae*: l. c. pp. 199-200; PIUS XII, Const. Apost. *Sacramentum Ordinis,* 30 nov. 1947: AAS 40 (1948) pp. 5-7; IOANNES XXIII, *Allocutio,* 8 maii 1960: AAS 52 (1960) p. 466: consecratio episcopalis transmittit et characterem episcopalem et gratiam.

[6] *Pontificale Romanum,* De Ordinatione Presbyteri. Imago desumitur ex Aaron et filiis eius, quae imago invenitur etiam in multis textibus liturgicis et in Patribus. Item verba *in adiumentum* habentur in *Pontificali Romano,* De Ordinatione Presbyteri: imago sumitur ex Septuaginta viris qui in adiutorium Moysis assumpti sunt, et invenitur in omnibus documentis liturgicis, iam a Traditione Apostolica Hippolyti Romani.

[7] INNOCENTIUS I, Epist. *ad Decentium*: PL 20, 554 s., cf. MANSI 3, 1029; DENZ. 98.

CAPUT IV [22]

DE EPISCOPIS RESIDENTIALIBUS

13. [*Episcoporum munus et dignitas*]. Quos ipse Christus, qui « non venit ministrari, sed ministrare » (Mt. 20, 28), voluit usque ad finem temporum successores Apostolorum [1] in munere doctorum et pastorum ad aedificationem et in ministerium Ecclesiae suae, eosdem Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei (cf. Act. 20, 28).[2] Qui Episcopi singuli tamquam vicarii et legati Christi [3] singulas sibi commissas Ecclesias propria, ordinaria et immediata potestate episcopali in unitate cum Romano Pontifice et sub eius auctoritate [4] regunt ut fidelium patres et pastores gregum suorum,[5] memores semper moniti principis Apostolorum: « Pascite qui in vobis est gregem Dei providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam (1 Pt. 5, 2-4). Episcopi non solum dirigere possunt et debent per consilia, suasiones, exempla, sed etiam veram et proprie dictam potestatem habent, quae non tantum est fori interni et sacramentalis, sed etiam externi et publici; habent enim potestatem iubendi per leges conscientiam obligantes, et quidem non in iis dumtaxat quae ad doctrinam et mores, ad cultum et sanctificationem spectant, sed in iis quoque quae ad disciplinam et administrationem ecclesiasticam externam pertinent; demum devios contumacesque externo iudicio ac salubribus poenis in bonum publicum et animarum, immo in bonum ipsius praevaricatoris, coercere, cogere atque punire possunt, necnon aliquando debent,[6] etsi magna cum prudentia et caritate. Omnis itaque Episcopus ex hominibus assumptus et circumdatus infirmitate condolere debet iis qui ignorant et errant (cf. Hebr. 5, 1-2), et resuscitans semper gratiam quae in se est per impositionem manuum (cf. 2 Tim. 1, 6), impleat oportet varia sui muneris officia ut imago viva Boni Pastoris qui animam suam posuit pro ovibus suis (cf. Io. 10, 11), atque pro animabus rationem redditurus Deo (cf. Hebr. 13, 17), curam etiam habens oratione, praedicatione et caritate eorum qui ex suo ovili nondum sunt.

[23] 14. [*Primatus et Episcopatus*]. Etsi sacra ordinatio summi gradus Sacerdotii cum munere sanctificationis munera quoque magisterii et regiminis, quibus iurisdictio constat, tribuat,[7] tamen Episcopi iurisdictionis exercitium non ipsa ordinatione sacra, sed missione, et quidem non ab Ecclesia, ut est congregatio fidelium, vel a fidelibus, etiam quam plurimis congregatis, neque a potestate civili, sed a regimine Ecclesiae supremo accipiunt. Nam, sicut ait S. Leo Magnus, beatissimus Petrus apostolus « ab ipso omnium charismatum fonte (*Iesu Christo*) tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut, cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine ipsius participatione transierit ».[8] Quae missio fieri potest per legitimas consuetudines, a suprema et universali potestate Ecclesiae non revocatas, vel per leges ab eadem auctoritate latas aut agnitas, vel directe per ipsum successorem Petri; quo renuente, Episcopi in officium assumi nequeunt, a quo etiam deponi, transferri, restitui possunt.[9] Subsunt insuper ita supremae potestati Romani Pontificis, ut ipse exercitium eorum iurisdictionis ordinariae ampliare vel restringere possit, etiam subditorum exemptione: habet enim Romanus Pontifex super omnes alias ordinarias potestates principatum, et potestatem iurisdictionis immediatam et episcopalem, cum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores atque fideles.[10] Longe autem a vero aberrant, qui asseverant Episcopos habere tantum delegatam potestatem, non vero propriam et ordinariam, cum ipso officio episcopali coniunctam; vel per potestatem supremam pontificiam aboleri vel absorberi vel augeri posse ipsam Episcoporum potestatem; vel eam non esse iuris divini atque reapse propriam, ideoque eam ad ipsius Ecclesiae constitutionem non pertinere sed in aliud mutari posse. Minime igitur auctoritate Vicarii Christi iura Episcoporum minuuntur, cum e contra a supremo et universali Pastore asserantur, roborentur ac vindicentur, secundum illud sancti Gregorii Magni: « Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur ».[11]

15. [*Relatio Episcoporum ad totam Ecclesiam*]. Quoniam Episcopi singuli centrum et fundamentum et principium unitatis sunt in suis Ecclesiis particularibus, prout in illis et ex illis, ad imaginem Ecclesiae universalis formatis, una et unica Ecclesia Catholica exsistit, cuius centrum et fundamentum et principium

unitatis est successor Petri, ut ipsius Christi vicarius, hac de [24] causa singuli suam, omnes autem simul cum Papa totam Ecclesiam repraesentant « in vinculo pacis » (Eph. 4, 3) et amoris.[12] Episcopi quamvis singillatim sumpti vel etiam quam plurimi congregati potestatem in universam vel in aliam ac sibi commissam Ecclesiam non habeant nisi ex participatione potestatis Romani Pontificis,[13] tamen erga universam Ecclesiam vera sollicitudine tenentur, quae quidem, etsi potestas iurisdictionis non est, nihilominus, ut in communione fraterna soliditatis robur, summopere confert ad Ecclesiae universalis emolumentum:[14] debent enim promovere et tueri unitatem fidei et disciplinam toti Ecclesiae communem, fideles suos edocere ad amorem totius Mystici Corporis Christi, praesertim membrorum dolentium et eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (cf. Mt. 5, 10), ac tandem promovere omnem actuositatem quae toti Ecclesiae communis est, praesertim ut fides incrementum capiat et lux plenae veritatis oriatur super eos qui in tenebris et in umbra mortis sedent (cf. Lc. 1, 79). Ceterum hoc sanctum est quod, bene regendo propriam suam Ecclesiam ut partem Ecclesiae Universalis, ad bonum totius Mystici Corporis quod teste S. Basilio etiam est Corpus Ecclesiarum,[15] efficaciter conferunt.

16. [*Collegium Episcoporum*]. Collegium Episcoporum quod Collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo Collegium Apostolorum continuo perseverat, quoque missionem Iesu Christi eiusdemque doctrinam et leges continuo testatur, una cum capite suo, Romano Pontifice et numquam sine hoc capite, unum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam creditur.[16] Potestas tamen huius Collegii, etsi ordinaria, utpote officio inhaerens, nonnisi modo extraordinario[17] et in devota subordinatione Iesu Christi Vicario in terris quando, quomodo et quousque eidem id in Domino videtur expedire, legitime exercetur.[18] Quod vero ad constitutionem augusti huius Collegii attinet, omnes Episcopi residentiales in pace cum Sede Apostolica viventes suo iure eiusdem membra sunt,[19] et nemo Episcoporum, sive residentialium sive aliorum, ad hoc Collegium pertinere potest, nisi dedita opera vel consensu tacito a successore Petri, Christi Vicario et Capite Collegii, in idem assumptus sit.[20]

[25] NOTAE

[1] Conc. Trid., Sess. XXIII, Doctr. *De sacramento Ordinis,* c. 4: Denz. 960;

Conc. Vat., Sess. IV, Const. Dogm. I *De Ecclesia Christi,* c. 3: Denz. 1828;

Leo XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: ASS (1895-1896) p. 732: « Quo modo Petri auctoritatem in Romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic Episcopi, quod succedunt Apostolis, horum potestatem ordinariam hereditate capiunt... »;

Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: AAS 35 (1943) p. 209: « Ac praeterea triplicem potestatem Apostolis eorumque successoribus impertiit... », et p. 212: « Quapropter ut Apostolorum ex divina institutione successores, a populo venerandi sunt... »;

Can. 329, § 1;

Conc. Prov. Coloniense, 1860: Mansi 48, 106: « Itaque inde a suo primordio Ecclesia universa Episcopos " Apostolis vicaria ordinatione succedere " [S. Cypr., *Epist. 69,* opp. ed. Baluz., p. 122], " habere successionem ab Apostolis, et cum Episcopatus successione charisma veritatis certum " [S. Iren., *Adv. haer.,* lib. IV, cap. 26, al. 43, opp. ed. Migne 1053 c], Dei loco praesidere [S. Ign., *Epist. ad Magn.,* n. 6: PG 5, 667 A] credidit »;

Conc. Prov. Quebecense III, 1863: Mansi 48, 411: « Episcopos enim esse principes Ecclesiae, Apostolorum successores, ipsiusmet Christi legatos, passim et aperte docent [Sancti Patres Doctoresque] »;

Conc. Prov. Colocense, 1863: Mansi 48, 519: « Episcopos Apostolorum successores esse legitimos non ambigit, qui eorum in Ecclesia seriem ab Ascensione Christi Spiritu Sancto duce continuam novit... Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt... »;

Conc. Plen. Baltimorense II, 1866: Mansi 48, 912: « Episcopi igitur, qui sunt successores Apostolorum... ».

[2] Textus, de quo exegetice disputari potest, sumitur quia in documentis Ecclesiae saepe saepius adhibetur, cf.:

Conc. Trid., Sess. XXIII, Doctr. *De Sacramento Ordinis,* c. 4: Denz. 960;

Conc. Vat., Sess. IV, Const. Dogm. I *de Ecclesia Christi,* c. 3: Denz. 1828;

Conc. Prov. Coloniense, 1860: Mansi 48, 106;

Conc. Prov. Colocense, 1863: Mansi 48, 519;

Conc. Plen. Baltimorense II, 1866: Mansi 48, 912;

Conc. Prov. Ravennatense, 1855: Mansi 47, 201;

Conc. Prov. Viennense, 1858: Mansi 47, 782.

[3] Conc. Prov. Coloniense, 1860, cf. supra nota [1];

Conc. Prov. Quebecense III, 1863, cf. supra nota [1];

Benedictus XIV, Br. *Romana Ecclesia,* 5 oct. 1752, § 1: *SS.mi D.ni Nostri Benedicti Papae XIV Bullarium,* t. IV, Romae, 1758, 21: « ut Episcopus, qui Christi typum gerit, eiusque munere fungitur »;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 211: « Christi nomine pascunt et regunt» ; [26]

LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* l. c. p. 732: « non tamen vicarii Romanorum Pontificum putandi » (Ergo: in quantum potestas Episcoporum non est delegata a Papa, non vicarii Romani Pontificis nominari possunt Episcopi. Ergo haec potestas vicaria Christi esse debet);

ID., Epist. *Officio Sanctissimo,* 22 dec. 1887: ASS 20 (1887), p. 264.

IAC. LAINEZ, *Disputationes Tridentinae,* t. I, Oeniponte, 1886, pp. 232 s.: « ... argumentantur [adversarii] a titulis et praerogativis quas Patres Episcopis tribuunt. Vocant enim eos *Christi vicarios...* Dicuntur etiam *Christi legatione fungi...* Respondemus, has praerogativas habere quidem Episcopos... *Licet enim Christi vicarii dicantur et sint,* non tamen sunt *vicarii generales* super totam Ecclesiam, sed in suis tantum dioecesibus. Et ideo a generali vicario creati sunt, qui solum a Christo potest praefici... ».

[4] CONC. VAT., Sess. IV, Const. Dogm. I *de Ecclesia Christi,* c. 3: DENZ. 1828;

Schema Constitutionis Dogmaticae secundae de Ecclesia Christi, secundum reverendissimorum Patrum animadversiones reformatum, c. 4: MANSI 53, 310: « ... atque ecclesias sibi commissas propria et ordinaria potestate regere. Itaque et singuli in sua quisque ecclesia et congregati in Synodis de doctrina et disciplina decernunt, leges ferunt, iudicium exercent... Romano Pontifici ceteri praesules subiecti sunt, tum singuli in propriis ecclesiis administrandis, tum universi in communibus Ecclesiae negotiis gerendis »;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* l. c. p. 732 ss.;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 211 s.;

Can. 329, § 1; Can. 334, § 1;

CONC. PROV. COLOCENSE, 1863: MANSI 48, 519: « ... gregem dominicum infra fines suorum dioecesium veluti legitimi ac proprii pastores pascunt, immediatam habentes in clerum et in populum auctoritatem ».

[5] « *Patres* »: CONC. PROV. REMENSE, 1857: MANSI 47, 562; CONC. PROV. COLONIENSE, 1860: MANSI 48, 107; CONC. PROV. COLOCENSE, 1863: MANSI 48, 520; CONC. PROV. ULTRAIECTENSE, 1865: MANSI 48, 675; dicitur « fidelium patres », quibus verbis indicatur in Ecclesia esse potestatem patrisfamilialem, et potestatem iuridicam moderari spiritu pietatis, qui inter fideles et Episcopos intercedere debet;

« *Pastores* »: CONC. VAT., Sess. IV, Const. Dogm. I *de Ecclesia Christi,* c. 3: DENZ. 1828; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 211; Can. 334, § 1; Can. 2214, § 2.

[6] BENEDICTUS XIV, Epist. *Ad assiduas,* 4 mart. 1755: *SS.mi D. N. Benedicti XIV Bullarium,* t. IV, Romae, 1758, 163: « § 1. Eo enim tendere, ac collimare videssetis execrandi foetus auctorem, ut collatam a Christo Domino et Salvatore nostro Ecclesiae suae potestatem, *non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios, contumacesque exteriore iudicio, et salubribus poenis, coercendi, atque cogendi,* labefactet, convellat, et prorsus eliminet; Ecclesiasticum ministerium ita saeculari dominationi subiiciens, ut ad hanc spectare pronun-

[27] ciet, de externa omni ac sensibili gubernatione cognoscere ac iudicare. Pravum ac perniciosum systema, iampridem ab Apostolica Sede, praesertim a Ioanne XXII, Praedecessore nostro, Constitutione incipiente *Licet iuxta doctrinam* reprobatum, *ac pro haeretico expresse damnatum...* »;

PIUS VI, Const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, prop. 4-5: MANSI 38, 1265: DENZ. 1504-1505; Can. 335, § 1; CONC. VAT., *Primum Schema Const. Dogm. de Ecclesia Christi,* c. 10: MANSI 51, 543: « Cum vero Ecclesiae potestas alia sit et dicatur ordinis, alia iurisdictionis: de hac altera speciatim docemus, eam non solum esse fori interni et sacramentalis; sed etiam fori externi ac publici, absolutam atque omnino plenam, nimirum legiferam, iudiciariam, et coercitivam. Potestatis autem huiusmodi subiectum sunt pastores et doctores a Christo dati, qui eam libere et a quavis saeculari dominatione independenter exercent; adeoque cum omni imperio regunt Ecclesiam Dei tum necessariis et conscientiam quoque obligantibus legibus, tum decretoriis iudiciis, tum denique salutaribus poenis in sontes etiam invitos, nec solum in iis, quae fidem et mores, cultum et sanctificationem, sed in iis etiam, quae externam Ecclesiae disciplinam et administrationem respiciunt »;

Ibid., Can. 11-12: MANSI 51, 552: « Canon XI. Si quis dixerit, Ecclesiam institutam divinitus esse tanquam societatem aequalium; ab Episcopis vero haberi quidem officium et ministerium, non autem propriam regiminis potestatem, quae ipsis divina ordinatione competat, quaeque ab iisdem sit libere exercenda; *A.S.*;

Canon XII. Si quis dixerit, a Christo Domino et Salvatore nostro Ecclesiae suae collatam tantum fuisse potestatem dirigendi per consilia et suasiones, non vero etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriori iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi; *A.S.* »;

Ibid., plura documenta: MANSI 51, 589-597, 625-626;

CONC. VAT., *Schema Const. dogm. de Ecclesia Christi,* c. 8: MANSI 53, 314: « Postremo adversus quorundam novatorum perversam doctrinam statuimus et declaramus, ecclesiasticum regimen divina ordinatione non esse fori tantum interni et sacramentalis, sed externi quoque et publici, plenamque Ecclesiae a Deo collatam esse potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salutaribus poenis coercendi atque cogendi. Qua quidem potestate cum in definiendis iis, quae fidem et mores, divinum cultum et sanctificationem fidelium respiciunt, tum in disciplina externa constituenda et sancienda et ipsos Apostolos et qui in eorum locum successerunt praesules omni tempore usos esse constat »;

Ibid., Can. 12: MANSI 53, 316: « Si quis dixerit, hanc potestatem esse tantum directivam, non vero legislativam, iudiciariam et coercitivam: *A.S.* ».

[7] Cf. « Praefatio » in Consecratione Episcopi.

[8] *Sermo* 4 *de natali ipsius*: PL 54, 149. Cf. Id. *Epist.* 10: PL 54, 629.

[9] CONC. TRID., Sess. XXIII, *Canones de Sacramento Ordinis,* Can. 8: DENZ. 968;

CLEMENS VI, Epist. *Super quibusdam,* 29 sept. 1351: C. BARONIUS, *Annales Ecclesiastici,* t. VI, Lucae 1750, p. 529; DENZ. 570 h, 570 p;

PIUS VI, Brev. *Super soliditate,* 28 nov. 1786, § 4: A. A. BARBERI, *Bullarii Romani Continuatio,* t. VII, Romae 1843, p. 672 s.: DENZ. 1500; [28]

Ibid., § 16, l. c., p. 675: « ... caeteris porro Episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem non divino, sed ecclesiastico iure, non Christi ore, *sed hierarchica ordinatione assignari opus sit,* ut ordinariam regiminis potestatem explicare in eam valeat. Cuius assignationis summam auctoritatem quisquis Romano Pontifici abiudicare volet, eum necesse est in legitimam tot in orbe toto Episcoporum successionem invadere, qui ecclesias apostolica auctoritate de integro fundatas, aut ab aliis divulsas, aut invicem unitas regunt, ad easque regendas a Romano Pontifice missionem acceperunt; ut proinde sine ingenti Ecclesiae perturbatione, ipsiusque episcopalis regiminis discrimine tentari nequeat magnum hoc, et mirabile potentiae consortium, divina dignatione Petri cathedrae tributum, ut quemadmodum a Leone Magno dictum est, omnes proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus; et si quid Christus commune cum Petro caeteris voluit esse principibus, *numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit* »;

PIUS IX, *Syllabus,* prop. 50-51: ASS 3 (1867) p. 173: DENZ. 1750-1751;

Can. 329, § 2; Can. 332, § 1;

CONC. VAT., *Schema Const. dogm. secundae de Ecclesia Christi,* c. 4: MANSI 53, 310: « At quoniam primatus Petro datus est, ut una Ecclesia Christi et cathedra una monstraretur, Romano Pontifici ceteri praesules subiecti sunt, tum singuli in propriis ecclesiis administrandis, tum universi in communibus Ecclesiae negotiis gerendis. Ad summum enim hierarcham pertinet, novas ecclesias instituere, iam institutas aliis finibus circumscribere aut prorsus abolere, *singulis proprios pastores vel eligere vel electos confirmare, horum potestatem etiam ordinariam ampliare et restringere,* acta sive singulorum sive synodorum diiudicare, ipsos quoque praesules, ubi opus est, a munere removere. Neque hi pro universa Ecclesia quidquam disponere vel decernere possunt, nisi a regnante Pontifice in partem sollicitudinis vocati... ».

[10] PIUS VI, Brev. *Super soliditate,* l. c.;

ID., Const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, prop. 6-8, 45: DENZ. 1506-1508, 1545;

CONC. VAT., Sess. IV, Const. dogm. I *de Eccl. Christi,* c. 3: *Coll. Lac.* VII, 484-485: DENZ. 1827-1831; Can. 218, § 2.

LEO XIII, Const. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881: ASS 13 (1880) p. 483 ss.;

Cann. 893-894; 2245, §§ 2-3;

CONC. VAT., *Schema Const. dogm. secundae de Ecclesia Christi,* c. 4: MANSI 53, 310, cf. nota [6].

Iurisdictionis ordinariae exercitium Episcoporum ampliari vel restringi posse, probatur ex legibus communibus, probatur exceptionibus, etc.

[11] S. GREGORIUS, Epist. *ad Eulogium episc. Alexandrinum,* l. 8, c. 30: PL 77, 933;

CONC. VAT., Sess. IV, Const. dogm. I *de Eccl. Christi,* c. 3: *Coll. Lac.* VII, 484: DENZ. 1828;

[29] Leo XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: ASS 28 (1895-1896) p. 737: Denz. 1962;

Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 212;

Leo XIII, Epist. *Est sane,* 17 dec. 1888: ASS 21 (1888) pp. 321 s.: « Muneris enim Nostri est vigilare et conniti, ut divina Episcoporum potestas omnino incolumis atque inviolata consistat. Nostrum est pariter imperare et efficere, ut ea ubique honore vigeat suo, neve quidquam a catholicis iustae obtemperationis et reverentiae ulla in parte desideret. Divinum quippe aedificium, quod est Ecclesia, verissime nititur, tamquam in fundamento conspicuo, primum quidem in Petro et successoribus eius, proxime in Apostolis et successoribus Apostolorum Episcopis: quos qui audit vel spernit, is perinde facit ac si audiat vel spernat Christum Dominum. Ex Episcopis constat pars Ecclesiae longe augustissima, quae nimirum docet et regit homines iure divino: ob eamque rem quicumque eis resistat, vel dicto audientem esse pertinaciter recuset, ille ab Ecclesia longius recedit (Mt. 13, 17). Neque vero continenda obtemperatio est, quasi finibus, in rebus ad fidem christianam pertinentibus, sed multo amplius proferenda, videlicet ad res omnes, quascumque episcopalis potestas complectitur. Sunt illi quidem in populo christiano fidei sanctae magistri, at praesunt etiam tamquam rectores et duces, atque ita praesunt, ut de hominum salute, quos habent a Deo creditos, ipsi Deo ratio sit ab illis aliquando reddenda ».

[12] S. Ignatius, *Epist. ad Philad.,* 3, 2; 8, 1: PG 5, 700, 704 [*Rouët de Journel*: 56, 59]; *Epist. ad Smyrn.,* 8, 1: PG 5, 713 [*RJ* 65];

S. Cyprianus, *Epist. 69*: PL 4, 406 [*RJ* 587]; *Epist. 27*: PL 4, 298 [*RJ* 571]; *Epist. 76*: PL 3, 1140 [*RJ* 589]; *De cath. Eccl. unit.,* 4-6: PL 4, 498-501 [*RJ* 555-557];

S. Leo Magnus, *Sermo 4*: PL 54, 149 s.;

Conc. Vat., Sess. IV, Const. dogm. I *de Eccl. Christi,* c. 1: *Coll. Lac.* VII, 482: Denz. 1821; *Ibid.,* c. 3: *Coll. Lac.* VII, 484: Denz. 1827; *Ibid.,* c. 4: *Coll. Lac.* VII, 486-487: Denz. 1837;

Leo XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* l. c. p. 733 s.: Denz. 1960; Epist. *Testem benevolentiae,* 22 ian. 1899: ASS 31 (1898-1899) p. 479: Denz. 1976;

Epist. S. C. S. Officii ad Episc. Angliae, 16 sept. 1864: ASS 2 (1866) p. 685 s.: Denz. 1686;

Martinus V, Bull. *Inter cunctas,* 22 febr. 1418, prop. 5-6: Mansi 27, 1211: Denz. 657-658;

Pius VI, Brev. *Super soliditate,* § 1, § 5, § 20, § 22: A. A. Barberi, *Bullarii Romani Continuatio,* t. VII, Romae, 1845, 671, 673, 676: § 20: « Praeclarum etiam, atque ut allatae Parisiensium doctorum sententiae, sic et constanti maiorum suorum traditioni plane consentaneum de Romani Pontificis primatu testimonium edidere Gallicani praesules in comitiis anno 1681: " Caput est, inquiunt, Ecclesiae, *centrum unitatis*: obtinet ille in nos primatum auctoritatis, et iurisdictionis sibi a Christo Iesu in persona sancti Petri collatum: qui ab hac veritate dissentiret, schismaticus, immo et haereticus esset " ».

[13] Conc. Lat. IV, c. 5: Mansi 22, 990 ss.: Denz. 436;

CONC. LUGD. II, *Professio fidei M. Palaeologi*: MANSI 24, 71 ss.: DENZ. 466; [30]

CLEMENS VI, Epist. *Super quibusdam,* l. c.;

Cann. 271-280;

CONC. VAT., *Schema Const. dogm. secundae de Eccl. Christi,* c. 4: MANSI 53, 310, 321; 310: « Neque hi pro universali Ecclesia quidquam disponere vel decernere possunt, nisi a regnante Pontifice in partem sollicitudinis vocati: et licet, ab eo congregati, tamquam veri iudices et fidei decreta et disciplinae leges condant; Romani tamen Pontificis est, generalia eorum concilia non solum convocare et dissolvere, sed etiam dirigere et confirmare ».

Omnis proinde potestas supra-episcopalis est participatio potestatis Papae, e. gr. potestas archiepiscopalis, patriarchalis, etc.

[14] S. GREGORIUS, Epist. *ad Eulogium episc. Alexandrinum,* l. 8, c. 30: « Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor »: PL 77, 933; PIUS IX, Litt. Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: ASS 3 (1867) pp. 161 s.: DENZ. 1688;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926: AAS 18 (1926) p. 69: « ... unde liquet, propagandae fidei curam ita ad Nos pertinere, ut in laborum *societatem* Nobiscum venire Nobisque hac in re adesse, quantum singularis ac propria vestri perfunctio muneris sinit, sine ulla dubitatione debeatis »;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Fidei donum,* 21 apr. 1957: AAS 49 (1957) p. 236 s.: « ... ma, se ogni Vescovo è pastore proprio soltanto della porzione del gregge, affidata alle sue cure, la sua qualità di legittimo successore degli Apostoli per istituzione divina lo rende *solidamente* responsabile della Chiesa ... ».

[15] S. BASILIUS, *In Isaiam,* 15, 296: PG 30, 637, collato S. GREGORIO MAGNO, *Moral.* 4, 7, 12: PL 75, 643. Similia apud Clem. Alex. Cyrill. Alex. Io. Damasc., alos.

[16] Doctrina habetur in theologia De Conciliis Oecumenicis et in doctrina de successione Apostolorum eorumque Collegii. Episcopi in Concilio adunati una cum Papa unum tribunal constituunt, veri iudices fidei et legislatores sunt, ius sedendi in Concilio omnibus Episcopis residentialibus competit: Relatio officialis relatoris Zinelli: MANSI 52, 1109 s.;

CONC. VAT., *Schema Const. dogm. secundae de Eccl. Christi,* c. 4: MANSI 53, 310 [cf. supra nota [8]], et insuper: « Verum etiam supremi muneris docendi et gubernandi universam Ecclesiam Episcopi expertes non sunt. Illud enim ligandi et solvendi pontificium, quod Petro soli datum est, collegio quoque Apostolorum, suo tamen capiti coniuncto, tributum esse constat, protestante Domino: " Amen, dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo " (Mt. 18, 18). Quapropter inde ab Ecclesiae primordiis oecumenicorum conciliorum decreta et statuta iure merito tamquam Dei sententiae et Spiritus Sancti placita summa veneratione et pari obsequio a fidelibus suscepta sunt »;

Ibid., Relatio Kleutgen de schemate reformato: pp. 321-322.

[31] *N. B.*: Corpus seu collegium per se ab hoc praescindit utrum sit subiectum potestatis iurisdictionis tantum an etiam aliarum potestatum.

[17] Dicitur « modo extraordinario »; hoc sequitur ex eo quod Concilia Oecumenica absolute loquendo non necessaria sunt; ergo *actio* Corporis Episcoporum, inquantum agitur de actione *iuridica,* non est ex institutione divina permanens in Ecclesia.

[18] Doctrina continetur in theologia De Conciliis Oecumenicis, praesertim in veritatibus de convocatione iuridica necnon de confirmatione iuridica; CONC. LAT. V, Sess. XI, Bull. *Pastor aeternus,* 19 dec. 1516: MANSI 32, 967: DENZ. 740;

Cann. 222-229; cf. alia Documenta: H. SCHAUF, *De Conciliis Oecumenicis,* Romae 1961.

[19] Doctrina habetur in theologia De Conciliis Oecumenicis et speciatim in doctrina de iure sedendi in Conciliis Oecumenicis;

Can. 223, § 1, n. 2.

[20] Doctrina fluit et habetur in veritate de Primatu, de Romano Pontifice ut Capite Corporis Episcoporum et de munere episcopali.

[32]

CAPUT V

DE STATIBUS EVANGELICAE ACQUIRENDAE PERFECTIONIS

17. [*De consiliis evangelicis*]. Pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus (cf. Hebr. 13, 20) Ecclesiam suam non modo salutaribus praeceptis communivit, quibus servatis credentibus in se omnibus ostium pateret salutis (cf. Mt. 19, 17-19), verum etiam consiliis instruxit sanctissimis, ut volentibus via praeberetur expeditior atque tutior ad impletionem caritatis, quae divinae est plenitudo legis (cf. Rom. 13, 10). Properante itaque vitae suae exitu, exemplo aperta etiam adiunxit invitationis verba, ut, qui vellent Ipsum perfectius imitari, sine proprio viverent (cf. Mt. 19, 21; Mc. 10, 21; Lc. 18, 22) et in castitate (cf. Mt. 19, 11-12), ac, sicut iam antiquitus intellexit et adprobavit Ecclesia, oboedientiam Eius ad Patrem (cf. Io. 6, 38; Phil. 2, 8) strictius sub constituta auctoritate prosequerentur.

Ne autem consilia haec oboedientiae, paupertatis et castitatis, a sanctis etiam Apostolis atque Patribus verbo et exemplo commendata, irrita manerent, invitationi addidit Dominus et gratiam, qua operante omnibus Ecclesiae aetatibus utriusque sexus fideles illa, sive ex parte sive ex toto, generoso animo amplexi

atque fideliter secuti sunt. Horumque ideo vita multum contulit [32] ut sanctitatis nota, qua divinus Conditor Ecclesiam suam voluit insignitam, perpetuo auctoque in dies splendore ante oculos omnium emicaret et colluceret.[1]

Idcirco sancta Synodus consilia haec eorumque exercitium originis esse divinae docet, eorum observationem enixe commendat, hancque inter elementa notae sanctitatis Ecclesiae constitutiva adnumerat.

18. [*De momento statuum perfectionis in Ecclesia*]. Siquidem Sancta Ecclesia, omnibus bonis inexhauste fecunda, consiliorum evangelicorum observatione indesinenter effulget. Spiritus Sancti namque gratia multos urgere numquam desinit ut et vitam supernae Ierusalem, quantum in carne possibile est, inchoatam ducant, et propinquiorem Christi imitationem prosequantur, unde ipsorum et apostolatus roboratur et meritum ge- [33] minatur. Quo factum est ut, eodem Spiritu Christi impellente, paulatim ex germine divinitus dato variae vivendi formae ad illam perfectionem assequendam exortae sint veluti arbor mirabiliter in vinea Domini ramificata. Cum enim consilia evangelica necessario coniuncta sint cum imitatione Christi atque a curis saecularibus efficaciter animum liberent, eos prae aliis ad suam observationem attrahunt qui, sive oratione et contemplatione, sive labore apostolico, sive operibus misericordiae spiritualis et corporalis, saepe quoque in vita ducenda communi, vitam Salvatoris in se clarius exprimere cupiunt.

Haec autem consiliorum via, cum ad perfectionem caritatis in Deum et proximum ordinetur,[2] cum munere Ecclesiae intime cohaeret, quod in eo est ut Deus hominibus donetur hominesque Deo reddantur suo. Quapropter quisque suo modo missioni Ecclesiae salvificae prodest, quamcumque amplectitur formam evangelicae perfectionis acquirendae.

Meminerint ergo omnes ad perfectionem evangelicam peculiariter vocati suum esse officium ut per ipsos Ecclesia revera Christum in dies melius commonstret vel in monte contemplantem, vel concionantem ad populos, vel sanantem aegros et saucios, ac peccatores ad frugem bonam convertentem, vel denique bene facientem omnibus.[3] Unusquisque ideo sedulo curet ut in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat atque magis ac magis excellat.

[33] 19. [*De positione statuum perfectionis in Ecclesia*]. Ut autem observationem evangelicorum consiliorum tamquam rem sibi propriam [4] etiam publice sibi assumeret modoque adspectabiliore commonstraret, provida mater Ecclesia, motiones Sancti Spiritus assidue secundans, leges pro summa auctoritate ipsa tulit vel ab eminentibus viris ac feminis propositas probavit, quarum sectatores statum perfectionis acquirendae constituerent electamque portionem mystici Corporis Christi.[5]

Status perfectionis proprie non est intermedium quoddam inter clericalem et laicalem conditionem, sed utrique potest esse communis. Eo autem magis evangelicorum consiliorum observatio ab Ecclesia honoratur, quo intimior atque firmior fit cum Deo et Iesu Christo communio. Quare suapte natura haec observantia melior est ex voto quam ex promissione, cum ligamine perpetuo quam cum vinculo temporaneo assumpta.[6] Dispari enimvero fir-
[34] mitate quis et conformis fit imagini Christi oboedientis, pauperis, virginis, ipsique sanctae Ecclesiae assimilatur utpote cum Christo sponso suo intime et indissolubiliter coniunctae cunctarumque gentium ad patriam peregrinantium portui salutis conspicuo. Haec autem conformitas cum Christo, qui homo etiam perfectissimus fuit, atque assimilatio Ecclesiae suae sanctae, quae societas est non modo humana verum etiam divina, sat superque ostendunt statum perfectionis, nedum personae humanae profectui obstet, summopere eidem prodesse.

Propterea sancta Synodus ut falsas declarat illorum sententias, qui affirmare contendunt eo magis eminere consiliorum evangelicorum observationem quo minus assumitur coram Deo et Ecclesia obligatio; aut statum perfectionis efformationem personalitatis impedire vel minuere.

Cum autem ad unam sacram hierarchiam spectet adprobare et invigilare qua ratione vita perfectioni dicata ducenda sit apteque componenda,[7] omnia idcirco instituta ad eam sectandam passim erecta, ut crescant ac floreant, semper et ubique vigilantiae et auctoritati Ecclesiae subesse debent. Ad hoc et quo melius necessitatibus totius dominici gregis provideatur, Romanus Pontifex, ratione sui in universam Ecclesiam primatus, quin principiis constitutionis divinitus Ecclesiae datae ullatenus officiat, quodcumque perfectionis institutum ac sodales singulos ab Episcoporum iurisdictione subtrahere sibique immediate subiicere potest.[8] Attamen etiam exempti ut tales Ordinariis locorum reverentiam et oboedientiam iuxta canonicas leges prae-

stare debent in officio ecclesiastico adimplendo ex peculiari suae vitae forma defluente. Illud enim in eo est ut sacrae hierarchiae propinquiores sint adiutores in regno Christi provehendo ac stabiliendo atque cetera Ecclesiae membra omni nisu ad legem Domini impigre sectandam trahant. [34]

Ideo sancta Synodus singulos ad perfectionem evangelicam peculiariter vocatos adhortatur ut factis illud divi Pauli sine intermissione repetere valeant: « Imitatores mei estote, fratres et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram » (Phil. 3, 17), ita ut ipsorum opera ad maiorem Dei gloriam conferant, odorque vitae delectamentum sit Ecclesiae Christi.

NOTAE [35]

[1] Cf. Conc. Vat., *Schema Const. dogm. de Ecclesia Christi,* cap. XV, adnot. 48: *Coll. Lac.,* t. VII, 628 c;

Pius XI, Litt. Encycl. *Quas primas,* 11 dec. 1925: AAS 17 (1925) p. 609.

[2] Cf. S. Thomas, *Summa Theol.,* II-II, q. 188, a. 2;

S. Bonaventura, *Apologia pauperum,* c. 3, 3 (ed. *Ad Claras Aquas,* t. VIII, 1898, p. 245 a).

[3] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: AAS 35 (1943) pp. 214-215.

[4] Cf. Conc. Vat., *Schema Const. dogm. de Ecclesia Christi,* cap. XV, adnot. 48; *Coll. Lac.,* t. VII, 628 c.

[5] Cf. Leo XIII, Epist. *Au milieu des consolations,* 23 dec. 1900: ASS 33 (1900-01) p. 355 ss.;

Pius XII, Alloc. *Sous la maternelle protection*, 9 dec. 1957: AAS 50 (1958) p. 37.

[6] Alii adiungere volunt: « publice quam etiam privatim ».

[7] Cf. Pius XII, Const. Apost. *Provida Mater,* 2 febr. 1947: AAS 39 (1947) p. 114.

[8] Cf. Leo XIII, Const. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881: ASS 13 (1880) p. 483;

Pius XII, Alloc. *Annus sacer,* 8 dec. 1950: AAS 43 (1951) p. 28 s.

[36]

CAPUT VI
DE LAICIS

20. [*Principium*]. « Pastor aeternus et Episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur ».[1] In ea omnibus fidelibus onus honorificum incumbit adlaborandi ut divinum salutis propositum ad universos homines omnium temporum magis magisque applicetur. Ad populum Dei vocati et in uno Corpore Christi sub uno Capite constituti, quicumque sunt, ut viva membra ad Ecclesiae incrementum eiusque continuam sanctificationem vires suas omnes, beneficio Creatoris et gratia Redemptoris acceptas, conferre tenentur. Ipse autem Dominus quosdam in Ecclesia pastores et doctores ad opus ministerii sanctificavit, ut fideles, non tamquam parvuli fluctuantes, sed secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum Corporis faciant, donec perveniant omnes ad aetatem plenitudinis Christi (cf. Eph. 4, 11-16). Pastores ergo instituti non sunt ut totum onus aedificandi corporis in se suscipiant, sed ut omnes fideles, quos regunt, eo adducant ut suo modo et ordine ad commune opus explendum cooperentur. Una est enim totius organici Corporis vocatio.

21. [*De sacerdotio universali et de sacerdotio ministeriali*]. Antiquus populus Dei ut « regnum sacerdotale et gens sancta » constitutus est (cf. Ex. 19, 5-6), cuius membra « sacerdotes Domini » vocarentur (cf. Is. 61, 6). In Christo autem novus populus in templum spirituale et sacerdotium sanctum per regenerationem baptismalem et Spiritus Sancti unctionem evehitur, ut spirituales offerat hostias, et tamquam genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, virtutes annuntiet Eius qui de tenebris eum vocavit in admirabile lumen suum (cf. 1 Pt. 2, 4-10). Ideo universi discipuli Christi, quos ipse Dominus regnum et sacerdotes Deo et Patri suo fecit (cf. Apoc. 1, 6 et 5, 9-10) sive ad hierarchicum ordinem pertineant sive non, seipsos ut hostiam viventem ac Deo placentem exhibeant

(cf. Rom. 12, 1), et testimonium praebeant ubique terrarum de [37] Christo Eiusque virtutibus.

Hoc in Corpore omnia quidem membra baptismate et confirmatione Christo Sacerdoti ita dicantur, ut oratione, eleemosyna et abnegatione sui Deo spiritualia sacrificia offerant atque poscentibus rationem reddant de ea quae in nobis est spes salutis aeternae (cf. 1 Pt. 3, 15), immo in sacrificio Missae Corpus Christi, verbis consecrationis in altare positum, per manus ministri sacrificantis Deo offerant; attamen in eodem Corpore proprii quoque nominis sacerdotes sunt, qui sacramento ordinis consecrati, pro hominibus in iis quae sunt ad Deum constituti (cf. Hebr. 5, 1), sacerdotium hierarchicum ut ministri Christi exercent. Qui viri electi auctoritate sacra populi curam gerunt, eique media salutis praestant, cultumque administrant. Ipsi soli in sacrificio eucharistico verba consecrationis in persona Christi proferunt, et in eo offerendo totam Ecclesiam repraesentant, ut « quod populus agit voto, sacerdotes peragant mysterio ».[2]

Alterum autem alterum non elidit, sed e contra sacerdotium ministeriale et sacerdotium universale, quia non gradu tantum, sed etiam essentia differunt,[3] suo peculiari modo a Summo Sacerdote Christo profluunt, et ita ad invicem respiciunt, ut primum potestate sacra regnum sacerdotale diffundat et dirigat, alterum vero ad oblationem sacrificii concurrat [4] et in oratione, testimonio, abnegatione et actuosa caritate exerceatur.

22. [*Quinam nomine laicorum veniant*]. Sacrosancta Synodus hic sub nomine laicorum intelligit fideles, qui baptismate ad populum Dei appositi, attamen in saeculo commorantes, solis communibus normis vitae christianae reguntur. Animum scilicet dirigit ad fideles illos, qui neque hierarchiam ordinis, neque ad statum religiosum, ab Ecclesia sancitum, ex populo Dei vocati sunt, sed peculiari modo per opera quoque saecularia sanctitatem christianam ad gloriam Dei prosequi debent. In laboribus saeculi partes agunt, sed spiritu evangelico ducti, malitiae mundi valide opponuntur, immo vocatione sua christiana mundum velut ab intra sanctificant.

23. [*De iuribus et officiis laicorum*]. Iura et officia laicorum sunt igitur illa quae ad omnes et singulos christifideles, sola vi nominis christiani, pertinent. Ius habent, ut secundum capacitates suas opus salutare Ecclesiae etiam operose participent. Ius habent

[38] ut de fide sua verbo et scriptis testimonium reddant. Ius habent a Pastoribus adiumenta ad salutem necessaria accipiendi, eisque necessitates et desideria sua reverenter patefacere possunt.[5] Pastores Ecclesiae, memores verborum S. Scripturae: « probate spiritus si ex Deo sint » (1 Io. 4, 1) et: « Spiritum nolite exstinguere » (1 Thess. 5, 19), coepta et vota a fidelibus proposita attente in Christo considerent, et fidelibus officium testimonium vitae integraliter christianae praebendi indesinenter inculcent.

Per *baptismum* enim in filios Dei regenerati, fidem christianam profitentur et ad cultum religionis christianae charactere deputantur. Sacramento *Confirmationis* ad fidem quam ab Ecclesia acceperunt simul diffundendam et defendendam roborantur. *Sacrificium eucharisticum* participantes, vota sua cum votis ministri litantis iungentes, divinam Victimam per manus sacerdotis Deo offerunt, et hac maxime ratione partes activas in liturgia agunt.[6] Simul sese Deo devoventes, sui abnegatione regnum peccati in seipsis et in aliis impugnant. Ita de munere Christi sacerdotali, prophetico et regali suo modo participes facti, mandatum Eius novum et fundamentale observant, *caritatem* videlicet, qua proximos amamus ea dilectione qua Ipse dilexit nos, praesertim minimos fratres, quos Dominus Sibi speciatim identificat. Ita autem missionem Eius salutarem non quidem auctoritate sed dilectione continuant.

24. [*De vita salutifera Ecclesiae a laicis active participata*]. Cum, teste Apostolo (Eph. 4, 16), Ecclesia corpus compactum et connexum sit per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, etiam laicis adlaborandum est, ut totum corpus augmentum faciat in aedificationem sui in caritate. Immo eorum operositas, quae apostolatus laicorum nomen habet, licet nec auctoritatem pastorum implicet, nec peculiarem vitae statum religiosum ferat, tamen ex eodem fonte fluit ac omnis operositas in Ecclesia, sive nobilior sit, sive humilior; ex superabundantia nempe gratiarum Christi Capitis. Gratia enim Christi, caritas Dei et communicatio Spiritus Sancti (cf. 2 Cor. 13, 13) omnes fideles attingit, eosque ad activitatem in totius Corporis Mystici bonum et incrementum impellit.

a) Eorum igitur socius labor est imprimis *indolis explicite religiosae,* ut iam patet in primaeva communitate, in qua baptizati, oratione, exemplo, sacrificio, verbo, Ecclesiam aedifi-

cabant (cf. Act. 2, 42; 4, 31; 8, 4; 11, 19-20). Laici proinde in [39] Ecclesia non exclusive curis temporalibus deputantur, sed pretiosissimam actionem in ea exercent. Et ipsi servitio evangelizationis et sanctificationis suo modo mancipantur. Si quidam eorum, deficiente clero vel sub regimine persecutionis, officia sacra pro facultate supplent; si plures ex eis pro Regno Dei omnibus renuntiantes, totas vires suas operi apostolico impendunt; *omnes* oportet ad augmentum extensivum et intensivum totius Corporis Christi cooperari. Quod praeprimis faciunt coniuges qui se invicem in vita christiana ex virtute sacramentali sanctificant, parentes et educatores catholici necnon cuiusvis generis catechistae, qui ad fidem et gratiam proli vel fratribus suis impertiendam eximio fructu adlaborant.

b) Ad laicos spectat ut etiam *indirecte religionem promoveant,* quatenus in ipso saeculo viventes, mundum clausum et adversantem evangelico nuntio adaperiant eumque illuminent: ut Ecclesiae spatium vitae et operositatis obtineant atque communiant; ut denique instituta et conditiones mundi, si qua mores ad peccatum conducant, ita sanent, ut etiam ista mundana ad virtutem et iustitiam potius conferant. Ad quam apostolicam navitatem Ecclesia omnia sua membra instanter appellat.[7]

c) Ad laicos denique pertinet *consecratio mundi,* id est actio ut mundus in omni campo suae activitatis suique progressus Spiritu Christi imbuatur, quin ex proprio suo ordine exeant saeculari.[8] In quo officio universaliter adimplendo ipsi ob statum suum laicalem principem locum occupant. Sanctificando opera saecularia eo tendant, ut bona creata secundum Creatoris ordinationem humano labore, arte technica civilique cultura ad utilitatem omnium prorsus hominum excolantur, aptiusque inter illos distribuantur, et suo modo ad universalem progressum in christiana libertate conferant (cf. Io. 8, 32). Ita Ecclesia reapse tamquam principium supernaturaliter vivificans totius societatis eminebit. In quo sincero labore laici sedulo curent ut, Spiritu Sancto impellente, supernaturali principio ducantur, ultimatim ad finem supremum glorificationis Dei et aeternae felicitatis respiciant, et omnes actiones suas per gratiam Christi valore spirituali ac redemptivo intrinsecus augeant.

25. [*De collaborationis laicorum principalibus formis*]. Socia laicorum operositas seu apostolatus, spectata Ecclesiae indole, variis formis exerceri potest: modo scilicet individuali vel

[40] collectivo; titulo missionis universalis baptizatorum vel insuper cum missione speciali; in re religiosa vel etiam sociali.

Prima forma collaborationis laicorum, tum virorum tum mulierum, est *personalis,* scilicet actio ab uno vel pluribus individuis suscepta, sive sponte ex universali vocatione christiana, sive ex particulari munere sibi a Pastoribus commisso, tam in ordine evangelizationis et testimonii quam in ordine consecrationis mundi. Nulla autem exstat fidelium categoria, quae ad tale opus magna cum efficacitate concurrere non valeat.[9]

Pastores dein Ecclesiae ius et nonnumquam obligationem habent commonendi laicos, ut etiam coetibus ad hoc ordinatis adscripti sacerdotes adiuvent *in rebus mere religiosis,* etiam ex mandato et cum vera missione canonica, qua accepta laici participant apostolatum hierarchicum Ecclesiae, quae participatio nomine actionis catholicae usu venit. Ideo huius generis associationes varias, pro locorum ac temporum diversitate, excitant vel approbant, sive ad diffundendam salutiferam doctrinam, sive ad promovendum orationis apostolatum, sive ad fovendam familiam catholicam, sive ad promovenda opera missionalia, sive ad alia bona, quae altare tangunt, obtinenda vel confirmanda.

Cum vero pia mater Ecclesia non solum verbo sed etiam exemplo praedicare debeat mandatum caritatis, ius habet publice exercendi *opera misericordiae spiritualis et temporalis,* etiam per instituta cum religiosorum tum laicorum, ad hoc data opera erecta.

Etsi *res oeconomico-sociales profanae* ad Ecclesiam directe non spectant, tamen, quia homines generatim vitam religiosam expedite agere nequeunt, nisi etiam in temporalibus modo humana persona digno vivere valeant, Ecclesia miserens super turbas (cf. Mc. 8, 2) ius et officium habet, speciatim ubi debitae conditiones deficiant, clerum fidelesque suos impellendi ut opera socialia promoveant, quae huiusmodi necessitatibus obvient. Eos data opera exhortatur ut talem conditionis vitae ordinationem promoveant, quae iustitiae et aequitati in dies melius congruat, utque principia christiana de re sociali, a Magisterio proposita, funditus cognoscant atque in praxim deducant.

Pastorum Ecclesiae denique est fideles commonere, ut *in rebus cuiusvis generis temporalibus* multiformem activitatem expleant, et satagant ut institutiones et opera culturae intellectuali et physicae, publicae et privatae, arti, scientiae, immo utili recreationi addicta, fini suo debite respondeant et, nedum religioni

officiant, supernaturali inspiratione et christiana virtute efficaciora reddantur. Laicis commendat ut libenter suscipiant onus, eis potissimum incumbens, in politica societatis ordinatione bonum commune temporale efficaciter et apte promovendi. In quo campo catholici, pacis ac cooperationis inter cunctos homines bonae voluntatis studio, activam et faustam praesentiam exerceant, ad prosperitatem tum propriae nationis, tum totius communitatis internationalis. [41]

26. [*De sana autonomia civitatis terrenae*]. In mundo a Deo creato et Christi passione redempto, humana societas suis propriis principiis ad finem suum immediatum, bonum scilicet temporale commune, praesertim per laicorum operositatem perducenda est. Ex una parte laici confusionem vel indebitam permixtionem religionis et Ecclesiae cum rebus mere civilibus sedulo vitabunt; et ex altera parte totali separationi earumdem vel immo oppositioni societatis terrenae contra Deum Eiusque Ecclesiam legitime adversabuntur, memores omnem activitatem humanam etiam in re profana Dei legibus subesse. Unde sicut merito probari debet indoles laica terrenae civitatis, quae saecularibus curis iure addicta, propriis regitur principiis, ita infensus « laicismus » seu « saecularismus » qui societatem extra omnem religionem exstruere contendit et libertatem christianam impugnat et eruit, merito proscribitur.[10]

27. [*Adhortatio*]. Sancta Synodus, magna cum gratitudine conscia de ingentibus bonis, etiam ope laicorum ad continuam Corporis Christi aedificationem obtentis, omnes utriusque sexus fideles ex laicorum ordine amanter et instanter hortatur, ut collatis viribus cum clericis ac religiosis, una cum Hierarchia divinitus instituta, sub Capite Christo, Eiusque Spiritu animati, missionem suam caritatis apostolicae ad gloriam Dei Patris indesinenter expleant.

NOTAE

[1] CONC. VAT., Sess. IV, Const. dogm. I *de Ecclesia Christi*: DENZ. 1821.

[2] INNOCENTIUS III, *De S. Alt. Myst.* 5, 2: PL 217, 888 *BC*.

[3] PIUS XII, Alloc. *Magnificate Dominum,* 2 nov. 1954: AAS 46 (1954), p. 669.

[42] [4] Pius XI, Litt. Encycl. *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1828: AAS 20 (1928) p. 171 s.;

Pius XII, Alloc. *Vous Nous avez,* 22 sept. 1956: AAS 48 (1956) p. 714.

[5] Can. 682;

Pius XII, Alloc. *De quelle consolation,* 14 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 789: « Dans les batailles décisives, c'est parfois du front que partent les plus heureuses initiatives »;

Id., Alloc. *L'importance de la presse catholique,* 17 febr. 1950: AAS 42 (1950) p. 256.

[6] Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) praesertim p. 552 ss.

[7] Pius XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno,* 15 maii 1931: AAS 23 (1931) p. 221 s.;

Pius XII, Alloc. *De quelle consolation,* l. c. p. 790 s.

[8] Pius XII, Alloc. *Six ans se sont écoulés,* 5 oct. 1957: AAS 49 (1957) p. 927.

[9] Pius XII, Alloc. *De quelle consolation,* l. c. p. 786 s.

[10] Leo XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: ASS 18 (1885) p. 166 ss.; Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: ASS 22 (1889-1890) p. 397 ss.;

Pius XII, Alloc. *Alla vostra filiale,* 23 mart. 1958: AAS 50 (1958) p. 220.

COMMENTARIUS

a) [*Principium*]. Ex constitutione et fine Ecclesiae patet, omnes in ea, ducentibus Pastoribus, partes activas exercendas habere.

b) [*De sacerdotio universali et ministeriali*]. Thema praedictum evolvitur per considerationem sacerdotii universalis et ministerialis. Allegantur pro *sacerdotio universali* textus praecipui tum Antiqui tum Novi Testamenti. Nititur autem haec dignitas in baptismate et confirmatione, ut ex contextu *I Petri* patet. Indicatur in quonam fundamento praecipue consistat hoc officium, quod ad omnes, etiam ad sacerdotes ordinatos, pertinet, nempe hostiam spiritualem, cum metaphoricam, tum eucharisticam offerendi, et testimonium ferendi. Est insuper textus sic redactus, ut appareat indoles tum metaphorica, tum analogica sacerdotii universalis.

Deinde agitur de *sacerdotio ministeriali,* quod nititur in sacramento ordinis; huiusque institutionis Dominicae declaratur officium specificum, a munere populi omnino distinctum eique supereminens.

Denique *relationes inter utrumque sacerdotium* exponuntur. In fontibus enim biblicis et in scriptis saeculi II, vox « sacerdos » nonnisi de Christo, de sacerdotibus Antiquae Legis et de populo adhibetur; ministri vero appellantur episcopi, presbyteri, praesides, etc. Neque exstat metaphysica definitio sacerdotii: elementa quae in definitionem intrant, v. g. oblatio

sacrificii, aliqua mediatio, instructio fidelium (cf. Malach. 2, 7) etc. nonnisi ex revelatione determinari possunt. Quia autem duo sacerdotia non gradu tantum, sed essentialiter differunt, — quod verbis Pii XII exprimitur —, requiritur ut ambo suo peculiari modo a Christo Sacerdote proveniant. Relationes autem principales sunt huiusmodi: sacerdotium ministeriale alterum diffundit et dirigit; universale autem ad oblationem sacrificii concurrit, — ut verbis Pii XI et Pii XII fulcitur —, et in variis actibus vitae christianae applicatur. [43]

c) [*Quinam nomine laicorum veniant*]. Praetermissis quaestionibus de accurata iuridica delimitatione inter varias categorias in Ecclesia, exprimitur intentio Concilii loquendi de illis qui sensu vulgato « laici » vocantur. Determinantur autem imprimis *positive* per incorporationem baptismalem in Ecclesiam, apposita *duplici restrictione*: non pertinent ad sacerdotium ministeriale, et in statum religiosum non intrant. Ipsius autem Ecclesiae est statuere quibusnam hic status religiosus agnoscatur.

Deinde laici *secundum suam concretam conditionem* in societate ulterius describuntur. Etiam per opera saecularia sanctificari debent, v. g. vitam familiarem et professionalem ad salutem adhibentes. In mundo sunt et in eo laborant, sed « malitiae mundi » adversantes, « mundum ipsum » ab intra sanctificant. Haec antithesis correspondet duplici significationi vocis « mundi » in textibus biblicis: Christus mundum sub signo peccati et Satanae odio habet, sed homines in mundo viventes diligit et mundum salvat: similiter agere debent christiani.

d) [*De iuribus et officiis laicorum*]. Exponuntur nunc iura et officia laicorum. *Ius* habent, inter alia, ad media salutis; quapropter possunt necessitates spirituales suas suorumque fratrum, quas vivide persentiunt, pastoribus suis sub debita forma exponere, documenta proferre, remedia efflagitare et in apostolatu utilia incepta proponere, ut dixit Pius XII.

Officium eorum praecipuum est testimonium dare vitae integraliter christianae. Nititur in tribus sacramentis christianae initiationis cum obligationibus ex iis decurrentibus. Effectus baptismatis et confirmationis verbis S. Thomae Aq. exprimuntur. Cf. *Summa Theol.,* III, q. 63, a. 2, de baptismate; III, q. 65, a. 3; q. 72, a. 1 et a. 5, de confirmatione. Participatio fidelium in sacrificio Missae secundum doctrinam Pii XII in Encycl. *Mediator Dei* enuntiatur.

Sic laici de triplici munere Christi suo modo participant: de sacerdotali eius dignitate, fundamentaliter in baptismate, actu praesertim in Eucharistia; de prophetico autem munere, per robur spirituale confirmationis; de regali denique dignitate, secundum doctrinam SS. Patrum, per victoriam super regnum peccati.

Haec autem omnia fructificant *in caritate,* quam Dominus mandatum « suum » et mandatum « novum » appellat, tum propter illimitatam eius applicationem, tum propter Spiritum qui in eam influit: « Ut diligatis invicem sicut dilexi vos » (Io. 13, 34). « Et nos debemus pro fratribus animas ponere » (1 Io. 3, 16). « Ut omnes unum sint, sicut Tu, Pater, in Me, et Ego in Te, ut et ipsi in Nobis unum sint » (Io. 17, 21). « Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis »

[44] (Mt. 25, 40). « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » (Rom. 5, 5).

e) [*De vita salutifera Ecclesiae a laicis active participata*]. Obiectum hoc determinatur secundum obiectum missionis ipsius Ecclesiae. Laici enim non sunt profani, sed membra Ecclesiae in mundo profano; unde non per opera saecularia, sed per suam pertinentiam activam ad Ecclesiam distinguuntur. Eorum autem activitas ecclesialis triplex obiectum, gradatim dispositum, attingit.

Primum est *ordinis directe religiosi.* Quae activitas non est mere occasionalis et suppletiva, sed ordinaria et regularis. Quidam laudabiliter apostolatum pleni temporis cum totali dedicatione suscipiunt. Sed omnibus incumbit quaedam cooperatio ad diffusionem fidei et gratiae secundum adiuncta, signanter parentibus et educatoribus; ad officium autem patris et matris plerique christiani vocantur.

Obiectum secundum *indirecte ad religionem spectat,* in quantum in sociali et politica ordinatione civitatis terrestris aptas conditiones pro progressu fidei et moralitatis et pro salutari operositate Ecclesiae creare satagit.

Dum praedicta ad evangelizationem spectant, tertium ad *consecrationem mundi* respicit, quae in ipso textu concrete definitur ad quam Pius XII saepe saepius laicos diserte exhortatus est. Si obiectum quod hic attingitur est natura sua ordinis temporalis, per personam agentem, in variis campis activitatis humanae, ultimatim ad finem spiritualem est dirigendum. Sic labor sive materialis sive intellectualis christiana et homine digna ratione perficitur. Christiani, de huiusmodi ultimo laboris fine conscii, satagunt ut procedant ex superiori principio; ad superiorem finem respiciunt, et opera sua, etiam profana, intrinsecus per gratiam nobiliora efficiunt.

f) [*De collaborationis laicorum principalibus formis*]. Post obiectum apostolatus laicorum nunc consideratur modus illum exercendi, et in antecessum statuuntur criteria distinctionis.

Imprimis agitur de apostolatu *personali,* qui a nullo coetu, ad hoc instituto, sed a singulis exercetur. Non omnes enim in consociationes apostolicas intrare possunt, ut PIUS XII ex professo docuit. Hierarchia autem uni vel pluribus christianis etiam missionem apostolicam particularem committere potest.

Secundo agitur de apostolatu *collectivo,* qui ab associationibus laicorum suscipitur. Associationes autem huiusmodi in quattuor categorias generales distribuuntur, ex quibus oriuntur formae mixtae.

Prima series invenitur in coetibus *ad actionem proprie religiosam* constitutis. Titulus quo designantur statuitur de consensu Hierarchiae, quae vario gradu et sollemnitate concedit approbationem, vel etiam missionem specialem impertitur.

Secunda series spectat *ad opera misericordiae,* quae inalienabiliter conveniunt Ecclesiae, quia praedicationem evangelicam in actu constituunt.

Tertia series praesertim respicit *opera socialia catholica,* quae modo magis indirecto religionem et moralitatem per aptiorem societatis ordinationem promovent, neque eodem rigore ac praecedentes associationes ab

Hierarchia pendent. Ecclesia huiusmodi opera etiam per se instituere [45] potest, ut necessitatibus urgentibus suppleat.

Quarta series spectat ad diversissimam actionem catholicorum *in vita et societate civili,* ad consecrationem mundi susceptam. Haec in specie valent de actione politica, etiam in relationibus internationalibus. Haec etiam activitas, in qua laici propriam suscipiunt responsabilitatem, a vigilantia Ecclesiae non excipitur.

g) [*De sana autonomia Civitatis terrenae*]. In hac parte conclusiva statuitur, differentia inter tendentiam servandi legitimam autonomiam societatis civilis, et completam saecularizationem religioni adversam.

CAPUT VII [46]

DE ECCLESIAE MAGISTERIO

28. [*De exsistentia et natura magisterii authentici*]. Ut officio evangelicum nuntium omnibus gentibus fideliter praedicandi Ecclesia sancte fungeretur, divinus eius Conditor dilectam sponsam suae veritatis magistram fidissimam effecit, eamque per Spiritum Sanctum charismate indefectibilis veritatis ditavit.[1] Hinc est cur ipsa semper sibi conscia fuerit et instanter proclamaverit se in mundo esse columnam et firmamentum veritatis (cf. 1 Tim. 3, 15).[2] Indefectibilitas igitur magisterii authentici idcirco Ecclesiae data est, ut indefectibilitas totius Ecclesiae, a Deo promissa, in tuto collocaretur.

Huius indefectibilis veritatis proximum principium et organum perpetuum constituit Dominus authenticum Ecclesiae magisterium, cui munus commissum est depositum fidei integrum servandi, fideliter exponendi, et ab omni errore immune semper custodiendi.[3] Apostolis enim, eorumque successoribus peculiare promisit Spiritus Sancti donum, quo testes evangelicae veritatis fierent usque ad ultimum terrae (cf. Act. 1, 8); ipsis potestatem docendi cum auctoritate tradidit dicens: « Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (Mt. 28, 18-19); eis denique Spiritum veritatis (cf. Io. 14, 16-17; 16, 12-14) et suam praesentiam asseveravit usque ad saeculi finem duraturam (cf. Mt. 28, 20), qua in docendo gregem ab omni praemunirentur errore.[4]

Exsistit ergo in Ecclesia perenne et vivum magisterium, cui munus traditum est docendi cum auctoritate nomine Christi in rebus fidei et morum.[5] Hoc magisterium qui audit, non homines

[46] sed Christum docentem audit, iuxta verba Ipsius dicentis: « Qui vos audit me audit et qui vos spernit me spernit » (Lc. 10, 16); [6] eique adhaerendo fidelium populus in evangelica veritate servatur. Christus Dominus enim ipse, mystici sui corporis Caput in caelis semper exsistens, universam Ecclesiam illuminat, in omnia membra sua, in pastores nempe ut doceant, in fideles ut verbum Dei accipiant et apte intelligant, in utroque ut de fide sua testimonium reddant, Spiritum veritatis quem promiserat
[47] immittens, qui omnes ab errore avertat atque ad agnoscendam et profitendam divinam veritatem perducat.[7]

Infallibilitatis praerogativa, qua Ecclesiae magisterium in docendo ornatur, distinguitur a charismate inspirationis, neque eo spectat ut Ecclesia quovis modo novis revelationibus ditescat, sed ut fidei depositum, ab Apostolis sive scripto sive ore traditum, in Ecclesia integrum custodiatur, praedicetur, transmittatur,[8] et semper eodem sensu eademque sententia, i. e. quin umquam a prioribus recedatur vel iisdem contradicatur, progressu temporis magis explicetur.[9]

29. [*De obiecto magisterii authentici*]. Ecclesiae authenticum magisterium imprimis in verbo Dei scripto vel tradito praedicando, custodiendo et interpretando versatur; sed ad ea quoque omnia, eadem ex auctoritate, se extendit quae, licet non expressis verbis vel implicitis revelata, tamen cum revelatis ita connectuntur ut ad depositum fidei integre custodiendum, rite explicandum et efficaciter tuendum necessaria sint.[10] Cum vero idem magisterium sit ministerium salutis, quo homines docentur quam viam sequi debeant ut ad aeternam vitam valeant pervenire, ideo munus et ius illi competunt non modo revelatam sed et naturalem legem interpretandi et infallibiliter declarandi, et de obiectiva conformitate omnium actionum humanarum cum evangelica doctrina et divina lege iudicandi. Nulla est ergo provincia humanarum actionum, quae sub adspectu ethico et religioso auctoritati magisterii a Christo instituti subtrahi possit.[11]

Ad illius quoque auctoritatem pertinet authenticum ferre iudicium de origine et natura ac potissimum de valore doctrinali et morali dictorum et factorum extraordinariorum, quae tamquam a Deo originem habentia proponuntur.[12]

30. [*De subiecto magisterii authentici*]. Authentici magisterii munus, charismate veritatis munitum, ex divina institu-

tione in Ecclesia exsistens, quamvis a pluribus personis vel organis [47] exerceatur, semper unum et indivisibile est. Ab uno enim eodemque supremo Magistro, Christo Domino, constitutum est; Eiusdemque auctoritatem repraesentat, eique unus Spiritus Veritatis adest, ut in exercendo munere suo Illius veritatem doceat. Imprimis autem a Romano Pontifice exercetur, cum idem pro universa Ecclesia ipsius Divini Magistri personam gerat, et ab Eodem non doctor fidelium dumtaxat, sed etiam Fratrum suorum in Episcopatu fidei confirmator constitutus sit, dicente [48] Domino: « Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos » (Lc. 22, 32).[13]

Est igitur Romanus Pontifex pro universa Ecclesia catholica veritatis supremus magister, illique praecipue officium et ius competit integre custodiendi, defendendi et infallibiliter proponendi doctrinam salutis pro christifidelibus universis. Quod cum facit, cum nempe pro suprema sua apostolica auctoritate nomine Iesu Christi ex cathedra in rebus fidei et morum loquitur, ipsius sententia ex sese, utpote nomine Christi prolata, non autem ex consensu fidelium vel aliorum Episcoporum, infallibilis ideoque etiam irreformabilis est,[14] atque divina operante Providentia fidem Ecclesiae saltem implicitam exprimit vel tuetur eiusque bonum promovet.[15] Tunc autem Romanus Pontifex, etsi propria auctoritate doceat, non tamen ut persona privata suam sententiam proponit, sed tamquam universalis Ecclesiae Pastor et Doctor et Collegii Episcoporum Caput divinam exponit vel tuetur veritatem, quae, scripta vel tradita, per legitimam Episcoporum successionem et imprimis ipsius Apostolicae Sedis studio integra transmittitur, et praelucente Spiritu veritatis in Ecclesia fideliter servatur; ad quam cognoscendam media apta a divina Providentia Romano Pontifici suppeditantur.[16] Quare cum doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, eo ipso certum est hanc in deposito revelato contineri vel cum eodem necessario cohaerere.

Romani Pontificis authentico magisterio, etiam cum non ex cathedra loquitur, religiosum voluntatis et intellectus obsequium praestandum est, quo nempe magisterium eius supremum reverenter agnoscatur, et sententiae ab eo propositae sincere adhaereatur, idque iuxta mentem et voluntatem manifestatam ipsius,[17] quae se prodit praecipue vel ex indole documentorum, vel ex frequenti propositione eiusdem doctrinae, vel ex dicendi ratione. Mens autem et voluntas Romanorum Pontificum manifesta-

[48] tur praesertim per acta doctrinalia universam Ecclesiam respicientia, ut sunt quaedam Constitutiones Apostolicae vel Encyclicae Litterae vel sollemniores Allocutiones: haec sunt enim praecipuum ordinarii Ecclesiae magisterii documenta, ad illudque declarandum vel efformandum imprimis conferunt, et quae ibi docentur et inculcantur plerumque iam aliunde ad catholicam doctrinam pertinent. Quodsi Summi Pontifices in his actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, om-
[49] nibus patere debet rem illam, secundum mentem et voluntatem eorumdem Pontificum, quaestionem publicae inter theologos disceptationis iam haberi non posse.[18]

Munere authentici magisterii funguntur etiam ceteri Episcopi cum Romano Pontifice communionem habentes. Episcopis enim, Apostolorum successoribus, ex divina institutione officium et ius competunt tum gregi sibi commisso Evangelium praedicandi eiusque praecepta cum auctoritate proponendi, tum invigilandi ut depositum fidei ab Apostolis transmissum a suis subditis fideliter servetur, tum ex inexhausto revelationis thesauro « nova et vetera » proferendi (cf. Mt. 13, 52) animarum bono accommodata. Singuli Episcopi ergo per donum Sancti Spiritus, quod consecratione accipiunt, et vi missionis apostolicae,[19] dum per orbem dispersi suam quisque ecclesiam docent vel in particularibus Conciliis congregati, licet infallibilitatis praerogativa non polleant, sunt tamen pro suis fidelibus catholicae doctrinae veri doctores et magistri auhentici,[20] et pro universa Ecclesia testes ex officio evangelicae veritatis; cum vero in Oecumenico Concilio collegium episcopale adunatur una cum capite suo, Romano Pontifice, numquam autem sine eo eique non subordinatum, Episcopi synodaliter congregati fiunt pro universa Ecclesia fidei et morum doctores et iudices, et una cum ipso supremam exercent docendi potestatem,[21] Synodique ipsius definitiones eadem infallibilitate gaudent qua Romani Pontificis definitiones ex cathedra.

Corpus legitimorum Ecclesiae pastorum et doctorum infallibilitatis praerogativa gaudet non tantum cum sollemni iudicio in Oecumenico Concilio potestatem docendi collegialiter exercet, verum etiam cum singuli in sua quisque dioecesi authentice docentes, una cum Romano Pontifice ut testes fidei in revelata doctrina tradenda in unam sententiam conveniunt. Quaecumque igitur in rebus fidei et morum ubique locorum ab universis Episcopis, una cum ipso Summo Pontifice, tenentur et ordinario

magisterio docentur, ea etiam citra sollemnem definitionem tam- [49]
quam irrevocabiliter vera eo sensu quo docentur tenenda sunt, et si tamquam divinitus revelata proponuntur fide divina et catholica sunt credenda.[22]

Singulorum vero Episcoporum de rebus fidei et morum authenticum magisterium, dum in communione cum Apostolica Sede ceterisque catholicae Ecclesiae Episcopis suum munus exercent, a subditis interiore religiosoque animi assensu est accipiendum, et ab omnibus christifidelibus tamquam divinae et catho- [50]
licae veritatis testimonium est venerandum.

31. [*De organis subsidiariis magisterii authentici*]. Magistri Ecclesiae authentici, quo facilius munus sibi divinitus concreditum adimpleant, alios quos volunt sibi adsumunt in adiutorium auxiliares, quibus peculiaria munera conferunt atque determinant.[23]

Romanus enim Pontifex non per se solum magisterium suum exercet, verum id ex parte committere potest etiam Sacris Congregationibus aliisque peritorum Consiliis, quae ad hoc ab ipso instituuntur, ut, non tamen sine Spiritus Sancti adiutorio, qui charismata sua distribuit variis organis pro loco quem in mystico Corpore occupant, doctrinam salutis in Ecclesia tueantur intemerateque ut ab omnibus servetur invigilent. Decisionibus ideo ac declarationibus istorum quoque coetuum, quamvis infallibili atque irreformabili sententia non muniantur, non externum dumtaxat obsequium, sed religiosa debetur et de se interior mentis adhaesio.[24]

32. [*De munere et auctoritate theologorum*]. Sua quoque in Ecclesia competit auctoritas doctrinalis theologis. Singuli in explicandis S. Scripturis, documentis S. Traditionis et actis S. Magisterii; in determinanda doctrina catholica et nota theologica singularum veritatum; in defendenda fide eiusque articulis atque praeambulis; in deductione, speculatione et synthesi theologica, sua gaudent auctoritate, minore vel maiore, prout melius sunt scientiis sacris imbuti et donis Spiritus Sancti illuminati. Ceteris autem paribus eorum auctoritas magis viget, seu magis, ut aiunt, est qualificata, qui ab ipsa Ecclesia missione canonica donati, nomine Ecclesiae verbo scriptisve docent. Attamen auctoritas theologorum, etsi probatorum et publice agnitorum, et nomine Ecclesiae docentium, specifice ab auctoritate Episcopi differt, quip-

[50] pe qui solus nomine Christi doceat eiusque nomine assensum doctrinalem imponere possit.

Quod vero ad auctoritatem theologorum pertinet non singulorum, sed quatenus constanter et moraliter omnes per plura saecula in unam sententiam conveniunt, ea ex intima cum S. Magisterio Ecclesiae connexione exoritur, quippe quod eisdem clerum efformandum concredit, eorumdem consilia rogat in praeparandis documentis ecclesiasticis, Synodis, immo Conciliis Oecume-
[51] nicis; eosdem dirigit et invigilando adiuvat; pluriumque auctoritatem publice commendat etiam titulo Doctoris Ecclesiae. Omnes ergo admonet S. Synodus, nemini licere absque gravibus et vere probatis rationibus ab iis doctrinae capitibus discedere, quae communi theologorum consensu docentur; [25] ab illis vero doctrinis, quae unanimi et constanti catholicorum theologorum consensu retinentur et docentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae ut opiniones eisdem contrariae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram, absque temeritate et vel ipsius fidei periculo discedere neminem posse.[26]

Theologi autem singuli gravitatis sui officii sibi sint conscii, et ad magisterium ecclesiasticum tamquam ad normam veritatis proximam semper attendant,[27] memores sibi ad mentem Ecclesiae fideliter esse docendum.

33. [*De magisterii in pastorali munere auxiliaribus*]. Immensi ponderis officium transmittendi verbum salutis omnibus hominibus atque Christum eiusque doctrinam in baptizatorum animis efformandi apprime noscentes, Romanus Pontifex atque Episcopi, sicut Christus Dominus et Apostoli iam fecerunt, auxiliares sibi adsciscunt homines, sacerdotio auctos imprimis.

His sacerdotibus, qui a Romano Pontifice vel a legitimo Episcopo munus verbi Dei docendi acceperunt, fideles omnes dociles aures praebere tenentur. Si vero hoc munus cum cura animarum ipsis concreditum est, sciant fideles istis sacerdotibus praedicandi ab Ecclesia matre officium esse transmissum ut populum fidelem in catholica doctrina erudiant atque confirment.[28] Vult vero Sancta Synodus ut iidem christiani populi praeceptores non suam, sed Ecclesiae doctrinam certam et ad salutem necessariam, iuxta magisterii authentici edicta, exponant, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam (cf. 1 Tim. 6, 20).[29]

Alios quoque fideles in auxilium sibi assumit Ecclesiae magisterium [51], sive ex clericorum vel religiosorum ordine sive etiam laicos, ad filios Ecclesiae in christiana fide atque cultura religiosa instituendos. Peculiare vero munus atque officium parentibus christianis incumbit, quibus suavissimum onus concreditum est incunabula fidei in filiorum animis insculpendi, tamquam cooperatores ipsius Christi et matris Ecclesiae.

Sciant omnes magisterii Ecclesiae auxiliares sibi non deesse, ut officium suum fideliter et fructuose possint adimplere, divina [52] adiutoria, quibus studiose obsecundare tenentur; meminerint vero semper animas sibi concreditas emptas esse sanguine Christi atque ad Eius Ecclesiam pertinere; meminerint praesertim officium sibi prae ceteris incumbere ut bene noscant doctrinam Ecclesiae, quam verbo et vita discipulis vel filiis tradere debent.

34. [*De cooperatione omnium fidelium cum Ecclesiae magisterio*]. Gaudet Sancta Synodus plurimos esse christifideles qui, spiritu apostolico imbuti, suam conferunt operam ut divina missio docendi Ecclesiae hodiernis necessitatibus plene respondere possit.[30] Periti autem in quaestionibus quae ad medicinam, ius, scientiam socialem, oeconomiam, aliasque id genus disciplinas pertinent, ad efformandum iudicium morale de istis negotiis apte conferre possunt et quandoque debent, ut quaestiones recte ponantur riteque secundum principia christiana solvantur. Omnibus istis commendat S. Synodus ut, pro sua cuiusque intellectuali cultura, serio incumbant in profundiorem cognitionem veritatis revelatae atque catholicae doctrinae, tum pro sua cuiusque aedificatione, tum pro enodandis sui temporis quaestionibus; ipsisque ius esse libenter agnoscit ut, invigilante magisterio Ecclesiae eiusque praescriptionibus servatis,[31] tamquam fratres fratribus fructus suorum studiorum aliis, etiam scripto, proponere possint.

35. [*De erroribus praecavendis*]. Ne tamen errores oriantur et periculose propagentur, Sancta Synodus omnes Ecclesiae filios semper meminisse vult: christiani hominis proprium esse ut non facile se magistrum existimet in rebus theologicis; de istis vero non ex scientiarum profanarum placitis esse diiudicandum; christianam prudentiam et sanam procedendi methodum exigere ut, priusquam aliquid novi proponant, in doctrinam incumbant eorum qui cum laude Ecclesiae investigaverunt veritatem; om-

[52] nium autem fidelium, clericorum pariter ac laicorum, officium esse ut fideliter obsequantur omnibus magisterii authentici decisionibus.[32] Tandem noverint omnes permitti non posse opinionem, qua false contenditur, laicos in studia sacra incumbentes, quippe quia non gererent munus officiale ecclesiasticum, non subesse invigilantiae praecautionibusque magisterii sacri.

Universos denique christifideles Sancta Synodus enixe hortatur ut non erubescant Evangelium, etiam cum in difficilioribus
[53] adiunctis positi sunt; omnesque admonet de officio quod illis incumbit, ut crescant in cognitione fidei quam acceperunt, ita ut sint « parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem » de ea quae in illis est spe (cf. 1 Pt. 3, 15).

COMMENTARIUS

Circa magisterium Ecclesiae haec sunt quae in Votis Episcoporum, Congregationum Romanarum et Facultatum ecclesiasticarum praecipue proponebantur a Concilio determinanda:

a) Declaratio de relatione inter infallibilitatem Romani Pontificis et totius Ecclesiae docentis (ita Episcopi plurimi, Sacra Congr. de Seminariis et Universitatibus Studiorum; Pont. Univ. Gregoriana). « Immo utile videtur etiam agere de connexione inter infallibilitatem Ecclesiae hierarchicae et infallibilitatem Ecclesiae credentis, ut exponantur omnia elementa sese invicem complentia, doctrinae de infallibilitate Ecclesiae » (Pont. Univ. Gregoriana);

b) Declaratio de auctoritate magisterii ordinarii sive Romani Pontificis sive Episcoporum, et praesertim de auctoritate doctrinali Litterarum Encyclicarum atque de assensu ipsis debito (ita Episcopi plurimi; Sacra Congregatio S. Officii; Sacra Congregatio de Seminariis et Stud. Univ.);

c) Declaratio relationum intercedentium inter officia et munera theologorum et magisterium Ecclesiae authenticum (ita Episcopi plurimi, praesertim Galliae; Sacra Congregatio S. Officii; Sacra Congregatio de Seminariis et Univ.);

d) Declaratio de extensione obiecti secundarii magisterii Ecclesiae, et de eius delimitatione (ita plures Episcopi; Pont. Univ. Gregoriana);

e) Declaratio de oboedientia omnium fidelium, etiam laicorum erga Ecclesiae magisterium authenticum (Episcopi plures);

f) Declaratio quaedam de munere parochorum, praedicatorum, fidelium omnium in magisterio Ecclesiae.

Caput *De Ecclesiae Magisterio* compositum est ut plene fiat satis istis postulationibus, et exinde diiudicandae sunt doctrina et structura illius.

Quae ut bene intelligantur haec notanda sunt, quae in sequentibus paragraphis exponuntur: [53]

[*De exsistentia et natura magisterii authentici*]. *Tria declarantur*:

a) indefectibilitas universalis Ecclesiae in profitenda et praedicanda veritate revelata;

b) huius indefectibilitatis causa proxima: nempe exsistentia magisterii authentici et infallibilis;

c) et causa suprema: nempe actio illuminativa Christi Domini et assistentia Spiritus Sancti, quae per magisterium Ecclesiae authenticum universam Ecclesiam in evangelica veritate conservant, absque novis revelationibus quidem sed non sine profundiore, progressu temporis, intelligentia et propositione eiusdem veritatis.

[*De obiecto magisterii authentici*]. Declarantur obiectum primarium et secundarium magisterii. Circa hoc vero non visum est omnes casus enumerare hucusque a theologis consideratos; sed satis esse, sicut iam in schemate apparato a Concilio Vaticano I, ut proponatur principium generale, de cuius applicatione ipsum magisterium iudicat. [54]

Sed, ex alia parte, videtur opportuna in hodiernis adiunctis declaratio explicita de auctoritate magisterii authentici Ecclesiae in interpretanda et applicanda lege naturali, quia in hac provincia maxima habetur difficultas etiam inter quosdam Ecclesiae filios; itemque declaratio de competentia magisterii Ecclesiae ad diiudicanda omnia « phaenomena » religiosa, vel quae ut talia portenduntur, sive in Ecclesia sive extra Ecclesiam, quia maximi momenti est ut in tuto ponatur essentialis distinctio Revelationis publicae ab omnibus aliis factis religiosis.

[*De subiecto magisterii authentici*]. Exponitur doctrina de organis magisterii authentici ex iure divino, cum propria uniuscuiusque competentia et auctoritate.

In prima paragrapho delineantur etiam relationes inter magisterium Pontificis et magisterium Episcoporum; in ultima vero effertur vis et auctoritas magisterii ordinarii, ut fere ab omnibus postulatur.

[*De organis subsidiariis magisterii authentici*]. Statuuntur principia dogmatica de auctoritate istorum, et relinquuntur omnes determinationes iuridicae sive Iuri Canonico, sive propriis decretis Sanctae Sedis, quae pro diversitate temporum aliam disciplinam proponere potest.

[*De munere et auctoritate theologorum*]. Intentio huius paragraphi non est omnia exponere quae de munere theologorum dici possunt, sed ea tantum declarare in quibus ipsi theologi magisterio Ecclesiae inserviunt, et eorumdem auctoritatem propriam dum haec munera adimplent; et exinde peculiarem eorum dependentiam essentialem ab Ecclesiae magisterio in munere suo exercendo.

Iuxta documenta Ecclesiae vero, duo distinguuntur classes seu categoriae doctrinarum theologicarum, quarum auctoritas respectiva declaratur:

[54] *a*) sunt enim doctrinae vel sententiae theologicae, quae ab omnibus theologis proponuntur ut « doctrina certa » sed absque peculiari censura, circa quas Ecclesiae magisterium non requirit omnimodam adhaesionem, sed potius obsequiosum respectum tamquam probatae et venerandae theologicae traditioni, usquedum solida argumenta aliam probaverint esse veritatem (puta de interpretatione primi capitis Geneseos per longa saecula);

b) sunt vero doctrinae vel sententiae theologicae quae a theologis proponuntur « communi et constanti consensu » tamquam tali modo connexae cum deposito fidei ut sine temeritate vel errore in fide negari nequeant. Istae sententiae, eo ipso quod invigilante magisterio authentico tali modo proponuntur a theologis, proponuntur indirecte etiam ab ipso magisterio, quod theologis committit ut suo nomine doctrinaliter Eccle-
[55] siam doceant. Cf. Votum Universitatis Lateranensis de necessitudine inter Magisterium Ecclesiae et sacram theologiam.

[*De magisterii in pastorali munere auxiliaribus et de cooperatione omnium fidelium cum Ecclesiae magisterio*]. Non omnia quae dici possunt de his argumentis hic proponuntur, sed ea tantum quae maiorem declarationem doctrinalem in hodiernis adiunctis exigere videntur, nempe:

a) auctoritas ministrorum verbi Dei erga omnes fideles cuiuscumque intellectualis culturae, eiusque fundamentum sive supernaturale (participant enim donum praedicationis fidei « in Spiritu et virtute », quod Ecclesiae competit ad efformandam fidem fidelium), sive iuridicum in missione praedicandi ab Ecclesiae magisterio accepta;

b) officium et cooperatio fidelium in magisterio Ecclesiae pastorali, eorum praesertim quibus competit educatio iuventutis: isti vocantur enim ad cooperandum cum Ecclesia in christiana educatione puerorum, vel ex natura rei ut parentes christiani, vel ex explicito mandato Ecclesiae ut catechetae, etc., vel ex iure Ecclesiae erga filios suos quam ipsi apud discipulos repraesentant; ideoque ad officium suum adimplendum et isti omnes peculiari dono supernaturali adiuvantur;

c) tandem officium omnium fidelium, eorum praesertim qui peculiaribus donis intellectualis culturae ditantur, atque relationes eorum sive ad Ecclesiae magisterium authenticum sive ad tractationem theologicam.

Quae omnia proponuntur stylo quodam pastorali ne textus dogmaticus nimis iuridicus appareat.

NOTAE [55]

[1] Cf. PIUS IX, Litt. Encycl. *Qui pluribus,* 8 nov. 1846: Pii IX P. M. Acta, pars I, vol. I, p. 9;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: ASS 28 (1895/96) pp. 721-723;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: AAS 22 (1930) pp. 53-54.

[2] Cf. CONC. TRID., Sess. XIII, cap. 1: DENZ. 874;

GREGORIUS XVI, Litt. Encycl. *Singulari nos,* 25 iun. 1844: DENZ. 1617;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: ASS 22 (1889/90) p. 398;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri*: AAS 22 (1930) p. 53.

In his textibus explicite citatur vel commemoratur textus 1 Tim. 3, 15.

[3] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum*: l. c. pp. 717-721;

PIUS XII, Bulla dogm. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: AAS 42 (1950) pp. 756-757.

[4] Hi sunt praecipui textus Sacrae Scripturae, quibus in supra memoratis documentis, praesertim in Litt. Encycl. *Satis cognitum,* fulcitur auctoritas Magisterii Ecclesiae authentici et infallibilis.

[5] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum*: ASS 28 (1895/96) **[56]** p. 721: « Quamobrem instituit Iesus Christus in Ecclesia vivum, authenticum, idemque perenne magisterium, quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit, eiusque praecepta doctrinae aeque accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Orientalis Ecclesiae,* 9 apr. 1944: AAS 36 (1944) p. 144.

[6] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: AAS 42 (1950) p. 568.

[7] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: AAS 35 (1943) p. 216, ubi agitur de influxu illuminanti Christi Capitis in universam Ecclesiam, eiusque diversa ratione.

[8] Cf. CONC. VAT., Const. dogm. *De Ecclesia Christi,* cap. 4: DENZ. 1836; et apparatum *Schema Const. dogm. de Ecclesia Christi secundum RR. PP. animadversiones reformatum* (a P. KLEUTGEN, cap. 7: MANSI 53, 313.

[9] Cf. PIUS XII, Bulla dogm. *Munificentissimus Deus*: AAS 42 (1950) pp. 757-758; coll. VINC. LIRIN., *Commonit.* 23: PL 50, 668.

[10] Cf. apparatum (Primum) *Schema* Const. dogm. *De Ecclesia Christi* pro Conc. Vat., cap. 9: MANSI 51, 542-543, et *Schema Const. dogm. De Ecclesia Christi secundum RR. PP. animadversiones reformatum,* cap. 7: MANSI 53, 313.

Formula ipsa qua indicatur obiectum secundarium magisterii authentici desumpta est e textu in quo Rev.mus D. GASSER explicat obiectum secundarium magisterii Summi Pontificis: cf. MANSI 52, 1226.

[56] [11] In recentioribus documentis magisterii specialiter effertur auctoritas eiusdem in explicanda et applicanda lege naturali, quae ideo hic memoratur quia in hodiernis adiunctis maiorem parit difficultatem et maximam necessitatem habet.

Cf. Leo XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: ASS 22 (1889/90) pp. 395-398;

Pius XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* 15 maii 1931: AAS 23 (1931) pp. 190-191;

Pius XII, *Nuntius Radiophonicus* in quinquagesimo anniversario Litt. Encycl. *Rerum novarum,* 1 iun. 1941: AAS 33 (1941) pp. 196-197;

Id., Alloc. *Magnificate Dominum mecum,* 2 nov. 1954: AAS 46 (1954) pp. 671-673.

Verba textus desumuntur fere ad litteram ex Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: AAS 22 (1930) pp. 53-54, ubi citantur et adprobantur haec verba S. P. Pii X: « [Ecclesia] columna et firmamentum veritatis a Divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem, eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines eorumque consortia et actiones ad morum honestatem vitaeque integritatem iuxta revelatae doctrinae normam dirigat et fingat ».

[12] Cf. Ioannes XXIII, *Nuntius Radiophonicus,* 18 februarii 1959: AAS 51 (1959) p. 147.

[57] [13] Cf. Pius XII, Alloc. *Si diligis... pasce,* 31 maii 1954: AAS 46 (1954) pp. 314-315.

[14] Conc. Vat., Const. dogm. *De Ecclesia Christi,* cap. 4: Denz. 1838.

[15] Concilium Vaticanum explicite quidem definivit tantum factum infallibilitatis definitionis Romani Pontificis ex cathedra loquentis; at, ex principio certissimo supernaturalis Providentiae qua vita Ecclesiae a Suo Capite caelesti dirigitur et a sua anima, Sancto scilicet Spiritu, praesenti ope adiuvatur, iure deducitur actus tam vitales pro Ecclesia, ut sunt definitiones ex cathedra, non posse inopportune evenire et non prodesse aedificationi Ecclesiae in fide et caritate.

Quae conclusio theologica confirmatur declarationibus ipsius magisterii de opportunitate definitionis sollemnis.

[16] Cf. Rev.mum Gasser, relatorem finalem Deputationis De Fide in cap. 4 Const. dogm. *De Ecclesia Christi*: Mansi 52, 1213: « Cooperationem Ecclesiae tum ideo non excludimus, quia infallibilitas Pontificis Romani non per modum inspirationis vel revelationis, sed per modum divinae assistentiae ipsi obvenit. Hinc Papa, pro officio suo et rei gravitate, tenetur media apta adhibere ad veritatem rite indagandam et apte enuntiandam; et eiusmodi sunt concilia vel etiam consilia episcoporum, cardinalium, theologorum, etc. Haec media pro diversitate temporum utique sunt diversa, et pie debemus credere quod in divina assistentia Petro et successoribus eius a Christo Domino facta, simul etiam contineatur promissio mediorum, quae necessaria aptaque sunt ad affirmandum infallibile Pontificis iudicium ».

[17] Cf. Conc. Vat., Const. dogm. *Dei Filius,* monitum post canones: Denz. 1820;

Can. 1324; [57]

LEO XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae*: ASS 22 (1889-90) p. 395;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: AAS 22 (1930) p. 580: « Et ne auxilio a Deo tam liberali benignitate collato se ipsi privent, necessario hanc oboedientiam praestare debent non solum sollemnioribus Ecclesiae definitionibus, verum etiam, servato modo, ceteris Constitutionibus et Decretis, quibus opiniones aliquae ut periculosae aut pravae proscribuntur et condemnantur ».

[18] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: AAS 42 (1950) p. 568.

[19] De verbis: « Singuli enim Episcopi, *per donum Sancti Spiritus, quod consecratione accipiunt,* et vi missionis apostolicae, etc. » in Commissione theologica non erat consensio.

[20] Cf. CIC can. 1326;

PIUS XII, Alloc. *Si diligis... pasce,* 31 maii 1954: AAS 46 (1954) pp. 314-315.

[21] Cf. CIC can. 228, § 1.

[22] Cf. CONC. VAT., Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 3: DENZ. 1792; CIC can. 1321, § 1.

[23] Cf. PIUS XII, Alloc. *Si diligis... pasce,* l. c. pp. 314-315.

[24] Cf. documenta iam citata nota 14. Praeterea:

PIUS IX, Epist. *Tuas libenter,* 21 dec. 1863: Pii IX P. M. Acta, pars I, vol. V, pp. 642-643 (cf. etiam DENZ. 1684); [58]

S. PIUS X, Decr. *Lamentabili,* 3 iul. 1907, prop. 7-8: ASS 40 (1907) p. 471 (cf. etiam DENZ. 2007-2008);

ID., Motu proprio *Praestantia Scripturae,* 18 nov. 1907: ASS 40 (1907) p. 724.

[25] Cf. PIUS XII, Alloc. *Si diligis... pasce*: l. c. pp. 315-316.

[26] Cf. PIUS IX, Epist. *Tuas libenter,* l. c. (cf. etiam DENZ. 1683-1684).

[27] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis*: AAS 42 (1950) pp. 567-569.

[28] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: AAS 28 (1936) pp. 7, 15-16;

Can. 1329.

[29] Cf. CIC can. 1347, §§ 1-2.

[30] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae*: ASS 22 (1889/90) pp. 390-392.

[31] Cf. CIC liber III, Titulus XXIII.

[32] Cf. PIUS XII, Alloc. *Si diligis... pasce*: AAS 46 (1954) pp. 315-317

[59]

Caput VIII

DE AUCTORITATE ET OBOEDIENTIA IN ECCLESIA

36. [*De crisi et vera notione auctoritatis*]. Sacrosancta Synodus, divinae veritatis et legis custodiendae et propagandae in hodiernis adiunctis sollicita, vehementi afflictione percellitur videns in mundo quamdam adesse crisim auctoritatis, tum ex erroneis doctrinis et defectu disciplinae exortam, tum quandoque ex non bene intellecta et minus recte exercita potestate; quae crisis nonnullos quoque Ecclesiae filios afficere contendit.[1] Quae omnia, pro sua docendi obligatione corrigere volens, ea quae sequuntur principia, e lege evangelica et catholica traditione deprompta, ab omnibus christifidelibus retineri et, pro sua cuiusque conditione, in praxim deduci vult.

Omnis potestas legitima a Deo est (cf. Rom. 13, 1), et vim obligandi in conscientia nomine Dei habet non ex scientia, prudentia, vel quacumque dote praepositorum, quae in auctoritatis exercitio requiritur, sed ex voluntate Dei.[2] Ideo qui legitimae potestati legitime suam auctoritatem exercenti resistit, « Dei ordinationi resistit » (Rom. 13, 2).

37. [*De origine et natura auctoritatis in Ecclesia*]. Omnis potestas legitima in Ecclesia a Christo est, eiusque regalem potestatem repraesentat, et ad hunc supernaturalem finem ordinatur, quem Ipse suae Ecclesiae commisit, scilicet extendendi ad omnes homines universalis redemptionis munera.

Qua supernaturali praerogativa tum auctoritas tum oboedientia in Ecclesia ad altiorem excellentiam et dignitatem elevantur: auctoritatis enim exercitium est humana cooperatio, voluntate Christi imperata et gubernata tamquam humile servitium fratribus praestitum ad supernaturalem redemptionis finem assequendum ab Eo volitum; oboedientia vero, et ipsa ad eumdem finem tendit, tum personalem tum socialem, et supernaturale habet principium, mysterium scilicet Christi Redemptoris per cuius oboedientiam homines iusti constituti sunt (cf. Rom. 5, 19). Auctoritatis vero atque oboedientiae exercitium, Spiritus Sancti

gratia adiuvatur ut illum attingat finem verae libertatis filiorum [60] Dei ad quem ordinatur, atque ut sive auctoritatis sive oboedientiae exercitium Christum exemplar valeat imitari. Omnibus enim christifidelibus omnium temporum et cuiuscumque conditionis Christus Dominus proponitur imitandus,[3] sive tamquam bonus pastor qui venit « non ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis » (cf. Mt. 20, 28), sive tamquam « factus oboediens usque ad mortem » ut omnes faceret salvos (cf. Phil. 2, 8), atque Mariae et Ioseph subditus ut in illorum Dei Patris auctoritatem honoraret (cf. Lc. 2, 51).

Errant igitur qui docent nullam in Ecclesia Christi potestatem adesse nisi ipsum Christum eiusque divinam legem; errant qui docent christianam oboedientiam cum dignitate hominis et iuribus personae liberae, vel cum libertate filiorum Dei componi non posse; vel qui docent quosdam esse christianos homines, qui ob peculiaria charismata vel speciales missiones, quae tamquam a Deo accepta sibi vindicant, ecclesiasticae hierarchiae a Christo institutae parere non teneantur; errant qui tenent legitimam auctoritatem imperandi ius non habere, nisi praepositi causa cum subditis discussa, in idem placitum conveniant;[4] vel nullum auctoritatis iussum esse legitimum, nisi in casu optimum videatur;[5] vel qui tenent subditorum esse ultimum ferre iudicium de necessitate vel opportunitate eorum quae praecipiuntur ad Ecclesiae finem et commune bonum.

38. [*De relatione inter praepositos et subditos et de iure criticae liberae*]. Ex his fidei et rectae rationis principiis mutua illuminantur officia et iura, quae tum praepositis tum subditis in Christi Ecclesia competunt.

Omnes praepositi in bonum communitatis et animarum positi sunt, nullamque legitimam auctoritatem habent, quae non a Christo Domino originem ducat et iuxta instituta Ipsius non exerceatur. Ideo in suae potestatis exercitio divinam legem, tum naturalem tum positivam, adamussim cognoscere et sequi debent; leges et constitutiones Ecclesiae tam generales quam particulares fideliter observare, non autem suae potestatis fines superare; fidelis oboedientiae erga superiores suos subditis exemplum praebere; aptis mediis pro gravitate rerum prudens iudicium sibi efformare de illis quae iubere intendunt, adhibitis praesertim consiliariis qui ex officio vel ex natura rei sunt aptiores; immo recusare non debent, si in Domino opportunum videbitur, ut

[61] rectum iudicium sibi efformare valeant, subditorum etiam mentem audire; nec prohibere ut locus sit coeptis, a subditis vel suggestis, vel etiam ab iisdem sponte inchoatis. Christi auctoritate ornati, sciant etiam se induere debere imaginem boni Pastoris; subditos sincera caritate diligant, et studeant plus amari quam timeri,[6] semper memores subditorum et praepositorum unum esse Dominum in caelis, apud quem nulla est acceptio personarum (cf. Eph. 6, 9).

Subditi vero in praepositis suis, in illis praesertim, quorum auctoritas a Christi Domini institutione originem ducit, Christum oculis fidei semper inspicere debent, eisque oboedire « in simplicitate cordis, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo » (Eph. 6, 5-6) nec omittant precibus suis praepositos Deo commendare, ut iidem quasi rationem pro animabus subditorum reddituri, munus suum adimplere queant cum gaudio et non gementes (cf. Hebr. 13, 17). Quod si haec cum gaudio fiant, subditi quoque experientur, quomodo oboedientia, quae excludat omnem timorem proprie servilem, pari gressu procedat cum vera libertate filiorum Dei.

Subditi et ipsi, pro scientia, competentia in rebus, et auctoritate qua pollent facultatem habent, immo aliquando et officium, suam sententiam declarandi in iis quae ad Ecclesiae vel suae communitatis bonum pertinent. Hoc tamen inceptum, ut christiano more adimpleatur, ante omnia per praescripta Ecclesiae instituta, si quae adsint, est exercendum; semper vero cum christiana prudentia, veracitate, humilitate, fortitudine et caritate, et debita reverentia servata erga illos qui Pastorem Christum repraesentant etiam si Illum non perfecte imitantur.[7] Cum vero legitima auctoritas aliquid iusserit, tum omnes qui christiano spiritu ducuntur, nedum liberae criticae aditum aperiant, in id potius intendant ut proprium iudicium de agendis iudicio superioris submittant, atque prompta voluntate oboedientes praecepta executioni mandent.[8]

Publica denuntiatio malorum quae in Ecclesia contingunt, per scripta praesertim, probari non potest nisi servato ordine a Christo Domino commendato (cf. Mt. 18, 15-7), quantum fieri potest vitato scandalo, et reverentia erga auctoritatem servata, ita ut non in destructionem sed in aedificationem fidei et disciplinae cedat. Nulla vero malorum Ecclesiae publica denuntiatio talis formae admitti potest, quae essentialem indefectibilitatem Sponsae Christi in missione sua salvifica adimplenda in dubium revocet.

39. [*De opinione publica in Ecclesia*]. Ne Ecclesiae natura et ratio cum civilis societatis perperam confundantur, haec retinenda sunt quod attinet ad valorem et ius opinionis publicae in ea. [62]

Est quidem in Ecclesia Christi, ut bene notum est, quidam supernaturalis sensus fidei populi universi christiani, qui semper bonus est et indefectibilem peculiaremque proprietatem constituit catholicae Ecclesiae: ex alto provenit, et nihil aliud est nisi consensus fidelium et pastorum in rebus fidei et morum, authentico magisterio gubernatus. Ultimatim exsuscitatur a Spiritu Sancto, qui, dum eidem magisterio adest in catholica doctrina proponenda, idem in fidelibus operatur ut doctrinam propositam oboedienti animo accipiant, recte intelligant, et profundius scrutentur; eoque plurimum divina missio salvifica Ecclesiae adiuvatur.[9]

Alia vero est opinio publica, quae in ordine agendi versatur, et est spontanea et vitalis quaedam reactio fidelium ad ea omnia quae, sive in singulis communitatibus, sive in universali Ecclesia eveniunt.[10]

Eius tamen singulae manifestationes erunt providae vel imprudentes, aut etiam erroneae et malae, prout procedunt a vera cognitione rerum et spiritu vere catholico, vel non. Quare, sicut sana opinio publica bonum Ecclesiae promovere potest, et a pastoribus Ecclesiae in suo regimine exercendo magni facienda est, et non solum toleranda; sic opinio publica, quando sive debita scientia rerum, sive spiritu sentiendi cum Ecclesia destituitur, res est Mystico Corpori Christi funesta, et aptis remediis emendanda. Ubi verum de rebus in Ecclesia agendis habeantur variae opiniones, quae singulae sua gaudeant probabilitate, necdum a competenti auctoritate decisio facta est, nemo competens impediendus est, ne quid sentiat libere exponat; in re autem controversa discutienda regnet caritas, qua quis unice quid melius sit quaerat, non vero ut suam imponat sententiam.

Pastores Ecclesiae satagere quidem debent ut aequo animo causas ab omnibus, et a rerum peritis praesertim, prolatas iudicent; sed reprobanda est omnino illorum sententia, qui tenent praepositos in Ecclesia publicam opinionem necessario et semper consulere debere, vel ad mentem maioris partis fidelium omnia diiudicare et disponere. Sacrosancta Synodus denique sententiam reprobat, quae tenet in Ecclesia inconsulte et sine causa omnium gravissima appellari posse ad opinionem publicam ut decretorum Sacrae Hierarchiae mutatio obtineatur.

[63] NOTAE

[1] Cf. PIUS XII, Alloc. *Si diligis... pasce,* 31 maii 1954: AAS 46 (1954) p. 314;

ID., Alloc. *Magnificate Dominum mecum,* 2 nov. 1954: AAS 46 (1954) pp. 673-674.

Plura de his rebus videri possunt in thesi Pont. Univ. Gregorianae: R. TORRELLA CASCANTE, *Lo humano y lo divino en la Iglesia.* Aspectos del reformismo católico contemporáneo, Romae 1958.

[2] Cf. 1 Pt. 2, 13-17, et explicationem theologicam de natura oboedientiae apud S. THOMAM, *Summa Theol.* II-II, q. 104.

[3] Cf. LEO XIII, Epist. *Testem benevolentiae,* ad Card. GIBBONS, 22 ian. 1899: ASS 31 (1898/99) p. 476: « Magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est; ad cuius regulam aptari omnes necesse est, quotquot avent beatorum sedibus inseri ».

PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: AAS 22 (1930) p. 548.

[4] Cf. PIUS XII, Alloc. *Congregationi generali Societatis Iesu,* 10 sept. 1957: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII,* XIX, pp. 384-385.

[5] Cf. PIUS XII, Alloc. *Magnificate Dominum mecum,* l. c. p. 672.

[6] *Regula* S. Patris Benedicti, cap. LXIV; cf. etiam S. AUGUSTINI *Regula* ad Servos Dei, XI: PL 32, 1384.

Cf. PIUS XII, Alloc. *Magnificate Dominum mecum,* l. c. pp. 675-676.

[7] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: ASS 22 (1889/90) pp. 400-401.

[8] Cf. LEO XIII, Epist. *Epistula tua,* ad Card. Guibert, 17 iun. 1885: ASS 18 (1885) pp. 3-8;

PIUS XII, Alloc. *Magnificate Dominum mecum,* l. c. pp. 673-675.

[9] Cf. PIUS XII, Bulla dogm. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: AAS 42 (1950) p. 756.

Intentio paragraphi non est proponendi omnia quae proponi possunt de natura sensus fidei populi christiani, sed ea tantum quae necessaria sunt ut clare distinguatur a « publica opinione », sic dicta, quae circa agenda versatur.

[10] Cf. PIUS XII, Alloc. *L'importance de la presse,* 17 febr. 1950: AAS 42 (1950) p. 256.

CAPUT IX [64]

DE RELATIONIBUS INTER ECCLESIAM ET STATUM

40. [*Principium: Distinctio inter Ecclesiam et Societatem civilem, et subordinatio finis Civitatis fini Ecclesiae*]. Homo a Deo destinatus ad finem supernaturalem indiget tum Ecclesia, tum Societate civili ad plenam perfectionem assequendam. Dum autem Societati civili, cui homo adscribitur vi indolis suae socialis, competit, ut bonis terrenis intenta, conditiones illas inducat, in quibus cives obtinere possint perfectionem, homine vere dignam, atque hisce in terris « quietam et tranquillam vitam » peragere queant (cf. 1 Tim. 2, 2): Ecclesia, cui homo incorporetur necesse est vi supernaturalis suae vocationis, a Deo condita est ut, semper magis ac magis sese extendendo, doctrina, sacramentis, oratione et legibus fideles conducat ad finem sempiternum.[1] Utraque haec societas ditata est facultatibus ad propriam cuiusque missionem rite explendam necessariis; utraque quoque perfecta est, id est in suo ordine suprema ideoque alii non subiecta, instructa potestate legifera, iudiciaria et exsecutiva.[2] Quae distinctio utriusque civitatis, ut constans docet traditio, verbis Domini innuitur: « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo » (Mt. 22, 21).

Quia vero ambae societates potestates suas exercent erga easdem personas neque raro circa eadem obiecta, idcirco, licet inter se prorsus remaneant distinctae, se invicem negligere non possunt, immo harmonice procedant omnino oportet, ut haud minus ipsae prosperent quam sodales communes.[3]

Sacra Synodus, docere intendens quaenam relationes inter utramque potestatem ex natura utriusque vigere debeant, imprimis statuit firmiter esse tenendum tam Ecclesiam quam Societatem civilem constitutas esse ad hominis utilitatem; [4] temporalem autem felicitatem, quam Potestas civilis curare debet, homini nihil valere si perdat animam suam (cf. Mt. 16, 26; Mc. 8, 36; Lc. 9, 25). Quare finem Societatis civilis numquam esse appetendum excluso vel laeso fine ultimo,[5] salute videlicet aeterna.

[65] 41. [*De potestate Ecclesiae eiusque limitibus, et de officiis Ecclesiae erga Potestatem civilem*]. Cum igitur Ecclesiae potestas sese extendat ad omnia quibus ab hominibus salus aeterna attingitur; ea vero quae tantum ad felicitatem temporalem pertinent sub auctoritate civili ut talia posita sint: idcirco Ecclesia temporalia non curat nisi quatenus ad finem supernaturalem ordinantur. In his vero quae tam ad Ecclesiae quam ad Civitatis finem ordinantur, ut sunt matrimonium, puerorum educatio et alia huiusmodi, sic iura Potestatis civilis exerceantur, ut, iudicio Ecclesiae, bona superiora ordinis supernaturalis detrimentum non patiantur. In aliis vero temporalibus quae, salva lege divina, variis modis recte obtineri vel fieri possunt, Ecclesia nullo modo sese immiscet. Custos iuris sui, observantissima alieni, non ad se putat Ecclesia pertinere, statuere quae forma civitatis praeferenda sit, quibus institutis res christianarum gentium civilis melius geratur; ex variisque reipublicae generibus nullum non probat, dum religio morumque disciplina salva sit.[6] Sicut enim suae libertati Ecclesia non renuntiat, sic non impedit quominus Potestas civilis suis iuribus et legibus libere utatur.[7]

Quanta bona missionem suam adimplendo Societati civili Ecclesia procuret, Rectores gentium ignorare nequeunt.[8] Ipsa enim Ecclesia cooperatur ut virtute et pietate christiana boni fiant cives, qui si tales sunt quales esse praecipit doctrina christiana, Augustino teste, sine dubio magna erit reipublicae salus.[9] Civibus quoque imponit ut legitimis ordinationibus obtemperent « non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam » (Rom. 13, 5).[10] Illos vero quibus reipublicae gubernatio concredita est, monet ne dominandi cupiditate, sed boni civium gratia illud munus exerceant, tamquam Deo reddituri rationem (cf. Hebr. 13, 17) de divinitus tradita sibi potestate.[11] Legum tandem tam naturalium quam supernaturalium observantiam inculcat, quibus totus ordo civilis tam inter cives quam inter gentes ad normas pacis et iustitiae componatur.[12]

42. [*Officia religiosa Potestatis civilis*]. Ipsum bonum Civitatis exigit, ut Potestas civilis sese erga religionem indifferenter non habeat. A Deo cum instituta sit, ut homines iuvet ad perfectionem vere humanam acquirendam, non solum sociis facultatem sibi procurandi bona temporalia, sive materialia, sive humaniora praebere debet, sed eos etiam adiuvare ut bona spiritualia ad vitam humanam religiose peragendam facilius affluere

queant. Inter ea bona autem, nihil pluris aestimandum est quam [66] cognoscere et agnoscere Deum, et adimplere officia Deo debita: fundamentum enim sunt omnis virtutis privatae, immo et publicae.[13]

Quae officia Deo debita divinae Maiestati praestanda sunt non tantum a singulis civibus, sed etiam a Potestate civili quae in actis publicis Societatis civilis personam gerit. Deus enim est auctor Societatis civilis et fons omnium bonorum quae per ipsam in omnia membra profluunt. Licet autem, in hoc ordine a Christo volito, cultus liturgicus unice spectet veram Dei Ecclesiam, tamen etiam communitas civilis modo quodam sociali Deum colere debet.[14] Quod autem, spectata eius indole, tunc maxime praestabit, si in procurando bono communi fideliter servabit leges Dei, pro hac oeconomia salutis a divina Maiestate conditas. Quod ante omnia postulat, ut plena libertate Ecclesiae concessa, excludantur a legislatione, regimine et actione publica omnia ea, quae assecutionem finis aeterni impedire Ecclesia iudicet; immo id intendatur, ut facilior fiat vita, principiis christianis innixa et ad vitam aeternam conducens.[15]

43. [*Principium generale applicationis*]. Sicut autem nullus homo Deum modo a Christo statuto colere potest, nisi ipsi constet Deum per Iesum Christum esse locutum,[16] immo nisi cognoscat missionem salutiferam Ecclesiae, sic etiam Communitas civilis ad id faciendum non obligatur, nisi prius factum revelationis a civibus acceptum sit, itemque a Potestate civili, quatenus populum repraesentat. Pro ratione igitur, qua Potestas civilis personam agens populi, Christum cognoscit et ab Eo conditam Ecclesiam, aliter ac aliter ad invicem se habere utramque potestatem ad profectum utriusque civitatis, Ecclesia semper agnovit. Civibus autem in bonum ipsius communitatis plena libertas concedatur eligendi, ut vita civilis secundum principia catholica informetur, adeoque secundum verba Sancti Gregorii Magni « caelorum via largius pateat ».[17]

44. [*Conclusio*]. Sancta Synodus agnoscens principia de mutua relatione inter Potestatem ecclesiasticam et Potestatem civilem non esse nisi cum moderamine supra exposito applicanda, tamen permittere nequit, ut eadem falso quodam laicismo, etiam sub praetextu boni communis, obscurentur. Haec principia enim innituntur iuribus Dei absolute firmis, constitutione et missione Ecclesiae immutabilibus, natura quoque sociali hominis, quae

[67] per omnia tempora semper eadem manens, finem essentialem ipsius societatis civilis determinat, non obstantibus regiminum politicorum diversitatibus aliisque rerum vicissitudinibus.[18]

NOTAE

[1] LEO XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: ASS 18 (1885) p. 166: DENZ. 1866;

PIUS IX, Litt. Encycl. *Etsi multa luctuosa,* 21 nov. 1873: ASS 7 (1872) p. 471: DENZ. 1841.

[2] BENEDICTUS XIV, Epist. *Ad assiduas,* 4 mart. 1755: Benedicti XIV Bullarium, t. IV, Romae 1758, p. 163;

PIUS VI, Const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794: DENZ. 1505;

PIUS IX, Litt. Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: ASS 3 (1867) pp. 164-165: DENZ. 1697-1698;

ID., *Syllabus,* 8 dec. 1864, prop. 19: ASS 3 (1867) p. 170; prop. 20: ibid., p. 171; prop. 54: ibid. p. 174: DENZ. 1719, 1720, 1754;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* l. c. p. 174: DENZ. 1869;

CIC: multi canones sunt in quibus indoles Ecclesiae societatis perfectae supponitur ut sunt can. 109, 120, 121, 265, 1160, 1322, § 2, 1495, § 1, 1496, 2214, § 1, 2390;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922: AAS 14 (1922) pp. 697 ss.;

ID., Litt. Encycl. *Quas primas,* 11 dec. 1925: AAS 17 (1925) pp. 604 ss.: DENZ. 2197;

ID., Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: AAS 22 (1930), pp. 52-53: DENZ. 2203;

PIUS XII, Alloc. *Ad Sacram Romanam Rotam,* 2 oct. 1944: AAS 36 (1944) p. 289;

ID., Alloc. *Ad Sacram Romanam Rotam,* 29 oct. 1947: AAS 39 (1947) p. 495;

ID., Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui X internationali de Scientiis Historicis,* 7 sept. 1955: AAS 47 (1955) p. 677.

[3] De necessaria concordia inter utramque societatem:

GREGORIUS XVI, Litt. Encycl. *Mirari vos,* 15 aug. 1832: ASS 4 (1868) p. 344: DENZ. 1615;

PIUS IX, Litt. Encycl. *Quanta cura,* l. c. p. 161: DENZ. 1688;

ID., *Syllabus,* 8 dec. 1864, prop. 55: *ibid.,* p. 174: DENZ. 1755;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* l. c. pp. 166, 173: DENZ. 1866-1867;

ID., Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iun. 1888: ASS 20 (1887), pp. 603 et 611;

S. PIUS X, Litt. Encycl. *Vehementer Nos,* 11 febr. 1906: ASS 39 (1906) pp. 12-13: DENZ. 1995;

ID., Litt. Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: ASS 40 (1907) pp. 614-615: DENZ. 2092;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* l. c. pp. 55-56: DENZ. 2205; [68]

PIUS XII, Alloc. *ad Populum Romanum,* 20 febr. 1949: AAS 41 (1949) pp. 75-76;

ID., Alloc. *Conventui I universali de catholico laicorum apostolatu,* 14 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 785;

ID., Alloc. *Sociis Sodalitatis Scriptorum Ephemeridum exterarum Nationum in Urbe degentibus,* 12 maii 1953: AAS 45 (1953) pp. 399 s.;

ID., Alloc. *Conventui X internationali de Scientiis Historicis,* l. c. p. 679: In hac Allocutione sese refert explicite PIUS XII ad doctrinam LEONIS XIII citando Encyclicas *Diuturnum illud, Immortale Dei* et *Sapientiae christianae.*

Cum Legati exterarum nationum litteras suas publicas porrigebant, saepe saepius PIUS XII in memoriam revocabat necessariam istam concordiam. Sic inter alia: Legato Italiae, 7 dec. 1939: AAS 31 (1939) p. 705; Legato Rumeniae, 15 nov. 1940: AAS 32 (1940) p. 501; Legato Argentinae, 22 nov. 1941: AAS 33 (1941) p. 503; Legato Galliae, 10 maii 1945: AAS 37 (1945) p. 147; Legato Reipublicae Chilensis, 29 ian. 1952: AAS 44 (1952) p. 185.

[4] LEO XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: ASS 22 (1889/90) p. 385;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Redemptoris,* 19 mart. 1937: AAS 29 (1937) p. 79;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: AAS 31 (1939) p. 433;

ID., *Nuntius Radiophonicus,* 24 dec. 1941: AAS 34 (1942) pp. 12, 14;

ID., Alloc. *Em.mis Cardinalibus recenter creatis,* 20 febr. 1946: AAS 38 (1946) pp. 145 ss.

ID., Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui I Internationali de Hispathologia Systematis nervorum,* 13 sept. 1952: AAS 44 (1952) p. 786.

Haec doctrina de Ecclesia explicite proponitur a PIO XI, Praedicatoribus tempore Quadrages.: *Civiltà Cattolica,* 78, vol. I (1927), pp. 554-555;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: AAS 35 (1943) pp. 222 ss.

[5] LEO XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* l. c. p. 164: « Civilem igitur societatem communi utilitate natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit, opportunitates afferat »;

ID., Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* l. c. p. 595;

S. PIUS X, Litt. Encycl. *Vehementer Nos,* 11 febr. 1906: ASS 39 (1906) p. 5: De lege gallica qua Status ab Ecclesia separatur scribitur: « ... actionem civitatis sola vitae mortalis prosperitate metitur, in qua consistit causa proxima civilis societatis: causam ultimam civium, quae est sempiterna beatitudo extra hanc brevitatem vitae hominibus proposita, tamquam alienam rei publicae, plane negligit. Quod contra, ad adeptio-

[69] nem summi illius absolutique boni, ut hic totus est fluxarum rerum ordo dispositus, ita verum est rempublicam non modo non obesse, sed prodesse oportere »;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: AAS 31 (1939) p. 433: inter finem Status ponit: « utque cives adiuvet ad supernum sibi destinatum finem assequendum »;

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Grata recordatio,* 26 sept. 1959: AAS 51 (1959) p. 676.

[6] LEO XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae*: l. c. p. 396.

[7] Articulus primus Cleri Gallicani ut irritus declaratus a Constitutione *Inter multiplices* ALEXANDRI VIII, 4 aug. 1690: DENZ. 1322;

Rursus damnatus in Const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, inter errores pseudo-Synodi Pistoriensis a PIO VI: DENZ. 1598-1599;

PIUS IX, Damnatio propositionis Ioannis Nep. Nuytz *Ad Apostolicae,* 22 aug. 1851: Pii IX P. M. Acta, pars I, vol. I, p. 287, quae invenitur in *Syllabus,* 8 dec. 1864, prop. 24: ASS 3 (1867) p. 171: DENZ. 1724;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: ASS 18 (1885-86) pp. 166-167: DENZ. 1866: « Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae », refertum a PIO XII in Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui X Internationali de Scientiis Historicis,* l. c. pp. 677-678.

Inde ius competit Ecclesiae de legibus civilibus iudicandi sub aspectu religioso: LEO XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* l. c. p. 397.

In Epistola conscripta a Card. MERRY DEL VAL *ad Em.mum Cardinalem Sevin,* Lugdunensem Archiepiscopum, occasione Congressus Catholicorum Iurisconsultorum, anno 1913 habiti de hac re, commendantur opera Tarquini, Cavagnis et Billot: AAS 5 (1913) p. 559.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922: AAS 14 (1922) p. 698;

PIUS XII, Alloc. *Cardinalibus et Episcopis,* 2 nov. 1954: AAS 46 (1954) pp. 671-673;

ID., Alloc. *Sociis Sodalitatis Scriptorum Ephemeridum exterarum Nationum in Urbe degentibus,* 12 maii 1953: AAS 45 (1953) p. 400.

[8] A Summis Pontificibus saepe ex tempore Conversionis rerum politicarum in Gallia docentur pericula civitati incumbentia ex neglectu religionis et legis Christi.

Citantur ad exemplum:

PIUS VI, Alloc. *in Consistorio,* 29 mart. 1790. Citantur: S. AUG., *Epist. ad Marc.* 138, 15: PL 33, 532 et *Contra Faustum,* 21, 14: PL 42, 398;

ID., *Epist. ad Ludovicum XVI,* 17 aug. 1790;

GREGORIUS XVI, Litt. Encycl. *Mirari vos,* 15 aug. 1832: ASS 4 (1868) p. 343, cum citatione S. AUG. *In Ps.* 124, 7: PL 37, 1654;

PIUS IX, Litt. Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: ASS 3 (1867) pp. 166-167.

In Schemate apparato pro Conc. Vat. [MANSI 51, 545 ss.]: virtute et pietate bonos facit cives; in auctoritate divina fundatur officium oboedientiae civilis; principes edocet non ad proprium commodum, sed ad bonum commune ordinari gubernium. [70]

LEO XIII, Litt. Encycl. *Diuturnum illud,* 29 iun. 1881: ASS 14 (1881) pp. 3-14, ubi [p. 13] citatur S. AUG. *De moribus Ecclesiae,* I, 30: PL 32, 1336;

ID., Litt. Encycl. *Cum multa sint,* 8 dec. 1882: AAS 15 (1882) p. 242: « Nam ubi religio tollatur, vacillare necesse est illorum stabilitatem principiorum, in quibus salus publica maxime nititur quaeque vim a religione capiunt plurimam, cuiusmodi potissimum sunt, iuste moderateque imperare, propter conscientiam officii subesse, domitas habere virtute cupiditates, suum cuique reddere, aliena non tangere ».

ID., Litt. Encycl. *Nobilissima Gallorum gens,* 8 febr. 1884: ASS 16 (1883), pp. 242-243;

ID., Litt. Encycl. *Humanum genus,* 20 apr. 1884: Ibid. pp. 417-433;

ID., Litt. Encycl. *Au milieu des sollicitudes,* 16 febr. 1892: ASS 24 (1891-92), p. 520;

ID., Litt. Encycl. *Caritatis,* 19 mart. 1894: ASS 26 (1893-1894) p. 525;

ID., Ep. Apost. *Praeclara gratulationis,* 20 iun. 1894: ASS 26 (1893-94) p. 715;

ID., Epist. *Longinqua oceani,* 6 ian. 1895: ASS 27 (1894-95) p. 389;

ID., Litt. Encycl. *Tametsi futura,* 1 nov. 1900: ASS 33 (1900-01) pp. 283-285;

S. PIUS X, Litt. Encycl. *Iucunda sane,* 12 mart. 1904: ASS 36 (1903-04) p. 520;

BENEDICTUS XV, Litt. Encycl. *Ad Beatissimi,* 1 nov. 1914: AAS 6 (1914) pp. 567-568 et 571;

ID., Epist. *Anno iam exeunte,* ad R. P. Ios. Hiss, Societatis Mariae Praepositum Generalem, 7 mart. 1917: AAS 9 (1917) p. 172;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ubi arcano,* l. c. pp. 683 et 687;

ID., Litt. Encycl. *Quas primas,* 11 dec. 1925: AAS 17 (1925) pp. 604-605;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: AAS 31 (1939) pp. 423-424;

ID., Alloc. *Puellis ab Actione Catholica ex Italiae dioecesibus,* 6 oct. 1940: AAS 32 (1940) p. 411;

ID., Alloc. *Adulescentibus ab Actione Catholica ex Italiae dioecesibus,* 10 nov. 1940: ibid. pp. 495-496;

IOANNES XXIII, Litt Encycl. *Ad Petri cathedram,* 29 iun. 1959: AAS 51 (1959) pp. 528 et 529: « Atque id potissimum pro certo habendum esse putamus: neglectis nempe, vel proculcatis sacrosanctis Dei religionisque iuribus, ipsa humanae societatis fundamenta serius ocius labare ac pessumdari, secundum sapientissimam Decessoris nostri imm. mem. Leonis XIII sententiam: " Consequens... est, ut vis frangatur legum et omnis debilitetur auctoritas, si summa atque aeterna ratio iubentis vetantis Dei repudietur " [Epist. *Exeunte iam anno,* 25 dec. 1888: ASS 21 (1888) p. 327]. Cui quidem sententiae illud Ciceronis effatum consonat:

[71] " Vos, Pontifices... diligentius... urbem religione, quam ipsis moenibus cingitis " [*De nat. deor.* III, 40] ».

[9] S. Augustinus, *Epist. ad Marcellinum,* 138, 15: PL 33, 532: « Proinde qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem quales doctrina christiana esse milites iussit; dent tales provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, quales esse praecipit doctrina christiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicae; immo vero non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae ».

[10] Cf. etiam Tit. 3, 1; 1 Pt. 2, 13-15.

[11] Cf. etiam Sap. 6, 4-6; Rom. 13, 1.

[12] Pius XII, *Nuntius Radiophonicus,* 24 dec. 1942: AAS 35 (1943) p. 10.

[13] Leo XIII, Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iun. 1888: ASS 20 (1887) p. 603: « Cum enim clamet ipsa natura, oportere civibus in societate suppetere copias opportunitatesque ad vitam honeste, scilicet secundum Dei leges, degendam, quia Deus est omnis honestatis iustitiaeque principium, profecto illud vehementer repugnat, posse iisdem de legibus nihil curare, vel etiam quidquam infense statuere civitatem. Deinde qui populo praesunt, hoc omnino rei publicae debent, ut non solum commodis et rebus externis, sed maxime animi bonis, legum sapientia, consulant »;

Id., Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: ASS 22 (1889-1890) p. 385;

Id., Litt. Encycl. *Au milieu des sollicitudes,* 16 febr. 1892: ASS 24 (1891-92) p. 520.

[14] Leo XIII, Litt. Encycl. *Humanum genus,* 20 apr. 1884: ASS 16 (1883) p. 427: « Revera humani generis societas, ad quam sumus natura facti, a Deo constituta est naturae parente: ab eoque tamquam a principio et fonte tota vis et perennitas manat innumerabilium, quibus illa abundat, bonorum. Igitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa naturae voce admonemur, propterea quod vitam et bona quae comitantur vitae a Deo accepimus, sic eamdem ob causam populi et civitates »;

Id., Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: ASS 18 (1885) p. 163;

Id., Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* l. c. p. 604: « Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum cognoscat necesse est, atque eius potestatem dominatumque vereatur et colat »;

Id., Litt. Encycl. *Au milieu des sollicitudes,* l. c. p. 520;

S. Pius X, Litt. Encycl. *Vehementer Nos,* 11 febr. 1906: ASS 39 (1906) p. 5: « ... qui [Deus] ipse humanae societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; propterea que non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice »;

Id., Alloc. habita *in Consistorio,* 21 febr. 1906: ibid. pp. 30-31: « Atqui non singularium modo hominum dominus ac dominator, sed gentium etiam ac civitatum Deus est: quem proinde agnoscere, vereri, colere ipsas nationes, quique illis praesunt, oportet publice »;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Quas primas,* l. c. p. 609; [72]
PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) pp. 525 ss.

[15] Cf. quae referuntur supra in nota 5, quibus addenda sunt:

PIUS VII, Litt. Encycl. *Diu satis,* 15 maii 1800: *Bullarii Rom. Continuatio,* t. XI, pp. 21 ss.;

PIUS IX, Litt. Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: ASS 3 (1867-68) p. 166;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad salutem,* 20 apr. 1930: AAS 22 (1930) pp. 219 et 220.

[16] PIUS IX, Litt. Encycl. *Qui pluribus,* 9 nov. 1846: DENZ. 1637.

[17] S. GREGORIUS M., *Epist. 65, ad Mauricium*: PL 77. 663.

De conditione hic posita ut possit applicari doctrina catholica, cf. TAPARELLI D'AZEGLIO, *Essai théorique de droit naturel,* ed. 4, Paris-Leipzig-Tournai, t. I, pp. 388-390.

[18] Multi scriptores diebus nostris docuerunt principia hic exposita non esse nisi normas contingentes datas a Summis Pontificibus relate ad rerum adiuncta iam amplius non vigentia:

PIUS VI, Hieronymo Mariae, Archiepiscopo Burdigalensi, 10 iul. 1790: « Immutabilia certe sunt sua [regis] erga Deum officia, neque unquam ullam ob causam dissimulanda; etiamsi in animo habeat, ut immutatis tam perversis temporibus ad eadem praestanda revertatur ».

Non potest dubitari LEONEM XIII voluisse doctrinam immutabilem « de constitutione christiana civitatum » per Litt. Encycl. *Immortale Dei* tradere. Etenim istam doctrinam proponit tamquam in revelatione fundatam et cum ratione naturali conformem.

Successores LEONIS XIII docuerunt doctrinam eius esse immutabilem prout in principiis tribus illis fundatam, quae sunt: iura Dei, natura hominis socialis ex qua profluit finis essentialis Status, et natura immutabilis Ecclesiae.

S. PIUS X, Epist. *Notre charge apostolique,* 25 aug. 1910 [Condamnation du *Sillon*]: AAS 2 (1910) pp. 612, 625, 627;

BENEDICTUS XV, Epist. *Anno iam exeunte,* ad R. P. Ios. Hiss, Societatis Mariae Praepositum Generalem, 7 mart. 1917: AAS 9 (1917) pp. 171-175;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: AAS 22 (1930) pp. 65-66: « Quae omnia hucusque... diximus... doctrina catholica de *Civitatum constitutione christiana,* tamquam firmissimo et immutabili fundamento, innituntur, quae tam egregie a Decessore Nostro Leone XIII, praesertim in Encyclicis Litteris *Immortale Dei* et *Sapientiae christianae* exposita est ».

Citatis verbis Lit. Encycl. *Immortale Dei* quibus exponuntur distinctio utriusque potestatis necnon relatio, et potestas Ecclesiae indirecta, additur: « Quicumque haec principia recipere eademque proinde ad educationem applicare recusat, is necessario cum neget Christum ob sempiternam hominum salutem Ecclesiam suam condidisse, tum affirmat societatem civilem et Statum Deo eiusque naturali ac divinae legi non subiici. Quod quidem manifesto impium est, sanae rationi... »;

[73] Lettre de la Secrétairerie d'Etat à M. Duthoit, 12 iul. 1933; Ed. Bonne Presse, t. X, p. 241;

ID., Litt. Encycl. *Divini Redemptoris,* 19 mart. 1937: AAS 29 (1937) p. 81;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: AAS 31 (1939) pp. 432-433: « Etenim civitatis imperium, quemadmodum per Encyclicas Litteras *Immortale Dei* sapientissimus Decessor Noster p. m. Leo XIII edocet, idcirco a summo omnium Creatore statutum est, ut ex illius ordinis praescriptione, qui in universalibus, quibus *regitur, principiis ac normis incommutabilis consistit,* publicam rem moderetur; ut humanae personae, in praesenti hac vita, ad corporis mentisque vires quod attinet et ad rite componendos mores, perfectionis adeptionem faciliorem reddat; utque cives adiuvet ad supernum sibi destinatum finem assequendum »;

ID., Alloc. *ad Sacram Romanam Rotam,* 6 oct. 1946: AAS 38 (1946) p. 393;

ID., Alloc. *ad Sacram Romanam Rotam*, 29 oct. 1947: AAS 39 (1947) p. 495;

ID., Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui X Internationali de Scientiis Historicis,* 7 sept. 1955: AAS 47 (1955) pp. 677-678: « Léon XIII a enfermé, pour ainsi dire, dans une formule, la nature propre de ces relations, dont il donne un exposé lumineux dans ses Encycliques *Diuturnum illud* [1881], *Immortale Dei* [1885] et *Sapientiae christianae* [1890] ».

De oppositione inter laicismum hodiernum et doctrinam christianam, sic docet IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Grata recordatio,* 26 sept. 1959: AAS 51 (1959) p. 677: « Animadvertendum praeterea est talia ratiocinandi ac philosophandi genera haberi, itemque tales instituendae vitae rationes hodie in usum invectas esse, quae cum christiana doctrina concordare nullo modo possunt. Id Nos serena sed firma certaque mente asseverare desistemus numquam. Sed Deus sanabiles fecit homines ac Nationes! [cf. Sap. 1, 14]. Futurum igitur speramus ut, aridis postulatis ac propositis tandem posthabitis, ex cogitandi agendique ratione ortis, et crystalli instar concretis ac duratis, quae, ut norunt omnes, " laicismi " et " materialismi " commentis imbuta sunt, in sana illa doctrina, quam quotidie magis rerum experientia confirmat, opportuna remedia quaerantur et inveniantur. Haec autem doctrina Deum esse auctorem vitae eiusque legum testatur; eumque esse vindicem iurium humanaeque personae dignitatis. Deus igitur est " salus et Redemptio nostra! " [ex sacra liturgia] ».

CAPUT X [74]

DE NECESSITATE ECCLESIAE ANNUNTIANDI EVANGELIUM OMNIBUS GENTIBUS ET UBIQUE TERRARUM

45. [*Exsistentia et fundamentum muneris*]. Dominus noster Iesus Christus, qui de semetipso testatus est: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur » (Lc. 12, 49), cum ex hoc mundo reversurus esset ad Patrem, Apostolis, ut omnibus gentibus Evangelium praedicarent, mandatum dedit dicens: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » (Mc. 16, 15). Apostoli autem hoc mandatum experiebantur et agnoscebant ut veram necessitatem sibi impositam. Ait enim Apostolus: « Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit; vae enim mihi si non evangelizavero » (1 Cor. 9, 16). Maximum illud et sanctissimum munus eorum terrestri vita non erat terminandum, sed usque ad finem saeculorum ab Ecclesia perpetuandum; [1] et reapse ad illam capitalem Ecclesiae missionem refertur, qua verum Dei cultum in fide viva et caritate usque ad extremas terrae partes propagat omnesque homines participes facit Redemptionis Christi, ut ad sempiternam perveniant beatitatem.[2] Officium autem Evangelii omnibus gentibus annuntiandi et ius illud exercendi ab ipso iure nativo Christi derivatur, sollemniter dicentis: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes » (Mt. 28, 19).

46. [*Natura muneris*]. Officium illud, cum sit Ecclesiae a suo divino Fundatore collatum, est originis divinae. Ut ex ipsis verbis Christi patet, extenditur ad omnes homines omnesque universi orbis terrarum partes: [3] debet enim Ecclesia opus Christi perenne reddere, qui pro totius mundi salute descendit de caelo et incarnatus est. Ubicumque igitur terrarum Ecclesia, independenter a quavis humana potestate, ius inalienabile habet praecones evangelicos mittendi,[4] communitates christianas stabiliendi, homines sibi incorporandi per baptismum in eosque sibi subditos suam exercendi potestatem tam docendi quam regendi et sanctificandi.[5]

[75] Quare adimpletioni huius missionis Ecclesiae pro toto mundo divinitus collatae nulla communitas civilis sese legitime opponere posse existimet.[6] Doctrina enim catholica nihil continet, quod non sit rationi naturali summe congruens, dignitati humanae maxime conveniens, et vitam hominum tam individualem quam socialem ita perficiens, ut cives si reapse spiritu Christi imbuti bono communi dent operam, id in civitate sint, quod in corpore sano est anima.[7] Multo minus societas civilis exercitium huius missionis a se impediri posse arbitretur, ut sibi commoda procuret temporalia. Sic enim transeundum est per bona temporalia, ut non amittantur aeterna.[8]

Nec solum a vero, sed etiam a bono proprii populi sui aberrant, qui putent praedicationi evangelicae opponi posse iustum legitimumque desiderium vera ea beneficia tuendi, quae veluti per sacram hereditatem peculiares cuiusvis nationis notas proprietatesque constituunt. Etenim in formis humanae civilisque vitae cuivis genti propriis, in moribus a maioribus receptis necnon in Institutis translaticiis, evangelica lex non respuit nisi ea quae sunt rationi naturali legique divinae contraria. Quidquid veri, quidquid boni, quidquid honesti ac pulchri habet unaquaeque natio ex propria indole proprioque ingenio, Ecclesia praecipit ut servetur, et pro munere suo ad altiorem ordinem evehit.[9]

Ius evangelicae praedicationis a se alienari Ecclesia nec tolerare, nec umquam ab eo decedere potest: missionem enim suam capitalem non adimpleret, a Deo Salvatore glorificando deficeret, hominesque ordinariis salutis mediis privaret. Civilibus ergo societatibus, si impedire conantur quominus libere exerceat suum ius et officium sanctissimum, Ecclesia non cedere potest sed usque ad sanguinem resistere debet, cum Apostolis dicens: « Oboedire oportet Deo magis quam hominibus » (Act. 5, 29).

Quare Sancta Synodus ius Ecclesiae Evangelium annuntiandi omnibus gentibus ubique terrarum necnon omnibus praebendi auxilia salutis, ante faciem omnium populorum sollemniter proclamat, omnesque qui potestatem super populos exercent monet ut Ecclesiae plenae libertati huius muneris adimplendi non sese opponant, sed potius in gentibus Providentia divina sibi concreditis eius exercitio faveant.

47. [*Quibus et quomodo conveniat potestas et officium Evangelium praedicandi*].[10] Cura Christi Evangelium annuntian-

di ubique terrarum ad corpus Pastorum simul cum Christi Vica- [76] rio pertinet, quibus omnibus in commune Christus mandatum dedit imponendo commune officium.[11] Omnes ergo Episcopi, et non solum Episcopi et Vicarii Apostolici in missionibus degentes, simul cum suo Capite huius apostolici muneris fidem annuntiandi omnibus gentibus sint solliciti.[12] Attamen quod Apostolis omnibus eorumque successoribus mandabatur, id principaliter Petro eiusque successoribus, Romanis Pontificibus incumbit, quibus Dominus gregis sui universitatem concredidit. Ipsi ergo Romano Pontifici competit ius supremum, absolutum et universale fidei praecones in totum orbem terrarum mittendi eiusque officium est omni sollertia niti, ut Ecclesia ubique dilatetur hominesque universi Redemptionis Christi participes fiant.[13] Singuli autem Episcopi non tantum ius et officium habent omnibus suis viribus procurandi ut infideles in suo territorio degentes evangelizentur,[14] sed etiam, sollicitudine illa qua bonum Ecclesiae universalis in propriis dioecesibus promovere tenentur, vocationes missionales foveant, neve desinant ex toto corde opera illa missionalia provehere quibus tam spiritualibus quam temporalibus evangelizationis universalis necessitatibus providetur.[15] Sacerdotes vero tam saeculares quam regulares, religiosi et religiosae, fidelesque omnes a Sacra Hierarchia mandato instrui possunt ut unusquisque suo modo adiutricem operam ad adimplendum supremum illud Ecclesiae munus conferat. Omnes enim ut membra Corporis Christi mystici, eius incremento pro viribus subministrare debent (cf. Eph. 4, 16; Col. 2, 19).[16] Religio et caritas insuper ab omnibus catholicis instanter postulant, ut, Deo grati pro pretiosissimo fidei dono accepto, nullam umquam opportunitatem praetermittant illud cum aliis communicandi [17] atque orationibus, eleemosynis aliisque mediis eos adiuvandi [18] qui operam dant mandato adimplendo Domini Nostri Iesu Christi, qui Ecclesiae semper aderit ne deficiat umquam in Evangelio omnibus gentibus annuntiando iuxta promissum divinum: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (Mt. 28, 20).

[77]

NOTAE

[1] Cf. BENEDICTUS XV, Litt. Encycl. *Maximum illud,* 30 nov. 1919: AAS 11 (1919) pp. 440-455;

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum,* 18 nov. 1959: AAS 51 (1959) pp. 834 ss., 845 ss.

[2] PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926: AAS 18 (1926) p. 65: « Neque enim ad aliud nata Ecclesia est, nisi ut, regno Christi ubique terrarum dilatando, universos homines salutaris redemptionis participes efficiat »;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Fidei donum,* 21 apr. 1957: AAS 49 (1957) p. 237, ubi citatur Allocutio 24 nov. 1946: *Disc. e Radiomess.,* t. VIII, p. 328;

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum,* l. c.

[3] Cf. Mt. 28, 18-20; Mc. 16, 15. 20; Lc. 24, 47; Act. 1, 8.

[4] CIC can. 1322, § 2: « Ecclesiae, independenter a qualibet civili potestate ius est et officium gentes omnes evangelicam doctrinam docendi ».

[5] S. AUGUSTINUS, Epist. *CXCIX* (ad Hesychium), c. 12: PL 33, 922-924: S. Aug. docet ad hoc spectare praedicationem evangelicam ut ubicumque stabiliatur Ecclesia reddens Deo cultum debitum; c. 923: « In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, oportet ut sit »;

S. THOMAS, *Summa Theol.,* I-II, q. 106, a. 4, ad 4;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae*: l. c. p. 74: « Quorsum, quaesumus, sacrae missiones pertinent, nisi in tanta immensitate locorum Ecclesia instituatur ac stabiliatur? »;

PIUS XII, *Risposta all'Omaggio delle Pontificie Opere Missionarie,* 24 iun. 1944: AAS 36 (1944) pp. 207-8, 210;

ID., Epist. *Perlibenti quidem animo,* 9 aug. 1950: AAS 42 (1950) p. 727;

ID., Litt. Encycl. *Evangelii Praecones,* 2 iun. 1951: AAS 43 (1951) p. 507: « Eo autem, ut omnes norunt, haec sacrae expeditiones primo loco spectant, ut christianae veritatis lumen novis gentibus luculentius affulgeat, utque novi habeantur christiani. Ad illud tamen extremam veluti metam contendant necesse est... ut nempe Ecclesia apud alios populos firmiter constabiliatur, eidem propria, ex indigenis delecta, tribuatur hierarchia »;

ID., Litt. Encycl. *Fidei donum*: l. c. p. 228.

[6] Defendunt hoc ius per respectum ad potestatem civilem tam catholicam quam acatholicam:

Fr. SUAREZ, *De Fide,* disp. XVII, sect. I;

Fr. VITTORIA, *De Indis,* Rel. prior, sect. 3;

D. SCOTO, *In IV Sent.,* D. 5, q. un., a. 10;

DE LUGO, *De virt. Fidei Divinae,* d. XIX, sect. II, § 1;

SALMERON, *In Ev. et Act. Apost.,* l. XI, tract. XXXIII; l. XII, tract. XXXVIII.

Alludunt ad hoc ius Ecclesiae in quaestione de natura Magisterii:

FRANZELIN, *De Ecclesia Christi,* Theses, Romae 1887, pp. 58-60;

BILLOT, *Tractatus de Ecclesia Christi,* t. II, Romae 1899, pp. 64 ss.;

SALAVERRI, *De Ecclesia Christi,* in: *Sacrae Theologiae Summa,* t. I, Matriti 1950, pp. 525, 532 ss.; [78]

JOURNET, *L'Eglise du Verbe Incarné,* t. II, Paris 1951, pp. 1223-1251 (Missiologie);

H. DE LUBAC, *Le fondement théologique des Missions,* Paris 1946.

Sacrorum Canonum periti magis explicite tractant de isto iure per respectum ad potestatem civilem. Citantur inter alios:

WERNZ-VIDAL, *Ius canonicum,* t. IV, vol. II, Romae 1935, pp. 6-7;

G. VROMANT, *Ius Missionarium,* Lovanii 1934, P. II, c. 1, pp. 50-56;

G. SARTORI, O.F.M., *Iuris Missionarii elementa,* Romae 1951, pp. 41-42.

[7] Cf. *Epist. ad Diognet.,* cap. 6: PG 2, 1176.

[8] Cf. *Orat.* Dom. III post Pentec.

[9] Haec paragraphus desumitur ex pluribus documentis PII XII:

Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: AAS 31 (1939) pp. 428-429;

Allocutio *Vivamente gradito,* 24 iun. 1944: AAS 36 (1944) p. 210;

Litt. Encycl. *Evangelii Praecones*: l. c. pp. 521-524.

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum*: l. c. pp. 843 ss., 848, 854

[10] Cf. pro tota paragrapho nota 6.

[11] S. CAELESTINUS, *Epist. ad Syn. Ephesinam*: MANSI 4, 1283;

BENEDICTUS XV, Litt. Encycl. *Maximum illud*: AAS 11 (1919) p. 440;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae*: AAS 18 (1926) pp. 68-69;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Fidei donum*: l. c. pp. 236-237.

[12] S. CAELESTINUS, l. c.

BENEDICTUS XV, Litt. Encycl. *Maximum illud,* l. c. p. 440 et 442.

PIUS XII, Litt. Encycl. *Fidei donum*: l. c. p. 237.

[13] Cf. documenta citata sub nota 11. Insuper:

LEO XIII, Litt. Encycl. *Grande munus,* 30 sept. 1880: ASS 13 (1880) p. 145: « Grande munus christiani nominis propagandi, beato Petro principi Apostolorum eiusque Successoribus singulari modo demandatum, Romanos Pontifices impulit ut sacri Evangelii nuntios ad varias orbis terrarum gentes diversis temporibus mittendos curarent »;

CIC can. 1327 et 1350, § 2;

S. BERNARDUS, *De Consideratione,* l. III, c. 1: PL 182, col. 757-760;

THOMAS A IESU (1564-1627), *De procuranda salute omnium gentium,* ed. Pammolli, Romae 1940, l. II, pp. 67-68: « Ad Romanum Pontificem tamquam ad Summum Ecclesiae pastorem, Petrique in apostolatu successorem, pertinere praedicatores pro fide propaganda mittere in universum orbem ».

[14] CIC can. 1350, § 1;

SYNODUS VICARIATUS SUTCHUENS., 1803: *Coll. Lacensis,* t. VI, col. 633: « Inter praecipua muneris apostolici officia illud profecto primum locum obtinet fidem scilicet propagandi apud gentiles et eam integram illibatamque servandi apud fideles »;

LEO XIII, *Quae mari sinico,* 17 sept. 1902: Acta Leonis XIII, t. 22, p. 204: « Ubi igitur agrestes adhuc gentes occurrunt immani idolorum

[79] cultui addicti, sciant Episcopi et sacerdotes teneri ad earum conversionem curandam »;

Litterae Encycl. S. Congr. de Prop. fide (1879) [*Coll. S.C.P.F.*, II, n. 1507];

Conc. Plen. Americae Sept. Romae celebratum anno 1898 (Ed. Romae 1900, p. 339): « Neque Episcopi neque parochi, qui in propriae iurisdictionis territorio exsistere sciunt Indos nondum ad fidem conversos, proprio pastorali officio satisfacerent, si solis fidelibus intenti, illos ab infidelitatis tenebris eruere et ad Christum vocare non studerent ».

Ratio theologica sic explicatur a Wernz-Vidal, *Ius canonicum,* t. IV, vol. II, Romae 1935, p. 58, n. 653: « Quare exterae appellantur missiones potius a scopo principali, qui est *propagatio* fidei catholicae inter homines ab Ecclesia catholica *alienos,* quam a regionibus longinquis. Quo sensu unusquisque Episcopus in *sua* dioecesi, in qua sunt infideles, haeretici, schismatici, inde a primis temporibus Ecclesiae usque ad nostram aetatem tamquam verus successor Apostolorum constitutus est missionarius apostolicus ex officio ad illorum conversionem, et fidei catholicae propagationem perficiendam ».

[15] S. Ioannes Chrysostomus, *Ep. 123*: PG 52, 676-8;

Leo XIII, Litt. Encycl. *Sancta Dei civitas,* 3 dec. 1880: ASS 13 (1880) pp. 242, 246 ss.;

Benedictus XV, Litt. Encycl. *Maximum illud*: l. c. pp. 451-455;

Pius XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae*: AAS 18 (1926) pp. 71-75;

Pius XII, Litt. Encycl. *Evangelii Praecones*: l. c. pp. 525-528; Litt. Encycl. *Fidei donum*: l. c. pp. 235-248.

[16] Cf. nota 15.

[17] Benedictus XV, Litt. Encycl. *Maximum illud*: l. c. p. 451;

Pius XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae*: AAS 18 (1926) p. 68.

Pius XII, Litt. Encycl. *Evangelii Praecones*: l. c. p. 526;

Id., Litt. Encycl. *Fidei donum*: l. c. pp. 225-227.

[18] Cf. documenta citata in notis 15 et 17. Insuper:

Pius XII, Epist. *Perlibenti quidem animo,* 9 aug. 1950: AAS 42 (1950) pp. 725-727.

Caput XI [80]

DE OECUMENISMO

48. [*Introductio*]. Cum Ecclesia ut unum singulareque salutis institutum a Christo fuerit aedificata tamquam unum et unicum signum levatum in nationes, nihil umquam potest eiusdem unitatem intrinsecus violare.

Quae tamen, decurrentibus saeculis, ab Ecclesia Catholica ortae sunt separationes, manifestationem illius indefectibilis unitatis coram mundo universo quodammodo obscurant.[1]

Sacra Synodus, huiusmodi separationes summopere dolens, nihil omittendum esse declarat quod ad integram omnium christianorum unitatem restituendam conferat: ut voluntas Christi qua omnia membra Ecclesiae in Ipso unum sunt, ad omnes extendatur qui Eius nomine gloriantur, utque fides vera iis, qui nondum christiani sunt, efficacius annuntietur.

Quod quidem nostris temporibus eo magis urget, quo instantius, divina Providentia sic disponente, et ipsae communitates christianorum separatae ad unitatem omnium adspirant.

49. [*De vinculis exsistentibus et de unitate a Christo intenta*].[2] Ecclesia Catholica vincula agnoscens quibus fratres separati, et imprimis rituum orientalium, secum coniunguntur, omnes materno prosequitur amore[3] qui baptismate renati (cf. Tit. 3, 5), una cum ipsa Christum Deum eumdemque Salvatorem confitentur coramque mundo de Christo testimonium perhibent, maxime si et de vero corpore et sanguine Christi participant.

Quae autem mutuae coniunctionis vincula, etiam si sunt eucharistica, unitatem illam constituere non valent quam Christus inter omnes baptizatos iussit vigere quamque sive Sacra Scriptura sive veneranda Ecclesiae traditio tam manifeste ostendunt.

Etenim, inde ab initio ipse cultus eucharisticus cum verae fidei professione ab Apostolis traditae ita intime iungebatur ut fideles cuncti in doctrina Apostolorum et communione, in fractione panis et orationibus simul perseverare dicerentur (cf. Act. 2, 42).

[81] Ecclesia a suis exordiis Eucharistiam consummationem unitatis in fide et communione habuit atque ut signum et fontem suae unitatis coram mundo universo; quare, schismatibus haeresibusque provocantibus, huiusmodi omnium christianorum unitatis necessitatem ita affirmavit, ut illos tantum ad cultum eucharisticum admitteret qui in communione sub Episcopo cum Sede Romana coniuncto fidem unam, veram et integram profiterentur.[4]

Tantum enim hoc modo communio eucharistica signum est perfectae illius unitatis totius Ecclesiae, quam Sanctus Paulus commendavit dicens: « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim ex uno pane participamus » (1 Cor. 10, 17 gr.).

50. [*De habitudine Ecclesiae Catholicae ad christianos singulos separatos*]. Ecclesia Catholica porro sciens christianos separatos multis mediis salutis reapse privari, eorumque separatione manifestationem unitatis signi in nationes levati re obscurari, eos in caritate materna singulos respicit amanterque ad se invitat.[5]

Sacra propterea Synodus incepta catholicorum, quibus fratres separati de doctrina vitaque Ecclesiae illuminentur ut etiam singuli ad illam attrahantur, probat atque ut promoveantur inculcat.

51. [*De habitudine Ecclesiae Catholicae ad communitates christianas separatas*]. Christiani autem separati incitamenta inveniunt ut ad Ecclesiae unitatem accedant, non modo singuli in seipsis, verum etiam inter se uniti in propriis suis communitatibus. In iis enim elementa quaedam Ecclesiae exsistunt ut potissimum Scriptura Sacra et Sacramenta, quae, ut media et signa unitatis efficacia unionem mutuam in Christo producere possunt et natura sua, ut res Ecclesiae Christi propriae, ad unitatem catholicam impellunt.[6]

Attamen, quatenus hae communitates elementa servata ita detinent, ut ea segregent a plenitudine Revelationis, eatenus hereditatis Christi dividendae de facto causam praebent.

Sacra Synodus, dum elementa ab his communitatibus servata, ibi quoque salutifera esse atque fructus vitae spiritualis christianae producere posse non denegat, firmiter tamen docet plenitudinem Revelationis a Christo soli Ecclesiae Catholicae

commissam esse eamque dividi non posse,[7] atque proinde ab omnibus christianis ibi agnoscendam esse. [82]

Monet propterea Sacra Synodus omnes fideles, ut fratribus separatis verbo et exemplo magis magisque ostendant plenitudinem Revelationis in sola Ecclesia Catholica vere et pure teneri, ita quidem ut tandem fratres nostri nobiscum iterum coniuncti, nobiscum etiam plenitudinem hereditatis Christi possideant.[8]

52. [*De habitudine Ecclesiae Catholicae ad motionem oecumenicam extra Ecclesiam*]. In pluribus orbis partibus apud multas communitates quae a Beati Petri Cathedra seiunctae sunt, quamdam motionem oecumenicam, quam vocant, exortam esse ut omnes qui in Christum Dominum credunt ad unitatem redeant, S. Synodus cum gaudio agnoscit atque eo magis conamina haec oecumenica benevolenti animo prosequitur quo manifestius divinum afflatum conspicit ibidem adesse.[9]

Quae autem manifestatio unitatis, ut voluntati Christi conformis sit, adamussim secundum ipsius Christi voluntatem efformanda est in unitate fidei, communionis sacramentorum ac regiminis. Quare qui voluntati Christi ex toto corde oboedire et in gradu « oecumenicitatis » crescere intendunt, Spiritus Christi ductu magis ac magis accedant necesse est ad Ecclesiam eam, quae licet domus Dei sit una et indivisibilis, tamen diversis mansionibus gaudet in universo mundo, in unitate fidei, regiminis et communionis sub uno Vicario Christi.

Sacra Synodus viam ad unitatem omnium christianorum restituendam varias ob causas difficillimam evasisse agnoscens, conatus sinceros christianorum dissidentium ad separationes superandas fidelium orationibus peramanter commendat.

53. [*De fine motionis oecumenicae intra Ecclesiam Catholicam et de periculis evitandis*]. Gaudet porro Sacra Synodus quod et in Ecclesia Catholica ipsa motio oecumenica in dies augetur, quae non tantum christianis seiunctis sincere unitatem quaerentibus effusa prece auxilium praestare intendit, sed etiam labore theologico et pastorali satagit ut Ecclesia domus paterna omnibus christianis clarius in dies appareat,[10] ipsaeque separatae communitates viam ad veram unitatem facilius inveniant.

Monet tamen Sacra Synodus universos fideles in hac operositate magna prudentia opus esse ne zelo quodam apostolico permoti, non tamen secundum scientiam, indifferentismi, vel inter-

[83] confessionalismi, quem vocant, periculo exponantur, neve excitato procedendi modo rei propositae potius noceant quam serviant.[11]

Quam ob rem motionem oecumenicam Episcopis ubique terrarum commendat, ut, Apostolica Sede duce, eamdem sollerter promoveant ac prudenter moderentur.

54. [*De communione in sacris liturgicis*].[12] Quia in communitatibus ab Ecclesia separatis, praeter baptismum nonnumquam valide conferuntur Sacramenta, et fieri potest ut filii Ecclesiae iure rogare possint ac debeant a ministris separatis eorumdem dispensationem; quia ex altera parte pia Mater Ecclesia maxime desiderat, fratres separatos, quantum potest et ipsi indigent, participes facere multorum bonorum, quae Christus Sponsae suae unicae concredit:[13] etenim utpote rite baptizati iidem si bona fide sunt, per se capaces sunt fructuose accipiendi alia Sacramenta;[14] quia tandem Ecclesia licet invito animo, tolerat matrimonia mixta, in quibus ineundis pars catholica et pars baptizata acatholica sunt ministri Sacramenti: hac de causa non omnis assistentia activa, ea videlicet qua christiani dissidentes in liturgia catholica concursum quemdam effectivum praestant, vel catholici modo simili activo in fratrum seiunctorum liturgia assistunt, de se intrinsece mala dicatur oportet, etsi plerumque huiusmodi participatio graves ob rationes prohibenda est. Ideoque ius atque officium Ecclesiae est de communione in sacris leges condendi ad bonum tum filiorum Ecclesiae, tum eorum, qui ab ea dolorose separantur.

Principale autem obstaculum communionis liturgicae inter catholicos atque fratres separatos, natura est illius communionis in sacris, qua ipsa membra Ecclesiae inter se iunguntur. Communio enim membrorum Ecclesiae inter se in cultu sacro donum est ipsius Christi, uni suae Ecclesiae datum, quo unio in fide et communione sub uno supremo pastore consummatur, quodque signum exstat illius unitatis in veritate et caritate qua Ecclesia Corpus Christi mysticum est, et iam hic in terra figura et inchoatio unitatis in Christo caelestis.

Cum ergo in ipso cultu sacro liturgico, a ministris Christi nomine et mandato Ecclesiae peracto, communio fidelium fidem Ecclesiae confitetur (cf. Act. 2, 42), assistentia activa in sacris liturgicis de se quodammodo professio fidei habenda est. Quare assistentia activa christianorum dissidentium sive in ipso cultu Ecclesiae in genere, sive in specie per receptionem sacramento-

rum, generatim admitti nequit, utpote unitati fidei et communionis intrinsece contraria atque extrinsece obscuratio signi unitatis Corporis Christi, ex quibus defectibus pericula indifferentismi religiosi, vel interconfessionalismi vel scandali profluere solent. [84]

Unde tantum graves ob causas et remotis periculis assistentia activa christianorum separatorum in ipso cultu Ecclesiae admitti potest; dum imprimis pro gravitate necessitatis vel magnae utilitatis spiritualis eorumdem diiudicandum est, an et sub quibusnam conditionibus Ecclesia eos qui non actu proprio ab Ea desciverunt, sacramentis succurrere possit.

Eadem inviolabilis de unitate Ecclesiae doctrina assistentiam quoque activam catholicorum in sacris ritibus seiunctarum communitatum generatim prohibet.

Etenim, non tantum quando catholicus, assistens cultui communitatis separatae, interne illum approbat, actus eius intrinsece malus est, ideoque numquam permittendus, sed etiam ubi catholicus — tali interna approbatione exclusa — in communitatibus, in quibus Sacramenta valide non conficiuntur, sacramentum putativum recipere audet. Talis enim receptio, cum ipse ritus offendat veritatem catholicam, intrinsece mala dicenda est, ideoque numquam permittenda; quare quaecumque assistentia activa catholicorum in tali cultu de se admitti nequit.

Imo, etiam in communitatibus ubi valide Sacramenta conficiuntur, communicatio in sacris ex indole rerum prohibetur. Cultus enim ab eis praestitus, quatenus a cultu Ecclesiae separatus, consummationem in unitate non perficit et unicitati signi, a Christo Ecclesiae in ipso cultu dati, contradicit nec legitime perficitur. Nec praetermittendum est assistentiam activam in sacris liturgicis communitatis seiunctae, etsi nullo modo in errorem consentitur, suapte natura tamen assensum in fidem illius communitatis significare, ideoque regulariter scandalum provocare et periculum fidei secum ferre. Quare et in hisce circumstantiis quaecumque assistentia activa catholicorum in illo cultu, etiam exclusa Sacramentorum receptione, tantum admitti potest graves ob causas, adhibitis cautelis ad scandalum et periculum perversionis fidei vel indifferentismi arcenda, atque permissione ab auctoritate legitima obtenta.

Ubi autem extrema necessitas spiritualis vel magna saltem utilitas urget, susceptio et petitio Sacramentorum a ministro talis communitatis separatae admitti potest, conditionibus modo enu-

[85] meratis impletis. Agitur enim de Sacramentis Ecclesiae propriis quae in cultu obiective vero exhibentur; quare non necessario cum hac receptione adhaesio errori, huius communitatis proprio, coniungitur.

Quandoque insuper cultui in se obiective vero, accedunt tamen preces liturgicae falsae, vel etiam praedicatio non recta, in quibus casibus pericula perversionis fidei, indifferentismi et scandali difficillime removeri possunt.

Denique conditiones ad liceitatem ponendae variae sunt pro natura cuiuscumque Sacramenti.

Mera autem praesentia christianorum separatorum in sacris nostris liturgicis omnino licita est, immo optanda, dum ab alia parte catholici propter rationabilem causam periculis remotis mere praesentes esse possunt in cultu communitatis seiunctae.

Quod vero ad sacramentalia, preces, loca sacra, funera et alia huiusmodi attinet, in quibus ipsa doctrina unitatis Ecclesiae prohibitionem communicationis de se non exigit, Ecclesia ea praescribit quae pro animarum utilitate, tum catholicorum, tum christianorum dissidentium, secundum circumstantias loci et temporis rogantur.

Minime ergo veram communicationem in sacris considerare licet veluti medium universaliter adhibendum quod ad unitatem omnium christianorum in unica Ecclesia Christi restituendam conducere valeat. Non autem excluditur aliqua manifestatio religiosa conscientiae multiplicis coniunctionis nostrae cum christianis separatis, salvis principiis datis, et approbatione Praesulum pro loci atque temporis adiunctis.

55. [*De cooperatione inter catholicos et christianos separatos*]. Ubi de modo mediisque agitur quibus, collatis viribus, principia quaedam religionis christianae vel etiam iuris naturae defendantur, rectus socialis ordo instauretur, populi adiumento oeconomico vel culturali indigentes subleventur, catholici cum christianis separatis cooperari possunt et quandoque debent.[15]

Quae quidem cooperatio non modo in bonum humanae familiae cedit, verum etiam efficax potest praestare auxilium ad suspiciones mutuas mutuaque praeiudicia superanda.

Ut autem haec absque spirituali periculo evenire possint, monet Sacra Synodus ut catholici divinam Revelationem doctrinamque Ecclesiae, nominatim de rebus socialibus, prae oculis

habeant,[16] omniaque ipsorum istiusmodi incepta cum approbatione et sub vigilantia auctoritatis ecclesiasticae procedant. [86]

Tandem, tam praeclarum opus unitatis omnium christianorum restituendae in unam veram fidem unamque Ecclesiam, magis in dies locum suum obtineat in cura animarum necesse est. Omnes fideles simul cum fratribus separatis ipsam unionem instanter a Deo implorent, sibique persuasum habeant nulla alia re efficacius christianis seiunctis sterni viam ad unicam Christi Ecclesiam agnoscendam atque amplectendam quam fide catholicorum probis moribus comprobata.[17]

NOTAE

[1] Cf. Instructio S. C. S. Officii *Ecclesia Catholica,* 20 dec. 1949: AAS 42 (1950) p. 144.

[2] Rationes cur par. 2 hoc modo proponitur, sunt sequentes:

1) Propter *Orientales orthodoxos dissidentes*: Illi enim cultum eucharisticum centrum habent totius religionis. Hodie, sententiam de structura democratica Ecclesiae (« sobornost ») generatim relinquentes, theologi orthodoxi maxime insistunt in elementa catholica, atque imprimis in doctrinam de cultu eucharistico, ut « koinonia ». Duce autem imprimis Prof. Afanassief multi theologi orthodoxi oppositionem creant inter ecclesiologiam universalisticam (i. e. ecclesiologiam Ecclesiae unius et universalis, iuridice hierarchico modo organisatae — uti in Ecclesia Catholica) et ecclesiologiam eucharisticam (i. e. ecclesiologiam Ecclesiarum particularium, non iure divino auctoritative subordinatarum — uti in Ecclesia Orthodoxa). Quare utilissimum videtur indicare quomodo et Ecclesia Catholica incipiat ab ecclesiologia eucharistica quae simul et universalistica. Cf. N. Afanassief, N. Koulomzine, J. Meyendorff, A. Schmemann, *La primauté de Pierre dans l'Eglise Orthodoxe,* Neuchâtel 1960.

2) Propter Protestantes addictos « Ecclesiae superiori » (« High Church », « Haute Eglise », « Hochkirchliche Richtung »): Qui omnes conveniunt in hoc quod « koinoniam » eucharisticam signum habeant unitatis fidei et communionis ecclesiasticae; immo et generatim successionem apostolicam admittunt, unitatem communionis ecclesiasticae sub Papa autem nequaquam. Cf. E. Abbot, *Catholicity: A Study in the Conflict of Christian Traditions in the West,* being a Report presented to H. Gr. the Archbishop of Canterbury, London 1947; M. Thurian, *L'Eucharistie,* Neuchâtel-Paris 1959; H. Asmussen und W. Staehlin, *Die Katholizität der Kirche,* Stuttgart 1957.

3) Propter Lutheranos pure reformatoricos: Illi generatim cultum — imprimis cultum eucharisticum signum habent unitatis Ecclesiae, unitatem confessionis fidei exigens, non autem communionis ecclesiasticae. Cf. W. Elert, *Abendmahl und Kirchengemeinschaft in der alten Kirche,*

[87] *hauptsächlich des Ostens,* Berlin 1954; P. ALTHAUS, *Die Christliche Wahrheit,* Gütersloh 1952, pp. 507-527.

4) In « Consilio Oecumenico Ecclesiarum » desideratur unitas circa doctrinam et modum practicum agendi circa intercommunionem, quae opinionum discrepantia intime cohaeret cum problemate de unitate Ecclesiae: quare utile erit, indicare fundamentum dogmaticum atque biblicum signi unitatis in ipso cultu exhibiti.

5) Neque omnes Catholici perspectam habere videntur relationem essentialem inter communionem ecclesiasticam et eucharisticam; unde sententiae minus laudandae, tum de unitate et unicitate Ecclesiae, tum de unitate et unicitate cultus.

[3] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri cathedram,* 29 iun. 1959: AAS 51 (1959) p. 515.

[4] Cf. HERTLING S. I., *Communio und Primat,* in: « Xenia Piana SS.mo D.no Nostro Pio Papae XII dicata » (*Miscellanea Hist. Pontif.,* edita a Fac. Hist. Eccl. in Pont. Univ. Greg., Romae 1943, vol. VII, pp. 1-48, praesertim, pp. 27-34); cf. quoque: G. BARDY, *La Théologie de l'Eglise de S. Clément de Rome à S. Irénée,* Paris 1945 et a parte protestantica: W. ELERT, *Abendmahl und Kirchengemeinschaft in der alten Kirche, hauptsächlich des Ostens,* Berlin 1954, pp. 113-121.

[5] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri cathedram,* 29 iun. 1959: AAS 51 (1959) p. 515 et p. 517.

[6] Cf. quoad communitates orientales dissidentes:

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri cathedram,* 29 iun. 1959: AAS 51 (1959) p. 515;

Cf. quoque J. GRIBOMONT, O.S.B., *Du Sacrament de l'Eglise et de ses réalisations imparfaites,* in: *Irénikon* 22 (1949) pp. 356-357.

Quidquid autem sit de natura talis communitatis separatae, certum est quod in traditione nomen « Ecclesiae » communitatibus orientalibus separatis *saepe* et *constanter* attribuitur: cf. sequentia documenta Ecclesiae:

1074-1075: GREGORIUS VII loquitur de « Ecclesia Constantinopolitana » (PL 148, 385-387) et de « Ecclesia orientali » (PL 148, 399-400).

1095: URBANUS II inter fines expeditionis Sacrae Crucis « liberationem Ecclesiarum orientalium » enumerat (ita VILLEY, *La Croisade.* p. 81).

1215: CONC. LATERAN. IV loquitur de « Graecorum Ecclesia » (MANSI 22, 989). Ita et GREGORIUS IX (MANSI 23, 58 A, C, E et 59, B et C).

1274: CONC. LUGDUN. II: Etsi hic non agitur de Ecclesiis orientalibus adhuc separatis, suum valorem habet id quod in fine professionis fidei Michaelis Palaeologi dicitur: « Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit: quarum multas et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva » (MANSI 24, 70 A s.).

1439: CONC. FLORENT.: In Bulla *Laetentur caeli,* 6 iul. 1439 legitur:

« sublatus est enim de medio paries qui occidentalem orientalemque dividebat Ecclesiam ». [88]

1848: Pius IX, *In Suprema,* haec habet: « num ipsa haec Sanctae et Apostolicae Ecclesiae unitas in tanta illa vestrarum Ecclesiarum divisione, inveniri possit » (Pii IX P. M. Acta, vol. I, p. 85).

1867: Pius IX, Alloc. in Consistorio *circa Patriarchatum Ciliciae Armenorum,* 12 iul. 1867, observat quod schisma orientale « ipsas Ecclesias ab unitate catholica iamdiu misere seiunxit et separavit... Etsi vero aliquae ex illis Ecclesiis ad catholicam unitatem... redierint... »: ASS 3 (1867) p. 345.

1868: Pius IX, Litt. apost. *Arcano divinae Providentiae,* titulum habet: « Litterae apostolicae Pii IX ad omnes episcopos Ecclesiarum Ritus Orientalis communionem cum Apostolica Sede non habentes ». Aliquoties quoque in ipsa epistola communitates illae separatae « Ecclesiae » vocantur: ASS 4 (1868) pp. 129-131.

1894: Leo XIII, Litt. Encycl. *Praeclara gratulationis* loquitur de « Ecclesiis orientalibus » et dicit: « redintegrata nobiscum communione, mirum profecto quanta Ecclesiis vestris dignitas, quantum decus, divino munere accedit »: Leonis XIII P. M. Acta, 14 (1894) p. 202.

1898: Leo XIII, Litt. Apost. *Cum divini Pastoris* titulum sequentem habet: « Litterae apostolicae de erectione Archisodalitatis precum et piorum operum pro reditu Ecclesiarum dissidentium ad catholicam unitatem... »: Leonis XIII P. M. Acta 18 (1898) p. 49.

1907: S. Congreg. indulgentiarum dicit: « Ad impetrandam optatam inter Ecclesiam Catholicam et Ecclesias ab hac dissidentes unionem ».

1912: S. Pius X, Const. Apost. *Tradita ab antiquis* haec habet: « pax Ecclesiae graecae cum latina »: AAS 4 (1912) p. 610.

1920: Benedictus XV, Litt. Encycl. *Spiritus Paraclitus* dicit: « Atque utinam his monitis obsequantur orientales in primis Ecclesiae, quae iam nimium diu a Petri Cathedra averso sunt animo »: AAS 12 (1920) p. 421.

1924: Pius XI, « de Orientis Ecclesiarum doctrinis institutisque »: AAS 16 (1924) p. 491.

1928: Pius XI, Litt. Encycl. *Mortalium animos* loquitur de acatholicorum actione « ad consociandas christianas Ecclesias » (hic autem « Ecclesia » magis sumi videtur in sensu sociologico): AAS 20 (1928) p. 9.

1944: Pius XII, Litt. Encycl. *Orientalis Ecclesiae decus* pluries communitates orientales separatas « Ecclesias orientales » vocat: AAS 36 (1944) pp. 129 ss.

1945: Pius XII, Litt. Encycl. *Orientales omnes Ecclesias* agit de communitatibus separatis (patet ex AAS 38 [1946] p. 33) et dicuntur quandoque « societates » (p. 59), quandoque « Ecclesiae », v. g. p. 56: « Cum dissidente Ecclesia coniunctio »; insuper: AAS 38 (1946) pp. 35, 36, 42, 45, 46, 47, 48.

1953: Pius XII, Litt. Encycl. *Orientales Ecclesias*: AAS 45 (1953) p. 5: agitur de communitatibus separatis. Cf. de materia huius notae im-

[89] primis: CONGAR, *Chrétiens désunis,* pp. 381-382, cum complemento in: *Irénikon,* 23 (1950) pp. 22-24.

[7] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram,* 29 iun. 1959: AAS 51 (1959) p. 511; cf. quoque: Allocutio eiusdem Summi Pontificis, occasione « Horae Sanctae » in Basilica Vaticana, 5 iunii 1959: *L'Osserv. Rom.* 7 iunii 1959; eiusdem S. Pontif. Allocutio ad moderatores dioecesanos Act. Cath. Italicae: *L'Osserv. Rom.* 10-11 aug. 1959; eiusdem Summi Pontificis Litt. Encycl. *Grata recordatio,* 26 sept. 1959: AAS 51 (1959) pp. 677-678.

[8] Cf. S. AUGUSTINUS, *Miscellanea Agostiniana, t. I, Sermones* (Morin), p. 575: « Non ei dico: Domine (dic) fratri meo dividat mecum haereditatem; sed dico, Domine, dic fratri meo teneat mecum haereditatem ». Insuper: *Sermo ad Caesareensis Ecclesiae plebem,* n. 5 PL 43, 694: « Veni ad haereditatem: maxime quia ipsa haereditas non est illa terra quae data est filiis Iacob. Filiis Israel data est terra: quanto a pluribus possidebatur, tanto plus angustabatur. Haereditas nostra pax vocatur. Testamentum lego: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis (Io. 14, 27). Simul teneamus quod dividi non potest. Non eam angustat numerosus possessor, quanticumque venerint ».

[9] Instructio S. C. S. Officii *Ecclesia Catholica*: l. c. p. 142.

[10] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram*: l. c. pp. 510-511.

[11] Instructio S. C. S. Officii *Ecclesia Catholica*: l. c. p. 144.

[12] Cf. MARTINUS V, Const. *Ad evitanda scandala,* a. 1418 in Concilio Constantiensi lata (MANSI 27, 1192-1193; cf. de hac constitutione: SUAREZ, *Disput., De Censuris,* disp. IX, sect. II, ed. Vives, Parisiis 1866, t. XXIII, pp. 262-270; F. CAPPELLO, *De Censuris,* ed. 4, Romae 1950, p. 133). Quoad documenta fere omnia praeteriti temporis, cf.: « Verbali delle Conferenze Patriarcali sullo stato delle Chiese Orientali e delle adunanze della Commissione Cardinalizia del promuovere la riunione delle Chiese dissidenti, tenute alla presenza del S. P. Leone XIII (1894-1902) con note illustrative e documenti (pro manoscritto) », Tip. Pol. Vat. 1945, pp. 537-637 (*de Communicatione in Sacris*); insuper: MARCO DELLA PIETRA, O.F.M., *Collectio Rescriptorum praesertim S. S. Congreg. S. Officii et de Prop. Fide,* a. 1933, in S. Congr. pro Eccl. Orient., prot. 38/29 asservata. Ad haec documenta imprimis addendum est: Decretum S. S. C. S. Officii de sacramentis sub determinatis conditionibus dandis alumnis, filiis « Orthodoxorum », in scholis catholicis, a. 1957 editum.

Insuper e CIC ad rem praesertim pertinent: cc. 731, 2; 1258, 1; 2259; 2260; 2261; 2262; 2263; 2267; 2238, 2; 2316 et 2314, 1, n. 1.

Rogant revisionem praescriptionum Romanae Curiae de relationibus cum acatholicis et speciatim mitigationem quoad communicationem in sacris cum « Orthodoxis » Orientalibus: plus quam 60 Episcopi e regionibus orientalibus et duo Superiores generales ordinum religiosorum. Contra falsum et periculosum « irenismum oecumenicum » votum dederunt 6 Episcopi armeni et nonnulli alii. Sed nullum de communicatione in sacris verbum faciunt S. E. Card. Agagianian cum 8 suis armenis Episcopis

(cf. *Acta et Documenta Conc. Vat. II apparando,* Ser. I, Vol. II, Pars IV, pp. 394-400 et Pars IV passim). [90]

Rogat quoque mitigationem praescriptionum de communicatione in sacris Pontificium Institutum Orientalium Studiorum (cf. *Acta et Documenta...,* Ser. I, Vol. IV, Pars I, p. 158 sqq.).

[13] Leo XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum*: ASS 28 (1895-96) p. 712.

[14] Cf. P. Gasparri, *Tract. canonicus de SS. Eucharistia,* t. II, Parisiis 1897, p. 354: « Viatores baptizati sunt iure divino per se capaces sacrae communionis. At... Ecclesia... prohibuit aliquibus, utcumque iure divino capacibus, praeberi sacram communionem.

[15] Instructio S. C. S. Officii *Ecclesia Catholica*: l. c. p. 145.

[16] Ibid.

[17] Ibid., pp. 146-147.

[93]

SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE BEATA MARIA VIRGINE MATRE DEI ET MATRE HOMINUM *

1. [*De arcta necessitudine inter Christum et Mariam iuxta Dei beneplacitum*]. Immensae bonitatis Creator omnium sapientissimus Deus, qui omnimoda fruebatur libertate in determinanda via ac ratione qua generis humani liberatio a se perageretur, ab aeterno uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae incarnatione beatissimam Virginem praestituit,[1] ex qua Verbum caro factum, in plenitudine temporis (cf. Gal. 4, 4) nasceretur. Cum autem Sacrae Litterae, sive diserte sive implicite, Mariam cum Iesu arctissimo et indissolubili vinculo coniunctam inde a praeannuntiatione prophetica (cf. Gen. 3, 15; Is. 7, 14; Mt. 1, 23) ac virginali conceptione (cf. Mt. 1, 18-25 et Lc. 1, 26-38), veluti ante oculos proponant, plane congruit ut Ecclesia quae a Spiritu Sancto assistitur et ad ea plene percipienda clareque intelligenda, quae in sacris Fontibus obscure et veluti implicite latent, secure ducitur (cf. Io. 14, 26) atque ab errore praeservatur (cf. Mt. 16, 18; 28, 18-20; Io. 14, 16; 15, 20) —, dum divini Redemptoris mysteria illustrat, mysterium quoque Dei Matris clariorem in lucem proferat.

Haec autem alma Parens, quae « cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur »,[2] non modo « supereminens » [3] prorsusque singulare membrum Ecclesiae est, verum etiam eiusdem exemplar,[4] immo et Mater [5] dicitur.

Quapropter S. Synodus, postquam de Corpore Christi Mystico locuta est, superioribus documentis inhaerens Magisterii vivi Ecclesiae, unici authentici interpretis depositi revelati, opportunum censet summatim breviterque illustrare, tum locum quem Dei hominumque Mater in Ecclesia occupat, tum privilegia quibus Filius Matrem suam exornavit, tum nostra erga tam sublimem creaturam officia, ut scientia ac pietas marialis plane recteque florescant et praeiudicatae opiniones hac in re arceantur.

2. [*De munere beatissimae Virginis Mariae in oeconomia nostrae salutis*]. Cum igitur aeterni Patris Verbum hominis naturam ex muliere sumere voluerit ut, quemadmodum per feminam mors, ita et vita nobis per feminam oriretur, et sic liberatio

---

* Cf. pag. 12, nota.

ope utriusque sexus haberetur,[6] non id ante perfecit quam desi- [94] gnatae matris, ex praevisis meritis Christi sublimiore modo redemptae,[7] libera acceptatio accessisset (cf. Lc. 1, 38),[8] ut Filius Dei incarnatione eius quoque Filius ac novus Adam Salvatorque mundi fieret. Quo consensu, Maria, filia Adae, facta est non tantummodo mater Iesu, unici divini Mediatoris ac Redemptoris, verum etiam cum eo et sub eo operam suam consociavit in humani generis redemptione peragenda.[9] Huiusmodi autem Dei Genitricis salutaris consensus, unde et eius consortium in redemptionis opere perficiendo, a tempore virginalis conceptionis Iesu Christi usque ad eius mortem perseveravit,[10] maxime vero tunc enituit, cum iuxta crucem, non sine divino consilio, stetit (cf. Io. 19, 25); vehementer cum Unigenito suo condoluit; eum ut pretium redemptionis nostrae, cum Ipso et per Ipsum magno animo obtulit; [11] cumque demum ab eodem Christo Iesu in cruce moriente mater hominibus data est (cf. Io. 19, 26-27).[12] Quoniam vero humanae redemptionis sacramentum non ante perfectum erit, quam promissus a Christo Spiritus Sanctus, in die Pentecostes, advenerit, Mariam una cum Apostolis in oratione in Caenaculo contemplamur perseverantem (cf. Act. 1, 14), suis quoque precibus effusionem Spiritus implorantem.[13]

Cum itaque beatissima Virgo ab aeterno praedestinata ut esset Dei hominumque mater, divina Providentia sic disponente hisce in terris Christi passibilis fuerit generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda, caelestium quoque gratiarum ministra et dispensatrix iure meritoque salutatur.

Hinc sequitur Mariam, quae in corpore Christi mystico condendo partem habuit, quaeque assumpta in caelum ac Regina a Domino constituta, erga omnes maternum gerit animum, super omnes per Filium suum obtinere quemdam primatum,[14] ac proinde non, uti quidam aiunt, « in peripheria »,[15] sed in ipsomet « centro » Ecclesiae sub Christo collocari.

3. [*De titulis quibus consociatio Beatae Virginis Mariae cum Christo in oeconomia nostrae salutis exprimi solet*]. Quoniam in cooperatione Matris Dei cum Christo, novae veluti Hevae cum novo Adamo, in humanae redemptionis peragendo opere, multiplices variique tituli, quibus Magisterium Ecclesiae, veneranda Traditio fideliumque pius sensus Beatissimam Virginem salutare consueverunt,[16] tamquam solido fundamento, radice ac principio nituntur, nefas est dicere, eosdem titulos, in sensu

[95] Ecclesiae intellectos, vacuos inanesque esse, immo Sacris Litteris adversari. Ita non immerito ab Ecclesia beatissima Virgo gratiarum Mediatrix nuncupatur.[17] Quod si hisce in terris S. Paulus Apostolus sine intermissione in orationibus memor erat fidelium,[18] et instanter subsidium precum eorum pro se poscebat,[19] multo magis expedit iuvatque ut nosmetipsos commendemus precibus seu intercessioni eiusdem beatissimae Virginis Mariae. Ipsa enim, strictius intimiusque quam alia quaelibet pura creatura, immo modo unice sibi proprio, Deo et Christo, Filio Dei et Filio suo, copulatur; vehementius item quam quae maxime ex puris creaturis Deum diligit ab Eoque vicissim diligitur; ut mater Salvatoris (cf. Lc. 1, 31), gladio transfixa anima (cf. Lc. 2, 35), sub cruce in Filio suo pro omnium salute moriente experta est amorem Dei in amore hominum quodammodo summum fastigium attingere (cf. Io. 19, 25-27). Tot igitur tantisque titulis fulta, suo amore continuo apud Deum et Christum pro nobis intercedit, et quia eius intercessio totam suam vim et efficaciam haurit ex sacrificio cruento Filii sui benedicti, haec eius mediatio minime efficit ut unus Mediator Dei et hominum desinat esse homo Christus Iesus (cf. 1 Tim. 2, 5), sicut ex eius bonitate non sequitur, ut solus bonus desinat esse fons bonorum omnium, ipse Deus (cf. Mt. 19, 17, coll. Rom. 2, 4).

Licet enim inter subordinatos mediatores, quibus Sapientissimus Deus in oeconomia nostrae salutis uti voluit, nemo unus cogitari possit, qui reconciliandis Deo hominibus parem atque Dei Genitrix operam vel umquam contulerit, vel aliquando sit collaturus, tamen semper verum est Ipsam quoque in sua praedestinatione et sanctitate item atque in omnibus donis, a Christo dependere Eique omnino subesse.[20]

Cum itaque haec humilis « Ancilla Domini », cui fecit « magna qui potens est » (cf. Lc. 1, 49), omnium gratiarum Mediatrix nuncupatur eo quod sociata fuit Christo in illis acquirendis, cumque advocata nostra et misericordiae mater ab Ecclesia invocatur, quoniam etiam nunc Christi gloriosi in caelis socia manens, pro omnibus per Christum intercedit, ita ut in omnibus gratiis hominibus conferendis adsit materna caritas B. Virginis,[21] nullo modo mediatio unici nostri Mediatoris, iuxta absolutam significationem verborum Apostoli (1 Tim. 2, 5): « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus », obscuratur vel minuitur; [22] immo haec Christi mediatio extollitur et honoratur. Maria enim in Christo est mediatrix, eiusque

mediatio non ex aliqua necessitate, sed ex beneplacito divino et superabundantia ac virtute meritorum Iesu provenit, mediatione Christi innititur, ab illa omnino dependet ex eademque totam vim obtinet. [96]

Quapropter Sacra Synodus theologos verbique divini praecones enixe hortatur ut sedulo adnitantur, studium imprimis Sacrae Scripturae et SS. Patrum ad sensum Magisterii Ecclesiae excolentes, in vera luce ponere munera et officia B. Virginis cum aliis dogmatibus connexa, potissimum vero quae spectent ad Christum, qui est centrum totius veritatis, sanctitatis et pietatis. Quo in labore semper servetur, ut dicitur, « analogia », seu dissimilis similitudo, quoties nomen aliquod aut officium simul de Christo et Virgine Maria praedicantur: etenim nullo modo Mater Dei aequiparanda est Christo.

4. [*De singularibus privilegiis Dei hominumque Matris*]. Maria Virgo a Deo, qui ineffabili eam prosecutus est amore, singularibus omnino privilegiis ornata est: mirabilis quippe fuit in suo ortu, ob immaculatam conceptionem; [23] mirabilis in sua vita, cum expers omnis culpae personalis,[24] insimul mater semperque, mente et corpore, virgo exstiterit; [25] mirabilis denique in suo exitu, quia etsi secundum antiquam et venerabilem traditionem mortem subiit temporalem,[26] quo plenius Filio suo assimilaretur,[27] nexibus tamen mortis cum deprimi minime potuisset, corpore et anima gloriose in caelum assumpta est.[28]

Quae singularia privilegia aliaque dona gratiae a Christo Redemptore profluentia ita in eius honorem redundant ut nequeamus Matris excelsa dona contemplari quin ipsius Filii divinitatem, bonitatem, amorem, omnipotentiam miremur atque celebremus.[29] Siquidem iniuria matris afficit filium, ita et gloria matris in filium redundat: proinde, cum Maria singularem affinitatem habuerit cum Filio suo, decuit ut ex praevisis meritis perfectissimi Redemptoris, auctoris omnis sanctitatis, — qui in hunc mundum venit ut peccatum destrueret, — in primo instanti conceptionis ab omni labe peccati originalis praeservaretur immunis, gratiisque ac donis longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos ornaretur ut revera Mater Dei, filia Patris, sacrarium Spiritus Sancti, omnibus creaturis dignitate praecelleret.[30] Omnino quoque oportebat, ut Filius, qui peculiari dilectionis affectu Matrem prosequebatur — quique voluit corporalem integritatem Matris in ipsomet partu incorruptam atque illi-

[97] batam manere,[31] ita ut « virginitatis gloria permanente lumen aeternum mundo » effunderet [32] — illud sacratissimum virgineum corpus, augustum divini Verbi tabernaculum, templum Dei, totum sanctum, totum castum, in cinerem resolvi non pateretur.[33]

5. [*De cultu erga beatissimam Virginem Mariam*]. Quoniam igitur beatissimae Virgini singularis competit excellentia,[34] ita ut et ab Archangelo nuntio Dei « gratia plena » (Lc. 1, 28), et ab Elisabeth, Spiritu Sancto repleta, benedicta inter mulieres (cf. Lc. 1, 42) salutari meruerit, nihil mirum si, quemadmodum ipsamet de seipsa prophetavit « beatam me dicent omnes generationes » (Lc. 1, 48), cunctis a gentibus et ab universis ritibus, suffragiis saeculorum decursu continuo crescentibus,[35] omni quidem cum laude « beata » praedicatur, colitur, amatur, invocatur, eademque in exemplum ad imitandum proponitur.[36] Tantum vero abest ut huiusmodi singularis cultus marialis cultui divino latriae — quo Verbo Incarnato quemadmodum et Patri ac Spiritui Sancto adoratio exhibetur — detrimento sit, ut potius illi quam maxime faveat. Variae igitur formae pietatis erga Dei hominumque Matrem, quas Ecclesia, — intra limites sanae et orthodoxae doctrinae pro temporum et locorum conditionibus et pro indole ingenioque fidelium —, approbavit, ad id spectant ut, dum Mater honoratur, Filius, in quo aeterno Patri complacuit omnem plenitudinem inhabitare (cf. Col. 1, 19), rite noscatur, ametur, glorificetur eiusque mandata serventur; et sic per Christum, qui est « via et veritas et vita » (Io. 14, 6), homines ad Dei unius ac trini cognitionem supremamque adorationem perducantur.

Quam sanam, catholicam doctrinam Sacra Synodus consulto fortiterque docet eodemque tempore admonet Episcopos, ut sedulo invigilent theologis divinique verbi praeconibus, ut ab omni falsa veritatis superlatione, quemadmodum et a nimia mentis angustia, in singulari Dei parentis dignitate consideranda abstineant.[37]

Meminerint porro utriusque sexus fideles veram devotionem in quodam unius momenti affectu minime consistere, prorsusque respuant omnem vanam credulitatem; e contra firmiter teneant devotionem ex vera fide procedere, qua omnes adducimur ad imitationem virtutum illius beatissimae Virginis,[38] quae fuit « ancilla Domini » (Lc. 1, 38), humillima et oboedientissima, quae-

que fidelissime servavit, ea « conferens in corde suo » (Lc. 2, 19), quaecumque ad Verbum Incarnatum pertinebant (cf. Lc. 2, 51), beata quia credidit (cf. Lc. 1, 45) salutata. Nihil enim materna propinquitas Mariae profuisset, « nisi felicius Christum corde quam carne gestasset ».[39] [98]

Quo debito honore ac reverentia Matrem Domini et Salvatoris nostri ipsos quoque haud paucos fratres separatos, potissimum vero Orientales, — qui fervido quodam impulsu in Deiparam peculiari modo colendam feruntur [40] — prosequi, magnum Sacrae Synodo gaudium ac solatium affert.

Hinc manifesto patet perperam ac immerito exprobrari catholicae Ecclesiae erga Deiparam cultum, tamquam si exinde aliquid ex cultu uni Deo ac Iesu Christo debito subduceretur.

6. [*Maria Sanctissima Fautrix unitatis christianae*]. Maria, Mater et Virgo sanctissima, cum homines universos in Calvario habuerit materno cordi commendatos, vehementer cupit ut non modo illi qui uno donati sunt baptismate unoque Spiritu aguntur,[41] verum etiam illi qui se fuisse a Christo Iesu redemptos ignorant,[42] una eademque, tum cum divino Salvatore tum inter se ipsos, fide et caritate cohaereant. Quapropter S. Synodus certa spe ac fiducia nititur fore ut haec Mater Dei hominumque, — quae intercessit (cf. Io. 2, 3) ut Verbum Incarnatum primum signum operaretur in Cana Galileae, ex quo crediderunt in eum discipuli eius (cf. Io. 2, 11), atque nuper ortae Ecclesiae adstitit,[43] — patrocinio suo a Deo impetret ut tandem aliquando omnes in eumdem gregem sub uno Pastore conveniant (cf. Io. 10, 16).[44] Quamobrem omnes prorsus christifideles hortatur, ut preces supplicationesque ad hanc Fautricem unitatis,[45] atque Adiutricem Christianorum, instanter effundant, ut, ipsa intercedente, divinus eius Filius cunctas familias Gentium, et praeprimis illos qui christiano nomine gloriantur, in unum Dei populum congreget, qui Christi Vicarium in terris, beati Petri Successorem, — quem in Ephesina Synodo, ubi sollemniter dogma maternitatis divinae sancitum fuit, unanimi plausu Patres « Custodem fidei » merito consalutarunt,[46] — tamquam communem Patrem amanter agnoscat.

[99] PRAENOTANDA

I - Ad Commissionem Antepraeparatoriam Concilio Vaticano II apparando centena ac centena pervenerunt vota (circa 600), quibus postulatur ut hoc in Oecumenico Concilio sermo fiat de Beatissima Virgine Maria [cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix voluminis II, Pars I, 1961, pp. 131-142]. Immo, haud desunt qui velint ut Concilium sive specialem quemdam tractatum « de augustissima Christi Matre », sive « Encyclicam » edat [cf. *Acta et Documenta...,* Series I, Vol. II, Pars II, pp. 540-543; 549], eo vel magis quod videtur « futurum Concilium de Ecclesia valde imperfecte acturum esse nisi de Beata Maria Virgine quoque agatur, praesertim in hisce temporibus, ubi maximus conflictus adest fideles inter et Satanam » [cf. *Acta et Documenta...,* Series I, Vol. II, Pars V, p. 103]. Et sane, doctrina de Dei hominumque Matre tali via ac ratione hisce ultimis decenniis et a Summis Pontificibus et ab Episcopis et a theologis pertractata est, ut iure meritoque tum a catholicis tum ab acatholicis expectetur clarum verbum ex quo pateat quid reapse Ecclesia Catholica qua talis, de munere, privilegiis et cultu mariali credit, *tenet* docetque. Id autem opportune fit in *peculiari* Const.: *De Maria Matre Dei et Matre hominum.*

II - Quoniam « una cum sacris eiusmodi fontibus Deus Ecclesiae suae Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito nonnisi obscure ac velut implicite continentur » [Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: AAS 42 (1950) p. 569], et quoniam, uti notum est, potissimum Summi Pontifices huius ultimi saeculi doctrinam marianam in deposito fidei contentam illustrarunt, — praeprimis ac praecipue ad duas bullas dogmaticas, nempe: *Ineffabilis Deus* et *Munificentissimus Deus,* et deinde ad varia documenta Romanorum Pontificum remittimus. Quae quidem documenta coadunata inveniuntur in operibus:

— Marin H., S. I., *Doctrina Pontificia,* IV, Biblioteca de Autores Cristianos, Madrid 1954;

— *Notre-Dame,* coll. « Les enseignements pontificaux », par les Moines de Solesmes, 1957;

— Tondini H., *Le encicliche mariane,* Roma 1953;

— Lemieux E., *Marie: Documents pontificaux sur la Très Sainte Vierge, parus depuis un siècle,* 1854-1954, vol. I-IV, Québec, 1954.

Quae omnia, ut patet, desumpta sunt ex *Actibus Romanorum Pontificum* [scilicet ASS, AAS, Pii IX P. M. Acta, Leonis XIII P. M. Acta, Pii X P. M. Acta], ad quae generatim remittimus.

III - Hic illic remittitur ad quosdam fontes traditionis christianae. Attenta autem controversia inter theologos catholicos circa originem, auctoritatem et sensum talium fontium, hoc Schema opportune non singulis dictis sive Patrum sive theologorum, sed ipsius Magisterii Ecclesiae auctoritate nititur, *cuius doctrinae certitudo a speciali assistentia Spiritus Sancti provenit, ita ut ad sensum huius Magisterii et Scriptura et Patres interpretandi sint.* Neque silentio praetereundum ipsum quoque Pium XII, in Litteris Encyclicis *Ad Caeli Reginam* [cf. AAS 46 (1954) p. 628] allegare ma-

xime discussa opera S. EPHRAEM, nempe *Hymnos* et *Orationes,* minime sane volens ideo dare, ut dicitur, « garantiam » authenticitati talium operum. Unde potius quam singulae notae (hic a nobis interim, seu ad tempus positae, et quae habent *secundarium* momentum) singulae propositiones schematis, in quibus nullum novum dogma, ut ex ipso schemate clare apparet, sed solida et sana doctrina Magisterii ecclesiastici prostat, sedulo ponderandae et examini subiiciendae sunt. [100]

IV - Collatis singulis propositionibus huius brevissimi « Schematis » de Matre Dei cum nonnullis textibus, quos ex tot tantisque documentis marialibus Romanorum Pontificum attulimus, statim apparebit quod:

1) Nulla prorsus est sententia in « Schemate » quae non fuerit a Summis Pontificibus prolata.

2) Varii errores qui hodie circa beatissimam Virginem sparguntur reiecti sunt, veritatem faciendo in caritate. Ita e. g. corriguntur erratae opiniones:

a) quod virginitas in partu B. V. Mariae sit univoca, identica, absque ullo alio elemento, cum virginitate ante partum;

b) quod beatissima Virgo tempore Annuntiationis prorsus ignoraverit Filium, quem conceptura erat, esse Deum;

c) reiicitur error tum « maximalistarum » qui vel ita loquuntur ac si B. Virgo nos eodem fere modo ac Christus redemisset, vel dicunt Mariam mortuam non esse, aut redemptam non esse; tum « minimalistarum » qui tali via ac ratione scribunt ac si Mater Dei esset eiusdem speciei membrum Ecclesiae sicut et ceteri filii Adae...

3) Etsi quoad argumenta pertractata « tota et integra doctrina catholica est proposita et exposita » [Instructio S. C. S. Officii *De motu oecumenico*: AAS 42 (1950) p. 144], tamen iugiter prae oculis habiti sunt fratres separati eorumque modus cogitandi. Quapropter:

a) Omissae sunt expressiones et vocabula quaedam a Summis Pontificibus adhibita, quae, licet in se verissima, possent difficilius intelligi a fratribus separatis (in casu a protestantibus). Inter alia vocabula adnumerari queunt sequentia: « Corredemptrix humani generis » [S. PIUS X, PIUS XI]; « Reparatrix totius orbis» [LEO XIII]; « materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit » [BENEDICTUS XV, PIUS XII], « merito dici queat Ipsam cum Christo humanum genus redemisse » [BENEDICTUS XV], etc.;

b) Inculcatum est quod oportet considerare oeconomiam nostrae salutis *non quo pacto id posse queat,* sed quo hanc oeconomiam Deus voluit [cf. dictum LEONIS XIII circa Ecclesiam in Litt. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: DENZ. 1954];

c) Explicatum est quomodo mediatio B. Virginis, nedum mediationi Christi officiat, potius illam exaltet et honoret; item quomodo cultus marialis nullo modo cultui Deo vel Christo debito detrimento sit, etc.;

d) Dogmata Immaculatae Conceptionis et Assumptionis, argumentis a ratione theologica desumptis et a *Patribus Graecis* diffuse expositis necnon in Const. dogmatica *Munificentissimus Deus* reassumptis, ita illustrantur ut saltem ipsum factum istius duplicis privilegii mariani cuique menti christianae obvium ac rationabile appareat;

[101] *e*) Omnes christifideles invitantur ut effundant concordes preces ad Fautricem unionis christianae, ut tandem adimpleatur illud mandatum Christi: « ut sit unum ovile et unus Pastor »!

V - Notae et commentaria quae sequuntur ad id *unice* spectant ut auxilio possint esse ad recte ipsum textum huius Constitutionis diiudicandum. In ipsomet schemate definitivo, a Patribus approbato, possent retineri, una cum allegationibus Sacrae Scripturae, tantummodo paucissimae aliae allegationes et hoc etiam ne schema dogmaticum aspectum alicuius theseos doctoralis obtineat.

NOTAE

[1] Pius IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: Pii IX P. M. Acta, pars I, vol. I, p. 599: « vel ipsissima verba, quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, eiusque sempiternas origines repraesentant, consuevit tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta Liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum Divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta »;

Leo XIII, Litt. Encycl. *Augustissimae Virginis,* 12 sept. 1897: Leonis XIII P. M. Acta, XVII, p. 285: [Deus] « eam enim ab aeterno ordinavit ut Mater Verbi fieret humanam carnem assumpturi; ideoque inter omnia, quae essent in triplici ordine naturae, gratiae, gloriaeque pulcherrima, ita distinxit, ut merito eidem Ecclesia verba illa tribuerit: " *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam* " [Eccli. 24, 5] »;

Pius XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: AAS 42 (1950) p. 768: « Idcirco augusta Dei Mater, Iesu Christo, inde ab omni aeternitate " uno eodemque decreto " praedestinationis, arcano modo coniuncta... ».

[2] S. Augustinus, *De sancta virginitate,* VI, 6: PL 40, 399, CSEL 41, 240.

[3] S. Augustinus, *Sermo 25, De verbis Evangelii Matthaei XII,* 41-50, 7: PL 46, 938: « Maria portio est Ecclesiae, sanctum membrum, excellens membrum, supereminens membrum, sed tamen totius corporis membrum ».

[4] S. Ambrosius, *In Luc.* II, 7: PL 15, 1555 (1635-1636), CSEL, 32/4, 45: Maria « bene desponsata, sed virgo quia est Ecclesiae typus »;

Cf. S. Augustinus, *Sermo 213,* 7: PL 38, 1064: « Mariae simillima est » Ecclesia. [Cf. Morin G., O.S.B., *S. Aurelii Augustini Tractatus sive sermones inediti ex cod. Guelferbytano 4096,* Monaci 1917, p. 7];

S. Augustinus, *Sermo 25, De verbis Ev. Matthaei XII,* 41-50: PL 46, 938: « In ipsius typo [Ecclesiae] Maria virgo praecessit »; cf. Denis M., *Sancti Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi Sermones inediti adiunctis quibusdam dubiis,* Vindobonae 1792, pp. 116-124; Morin G., O.S.B., *S. Augustini Sermones post Maurinos reperti probatae dumtaxat auctoritatis nunc primum disquisiti...,* in: *Miscell. Agostiniana* (Studi e Testi, I), Romae 1930, p. 163.

[5] Cf. Leo XIII, Litt. Encycl. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: Leo-

nis XIII P. M. Acta, XV, p. 302: « ... verissime quidem Mater Ecclesiae atque magistra et regina Apostolorum... »; [102]

BENEDICTUS XIV, Bulla aurea *Gloriosae Dominae,* 27 sept. 1748 [*Documentos Marianos,* n. 210]: « ... Catholica Ecclesia, Sancti Spiritus magisterio edocta, eamdem... tamquam amantissimam Matrem... semper professa est ».

[6] S. AUGUSTINUS, *Quaestiones Octoginta tres,* q. 11: PL 40, 14; *De Trin.* I, 13, c. 18: PL 42, 1032.

INNOCENTIUS III, *Sermo 28, In Assumptione B. M. V.*: PL 217, 581: « Oportebat enim, ut sicut per feminam mors intravit in orbem, ita per feminam vita rediret in orbem. Et ideo quod damnavit Eva, salvavit Maria, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret... ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954: AAS 46 (1954), pp. 634-635: « Si Maria, in spirituali procuranda salute, cum Iesu Christo, ipsius salutis principio, *ex Dei placito sociata fuit,* et quidem simili quodam modo, quo Heva fuit cum Adam, mortis principio, consociata, ita ut asseverari possit nostrae salutis opus, secundum quandam " recapitulationem " [S. IRENAEUS, *Adv. haer.,* V, 19: PG 7, 1175 B] peractum fuisse, in qua genus humanum, sicut per virginem morti adstrictum fuit, ita per virginem salvatur... ».

[7] ALEXANDER VII, In Bulla *Sollicitudo omnium Ecclesiarum,* 8 dec. 1661, adhibuit formulam « eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii humani generis *Redemptoris,* a macula peccati originalis praeservatam immunem » [cf. *Virgo Immaculata,* in: *Acta Congressus Mariologici-Mariani,* Romae anno 1954 celebrati, vol. II, Romae 1956, p. 219; Bulla *Ineffabilis Deus*: Pii IX P. M. Acta, pars I, vol. I, p. 602].

In ipsamet Bulla legitur: « Omnes pariter norunt quantopere solliciti fuerint Sacrorum Antistites vel in istis ecclesiasticis conventibus palam publiceque profiteri, sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita numquam originali subiacuisse peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe, et IDCIRCO *sublimiori modo redemptam* » [SARDI V., *La solenne definizione del dogma dell'Immacolato concepimento,* Romae, 1905, II, p. 306].

In *Instrumento dogmaticae definitionis Immaculati Conceptus Beatae V. Mariae* legitur: « *gratia plenam, benedictam in mulieribus,* omnino nempe ab originis labe praeservatam, ET IDCIRCO SUBLIMIORI MODO REDEMPTAM » [SARDI V., *Op. cit.,* II, p. 454].

PIUS XII, Litt. Encycl. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: AAS 45 (1953) p. 581: « Facile cernimus Christum Dominum perfectissimo quodam modo divinam Matrem suam revera redemisse, cum, Ipsius meritorum intuitu, eadem a Deo praeservata esset a quavis hereditaria labe immunis ».

[8] In Lc. 1, maternitas divina proponitur Mariae [30-33], Maria difficultates exponit quas angelus solvit [34-37], et tunc demum Maria assentitur [38].

S. LEO MAGNUS, *Sermo 21,* c. 1: PL 54, 191: « Virgo regia Davidicae stirpis eligitur, quae sacro gravidanda foetu divinam humanamque prolem prius conciperet mente quam corpore ».

[103] Innocentius III, *Sermo 12*: In Purificatione B. V. M.: PL 217, 506: « His ita peractis, statim Spiritus Sanctus advenit, et triplicem viam ante faciem Domini praeparavit. Prima fuit virginalis consensio... ».

Leo XIII, Litt. Encycl. *Octobri mense,* 22 sept. 1891: Leonis XIII P. M. Acta, XI, p. 303: « Filius Dei aeternus, quum, ad hominis redemptionem et decus, hominis naturam vellet suscipere, eaque re mysticum quoddam cum universo humano genere initurus esset connubium, non id ante perfecit quam liberrima consensio accessisset designatae Matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo agebat ».

Leo XIII, Litt. Encycl. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: Leonis XIII P. M. Acta, XIV, p. 307: « Filius enim Dei aeternus sese inclinat ad homines, homo factus; assentiente vero Maria et *concipiente de Spiritu Sancto* ».
B. Virgine in Annuntiatione fuit origo missionis et gloriae B. Virginis
[9] Iuxta doctrinam Romanorum Pontificum, « FIAT » prolatum a

Leo XIII, Litt. Encycl. *Octobri mense*: ASS 24 (1891) p. 195. Virgineum consensum fuisse omnino liberum quamplurimi sancti, Patres et theologi affirmant. Cf. Bover I. M., *Deiparae Virginis consensus corredemptionis ac mediationis fundamentum,* Matriti 1942, pp. 245-248.
conscia loci et muneris quatenus est Mater Redemptoris et hominum; re-
Matris et Reginae. Maria fuit sibi conscia se concipere Verbum Dei; fuit
sponsum dedit angelo prompte et nomine totius humanitatis faciens possibilem passionem, mortem et resurrectionem Christi; cum hoc « FIAT » facta est *mater spiritualis hominum.* Cf. *Notre-Dame,* « Les enseign. pontif. », p. [73], n. 701, 741, 214, 372, 381, 230, 648.

S. Leo Magnus, *Sermo 6 in Nativitate Domini*: PL 54, 213: « Generatio enim Christi origo est populi christiani, et natalis Capitis natalis est corporis ».

Leo XIII, Litt. Apost. *Parta humano generi,* 8 sept. 1901: Leonis XIII P. M. Acta, XXI, p. 158: « O quam suavis igitur, quam grata angelica salutatio accidit beatae Virgini, quae tum, cum Gabriel eam salutavit, SENSIT SE DE SPIRITU SANCTO CONCEPISSE Verbum Dei ».

Leo XIII, Litt. Encycl. *Fidentem piumque,* 20 sept. 1896: Leonis XIII P. M. Acta, XVI, pp. 282-283: « Ipsa ad homines in sempiternum ruentes exitium Servatorem adduxit, iam tunc scilicet quum pacifici sacramenti nuncium, ab Angelo in terris allatum, admirabili assensu *loco totius humanae naturae,* excepit... inde simul elucent Mariae promerita de reconciliatione et salute nostra ».

S. Pius X, Litt. Encycl. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: Acta Pii X, I, pp. 152-153: « An non Christi mater Maria? Nostra igitur et mater est... aeternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam, mortalium fieret sospitator. ... In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris et carnem Christus sibi assumpsit et *spiritale* simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum *qui credituri erant* in eum. Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, quique, ut ait Apostolus, *membra sumus corporis eius, de carne eius et ossibus eius,* de Mariae utero egressi sumus, tam-

quam corporis instar cohaerentis cum capite. Unde, spiritali quidem ratione ac mystica, et Mariae filii nos dicimur, et ipsa nostrum omnium mater est... ». [104]

Eamdem ideam repetit Pius XII in sermone ad Congressum Marianum Canadensem, 19 iun. 1947: AAS 39 (1947) pp. 268-270.

Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: AAS 35 (1943) pp. 247-248: « Ipsa fuit, quae Christum Dominum, iam in virgineo gremio suo Ecclesiae Capitis dignitate donatum... edidit... Ipsa igitur, omnium membrorum Christi sanctissima Genitrix... ».

Ibid., p. 247: « Quaeque consensit " loco totius humanae naturae ", ut " quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam " haberetur ».

Bover I. M., in *op. cit.* per plus quam 350 paginas probare conatur Deiparae Virginis consensum corredemptionis ac mediationis fundamentum esse. Et sane, angelus Virgini una cum divina maternitate humanam quoque salutem annuntiat, et Virgo, angelo respondens, humanam quoque salutem intendit ac spectat. Ulterius, Incarnatio est salutis exordium, et divina maternitas ad humanam salutem a Deo providenter ordinatur et fructum edit formaliter salutarem.

S. Ioannes Damascenus, *Homilia 1 in Nativ. B. V. M.*: PG 96, 671: « Maria divinae obsequens voluntati, deceptorem anguem ipsa decepit, ac mundo immortalitatem invexit ».

Nota sunt praeterea verba S. Leonis, *Sermo in Nativ. Domini,* c. 1: PL 54, 191: « *Prius mente quam corpore* » Virgo concepit.

Cf. etiam S. Augustinus, *Sermo 215,* 4: PL 38, 1074. Est consensus in Salvatorem incarnandum qui [Mt. 1, 21] « salvum faciet populum suum a peccatis eorum ».

Notum est auctores catholicos haud idem sentire quoad varios textus patristicos, qui in supra allegato opere P. Bover leguntur. Id potissimum dicendum quod attinet ad scripta S. Ephraem, de quo iure meritoque scribit Ricciotti: « Trattare degli scritti di S. Efrem è come mettersi a navigare in un mare le cui rive ancora non siano state tutte esplorate e sulla cui superficie s'intravedono minacciosi molti scogli: il mare è la quantità degli scritti, le rive sono il loro numero, gli scogli sono le interpolazioni e false attribuzioni » [cf. Ricciotti G., *S. Efrem Siro...,* Roma-Torino 1925, p. 91].

[10] Cf. Lc. 2, 1-7; 2, 16-20; 22, 22-38; Mt. 1, 20-23; 2, 11. 13-15; Io. 19, 25-27.

Leo XIII, Litt. Apost. *Parta humano generi,* l. c. XXI, p. 159: Maria « mysteriis nostrae Redemptionis... *non adfuit tantum, sed interfuit* ».

Leo XIII, Litt. Encycl. *Iucunda semper*: l. c. XIV, p. 307: « Quum enim se Deo vel ancillam ad matris officium exhibuit vel totam cum Filio in templo devovit, utroque ex facto iam tum (!) consors cum eo exstitit laboriosae pro humano genere expiationis ».

S. Pius X, Litt. Encycl. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: Acta Pii X, I, p. 150: « Opus est omnino sanctissimam eius Matrem mysteriorum divinorum participem ac veluti custodem agnoscere, in qua, tamquam in fundamento post Christum nobilissimo, fidei saeculorum omnium exstruitur aedificatio ».

[105] [11] Summi Pontifices loquendo de Maria sub cruce dicunt quod Maria exercebat actus fidei, spei et caritatis, ita unita amore doloribus Christi ut sit connexio inter compassionem Mariae et redemptionem; ipsa renuntiat iuribus maternis et offert sacrificium maternum, fitque nostra mater spiritualis. Paucis verbis: compassio Mariae connexionem habet cum redemptione, talique modo ut ipsa inde merito dici possit *corredemptrix,* et per modum unius recensentur fructus redemptionis Christi et compassionis Mariae.

En quidam textus:

Leo XIII, Litt. Apost. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: Acta Leonis XIII, XIV, pp. 307-308: « Concors cum eo exstitit laboriosae pro humano genere expiationis: ex quo etiam, in acerbissimis Filii angoribus et cruciamentis, maxime animo condoluisse dubitandum non est. Ceterum, praesente ipsa et spectante, divinum illud sacrificium erat conficiendum, cui victimam de se generosa aluerat... *stabat iuxta crucem Iesu Maria, Mater eius,* quae tacta in nos caritate immensa ut susciperet filios, Filium ipsa suum ultro obtulit iustitiae divinae, cum eo commoriens corde, doloris gladio transfixa ».

S. Pius X, Litt. Encycl. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: Acta Pii X, I, p. 153: « Ad haec, Deiparae sanctissimae non hoc tantum in laude ponendum est quod *nascituro ex humanis membris Unigenito Deo carnis suae materiam ministravit,* qua nimirum saluti hominum compararetur hostia; verum etiam officium eiusdem hostiae custodiendae nutriendaeque atque adeo, stato tempore, sistendae ad aram ».

Benedictus XV, Litt. Apost. *Inter sodalicia,* 22 mart. 1918: AAS 10 (1918) p. 182: « Ita cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit placandaeque Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito queat, Ipsam cum Christo humanum genus redemisse ».

Pius XI, Litt. Encycl. *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1928: AAS 20 (1928) p. 178: « Praesens arrideat Virgo Dei Parens benignissima, quae, cum Iesum nobis Redemptorem ediderit, aluerit, apud crucem hostiam obtulerit, per arcanam cum Christo coniunctionem eiusdemque gratiam omnino singularem, Reparatrix item extitit pieque appellatur ».

Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: AAS 35 (1943), p. 247: « Ipsa fuit, quae vel propriae vel hereditariae labis expers, arctissime semper cum Filio suo coniuncta, eumdem in Golgotha, una cum maternorum iurium maternique amoris sui holocausto, nova veluti Eva, pro omnibus Adae filiis, miserando eius lapsu foedatis, Aeterno Patri obtulit ».

Afferri quoque potuissent, praeter testimonia Ss. Roberti Bellarmini et Petri Canisii, permultae aliorum theologorum auctoritates.

[12] Notum est plures Vicarios Christi constanter et consulto affirmasse Iesum Christum sanxisse Matrem suam nostram quoque esse Matrem, eamque testamento illo sollemni a Ioanne tradito [cf. Io. 19, 26-27], nobis in persona Discipuli dilecti reliquisse; cf. Unger D., O.F.M. Cap., *The Meaning of John 19. 26-27 in the Light of Papal Documents,* in: *Marianum* 21 (1959), pp. 186-221, ubi afferuntur testimonia Benedicti XIV, Pii VIII, Gregorii XVI, Pii IX, Leonis XIII, Benedicti XV,

PII XI, PII XII. Ex hisce quamplurimis testimoniis en quaedam tantummodo: [106]

LEO XIII, Litt. Encycl. *Octobri mense*: ASS 24 (1891-92) p. 196: « ... talem de cruce praedicavit, quum *universitatem humani generis,* in Ioanne discipulo, curandam ei fovendamque commisit... »;

ID., Epist. Apost. *Amantissimae voluntatis,* 14 apr. 1895: ASS 27 (1894/95) p. 592: « ... sanctissimam Dei Genitricem, quam *humano generi* Christus ipse e cruce reliquit atque attribuit matrem... »;

ID., Lit. Encycl. *Adiutricem populi*: ASS 28 (1895/96) p. 130: « Eximiae in nos caritatis [Christi] mysterium ex eo quoque luculenter proditur, quod moriens Matrem ille suam Ioanni discipulo matrem voluit relictam, testamento memori: " Ecce filius tuus ". In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam *humani generis,* eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescerent... »;

BENEDICTUS XV, Litt. Apost. *Inter Sodalicia,* 22 mart. 1918: AAS 10 (1918) p. 182: « Liquet item, Virginem Perdolentem, utpote quae, a Iesu Christo *universorum hominum* Mater constituta... »;

PIUS XI, Litt. Apost. *Explorata res,* 2 febr. 1923: AAS 15 (1923) p. 104: « ... Virgo perdolens redemptionis opus cum Iesu Christo participavit, et constituta *hominum Mater,* eos, sibi veluti testamento divinae caritatis commendatos, amplexa... »;

ID., Litt. Encycl. *Lux veritatis,* 25 dec. 1931: AAS (1931) p. 514: « ... talem de cruce praedicavit, cum universitatem humani generis in Ioanne discipulo, curandam ei fovendamque commisit » [citando Encycl. Leonis XIII, cf. supra];

PIUS XII, Litt. Encycl. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: AAS 45 (1953) p. 584: « ... Mater nostra Maria nihil optatius habet, nihil iucundius, quam cum eos videt, quos sub Cruce Nati in eius vicem suscepit filios... »;

ID., *Epist. ad Em.mum Card. Al. Maglione,* 15 apr. 1942: AAS 34 (1942) p. 126;

ID., Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui Sodalitatis internationalis " Filiorum Mariae Immaculatae ",* 17 iul. 1954: AAS 46 (1954) p. 494;

IOANNES XXIII, *Nuntius Radiophonicus VII Congressui Mariano Galliae*: *L'Oss. Rom.* 10-11 iul. 1961: « La sainte Ecriture, avec ce point très lumineux... qui vous conduit... au sommet sublime de la théologie mariale, Jésus au haut sur la croix: à ses pieds, Marie, la mère, et Jean, l'Apôtre de prédilection... »;

ID., *L'omaggio dei redenti alla Madre celeste*: *L'Oss. Rom.* 8 sept. 1960: « Il Nuovo Testamento incomincia, ben si può dire, con le parole del divino Inviato: " Angelus Domini nuntiavit Mariae ". Al termine, al vertice della comunicazione della Divinità con l'umanità, è Gesù il Redentore del mondo, il quale, poco prima della sua morte di croce, affida Maria all'Apostolo Giovanni dicendogli: " Ecco tua Madre ", e raccomandando il discepolo a Maria aggiunge: " Ecco il tuo figlio ". Il testamento del Signore è il suggello, la manifestazione più alta della vita della santa Chiesa... Nella vita del cristiano tutto dunque è illuminato da questa nota che tocca il cuore: Maria nostra Madre ».

[107] Cf. Kerrigan A., O.F.M., *Jo. 19, 23-17 in the Light of Johannine Theology and the Old Testament,* in: *Antonianum* 35 (1960) pp. 369-416.

[13] Act. 1, 14; 2, 1-4.

Leo XIII, Litt. Encycl. *Superiore anno,* 30 aug. 1884: Acta Leonis XIII, IV, p. 124: « Intuendum item in exemplum Apostolorum, qui maximum Spiritus Paracliti donum sibi promissum exspectaverunt, perseverantes unanimiter in oratione cum Maria Matre Iesu ».

Leo XIII, Litt. Encycl. *Adiutricem populi*: Acta Leonis XIII, XV, p. 302: « In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis... Huius igitur singularis muneris et laboriosi partes ea suscepit obiitque magnanima, consecratis in Caenaculo auspiciis: christianae gentis primitias iam tum sanctimonia exempli, auctoritate consilii, solatii suavitate, efficacitate sanctarum precum admirabiliter fovit; verissime quidem mater Ecclesiae atque magistra et regina Apostolorum, quibus largita etiam est de divinis oraculis quae *conservabat in corde suo* ».

Leo XIII, Litt. Apost. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: Acta Leonis XIII, XIV, p. 308: « Quoniam vero humanae redemptionis sacramentum non ante perfectum erit quam promissus a Christo Spiritus Sanctus advenerit, ipsam idcirco in memori Caenaculo contemplamur, ubi simul cum Apostolis pro eisque postulans inenarrabili gemitu, eiusdem Paracliti amplitudinem maturat Ecclesiae, supremum Christi donum, thesaurum nullo tempore defecturum ».

Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: AAS 35 (1943) p. 248: « Ipsa fuit, quae validissimis suis precibus impetravit, ut Divini Redemptoris Spiritus, iam in Cruce datus, recens ortae Ecclesiae prodigialibus muneribus Pentecostes die conferretur ».

[14] Pius XII, Litt. Encycl. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954: AAS 46 (1954) pp. 625-640. Hisce in litteris encyclicis quibus festum universale Mariae Reginae instituitur, huius regalitatis factum, tituli, natura explanantur. Regalitas Mariae eruitur ex Sacra Scriptura [Lc. 1, 30-35], ex traditione, ex ratione theologica: nempe ex divina maternitate et ex consortio cum Christo Rege. « Si Maria — scribit Pius XII, *l. c.* p. 634 ss. — in spirituali procuranda salute, cum Iesu Christo, ipsius salutis principio, ex Dei placito sociata fuit, et quidem simili quodam modo, quo Heva fuit cum Adam, mortis principio, consociata, ita ut asseverari possit nostrae salutis opus, secundum quandam " recapitulationem " peractum fuisse, in qua genus humanum, sicut per virginem morti adstrictum fuit, ita per virginem salvatur; si praeterea asseverari itidem potest hanc gloriosissimam Dominam ideo fuisse Christi matrem delectam " ut redimendi generis humani consors efficeretur "...; inde procul dubio concludere licet, quemadmodum Christus, novus Adam, non tantum quia Dei Filius est, Rex dici debet, sed etiam quia Redemptor est noster, ita quodam analogiae modo, Beatissimam Virginem esse Reginam non tantummodo quia mater Dei est, verum etiam quod nova veluti Heva cum novo Adam consociata fuit ».

Pag. 635: « Nullum igitur dubium est Mariam Sanctissimam digni-

tate sua super omnes res creatas excellere itemque super omnes post Filium suum obtinere primatum ». [108]

[15] De tendentia « minimalistica » inter ipsos quosdam catholicos viros sparsa, qui potissimum sic dictam viam « ecclesiologicam » tenent, cf. e. g. PINSK J., *Grundsätzliche und praktische Erwägungen zur christlichen Verkündigung im Marianischen Jahr,* Berlin 1954;

GEISELMANN J. R., *Marien-Mythos und Marien-Glaube,* in: *Maria in Glaube und Frömmigkeit...,* 1954, pp. 39-91.

PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus Iis qui interfuerunt conventui internationali mariologico-mariano,* Romae habito, 24 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 679: « Etsi verum est Beatissimam Virginem quoque, uti nos, Ecclesiae esse membrum, tamen non minus verum est eam esse Corporis Christi Mystici membrum PLANE SINGULARE ».

[16] In antiquitate christiana Maria solet nuncupari Eva qui titulus ex principio recirculationis seu parallelismi inter Mariam et Evam videtur esse desumptus. Testimonium huius adstat iam apud S. Iustinum (*Dialogus cum Triphone,* 100: PG 6, 710): « Et cum Eum Filium Dei esse... legamus... et ex Virgine hominem esse factum, *ut qua initium orta a serpente inoboedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet...* ». Eodem autem principio suffultus S. Irenaeus Mariam explicite appellat *causam salutis* universi generis humani (*Adversus haereses,* III, c. 24, 4: PG 7, 959). Post Concilium Ephesinum ipsemet titulus *Mediatricis* vel, ut graeci aiunt, *Mesítes* seu *Mesetría,* Mariae attribuitur. Apud sat antiquum auctorem (quidam dicunt saec. V, sed certe ante saec. VIII) legitur: « Ipsa enim est caeli et terrae Mediatrix, quae unionem naturaliter peregit » (*Homilia V de laudibus S. Mariae Deiparae*: PG 43, 491). Qui titulus communior in dies evasit, uti videre est apud S. Andream Cretensem (PG 97, 866), S. Germanum Constantinopolitanum (*In Dormitione Deiparae*: PG 98, 362, 369), S. Ioannem Damascenum (*In Annuntiatione B. V. Mariae*: PG 96, 659), etc. Neque desunt SS. Patres qui Mariam salutant ceu « *Adiutricem Redemptoris* » (cf. *Encomium in Dormitionem S. Dominae Nostrae*: PG 86, 3294), vel *matrem viventium,* idque allegando Gen. 3, 15 (S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses,* 78: PG 42, 727).

Quae omnia evoluta sunt a Theologis et a Summis Pontificibus, et creata est nomenclatura, ubi Maria vocatur mox *Mater spiritualis hominum,* mox *Regina caeli et terrae,* alia vice *Nova Heva, Mediatrix, Dispensatrix omnium gratiarum,* immo et *Corredemptrix.* Quod attinet ad titulum « Regina » cf. notam [14]; quoad titulum « Mater spiritualis », « Mater hominum » cf. notam [12]; quoad titulum « Corredemptrix », « Socia Christi Redemptoris » hic quaedam adiungenda sunt:

Iam saeculo X occurrit titulus *Redemptrix*: « Sancta redemptrix mundi, ora pro nobis ». Quando saeculo XV et XVI hic titulus usitatus evadit, et iam percipitur immediata cooperatio B. Virginis in opere nostrae redemptionis, vocabulo « Redemptrix » additur « con », et ita Mater Dei nuncupatur « corredemptrix », dum Christus « Redemptor » appellari pergit. Inde a saeculo XVII, titulus « Corredemptrix » communissime usurpatur non solum in operibus pietati ac devotioni inservientibus, verum

[109] etiam in quamplurimis tractatibus theologicis [cf. Carol J., *De corredemptione Beatae Virginis Mariae,* Romae, 1950, p. 482].

Quod vero attinet ad Romanos Pontifices, occurrit in quibusdam textibus S. Pii et Pii XI, in contextibus minoris ponderis: cf. ASS 41 (1908) p. 409; AAS 6 (1914) pp. 108 s.; *L'Osserv. Rom.* 29-30 apr. 1935.

Pius XII consulto vitare voluit hanc expressionem adhibendo frequenter formulas « Socia Redemptoris », « Generosa Redemptoris Socia », « Alma Redemptoris Socia », « Socia in Divini Redemptoris opere ».

Consortium Mariae cum Iesu in oeconomia nostrae salutis saepe saepius a Summis Pontificibus extollitur: « ad magnam Dei Matrem eamdemque reparandi humani generis consortem » [Leo XIII, Const. Apost. *Ubi primum,* 2 febr. 1898: Acta Leonis XIII, XVIII, p. 161];

Pius XI, Alloc. *peregrinantibus e dioecesi Vicent.*: *L'Osserv. Rom.* 1 dec. 1933: « Il Redentore non poteva, per necessità di cose, non associare la Madre Sua alla Sua opera, e per questo noi la invochiamo col titolo di *Corredentrice...* »;

Pius XII, Litt. Encycl. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 634: « Si Maria, in spirituali procuranda salute cum Iesu Christo, ipsius salutis principio, ex Dei placito *sociata* fuit... ».

Praeter titulos allatos adsunt quamplurimi alii, quibus a christifidelibus Maria salutatur.

Leo XIII, Litt. Encycl. *Supremi Apostolatus,* 1 sept. 1883: Acta Leonis XIII, III, p. 282: « Veteris et recentioris aevi historiae, ac sanctiores Ecclesiae fasti publicas privatasque ad Deiparam obsecrationes vota commemorant, ac vicissim praebita per Ipsam auxilia partamque divinitus tranquillitatem et pacem. Hinc insignes illi tituli, quibus Eam catholicae gentes christianorum Auxiliatricem, Opiferam, Solatricem, bellorum potentem Victricem, Paciferam consalutarunt ».

Cf. Pius VI, Const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794 [*Documentos Marianos,* n. 230]: « Item [doctrina] quae vetat, ne imagines, praesertim beatae Virginis, ullis titulis distinguantur, praeter denominationibus, quae sint analogae mysteriis, *de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio;* quasi nec adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat: temeraria, piarum aurium offensiva, *venerationi beatae praesertim Virginis debitae iniuriosa* ».

[17] Perlustranti *Appendicem voluminis II Actorum et Documentorum Concilio Vaticano II apparando* (pp. 131-140) apparebit *plus quam 500* Episcopos et Praelatos ex omnibus quinque partibus mundi postulasse definitionem sollemnem alicuius socialis muneris B. Virginis, et potissimum eius universalis mediationis quoad gratias. Et sane, ut scribit P. De Aldama, S. I., *Sacrae Theologiae Summa,* III, Matriti 1956, p. 419: « B. Virginem Mariam esse mediatricem *aliquo vero sensu,* idque ex titulo omnino speciali prae aliis Sanctis, *est de fide ex magisterio ordinario.* Recte usurpari titulum Mediatricis, *est certum ex multiplici usu Romanorum Pontificum, et Liturgiae*; nec de hoc licet dubitari ». Et iterum (p. 427): « Mediationem Mariae quoad gratias dispensandas esse omnino specialem ac mediationi Sanctorum longe antecellere, videtur esse de fide ex magi-

sterio ordinario. *Id referri ad omnes gratias generali modo, est saltem doctrina catholica* ». Simili modo alii probati auctores loquuntur. [110]

En nonnulla testimonia ex documentis Pontificiis:

Pius IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: Pii IX P. M. Acta, pars I, vol. I, p. 617: « Totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix »;

Leo XIII, Litt. Encycl. *Supremi Apostolatus*: Leonis XIII P. M. Acta, III, pp. 280-281: « Magnam Dei Parentem Mariam Virginem, quae pacis nostrae apud Deum sequestra et caelestium administra gratiarum, in celsissimo potestatis est gloriaeque fastigio in caelis collocata, ut hominibus ad sempiternam illam civitatem per tot labores et pericula contendentibus patrocinii sui subsidium impertiat »;

Id., Litt. Encycl. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: Leonis XIII P. M. Acta, XIV, p. 309: « Non alia nimirum nisi hac de qua dicimus conciliationis et deprecationis lege, a sancto Bernardino Senensi in hanc sententiam expressa: « Omnis gratia quae huic saeculo communicatur, triplicem habet processum. Nam a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a Virgine in nos ordinatissime dispensantur »;

Id., Litt. Encycl. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: Leonis XIII P. M. Acta, XV, p. 303: « Ipsam dominam nostram, ipsam reparatricem totius orbis, ipsam donorum Dei esse conciliatricem »;

Id., *Ibid.*: « Quae sacramenti humanae redemptionis patrandi administra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter administra »;

Id., Litt. Encycl. *Fidentem piumque,* 20 sept. 1896: Leonis XIII P. M. Acta, XVI, p. 283: « Ipsa est de qua natus est Iesus, vera scilicet eius Mater, ob eamque causam digna et peraccepta ad *Mediatorem Mediatrix* »;

Id., Litt. Apost. *Parta humano generi,* 8 sept. 1901: Leonis XIII P. M. Acta, XXI, p. 159-160: « Sic potentissima Virgo, Mater, quae *olim cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur,* sit etiam nunc nostrae salutis media et sequestra »;

S. Pius X, Litt. Encycl. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: Pii X P. M. Acta, I, pp. 153-154: « Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, *promeruit* illa *ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret,* atque ideo universorum munerum dispensatrix quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit (...). Pro ea, quam diximus, dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio communione, hoc Virgini augustae datum est, ut sit *totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix* »;

Benedictus XV, Litt. Apost. *Inter sodalicia,* 22 mart. 1918: AAS 10 (1918) p. 182: « Quas e Redemptionis thesauro gratias omne genus percipimus, eae ipsius Perdolentis Virginis veluti e manibus ministrantur »;

Pius XI, Litt. Encycl. *Miserentissimus,* 8 maii 1928: AAS 20 (1928) p. 178: « Cuius Nos confisi apud Christum deprecatione, qui unus cum sit « Mediator Dei et hominum », suam sibi Matrem adsciscere voluit peccatorum advocatam gratiaeque ministram ac mediatricem »;

Pius XII, Epist. ad Em.mum Card. Al. Maglione, *Superiore anno,*

[111] 15 apr. 1940: AAS 32 (1940) p. 145: « Quandoquidem autem, ut divus Bernardus asseverat, " sic est voluntas eius [Dei], qui totum nos habere voluit per Mariam ", ad Mariam confugiant omnes, ad eius sacratissimam aram preces, lacrimas, dolores afferant, ab eademque lenimenta ac solacia petant. Quod semper maiores nostri, ut historia loquitur, in trepidis rebus dubiisque temporibus, uberi cum fructu, facere sollemne habuere, id et nos in praesentissimo periculo, quo angimur, fidentes eorum vestigia ingressi, peragere ne desistamus. Tanta enim Beata Virgo apud Deum pollet gratia, tanta apud Unigenam suum potentia fruitur, ut quisquis, egens opis, non ad eam recurrat, nullo is alarum remigio, ut Aligherius concinit, volare conetur. Ea siquidem potentissima Dei Parens est, et, quod dulcissime sapit, nostra itidem amantissima Mater... ».

Beatissima Virgo aliquoties dicitur Mediatrix ad Mediatorem Christum, alias ad Deum. In Constitutione utraque formula adhibita est. Dicitur etiam quod intercedit per Christum, idque iuxta declarationem Concilii Tridentini de intercessione sanctorum: in sessione XXV, Decr. *De purgatorio,* dictum est: « Bonum atque utile esse, suppliciter eos [sanctos] invocare et ob beneficia impetranda a Deo *per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum,* qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes opem auxiliumque confugere »: Denz. 984.

Patres itaque aiunt « *ob beneficia per Christum impetranda* ». Unde, beata Virgo cum aliis sanctis est intercedens mediante, per Christum scilicet: inde intelligitur quare Ecclesia omnes orationes suas claudat hoc modo: *Per Dominum nostrum Iesum Christum...*

[18] Cf. Rom. 1, 10; Eph. 1, 15; Phil. 1, 3-4; Col. 1, 3 et 9; 1 Th. 1, 2-3; 2 Tim. 1, 1.

[19] Cf. Rom. 15, 30; 2 Cor. 1, 11; Eph. 6, 18-19; 1 Th. 5, 25; 2 Th. 3, 1; Hebr. 13, 18.

[20] Leo XIII, Litt. Encycl. *Fidentem piumque*: Acta Leonis XIII, XVI, p. 282: « Certissime quidem perfecti Conciliatoris nomen et partes alii nulli conveniunt quam Christo, quippe qui unus, homo idem et Deus, humanum genus summo Patri in gratiam restituerit... At vero, *si nihil prohibet,* ut docet Angelicus, *aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominis cum Deo dispositive et ministerialiter,* cuiusmodi sunt angeli sanctique caelites, prophetae et utriusque testamenti sacerdotes, profecto eiusdem gloriae decus Virgini excelsae cumulatius convenit. Nemo etenim unus cogitari quidem potest, qui reconciliandis Deo hominibus parem atque illa operam vel umquam contulerit, vel aliquando sit collaturus... ».

Pius XII, Litt. Encycl. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: AAS 45 (1953) pp. 581-582: « Immerito igitur acatholici et novatores non pauci hac etiam de causa nostram reprehendunt atque improbant erga Deiparam Virginem pietatem, quasi nos aliquid ex cultu uni Deo ac Iesu Christo debito subducamus; cum contra, quidquid honoris venerationisque caelesti Matri nostrae tribuimus, id procul dubio in Divini eius Filii decus redundet, non modo quod ex ipso omnes gratiae omniaque dona, vel excelsa, ut e primo fonte oriuntur, sed etiam quod " gloria filiorum patres eorum " ».

Pius XII, Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui Sodalitatis internatio-*

nalis " Filiorum Mariae Immaculatae ", Romae habito, 17 iul. 1954: AAS 46 (1954) p. 492: « C'est pour devenir la Mère de Dieu qu'elle a reçu de son divin Fils tous les dons de la nature et de la grâce. Voilà pourquoi le culte de la Vierge, si du moins on le comprend bien, loin de rien ôter à la gloire de Dieu, remonte immédiatement à Lui, l'Auteur de tout bien, qui l'a voulue si grande et si pure ». [112]

[21] Dum non est difficultas admittendi Mariam esse mediatricem omnium gratiarum quatenus associata fuit Christo in illis acquirendis (utique abstractione facta a quaestione an *immediate* vel *mediate, directe* vel *indirecte,* in *actu primo active* recipiendo vel alio modo...), variae quaestiones surgunt si gressum faciamus ad Mediatricem quatenus *distribuit* gratias, idque potissimum quoad earum *universalitatem.* Quod Maria potest nobis omnes gratias impetrare, clarum est. Quod autem *nulla gratia datur nisi interveniat* Maria, alia est res: venit enim quaestio de interventu *directo* et *indirecto, de Veteri Testamento* et de gratiis quae conferuntur in Sacramentis. Itaque in omnibus istis aliisque quaestionibus permittenda est libertas scholis catholicis disputandi, asserendo modo valde generali quod in omnibus gratiis quae conferuntur *adest materna caritas* Mariae, saltem iuxta illud S. Augustini initio allegatum « *cooperata est caritate*, ut fideles in Ecclesia nascerentur », et ut iugiter nascantur. In Litt. Encycl. *Octobri mense* (ASS 24, p. 195 s.) Leo XIII adhibet formulam « ... nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus... nihil nobis nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri... ». In Subcommissione haud defuerunt qui voluissent hanc formulam in Const. adhibere. Sane, haec formula *exclusiva* fundamentum habet in documentis pontificiis et doctrina theologorum. At, magis placuit formulam genericam expressam ab ipso Leone XIII, in Litt. Apost. *Parta humano,* et supra allatam (cf. etiam ASS 34, p. 195) adhibere: « ... Virgo Mater quae *olim cooperata est caritate* ut fideles in Ecclesia nascerentur, sit etiam nunc nostrae salutis media et sequestra ».

[22] Ita erronee cogitant haud pauci protestantes: cf. e. gr. Maury P., *Le protestantisme et la Vierge Marie,* Paris 1950, p. 65. Videsis Balic C., O.F.M., *La mariologia es punto de convergencia o de divergencia para la unión?* in: *Ante el II Concilio Ecuménico Vaticano,* Burgos 1960, pp. 232-250; Id., *Maria e il movimento ecumenico,* in: Boyer C., *Il problema ecumenico oggi,* Brescia 1961, pp. 547-562.

[23] Pius IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: Denz. 1691.

[24] Conc. Trident., Sess. VI, Decr. *de iustificatione*: Denz. 833;

S. Augustinus, *De natura et gratia,* c. 36, n. 42: PL 44, 267: « Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: (unde enim scimus quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum?): hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? ».

Leo XIII, Litt. Encycl. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: Acta Leonis XIII, XIV, 310: « Eam salutamus, quae *gratiam apud Deum invenit,* singulariter ab illo *plenam gratia,* cuius copia ad universos proflueret ».

[113] Pius XII, Litt. Encycl. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 636: « Iam in primo temporis momento, quo concepta fuit, tali gratiarum abundantia repletam fuisse, ut Sanctorum omnium gratiam superaret ».

[25] Cf. Denz. 6, 13, 20, 111A, 144, 148, 214, 218, 256, 290, 429.

[26] *Sacramentarium Gregorianum* [quod Hadrianus I misit Carolo Magno inter annum 784-790] in die Assumptionis sequentem habet orationem: « Veneranda nobis, Domine, huius est diei festivitas, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum ». Cf. C. Balic, O.F.M., *Testimonia de assumptione beatae Virginis Mariae ex omnibus saeculis,* pars I, Romae 1948, p. 155.

Beatissimam Virginem mortem subiisse temporalem et ad similitudinem Filii sui resurrexisse, antiquissima et communissima est Ecclesiae doctrina. Plus quam tertia pars petitionum quae ad Sanctam Sedem delatae sunt ut definiatur Assumptio, definitionem quoque mortis Deiparae expostulant; dimidia vero pars talium petitionum intimam relationem ponunt inter mortem et Assumptionem. At, hisce ultimis annis incoepit divulgari sententia B. Virginem *abiisse* et non *obiisse.* Quae sententia nitebatur potissimum quadam relatione privata ex qua deducebatur ipsum Vicarium Christi [Pium XII] haud tenere traditionalem Ecclesiae doctrinam hac in re. En quid dicendum circa mentem Romanorum Pontificum hisce ultimis decenniis hac in re:

Pius XI et Ioannes XXIII docent B. Virginem mortuam esse; idem saltem implicite docuit ipsemet Pius XII. Et re quidem vera:

Pius XI, *Allocuzione nella lettura del Decreto de Tuto per la canonizzazione della Beata Thouret* [trad. it. *L'Oss. Rom.,* 16 aug. 1933, p. 1]: « Con l'assiduità nella preghiera si deve fare di Maria la quotidiana mediatrice, la nostra vera avvocata, sicchè possiamo sperare che Ella, assunta nella gloria del Cielo, nell'ora del nostro trapasso, che fu pure il suo — *poichè Ella pure fece questo passo, essendo in Lei non la grazia di creazione, ma la grazia di Redenzione, la quale non conferiva immortalità vera e propria* — possa Ella essere nostra avvocata presso la divina bontà e misericordia »;

Ioannes XXIII, Litt. Apost. in *L'Oss. Rom.,* 1 oct. 1961, p. 2: « L'immagine soave di Maria si irradia e si accende nella suprema esaltazione. Che bella scena la dormizione di Maria, così come i cristiani di Oriente la contemplano: Essa è distesa nel sonno placido della morte e Gesù è accanto a Lei, e tiene presso il suo petto come un bambino l'anima della Vergine, ad indicare il prodigio della immediata risurrezione e glorificazione », ... « Il mistero dell'Assunta ci mantiene familiari al pensiero della nostra morte... »;

Card. A. Ottaviani, in: *Acta Pontificiae Academiae Marianae Internationalis,* I, Romae 1961, p. 63 [cf. *L'Oss. Rom.,* 18 dec. 1961, p. 7]: « Non bisogna però confondere il magistero autentico con le voci incontrollate o le fantasie per le quali si attribuisce a questo o a quel Sommo Pontefice un'idea o un'espressione non controllabile. Si è sparsa, per esempio, la voce che il compianto Pontefice Pio XII avrebbe espresso le sue

preferenze per la sentenza di coloro che ritengono che l'Assunzione della Vergine non sia stata una risurrezione anticipata, ma una traslazione nei cieli senza la morte su questa terra: " abiit, et non obiit ". Per quanto mi consta, il compianto Pontefice non era di questa idea: è vero, anzi, il contrario. Questa sentenza del resto toglierebbe qualche cosa a quella cooperazione, per la quale la Vergine è detta *Alma Socia Redemptoris.* Come poteva Ella non subire, anche se non dovuta, la morte, se la volle subire il suo divin Figliuolo? Invece è così bello vedere in tutte le fasi del ciclo redentivo il parallelo degli eventi che congiunsero la Madre al Figlio divino! A questo accennava Pio XII nella *Munificentissimus Deus,* quando asseriva: " ... parique modo haud difficile iisdem [ossia i fedeli] fuit, assentiri Magnam etiam Dei Matrem, quemadmodum iam Unigenitum suum, ex hac vita decessisse " ». [114]

Traditio antiquissima et constans qua nititur Orientis et Occidentis christiani doctrina de morte B. V. Mariae non est « mere historica », sed etiam, immo potissimum, « theologica »; illa nempe traditio quae « per se ipsam» dedit Pio XII certissimum argumentum pro veritate Assumptionis dogmaticae definienda. Et si valor huius Traditionis in casu mortis B. Virginis ad nihilum reduceretur, tunc, ut iure meritoque scribit P. Colosio J., O.P., *Due pubblicazioni su Dionigi Areopagita,* in: *Rivista di ascetica e mistica,* 5 (1960) p. 202: « Per coerenza, vorremmo che questi teologi applicassero questo medesimo criterio a tanti altri casi del genere... ed allora si accorgerebbero che dobbiamo riformare o certe parti della dottrina comune o il loro non giusto criterio sull'argomento di tradizione ».

[27] In traditione christiana variae rationes allatae sunt ad illustrandum factum mortis B. V. Mariae [cf. Balic C., *Testimonia de assumptione Beatae Virginis Mariae ex omnibus saeculis,* II, Romae 1950, « Index analyticus », pp. 496-499].

« ... non fuit decens — scribit S. Bonaventura, *In III Sent.,* d. III, a. 2, q. 3, ad 3 [ed. Quaracchi, t. III, p. 78 b] — Filium Dei habere matrem immortalem, cum ipse esset mortalis ».

Alii vero dicunt quod mortua est ne Christo maior forte videretur... [cf. Balic, *op. cit.*]: « decuit enim eam in hoc esse suo Filio similem » [Balic, *Ibid.,* II, p. 239]; « quidquid autem fuit in Christo ut puro homine, etiam tribuendum est beatae Virgini, quae etiam sponte posuit animam et assumpsit poenalitates, ne Christo maior esse videretur et cooperaretur ad nostram redemptionem » [*Ibid.,* II, pp. 94-95]. Marcellinus Siuri [m. 1734], post Frances de Urrutygoiti [m. 1682], refert quemdam auctorem hispanum, immortalitatem Deiparae propugnantem, a sacro Inquisitionis tribunal damnatum fuisse: Universa Ecclesia enim tenet Mariam mortem subiisse temporalem etiam « ut *Filio conformaretur;* congruum enim erat ut sicut Iesus morti se subiecit in redemptionem humani generis, ita et quod Mater electa *in redemptionis cooperatricem* similiter morti subiaceret ». Et Cl. A. subiungit: « Quam rationem conformitatis cum Filio tanti faciendam a Matre existimo quod si ei optio daretur, potius eligeret mori ut Filio conformaretur, quam sine morte ad gloriam transferri, et tanti fieri a Filio matrem crediderim quod si in alio

[115] ordine rerum voluisset sine propria morte genus humanum redimere Matrem quoque a morte immunem fecisset » [*Ibid.*, II, pp. 240-241].

Per se patet factum mortis B. Virginis non propter solas has similesque rationes, sed *potissimum* propter constantem et communissimum consensum Ecclesiae docentis et discentis, ut factum certum *admitti.*

[28] PIUS XII, Const. dogm. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: AAS 42 (1950) p. 770.

[29] PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus Iis qui interfuerunt conventui internationali mariologico-mariano,* 24 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 679: « Beata Dei Genitrix, quippe quae ipsa quoque ab Adamo descendat, nullum habet privilegium nullamque gratiam quam non debeat Filio suo, generis humani Redemptori; atque adeo, Matris excelsa dona mirantes ac rite celebrantes, ipsius Filii divinitatem, bonitatem, amorem, potentiam miramur et celebramus, neque umquam Filio displicebit, quidquid in laudem Matris, ab ipso tot gratiis cumulatae, fecerimus ».

[30] PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: Acta Pii IX, pars I, vol. I, p. 598: « Venerabilis mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tanquam seipsum diligit, ita dare disposuit ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit ».

[31] In professione oblata a Nicephoro, Patriarcha Constantinopolitano, et accepta a Leone III, claris verbis integritas corporalis B. Virginis in partu affirmatur: « Virginem quoque, quae *supernaturaliter et ineffabiliter pepererat,* post partum virginem conservavit, virginitatem illius secundum naturam nulla ex parte demutata aut labefactata » [DENZ. 314, n. 3]. In Epistola S. LEONIS, quam Patres Concilii Oecumenici IV susceperunt clamantes Petrum per Leonem locutum esse, legitur: « Nova autem nativitate generatus: quia INVIOLATA VIRGINITAS concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit... Quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis » [DENZ. 144].

In CONC. LATERANENSI, sub Martino I habito [quod licet non sit oecumenicum sensu technico, tamen mentem Ecclesiae, tam latinae quam graecae manifestat], expresse condemnatur anathemate qui virginitatem in partu nollet confiteri: « Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem sanctam semper Virginem et immaculatam Mariam utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et INCORRUPTIBILITER eam [eum?] genuisse, indissolubili permanente et post partum eiusdem virginitate, condemnatus sit » [DENZ. 256].

S. AMBROSIUS, *De institutione Virginis et S. Mariae virginitate perpetua,* c. 8: PL 16, 334: « Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, et genitalia virginitatis non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, et inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex virgine... ».

Idem etiam docent S. AUGUSTINUS, *Epist. 137 ad Volusianum,* c. 2,

n. 8: PL 33, 519; S. HIERONYMUS, *Epist. 48,* 21: PL 22, 510, aliique plures SS. Patres. Quae quidem Traditionis christianae testimonia sic paucis verbis exprimit PETAVIUS, *De Incarnatione,* lib. 14, c. 6 [*Opera omnia,* VII, Parisiis, 1876, p. 76]: « Illud tamen ex Patrum omnium decreto pro certo tenendum est, quod catholica universa profitetur Ecclesia, beatissimam Virginem, hoc quidquid sit, quo a maritatis discerni virgines possunt, illibatum in partu integrumque retinuisse ». [116]

Et communiter docetur hanc doctrinam esse tenendam fide divina et catholica. At, nonnulli moderni auctores putant virginitatem B. Virginis in partu haud consistere in aliqua incorruptibilitate, et virginitatem in partu dicunt univocam esse cum virginitate ante partum. Cf. MITTERER A., *Dogma und Biologie der heiligen Familie,* Wien 1952, pp. 122-124; GALOT J., S. I., *La virginité de Marie et la naissance de Jésus,* in *Nouvelle Revue Théologique,* 92 (1960), pp. 449-470.

[32] *Praefatio de Beata Maria Virgine.*

[33] S. GERMANUS CONSTANTINOPOLITANUS, *In Sanctae Dei Genitricis dormitionem, Sermo 1*: PG 98, 346-347: « Neque fieri poterant, ut quae Dei capax vasculum esses, emortuum corpus corrumpente difflueres pulvere » [347]; « Tu iuxta quod scriptum est, speciosa es, tuumque illud corpus virginale, totum sanctum est, totum castum, totum Dei domicilium; ut ideo quoque a resolutione in pulverem deinceps sit liberum... » [346]. « Quia enim is, qui in te fuerat exinanitus, Deus erat a principio, ac vita saeculis antiquior; utique *par quoque* erat ut Vitae Mater, Vitae pariter contubernalis fieret; dormitionemque somni instar susciperet; ac migrationem haud secus atque expergefactionem, ceu Vitae Parens, subiret... » [347].

S. IOANNES DAMASCENUS, *Homilia 2 in dormitione B. V. M.,* n. 14: PG 96, 741 [BALIC C., O.F.M., *Testimonia de assumptione B. V. Mariae ex omnibus saeculis,* pars prior: Ex aetate ante Concilium Tridentinum, Romae 1948, p. 89]: « Necesse enim fuit divinum illud domicilium... penetralibus terrae minime concludi, sed sicut sanctum illud incorruptumque corpus ex ipsa [assumptum et] cum Deo Verbo hypostatice coniunctum tertia die e monumento surrexit, sic etiam ipsam e sepulchro eripi, Matremque ad Filium transmigrare... *Necesse* fuit eam quae Deum Verbum uteri sui hospitio exceperat in tabernacula Filii sui deferri... *Necesse* fuit eius quae in partu virginitatem sine labe servaverat incorruptum etiam post mortem corpus servari. *Necesse* fuit eam quae Creatorem ut infantem sinu gestaverat in divinis degere tabernaculis. *Necesse* fuit Sponsam quam Pater sibi desponsaverat, caelestibus immorare thalamis. *Necesse* fuit eam quae Filium suum in cruce conspiciens, gladium quem pariendo effugerat, pectore tunc exceperat, Ipsum Patri considentem spectare oculis. *Necesse* fuit Dei Matrem ea quae Filii essent possidere, et ut Matrem Dei et ancillam coli ab omni creatura ».

Cf. PIUS XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: AAS 42 (1950) pp. 758 ss., ubi afferuntur argumenta Patrum et theologorum, inter quos liceat afferre S. BELLARMINUM qui ait [p. 766]: « Et quis, obsecro, credere posset, arcam sanctitatis, domicilium Verbi, templum Spiritus Sancti corruisse? Exhorret plane animus meus vel cogitare car-

[117] nem illam virgineam, quae Deum genuit, peperit, aluit, gestavit, vel in cinerem esse conversam, vel in escam vermibus traditam ».

Et S. FRANCISCUS SALESIUS adiungit [*Ibid.*]: « Quinam filius, si posset, matrem suam ad vitam non revocaret, atque eam post mortem in Paradisum non adduceret? ». Utique, concludit S. ALPHONSUS [*Ibid.*]: « Iesus Mariae corpus post mortem corrumpi noluit, cum in suum dedecus redundaret virginalem eius carnem in tabem redigi, ex qua suam ipsemet carnem assumpserat ».

[34] PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: Acta Pii IX, pars I, vol. I, pp. 597-598: « Quapropter illam longe ante omnes Angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta, eam innocentiae ac sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 635: « Nullum igitur dubium est Mariam Sanctissimam dignitate sua omnes res creatas excellere itemque super omnes post Filium suum obtinere primatum ».

Cf. S. BONAVENTURA, *In III Sent.,* d. 9, a. 1, q. 3, in sol. [ed. Quaracchi III, 206 a]: « Quoniam [Maria] excellentissimum nomen habet, ita quod excellentius purae creaturae convenire non potest, ideo non tantum debetur ei honor *duliae,* sed *hyperduliae...* Ex hoc enim quod Mater Dei est, praelata est ceteris creaturis, et eam prae ceteris decens est honorari et venerari ».

[35] PIUS VII, Breve *Quod divino,* 24 ian. 1806 [*Documentos marianos,* n. 235]: « Quod divino afflata spiritu beatissima ac gloriosa Dei Genetrix Virgo Maria de se ipsa praenuntiavit generationes omnes beatam illam nuncupaturas, id sane non modo prioribus Ecclesiae saeculis impletum novimus, cum toto terrarum orbe ad eius honorem templa aedificata fuerint, atque arae erectae, verum etiam aucta quotidie magis fidelium pietate erga amantissimam Parentem nostram, ac gratiarum omnium dispensatricem, maiori semper devotionis ardore, alia aliis successerint monumenta pietatis et quaedam praesertim loca inscrutabili Dei consilio, constituta sint, in quibus peculiari beatae Virginis intercessione quaedam mira veniunt, quae in aliis aeque contigisse novimus ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: AAS 45 (1953) p. 582: « ... inde ab antiquissima Ecclesiae aetate, hoc doctrinae caput [scilicet doctrina de cultu B. V. Mariae] cotidie magis inclaruit, ac cotidie latius viguit cum apud sacros Pastores, tum in mente animoque christianae plebis ».

Cf. Decreta CONC. NICAENI II et CONC. TRID. de sacris imaginibus sive Christi sive « intemeratae dominae nostrae sanctae Dei genitricis », sive sanctorum in genere: « honor qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant... » [DENZ. 302, 986].

[36] BENEDICTUS XIV, Bulla aurea *Gloriosae Dominae,* 27 sept. 1748 [*Documentos Marianos,* n. 210]: « Gloriosae Dominae, Dei Genitricis Mariae cultum ac venerationem, Dei manifesta voluntate ac veraci semper

Ecclesiae spiritu, magnopere commendari, nec minus iuste quam fructuose eidem a fidelibus exhiberi, adeo manifestum esse non dubitamus, ut ad christianorum corda religioso devotionis studio erga eam inflammanda apostolicae adhortationes Nostrae superfluae propemodum fore videantur. Sicut enim omnipotens Deus hanc virginem electam ex millibus, et ad ineffabilem divinae maternitatis dignitatem Angelo nuntiante evectam, gratiae suae donis abundantius prae ceteris omnibus puris creaturis replevit, ac splendidissimis gloriae coronis super alia omnia manuum suarum opera decoravit; sic etiam Catholica Ecclesia, Sancti Spiritus magisterio edocta, eamdem, et tamquam Domini ac Redemptoris sui Parentem caelitus ac terrae Reginam impensissimis obsequiis colere, et tamquam amantissimam Matrem, extrema, Sponsi sui morientis voce sibi relictam, filialis pietatis affectu prosequi studiosissime semper professa est ». [118]

LEO XIII, Litt. Encycl. *Augustissimae Virginis Mariae,* 12 sept. 1897: Acta Leonis XIII, XVII, p. 285: « Augustissimae Virginis Mariae foveri assidue cultum et contentiore quotidie studio promoveri quisque perspiciet, qui secum reputaverit, quam excelso dignitatis et gloriae fastigio Deus ipsam collocavit ».

PIUS XII, *Nuntius Radioph. Christifidelibus datus ob conventum marialem e tota Argentina in urbe Luján coadunatum*: AAS 39 (1947) p. 628: « El culto a la Madre de Dios, por Ella misma profetizado cuando anunció: " Beatam me dicent omnes generationes ", es un *elemento fundamental* en la vida cristiana... Honremosla, pues, reconociendo el brillo sin par de su hermosura, los primores de su bondad y lo irresistible de su poder; por la excelsitud de sus virtudes y por la dignidad incomparable de su misión, reverenciémosla proclamando su grandeza, manifestándole nuestro respeto y pidiéndole su intercesión; finalmente, imitémosla sin cejar en tan noble empeño... ».

PIUS XII, Epist. Apost. *Ex hoc,* 25 mart. 1950: AAS 42 (1950) p. 717: « " Ex hoc, ut ait Sanctus Bonaventura, quod Virgo Maria effecta est Dei Mater, est effecta Mater omnium creaturarum "; idcirco, tantae Parenti dicata, plurima per orbem surgunt Templa, e quibus praecipua ac maiore Christifidelium concursu commendata, e Romanorum Pontificum instituto potiore dignitate solent decorari ».

IOANNES XXIII, *La presenza dell'insegnamento di Cristo e del patrocinio di Maria nel cuore di ogni fedele*: *L'Oss. Rom.,* 18 aug. 1960: « Accanto a Gesù la Madre sua Maria. All'indomani della celebrazione della celebrità dell'Assunta, il sentimento filiale si rivolge con fiducia ed affetto verso tanta Madre, per la quale i cattolici nutrono la più alta e sentita devozione. Qualcuno, già in passato, ha voluto criticare questo sentimento, quasi si trattasse di un'adorazione, che è dovuta a Dio solo. È chiaro invece che i cattolici venerano la Madre di Gesù con tutto il loro entusiasmo, ben sapendo che, a causa delle sue prerogative, del suo insigne privilegio d'essere la Madre del Figlio di Dio fatto Uomo, dei doni dal Signore ricevuti e della sua potenza d'intercessione, Ella è la creatura che sulla terra più si avvicina a Dio... Noi dunque portiamo sempre Gesù nel cuore: fonte di fortezza, di consolazione, di ogni conforto. Del pari abbiamo con noi sempre l'immagine di Maria; e tanta Madre aiuta

[119] ogni suo figlio nei vari momenti della esistenza; sorregge a raggiungere bene la meta che a ciascuno è assegnata quaggiù di conoscere, cioè amare, servire il Signore; di praticare le virtù della carità e della pazienza, segnatamente durante le prove che la vita ci offre, sempre continuando nella sicurezza dei beni eterni. Così, questo l'augurio del Padre comune delle anime, Gesù e Maria ci salvino e ci benedicano sempre! ».

[37] PIUS XII, *Nuntius Radioph. Iis qui interfuerunt conventui internationali mariologico-mariano* Romae habito: AAS 46 (1954) p. 679: « Ita etiam haec disciplina [mariologica] recta illa media via procedere poterit, qua et ab omni falsa et immodica veritatis superlatione caveat et ab illis se segreget, qui vano quodam agitantur timore, ne Beatissimae Virgini plus aequo concedant aut, ut non raro dictitant Matre honorata et pie invocata, ipsi Divino Redemptori aliquid honoris et fiduciae detrahant ».

PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954: AAS 46 (1954) p. 637: « In his tamen aliisque quaestionibus ad Beatam Virginem spectantibus, curent theologi ac divini verbi praecones ut quasdam e recto itinere aberrationes devitent, ne in duplicis generis errores inducantur; caveant nempe et sententias fundamento carentes ac veritatem quadam verborum superlatione excedentes, et nimiam mentis angustiam in singulari illa, omnino excelsa, immo fere divina Deiparae dignitate consideranda, quam quidem Doctor Angelicus eidem agnoscendam esse docet " ex dono infinito quod est Deus " ».

[38] S. PIUS X, Litt. Encycl. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: Acta Pii X, pp. 155-156: « Nullus quidem honor Mariae optabilior, nullus iucundior quam ut noscamus rite et amemus Iesum. Sint igitur fidelium celebritates in templis, sint festi apparatus, sint laetitiae civium; quae res omnes non mediocres usus afferunt ad pietatem fovendam. Verumtamen nisi his voluntas animi accedat, formas habebimus, quae speciem tantum offerant religionis. Has Virgo quum videat, iusta reprehensione Christi verbis in nos utetur: " *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me* ". Nam ea demum est germana adversus Deiparentem religio, quae profluat animo... Quapropter hoc quisque persuasum habeat: si pietas, quam in Virginem beatissimam quis profitetur, non eum a peccato retinet, vel pravos emendandi mores consilium non indit, fucatam esse pietatem ac fallacem, utpote quae proprio nativoque careat fructu... Quamvis autem deceat filios Matris sanctissimae nullam praeterire laudem quin imitentur; illas tamen Eiusdem virtutes ipsos fideles assequi prae ceteris desideramus, quae principes sunt ac veluti nervi atque artus christianae sapientiae: fidem inquimus, spem et caritatem in Deum atque homines... ».

PIUS XII, *Allocutio pro canonizatione Beati Ludovici de Montfort,* 21 iul. 1947: AAS 39 (1947) p. 413: « La vraie dévotion, celle de la tradition, celle de l'Eglise, celle, dirions-Nous, du bon sens chrétien et catholique, tend essentiellement vers l'union à Jésus, sous la conduite de Marie ».

IOANNES XXIII, *Epist. ad Card. Mimmi,* 2 oct. 1960: AAS 52 (1960) p. 498: « Qui autem pia Deiparae Virginis tutela confidunt, et cum ipsa volunt claros referre triumphos, probe necesse est, ipsius decorentur virtutibus et maternis dotibus utpote filii sincerae indolis emineant. Nam

ita hortatur illa suos, ut currant in odorem unguentorum suorum [*Cant.* 1, 3]: " *Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei... In me omnis spes vitae et virtutis* " ». [120]

Cf. S. AMBROSIUS, *De virginibus,* lib. II, c. 2, n. 15: PL 16, 210 B: « Talis enim fuit Maria, ut eius unius vita, omnium sit disciplina ».

S. BONAVENTURA, *Sermo I De Purificatione* [Opera IX, 638 A]: « Verum est quod Virgo gloriosa perfectissime habuit omnes virtutes... ».

[39] S. AUGUSTINUS, *De sancta virginitate,* c. 3: PL 40, 398.

[40] PETRUS MOGHILA in sua Confessione scribit: « De beatissima Virgine quae cum tantum mysterium digna facta sit persolvere, omnes orthodoxi ipsam honore debito ac reverentia prosequi tenentur » [cf. GORDILLO M., *Mariologia Orientalis,* Romae 1954, p. 259].

Aethiopes confitentur « testante Sacra Scriptura Deiparam honorandam esse » [*Ibid.,* p. 261]. Certissimum est quod cultus Beatissimae Virginis in Oriente christiano longe superat cultum aliorum Sanctorum, etsi non adhibetur terminus « hyperdulia ».

[41] LEO XIII, Litt. Encycl. *Fidentem piumque,* 20 sept. 1896: Acta Leonis XIII, XVI, p. 287.

LEO XIII misit Congressui Mariano Liburnensi poema:

« *Virgine favente, fiat unum ovile!*
Auspicium felix! Orientis personat oras;
Vox lapsa e caelo, personat occiduas:
Una fides Christi, Pastor regat unus ovile,
Dispersas gentes colligat unus amor.
Virgo, fave: errantes, ah! lumine mater amico
Respice, et Unigenae iunge benigna tuo ».

[Cf. *Documentos Marianos,* n. 423].

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Dei,* 12 nov. 1923: AAS 15 (1923) p. 581: « Alterum unitatis reconciliandae vinculum cum Orientalibus Slavis in eorum singulari studio erga magnam Dei Matrem Virginem ac pietate continetur, eos ab haereticis compluribus seiungens, nobisque efficiens propiores ».

[42] PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926: AAS 18 (1926) p. 83: « Communibus autem benigne adrideat foveatque coeptis sanctissima Regina Apostolorum Maria, quae, cum homines universos in Calvaria habuerit materno animo suo commendatos, non minus eos fovet ac diligit, qui se fuisse a Christo Iesu redemptos ignorant, quam qui ipsius redemptionis beneficiis fruuntur feliciter ».

Cf. LAURENTIN R., *Lettre sur le problème de la maternité de Marie à l'égard des infidèles,* in: *L'Union Missionnaire du Clergé de France,* 13, n. 4 (oct. 1953), pp. 148-155.

[43] LEO XIII, Litt. Encycl. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: Leonis XIII P. M. Acta, XV, pp. 302 ss.;

BEA A., S. I., « *Erant perseverantes... cum Maria Matre Iesu... in communicatione fractionis panis* » (*Atti 1, 14; 2, 42*), in: *Alma Socia Christi,* VI, fasc. I: « De B. V. Maria et SS. Eucharistia », Romae 1952, pp. 36-37: « quegli anni erano anzitutto per la nascente Chiesa una prima

[121] e preziosa esperienza quasi tangibile di quella materna cura e sollecitudine della mediatrice e madre, che poi, nel corso dei secoli, si doveva manifestare sempre più luminosamente e si manifesterà sino alla fine dei tempi ».

Cf. *L'Ausiliatrice nel domma e nel culto,* relazioni presentate al Congresso Mariologico Internazionale del 1950, Torino 1950; *L'Immacolata Ausiliatrice,* relazioni commemorative dell'anno mariano 1954, Torino 1955.

[44] Pius IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: Acta Pii IX, pars I, vol. I, p. 617: « Certissima vero spe et omni prorsus fiducia nitimur fore, ut ipsa beatissima Virgo... velit validissimo suo patrocinio, efficere, ut... omnes errantes discussa mentis caligine ad veritatis ac iustitiae semitam redeant, ac fiant unum ovile et unus pastor ».

Pius XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: AAS 42 (1950) p. 769: « Futurum enim sperandum est ut christifideles omnes ad impensiorem erga caelestem Matrem pietatem excitentur; utque eorum omnium animi, qui christiano gloriantur nomine, ad desiderium moveantur Mystici Iesu Christi Corporis participandae unitatis... ».

[45] Leo XIII, Litt. Encycl. *Fidentem piumque,* 20 sept. 1896: Acta Leonis XIII, XVI, p. 287: « Ut igitur ad eam, tamquam ad unitatis fautricem et custodem eximiam, recte se Ecclesia exoriens precando adiunxit, id similiter his temporibus per orbem catholicum fieri peropportunum est; ... caleat ubique huiusmodi precis studium, ad propositum in primis sanctae unitatis. Neque aliud quidquam Mariae gratius acceptiusque fuerit, utpote quae Christo maxime coniuncta, maximopere id cupiat et velit ut qui uno eodemque donati sunt eius baptismate, una omnes eademque fide perfectaque caritate cum ipso et inter se cohaereant ».

Pius XII, Litt. Encycl. *Fulgens Corona,* 8 sept. 1953: AAS 45 (1953) pp. 590-591: « Ac praeterea eos etiam, qui ob vetus schisma a Nobis seiuncti sunt, et quos ceteroquin paterno adamamus animo, ad has effundendas concordes preces supplicationesque advocamus, quandoquidem probe novimus eosdem almam Iesu Christi Genetricem venerari quam maxime eiusque intaminatum celebrare conceptum. Cernat eadem beata Virgo Maria eos universos, qui se christianos esse gloriantur, caritatis saltem vinculis coniunctos, suppliciter oculos, animos, precesque ad ipsam convertere, lucem illam impetrantes, quae mentes superno lumine collustret, atque illam efflagitantes unitatem, qua tandem aliquando fiat unum ovile et unus Pastor ».

[46] Mansi, *Conciliorum amplissima collectio,* IV, 1287-1288.

Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Lux veritatis,* 25 dec. 1931: AAS 23 (1931) p. 515: « Redeant ad communem Patrem, cuius sententiam omnes Ephesinae Synodi Patres observantissime exceperunt, quemque concordi plausu « custodem fidei » consalutarunt; ad Nos redeant omnes qui paternum omnino in eos gerimus animum, quique libenter amantissima illa verba facimus Nostra, quibus Cyrillus Nestorium enixe adhortatus est ut « Ecclesiarum pax conservetur, dilectionisque et concordiae vinculum inter Dei sacerdotes indissolubile permaneat ». Et remittit ad Mansi IV, 891, ubi verba Cyrilli prostant.

Nuncupatio Vicarii Christi tamquam « custodis fidei » et sermo de *acclamatione Caelestini* prostat apud MANSI, IV, 1287 [cf. 1288]; cf. etiam SCHWARZ, *A.C.O.*, t. I, vol. I, P. III, p. 57, l. 25: « Omnes reverendissimi episcopi *simul acclamaverunt*: Hoc iustum iudicium. Novo Paulo Caelestino, novo Paulo Cyrillo, *Caelestino custodi fidei,* Caelestino cum Synodo concordi, *Caelestino universa synodus gratias agit. Unus Caelestinus, unus Cyrillus, una fides orbis terrarum* ». [122]

2 – RELATIO EM.MI P. D. ALFREDI CARD. OTTAVIANI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE DOCTRINA FIDEI ET MORUM

Venerabiles Patres,

Exhibiturus vestro examini schema constitutionis *de Ecclesia,* illud vobis commendo utpote praeparatum diligentissima cura a fere 70 membris commissionis praeparatoriae, deinde examinatum a commissione centrali et, subiectis igitur propositionibus factis a membris commissionis centralis, a commissione emendationum fuit etiam perpensum. Hinc, post hoc iter, Summus Pontifex iussit ut illud exhiberetur vobis examinandum.

Cura eorum qui praeparaverunt schema fuit, ut quam maxime pastorale esset, biblicum et etiam accessibile captui etiam multitudinum, non scholasticum sed potius forma quadam actualiter ab omnibus comprehendenda. Dico haec quia exspecto audire solitas litanias Patrum Conciliarium: non est oecumenicum, est scholasticum, non est pastorale, est negativum et alia huiusmodi.

Immo vobis aliquam confidentiam debeo facere. Puto me et relatores incassum esse locuturos quia iam res praeiudicata est. Illi enim qui solent dicere: tolle! tolle! substitue illud!, illi iam sunt parati hoc proelium facere. Vobis revelationem quamdam facio: antequam schema istud distribueretur, audite! audite!, antequam distribueretur, iam conficiebatur schema substituendum. Igitur ante praevisa merita iam iudicatum est!

Non restat inde, ut taceam, quia docet Sacra Scriptura: ubi non est auditus noli effundere sermonem. Dixi.

Textus scripto traditus:

Exhibens vestro examini constitutionis *de Ecclesia* schema, non insistam in eius commentario, quandoquidem munus est relatoris ad id selecti, videlicet exc.mi Franji Franić, ep. Spalatensis, commissionis theologicae membri eximii.

Ceterum puto me et ipsum relatorem invanum esse locuturos; iam enim praeiudicata mens est eorum, qui suetas litanias conciliares recitabunt sine fine dicentes: « schema non est pastorale, non est oecumenicum, est negativum, est scholasticum » et ita porro.

Immo praeiudicata opinio eorum qui dicent: « tolle, tolle, substitue illud », manifestabatur iam « ante praevisa merita ». Prae manibus habeo aliud schema, audite audite, quod paratum fuerat iam antequam distributum fuerit schema officiale, iussu Summi Pontificis nobis transmissum discutiendum.

Porro nescio qua reverentia erga Summum Pontificem praeparatio praevia iam initio mensis novembris alterius schematis facta fuerit.

Itaque nihil aliud habeo quod dicam, recordatus verborum Sacrae Scripturae « ubi auditus non est, non effundas sermonem » (*Eccl.* 32, 6). Dixi.

3 – RELATIO EXC.MI P. D. FRANCISCI FRANIĆ
Episcopi Spalatensis et Macarscensis

Em.mi Principes, venerabiles Fratres,

Post dicta a sua eminentia card. commissionis de fide et moribus praeside, liceat mihi summam schematis *de Ecclesia* vobis exponere, simulque causas, ob quas schema tractet quaestiones quae in illo inveniuntur et non alias, indicare.

In genere, dicendum est schema nostrum tractare tantummodo de illis quaestionibus, quae secundum iudicium maioris partis episcoporum, in eorum postulatis expressum, ab hodiernis rerum adiunctis vere requiruntur. Ideoque commissio praeparatoria theologica noluit tractatum *de Ecclesia* conficere.

In specie, dicendum:

Cap. I, de Ecclesiae militantis natura, ad hoc tendit ut claris verbis ostendat inter corpus Christi mysticum et Ecclesiam visibilem, inter Ecclesiam iuridicam et Ecclesiam pneumaticam, uti dicunt, seu Ecclesiam caritatis, nullam esse distinctionem realem, sed istos terminos tantummodo diversos aspectus unius eiusdemque rei significare.

In II capite agitur de illis, qui vero et proprio sensu membra Ecclesiae vocantur, i. e. de membris ex quibus Ecclesia, uti est una et indivisibilis, indefectibilis et infallibilis, in unitate fidei, sacramentorum et regiminis coalescit. Utrum vero etiam alii quidam membra Ecclesiae in sensu quodam improprio *seu analogico* [1] dici possint, necne, in textu vobis praesentato nihil dicitur. Ideoque haec quaestio liberae disputationi relinquitur.

De membris Ecclesiae in sensu proprio et vero sumptis per plures dies disputationes in sessionibus plenariis commissionis theologicae prae-

paratoriae protractae sunt, diversis theologis diversimode opinantibus. Demum per suffragium petitum et latum ab omnibus membris et consultoribus dictae commissionis, decisum est, ut doctrina in Encyclicis Litteris *Corporis Mystici* Pii Pp. XII exposita retineretur.

Commissio tamen praeparatoria operam magna cum sollicitudine dedit, ut modo quoque positivo indicaret vincula, quibus pia Mater Ecclesia scit se esse coniunctam cum omnibus illis, qui veram fidem vel unitatem communionis sub Romano Pontifice non profiteantur, tamen desiderio, etsi inscio, ea cupiant, et singulari modo *scit se esse coniunctam* [2] cum illis, qui baptismate Christi suscepto, amanter in Christum, ut in Deum et Salvatorem suum, etsi non fide catholica, credant.

Capp. III et IV agunt *de episcopatu.* De hac quaestione, uti notum est, iam Concilium Vaticanum I tractare coeperat et hodie inter quaestiones valde agitatas merito adnumerari potest. Ideo omnes ab hoc nostro Concilio exspectant ut *ipse de episcopatu tractet.*[3]

In cap. III quaestio inter scholas per saecula disputata, diebus nostris ad solutionem perducta, definitive dirimitur. Sollemniter etenim proclamatur episcopatum esse supremum gradum Sacramenti Ordinis. Contra hanc solutionem in commissione theologica praeparatoria nulla oppositio exorta est.

Neminem latet magnum momentum doctrinale huius sollemnis affirmationis conciliaris, qua via lata progressui theologiae de episcopatu aperitur, theologiae inquam, quae plenam suam evolutionem adhuc desiderat.

Cum multa in quaestionibus de episcopatu adhuc sub lite remaneant, commissio praeparatoria, in cap. IV, tantummodo de episcopis residentialibus pertractare decrevit. Omnia quae in hoc capite vobis proposita sunt ad discutiendum nobis videbantur esse certa. Schema vero *commissionis theologicae* [4] de omnibus aliis quaestionibus de quibus hisce ultimis temporibus multa dicta et scripta sunt, sed quas theologice immaturas et non satis discussas esse commissio iudicavit, tacet *hoc schema.*[5]

Consulto omissa sunt in schemate problemata practica de gubernio Ecclesiae et de conferentiis episcopalibus, quia commissio theologica nostra praeparatoria iudicaverat illa problemata non pertinere ad se, sed ad aliam commissionem, tractantem dispositiones disciplinares mutationibus obnoxias, non vero immutabiles dogmaticas veritates, quae pro omnibus temporibus valere debent.

Cap. V de statibus evangelicae acquirendae perfectionis agit. Quod schema huius capitis postulante commissione praeparatoria de Religiosis compositum est, et in eo tantum principia dogmatica quibus innititur posterior evolutio horum statuum in Ecclesia dantur.

Cap. VI schematis tractat *de laicis,* et quidem sub aspectu stricte dogmatico. Quae in hoc capite continentur quoad substantiam correspondent illis, quae in commissione theologorum ad Primum Congressum Internationalem de laicis praeparandum erant discussa. Modo peculiari caput tractat quaestionem de sacerdotio universali christianorum. Putavimus has quaestiones, sicut illas de episcopis, pro vita actuali Ecclesiae esse maximi momenti.

Omnia vero quae ad organizationem laicorum apostolatus spectant, a commissione competenti praeparatoria de apostolatu laicorum pertractata sunt. Nostrum erat tantummodo principia universalia et immutabilia tradere, quae pro omnibus temporibus et locis valent et valebunt.

In cap. VII, cui titulus *de Ecclesiae magisterio,* tractantur quaestiones nostris temporibus agitatae, quae ad magisterium authenticum ordinarium et extraordinarium tam Summi Pontificis quam praesertim episcoporum sese referunt. Prae oculis habentes necessitates hodiernas necnon postulata episcoporum, plura addita sunt de magisterio auxiliari tam theologorum quam parochorum et praedicatorum necnon de illis quae laici quoque ad doctrinam catholicam melius penetrandam et postulatis hodiernis accommodandam pertinent. Nec errores quosdam silentio praeterire potuimus in fine huius capitis.

Cap. VIII agit *de auctoritate et oboedientia in Ecclesia.* Omnes videmus in mundo nostro moderno auctoritatem in crisim positam esse, quae crisis auctoritatis etiam quosdam filios Ecclesiae aliquantulum afficere videtur. Propterea multi episcopi postulaverunt ut in Concilio de oboedientia Ecclesiae debita pertractaretur, etiam quando non agitur de assensu fidei praestando definitionibus infallibilibus, sed de oboedientia erga Pastores qui legitima auctoritate, a Deo accepta, fruuntur. Istis desideriis episcoporum hoc in capite satisfacere studuimus.

In fine capitis, in art. 39, problema de opinione publica in Ecclesia tractatur, vobisque proponitur ad meditandum atque, si opus est, ad discutiendum *sicut et cetera.*[6] Hanc quaestionem quoque silentio praeterire non potuimus ob eius momentum in vita actuali Ecclesiae. Opinio publica sane Corpori Christi mystico tam ad bonum quam ad malum *multum*[7] conferre potest.

Cap. IX agit *de relationibus inter Ecclesiam et Statum.* Episcopi plurimi ex regionibus maxime diversis postulaverunt ut de his difficillimis quaestionibus in Concilio tractaretur. In capite nonnisi principia quibus regitur praxis Ecclesiae in hoc campo exponuntur. Caput tacet de tolerantia religiosa, quia de hac quaestione peculiare schema a commissione mixta theologica et secretariatus pro unione praeparari debet.

Cap. X habet titulum *de necessitate Ecclesiae annuntiandi Evange-

lium omnibus gentibus et ubique terrarum. Hodie enim ubique terrarum et non solum inter catholicos quaestiones quae ad missiones et ad propagandum Evangelium sese referunt, multum agitantur. Ideo necessarium visum est sermonem instituere de necessitate quae Ecclesiae incumbit omnibus populis Evangelium annuntiandi et de vocatione et iure Ecclesiae istam missionem divinitus acceptam adimplendam.

Cap. XI tractat *de Oecumenismo,* sub respectu tamen stricte principiorum dogmaticorum. Hoc caput differt a constitutione quam *de Oecumenismo* secretariatus ad unionem fovendam inter christianos composuit. In constitutione enim secretariatus traduntur quoque normae practicae, secundum quas, iudicio dicti secretariatus, actio oecumenica exercenda est. In nostra commissione satis disputatum est de quibusdam quaestionibus ad principia dogmatica pertinentibus de hac materia, *quae est* [8] valde momentosa pro nostris temporibus. Et em.mus praeses huius commissionis ad suffragium membrorum quandoque recurrebat.

Omnes quaestiones in omnibus capitibus tractantur modo positivo per expositionem doctrinae catholicae. Non sine gravi ratione in quibusdam casibus recensentur atque reprobantur errores. « Ut per magisterium infallibile Concilii Vaticani II errores et pericula contra fidem et mores clarius omnibus innotescant ». Haec erat intentio generalis apostolatus orationis pro mense octobri huius anni, approbata a nostro Summo et amantissimo Pontifice Ioanne XXIII feliciter regnante. Haec erat quoque intentio nostra, ut scilicet per negationem errorum veritas positiva et maiore luce clarescat. Quandoque enim his in terris veritatem clarius per negationem quam per affirmationem cognoscere valemus. Quae ergo magno cum labore praeparavimus per centum fere sessiones, vestrae sententiae, venerabiles Fratres, nunc submittimus. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] de episcopatu tractetur. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest.

Praeses card. FRINGS: Incipit disceptatio generalis de hoc schemate summi momenti secundum ius et officium huius almi consessus.

4 – PATRUM ORATIONES

1

EM.MUS P. D. ACHILLES CARD. LIÉNART
Episcopus Insulensis

Venerabiles Fratres,

Gaudeo quod schema praesens, sicut et illud olim in Concilio Vaticano I propositum, a capitulo incipiat Corpori Christi Mystico dicato. Ecclesia enim quae fidei nostrae proponitur credenda non mere societas humana est, sed verum ac magnum mysterium, illud nempe « quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est... Gentes esse cohaeredes, et concorporales et comparticipes promissionis eius in Christo Iesu », *sicut dicebat Paulus ad Ephesios.*[1]

Iure igitur ab illo inchoari debuit studium omne de Ecclesia, cum non fides tantum, sed amor et devotio nostra erga ipsam in istud fundentur.

Mysterium tamen semper manet, stricto sensu, quod captum mentis superet. Intentio igitur huius decreti in hoc stare debet non ut illud explicet, cum ad hoc impar sit, sed ut illud rite exponat, iuxta datam revelationem, quae duplex quo constituitur elementum nobis praebet, invisibile unum, visibile aliud, unica tamen inde exsurgente Ecclesia; quemadmodum de mysterio Christi loquendo, duplicem in ipso naturam unicamque personam profitemur.

Summe vero cavendum est ne formulae modusve loquendi de Ecclesia, illud mysterium corrumpant; ne taliter, verbi gratia, enuntietur relatio Ecclesiae romanae ad Corpus Mysticum eorumque identitas, quasi Corpus Mysticum intra fines Ecclesiae romanae totaliter includeretur. Est enim Ecclesia romana verum Christi Corpus quin tamen illud exhauriat.

Ad Corpus etenim Christi Mysticum pertinent quotquot iustificentur, cum nulla detur hominibus gratia quae non sit Christi gratia, cumque nemo iustificetur quin Christo incorporetur. Ad Ecclesiam vero romanam non pertinent nisi qui baptismi sacramento rite suscepto, ei sunt aggregati, quique fidei communionisque vincula non abnuerunt.

Corpus ergo Mysticum multo latius extenditur quam Ecclesia romana militans. Amplectitur etiam Ecclesiam in purgatorio dolentem et Ecclesiam in caelo triumphantem.

Et quid dicam de christianis separatis, qui tamen per baptismum validum in Christo sunt sepulti ut in eo ad vitam supernaturalem reviviscant et in eo inserti maneant? Doleo quod Ecclesiae romanae alieni non gaudeant nobiscum de omnibus donis supernaturalibus quorum illa est dispensatrix; sed non auderem dicere quod nullo modo Corpori Christi Mystico adhaereant, quamvis non sint in Ecclesia catholica incorporati. Unde apparet quod Ecclesia nostra, quamvis sit visibilis manifestatio Corporis Mystici Iesu Christi, non possit cum eo absolute, sensu dicto, identificari.

Ceteroquin non dicere auderem, ad illam identitatem statuendam, ...[2] quod « Ecclesia eo ipso quod Corpus est, oculis cernitur » cum hoc de Ecclesia caelesti, quae Corpus Christi perfectiori modo manet, non sit verum; nec comparatio ex corpore sumpta in hoc stet, sed in unitate organica qua multitudo membrorum, officiorum et charismatum unum quid efficitur, cuius vitale principium sit gratia Christi et anima eius Spiritus.

Ideo enixe peto quod art. 7 cap. I, quo Ecclesia catholica Corpori Mystico absolute aequiparatur, deleatur; et quod schema istud penitus recognoscatur, ita ut Ecclesia Christi minus sub aspectu mere iuridico appareat, sed potius in natura sua mystica plene resplendeat. *Velint credere Patres, quod has animadversiones non spiritu contentionis et oppositionis ductus protuli, sed veritatis amore. Amicus Plato, magis amica veritas.*[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Eph.* 3, 5-6). [2] (pag. 10, lin. 36). [3] deest.

2

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Fratres,

Schema hoc, universe consideratum, mihi placet; argumenta enim theologica et simul pastoralia, equidem maximi momenti, videntur mihi ibi tractata scienter et diligenter, secundum doctrinam vere catholicam. Quocirca venerandis Patribus, consultoribus atque peritis, qui eidem schemati praeparando et conficiendo operam navarunt suam, dignos existimo qui grato animo valde laudentur.

Spe autem fretus aliquid ...[1] afferre posse ad schema quodammodo perficiendum, nonnulla humiliter propono.

Primo. Cum omnes Patres conciliares facile exoptent, ne de eisdem argumentis in pluribus schematibus tractetur, puto in schemate praesenti *de Ecclesia* omittenda esse: cap. V, *de statibus evangelicae acquirendae perfectionis*; cap. VI, *de laicis*; cap. XI, *ut iam dictum est,*[2] *de Oecumenismo.* Nam de iis — ut iam didicimus — fuse agetur in tribus peculiaribus et distinctis schematibus, in quibus oportebit ut initio uniuscuiusque *schematis*[3] principia generalia dogmatica, quae ad rem pertinent, ...[4] affirmentur.

Porro incongrue — ut opinor — tractatur *de Ecclesiae necessitate ad salutem* in cap. II, quod est *de membris Ecclesiae.* Melius esset coniungere necessitatem cum Ecclesiae natura in I capite; immo optima haberetur rerum ordinatio si in cap. I cum Ecclesiae natura coniungatur Ecclesiae *finis,* ex quo aperte consequerentur tum Ecclesiae necessitas *ad salutem,*[5] tum etiam *Ecclesiae*[6] necessitas annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum, *quae necessitas altera illustratur cap. X schematis.*[7]

Quapropter tota constitutio dogmatica *de Ecclesia,* etiam ad brevitati consulendum, contrahi posset, *ni fallor,*[8] in septem capita, nempe:

Cap. I: de Ecclesiae natura et fine (vocabulum « militantis » omitti potest, quia de nulla alia Ecclesia in Concilio est sermo).

Cap. II: de membris Ecclesiae.

Cap. III: de potestate Ordinis (singulariter de sacerdotio simplici et de ...[9] episcopatu, qui est Sacramenti Ordinis gradus maximus).

Cap. IV: de potestate iurisdictionis.

Cap. V: de Ecclesiae magisterio.

Cap. VI: de oboedientia Ecclesiae regimini et magisterio exhibenda.

Cap. VII: de relationibus inter Ecclesiam et societatem civilem seu Statum.

Insuper desiderarem ut, agendo de Ecclesia quae est una et unica a Christo Domino super « Kepha » condita, dicatur *simul etiam*[10] de communitatibus catholicis orientalibus, quas orientales Ecclesias, lato quidem sensu, appellari malunt; et id propono, ne fidelibus christianis videamur admittere plures Ecclesias, vel saltem duas, nempe occidentalem ...[11] et orientalem.

Principia enim dogmatica communia sunt catholicis omnibus, tum occidentalibus tum orientalibus. Nihil autem obstat quominus venerandae consuetudines antiquae et legitima privilegia ex utraque parte servari possint.

In cap. IV, quod *sic*[12] propono: *de potestate iurisdictionis,* apte

statui posset quaenam potestas opportune agnoscenda sit collegiis episcoporum, conferentiis episcopalibus regionalibus et nationalibus, necnon regimini patriarchali in oriente, religiose servato semper et ubique primatu regiminis et magisterii Romani Pontificis pro universa Ecclesia.

Demum, hic illic *aliquot locutiones, ut mihi videtur,*[13] non satis accuratae sunt. Duo affero exempla:

...[14] Membra Corporis Mystici Christi gratia et caritate privata *bis in pagina 11*[15] dicuntur aegrota, cum verius *ea*[16] sint mortua, iuxta illud S. Iacobi apostoli: « peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem »...[17]

Item, eadem pag. 11: Ecclesia *vocatur, et quidem, ut reor, haud recte, una persona, mystica* (*loco Corporis*) *in Christo Iesu. Et ut id confirmetur perperam omnino mutatur testimonium biblicum, ad Gal. 3, 28, quod sic laudatur in schemate*: « *Omnes enim vos unus — unus — estis in Christo Iesu* », *cum in textu sacro non inveniatur unus, sed unum, quod certe non est idem!*[18]

Sed[19] de iis peculiaribus animadversionibus sermo opportunus erit, quando, si Deus permiserit, de singulis capitibus disceptabitur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] me. [2] deest. [3] deest. [4] clare. [5] deest. [6] deest. [7] et sic supervacaneum fieret etiam cap. X. [8] deest. [9] plenitudine sacerdotii scil. de. [10] quoque. [11] (seu Romanam). [12] inscribendum. [13] in schemate locutiones. [14] In pag. 11, lin. 22 et 29. [15] deest. [16] deest. [17] (*Iac.* 1, 13); nemo autem gratia et caritate privatur nisi per peccatum. Cf. Conc. Trid., sess. VI, decr. de iustificatione, cap. 7: « Fides, nisi ad eam spes accedat *et caritas,* neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit » (Denz. 800). [18] dicitur esse una persona, mystica sane, in Christo Iesu. Si loco « corporis mystici », quae est locutio consueta, unio fidelium cum Christo appellatur « persona mystica », ponendum puto ante « personam » adverbium « quasi », nempe « quasi-persona ». Et ita satis bene coniunguntur duae variantes lectiones v. 28 cap. 3 ep. *ad Gal.*: nam cum in pluribus codicibus legatur εἷς ἐστε = « unus estis », in aliis invenitur ἕν ἐστε = « unum estis » (vulgata refert lectionem hanc « unum »). [19] Ceterum.

3

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. BUENO Y MONREAL
Archiepiscopus Hispalensis

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesia* valde complexum est. Multis enim elementis constat, multaque etiam vincula sunt quibus et haec elementa constitutiva inter se, et Ecclesia cum aliis institutionibus devinciuntur.

Observationes *nunc proponendae tantum* [1] ad elementum theologicum doctrinale quo totum schema fulcitur *attinent.*[2] Alii Patres, ut spero, eius elementum iuridicum doctrinale perpendent; alii *perpendent etiam* [3] innumera problemata quae ex his duobus respectibus, theologico et iuridico, suscitantur.

In ordine theologico schema multa habet laudanda, quae continuo singillatim indicabo. Non tamen ex omni parte perfectum est, et singula etiam proferam quae, meo submisso iudicio, perfici possent.

1. Ecclesia catholica Corpus Christi Mysticum est. Haec conclusio habetur in n. 7 et desumitur ex Litteris Encyclicis *Mystici Corporis* et *Humani Generis.* Ad hanc conclusionem schema venit pedetentim per sex numeros praecedentes logice constructos. Sed hoc Corpus Mysticum:

a) ex voluntate Conditoris est Corpus sociale, uno principio compactum, Petro scilicet et episcopis sub ipso;

b) et est Corpus vivum, cohaerens igitur in principiis intime vivificantibus: Gratia scilicet et Spiritus Sanctus. Schema *de Ecclesia,* si alterius horum elementorum expers fuisset, mendosum etiam esset et falsum.

Igitur Ecclesia est simul societas et organismum biologicum aut supernaturaliter vivum vel mysticum:

a) In I capite, ubi fundamentum doctrinale schematis proponitur, uterque aspectus, et socialis et mysticus, quantitative ponderati inveniuntur. *Duobus* [4] alluditur, *iisdem vel aliis verbis,*[5] in septem numeris huius capituli.

b) Qualitative vero maioris ...[6] fit aspectus biologicus vel mysticus quam aspectus socialis; tum quia ille ut finis *petitur, socialis vero ut medium;*[7] tum quia aspectus mysticus ut elementum vivificans *proponitur. Legatur* [8] e. gr. totus n. 5 in quo perspicue elucet prioritas *quantitativa huius* [9] aspectus mystici.

Occasione vero huius quaestionis de Ecclesia-Corpore Mystico, vellem *quaedam* [10] interrogare: Qualis est valor quem Concilium dare intendit suis declarationibus doctrinalibus? Haec enim duo desumuntur

ex ordinario magisterio: Spiritum esse Corporis Mystici animam et Ecclesiam romanam esse Corpus Mysticum. Primum docetur a Leone XIII et a Pio XII; secundum vero a Pio XII, in Enc. Litt. *Mystici Corporis,* et iterum in Encyclicis *Humani generis* ut repugnantium *sententias* [11] reprobaret. Approbatio formularum in Concilio estne actus sollemnis magisterii?

2. Post dicta circa adspectum mysticum, vellem *breve commentarium intexere* [12] circa socialem adspectum Ecclesiae prout in schemate apparet.

a) Character socialis, qui tantum rationem medii habet ut homines sanctificationem vitamque divinam consequantur, tria Christi munera praesupponit, magistri nempe, sacerdotis et regis, de quibus iam in n. 2 cap. I agitur. Quae munera Christus Petro ceterisque pastoribus sub ipso continuanda reliquit, sicut in n. 3 *testificatur.*[13]

b) Deinde, schematis expositione decurrente, apprime officia magistri et regis declarantur, quatenus Ecclesia, Christi nomine, docet et gubernat: cf. cap. VII et cap. X, in quibus sermo est de praedicatione et de magisterio; et cf. insuper cap. VIII, quod « de regimine » *sermonem facit.*[14]

Meum non est *nunc in praesenti* [15] dicere *utrum* [16] omnia quae in istis capitibus asseruntur recta sint vel *non.*[17] Suo *tempore, quando* [18] de capitibus singillatim *discussio proponatur, ista omnia consideranda erunt. Nunc satis est declarare quaestiones de magisterio et de regimine in istis capitibus tractari.*[19]

c) Sed e contra non agitur ...[20] ex professo de sacerdotio. Verum quidem est *integrum* [21] cap. III agere de episcopatu et sacerdotio. In illo tamen non directe de ipso sacerdotio agitur, sed potius de episcopatu qua supremo sacerdotii gradu; necnon de presbyteris qui sub episcopis veri sacerdotes sunt agnoscendi. *Sed* [22] de sacerdotii natura, missione et mediatione necessario exercenda ratione ipsius characteris sacerdotalis *nihil dicitur.*[23] Lacuna huiusmodi omnino impleri debet, ne elementum vere essentiale oblivioni mandetur. Nihil etiam de ministerio inferiori v. gr. de diaconatu *saltem innuitur. Videretur quod quid saltem innui oporteret.*[24]

Nonnulla *tantum* [25] animadvertenda sunt ut schema perfectius evadat.

a) Uti modo dicebamus, necessarium est cap. III ita redigere ut elementum sacerdotale in schemate non praetermittatur.

b) Prooemium item addendum puto, quo Ecclesia Christi ...[26] proponatur tamquam Sion, civitas sancta, quam Deus posuit omnibus ...[27] ut lucem, ductricem et salutem *omnibus nempe gentibus,*[28] eo vel magis quod hodiernus mundus *iis* [29] valde indiget.

c) Denique, ni *fallitur,*[30] deest adhuc caput aliquod in quo de-

clarare oporteret societatem huiusmodi, Ecclesiam dicimus, praeter elementa divinitus instituta nec proinde mutabilia, alia elementa seu institutiones habere quae decursu temporum sunt exorta prout necessitates et circumstantiae locorum deposcebant. Haec *omnia possunt abs dubio* [31] reformari et novis institutionibus substitui. *Huiusmodi* [32] quaestio forsitan occurret agendo de ecclesiastica disciplina, sed *et* [33] in hac parte et in hoc schemate eam declarare oporteret quatenus agitur de quaestione radices habente theologicas.

d) De cetero, ad mensam *continuo* [34] afferuntur textus iam exarati quibus prooemii et cap. *II* [35] idea exprimitur, utique omnium lumine in Concilio perficienda. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] tantum proponam. [2] attinentes. [3] vero. [4] Eisdem. [5] deest. [6] iure. [7] his vero ut medium proponitur. [8] praesentatur; sic. [9] qualitativa. [10] deest. [11] sententiam. [12] breviter quaedam notare. [13] declaratur. [14] agit. [15] in praesentiarum. [16] an. [17] minus. [18] momento, agentes. [19] haec consideranda venient. [20] in schemate. [21] deest. [22] Nihil vero dicitur. [23] deest. [24] dicitur; videtur de eo quid saltem innuendum. [25] adhuc. [26] coram universo mundo. [27] gentibus. [28] deest. [29] hac luce, ductu et salute. [30] fallor. [31] elementa possunt ut patet. [32] haec. [33] iam. [34] secretariatus. [35] addendi.

4

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KOENIG
Archiepiscopus Vindobonensis

Em.me Praeses, Patres venerandi,

In schemate praeiacente ingens et pretiosus labor commissionis theologicae praeparatoriae continetur, quod omnino extolli debet. Attamen non pauca schematis in genere *serio* [1] examini subicienda sunt.

1. Mihi videtur schema brevius esse redigendum, ne disputationes sine fine excitentur. Commissio theologica, v. g., disceptatione in genere finita, statim extrahat e schemate quae ...[2] sunt quaestiones legitime disputatae inter theologos, et ea ...[3] quae tractabuntur in schematibus futuris, v. g. de laicis, *et alia sicut exposuit etiam* [4] card. Ruffini.

2. Cum Ecclesia nationales communitates transcendit, nationesque in toto orbe in dies magis inter se appropinquabunt et christiani cum non-christianis in commercio civili aliquem modum communem vivendi sortiuntur, non multum iuvabit tantum iura Ecclesiae extollere (cf. *cap. X* [5]), sed potius extollere munus nobile Ecclesiae portandi Evan-

gelii praeconium ad omnes gentes, portandi simul beneficia multiplicia pro toto genere humano. Schema non potest non loqui de voluntate sincera erga populos non-christianos ...[6] eorumque auctoritates, leges, traditiones. Voluntas Ecclesiae efferenda est contribuendi ad eorum verum progressum necnon felicitatem in vera caritate et humilitate christiana. Pro Ecclesia requiritur appellatio ad magnum bonum libertatis religiosae, quod omnes civitates hodie agnoscere et protegere volunt atque saepius ab iisdem solemniter proclamatum est. Haec fortassis in casu particulari unius alteriusque nationis minus consentaneum esse videtur. Sed bonum commune totius Ecclesiae praecedit...[7]

3. Loquendo de Ecclesiae natura (cf. cap. I) non omittatur v. g. indoles eschatologica *Ecclesiae,*[8] stricta subordinatio Ecclesiae sub Christo, qualis sit relatio inter elementum institutionale et charismaticum, et pauca desiderantur de ministerio verbi et de dispensatione mysteriorum Dei, quibus praesens manet Christi opus salutiferum et exspectatur regnum Dei futurum.

4. Ubi de necessitate Ecclesiae agitur (cf. cap. II) sermo est de hac necessitate pro salute sub respectu tantum individui. Sed, mihi videtur, ostendenda esset etiam necessitas Ecclesiae pro toto genere humano in quantum est unitas collectiva. Theologi non pauci Ecclesiam *hodie*[9] tamquam sacramentum radicale humani generis considerant, ex quo sequeretur, quod non-baptizati non tantum voto mere subiectivo sed etiam rationibus obiectivis ad Ecclesiam ordinantur, v. g. participatione eiusdem naturae humanae, quam Christus assumpsit.

Capp. III et IV (ubi de episcopatu et de episcopis residentialibus agitur), praemittenda videtur brevis expositio de populo Dei, quia potestas episcopalis et sacerdotalis est medium necessarium ad aedificationem huius populi Dei. Cum igitur de tali medio agitur etiam de fine verbum dicendum est, ut relatio medii ad finem recte percipiatur. Capp. III et IV insuper non videntur separanda, sed potius unico capite de hierarchia comprehendi, ubi imprimis de episcopis esset agendum, initium sumendo de collegio episcoporum, quod in cap. IV, in fine, invenitur.

Cap. V brevius fieri possit.

Cap. VII, *de Ecclesiae magisterio,* et cap. VIII, *de auctoritate et oboedientia in Ecclesia,* brevius redactum uniantur, nam in utroque capite de auctoritate et de oboedientia agendum est quia sunt notiones correlativae. Insuper in cap. VII, *de Ecclesiae magisterio,* breviter exponatur, quomodo Ecclesiae vel universo populo credentium competit indefectibilitas in fide. Nam fideles non tantum accipiunt doctrinam a magisterio authentico, sed etiam influunt, ut communitas fidelium, sensu positivo, in magisterium. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] adhuc. [3] quoque. [4] (cf. dicta. [5] v. g. cap. X schematis). [6] (« concives » non christianos). [7] (missionarii v. g. obligationes habent erga civitates non christianas earunque legitimas auctoritates). [8] deest. [9] deest.

5

Em.mus P. D. BERNARDUS card. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Fratres,

Ne spatium statutum transgrediar, omnia multa, quae in hoc schemate de Ecclesia laudanda sunt, omittam. Sequentes generales observationes facere liceat.

1. In hac constitutione *de Ecclesia* plurima tractantur, quae etiam ab aliis commissionibus praeparatoriis investigata sunt; sic de episcopis, de collegio episcoporum, de laicis, de statibus perfectionis acquirendae, de relationibus inter Ecclesiam et Statum, de oecumenismo. Nullibi autem patet inter diversas commissiones quandam coordinationem fuisse institutam. Ne Concilium Vaticanum II inanibus et superfluis laboribus suffocetur, desiderandum videtur ut prius coordinatio desiderata locum habeat, ne Concilio de eisdem materiis diversa schemata proponantur.

2. In hac constitutione definitur Ecclesia ut Corpus Christi, quod propter sensum biblicum maxime est laudandum. Quaeri autem potest an hoc schema non nimis premat sensum externum huius imaginis, scl. comparationem cum quodam organismo vitali quod ex variis membris constat, quin de eiusdem organismi vita interiore sufficienti modo sermo sit. Ita *factum* [1] videtur, ut in cap. II, de iis, qui per vitam gratiae in vita Christi Domini gloriosi participant (etsi non in sensu pleno membra Ecclesiae dici possunt), et de eorum relatione ad Ecclesiam modo satis vago et, ut ita dicam, minimalistico sermo fiat.

3. Mirum remanet quodam modo quod in hac constitutione in cap. IV de episcopis residentialibus sermo fiat et non de munere episcopali qua tali. Tertia pars omnium episcoporum qui in hac amplissima aula praesentes sunt, non sunt episcopi residentiales sed mere titulares. Quid de eorum munere et positione in Ecclesia Christi? Nonne omnibus episcopis Ecclesiae, sive residentialibus sive titularibus, quoddam commune est, quod tractandum esset antequam de episcopis residentialibus sermo esset, supposito quod de iis adhuc sermo facienda esset, si de episcopatu in genere est tractatum?

4. Quod in hoc cap. IV de collegio episcoporum dicitur, modo sat negativo enuntiatum videtur. Dicitur quidem in n. 16, quod collegium episcoporum — utique « una cum capite suo et numquam sine hoc capite » — « unum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam » constituit; sed immediate additur, quod haec potestas in universam Ecclesiam « nonnisi modo extraordinario » exercetur. Si haec verba dicere volunt quod haec potestas non exercetur nisi « quando, quomodo et quousque id Iesu Christi Vicario in terris videtur in Domino expedire », sicut in hoc numero dicitur, nulla remanet difficultas, saltem si hoc in loco de Conciliis Oecumenicis sermo est, sicuti ex annotationibus huic n. *16* [2] additis concludendum videtur. Quid autem de magisterio ordinario corporis episcoporum, quod extra Concilia Oecumenica exercetur, sicuti in cap. VII fusius tractatur? Videtur ergo quaedam adesse inconcinnitas inter cap. IV et cap. VII.

In hac materia videtur in disceptationibus Concilii Vaticani I iam adesse fundamentum quoddam validum alicuius theologiae de collegio episcoporum, quod in hoc schemate omnino aut fere omnino siletur, specialiter in relatione officiali relatoris episcopi Zinelli, *in adnotatione* [3] in pag. 30, n. 16 nominata, et in schemate constitutionis, quod paraverat P. Kleutgen.

Episcopus Zinelli locutus est in Concilio Vaticano I ut sequitur: « Igitur episcopi congregati cum capite in Concilio Oecumenico, aut dispersi sed cum suo capite, vere plenam potestatem habent » et quidem, sicut in phrasi antecedente dixerat, « in omnes fideles ». Antequam de exercitio huius potestatis sermo fit, in schemate nostro hoc principium statuendum videtur, ut de natura et de ambitu huius potestatis disserendum esset; ut patet, primatu S. Petri et Summi Pontificis *omnino* [4] servato.

5. In cap. IX, quod de relationibus inter Ecclesiam et Statum tractat, nimis videtur insisti in iuribus Ecclesiae, quae quidem iura nemo nostrum negare vult, ita ut desiderentur quaedam enuntiata de libertate quam Ecclesia permittere potest, forte et debet iis, qui non ad Ecclesiam pertinent. Mundus hodiernus forte magis expectat quae Concilium Vaticanum II de hac libertate religiosa dicenda habet quam *nova expositio* [5] iurium Ecclesiae ipsius, etsi ab alia parte necesse non est de illis silere.

6. Tandem aliquando proponere vellem, ut constitutio *de Beata Maria Virgine* organice cum constitutione *de Ecclesia* coniungatur. *Piissima* [6] enim Mater Domini ita arcte cum Ecclesia Christi coniuncta est (ut prima redemptorum, ut omnium credentium Mater, ut omnium nostrum exemplum, tam in credendo quam in perfecta consummatione ac-

cepta) ut valde apte eius figura in medio Ecclesiae collocatur, etsi omnes credentes superat.

Conclusio haec erit: rogare vellem, ut ante sessionem secundam huius Concilii Vaticani II, hoc schema de Ecclesia reformetur a nova commissione mixta, quam Summus Pontifex benigne instituere voluit, ratione habita omnium quae aliae commissiones praeparatoriae de iisdem materiis praeparaverunt...[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] accidi. [2] deest. [3] deest. [4] omnimodo intacto. [5] novam expositionem. [6] Beatissima. [7] Exemplum quoddam alterius structurae huius schematis in scriptis secretariatui generali tradam.

Schema secretariatui traditum:

Pars prima: de Ecclesiae natura.

Cap. I: de Ecclesia ut populo Dei, qui est modo sacramentali ipsum corpus Christi.

Cap. II: de necessitate ad salutem Ecclesiae et de membris Ecclesiae.

Cap. III: de munere ecclesiali et de laicis.

A) Collegium hierarchicum sub capite successoris Petri.

De hierarchia seu de regimine collegiali Ecclesiae sub capite successoris Petri (in hoc capite etiam agendum est de ipso magisterio, de quo separate non est agendum).

De presbyteris.

De diaconibus (coll. cum aliis schematibus quae de hac quaestione tractant).

B) Christifideles ut laici (cap. VI huius schematis).

Cap. IV: de charactere missionario Ecclesiae.

Pars secunda: de Ecclesia relate ad fratres christianos separatos.

Pars tertia: de Ecclesia relate ad vocationem terrestrem et relate ad Statum.

Pars quarta:

A) De charactere eschatologico Ecclesiae in genere.

B) De charactere eschatologico Ecclesiae prout peculiari modo significatur in statibus evangelicae acquirendae perfectionis (cap. V huius schematis).

C) De B. M. V., figura eschatologica Ecclesiae.

6

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Em.me Praeses, venerabiles Fratres,

Schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* omnes partes bene et, ut in maioribus, adaequate tractant de propriis materiis. Totalitas tamen minime tradit doctrinam adaequatam de natura et vita Ecclesiae.

Multa dicit et bene dicit schema, sed multa etiam desunt de quibus tractandum esset. Attamen ...[1] defectus inveniendus est, non in simplici carentia pro qua facile suppleri posset, sed in ipsa methodo seu systemate, secundum quam procedit schema.

Potestates magisterii, iurisdictionis, et ordinis — cuiuscumque sint momenti —, principia sunt non totius, sed tantum alicuius partis activitatis et vitae Ecclesiae. Ideoque insufficientes sunt, ut ex eis construatur, vel deducatur doctrina de Ecclesia. Quia hanc methodum *sic*[2] sequitur schema, conceptus Ecclesiae quem praebet est omnino inadaequatus, et, ut ita dicam, claudus. Liceat mihi insufficientiam huius methodi illustrare, indicando aliquos defectus in doctrina schematis.

Essentialem Ecclesiae sanctitatem schema intelligit consistere principaliter — ne dicam totaliter —, in causalitate instrumentali relate ad sanctitatem membrorum. Quasi nihil dicit schema de ipsa formali Ecclesiae sanctitate, de qua scripsit S. Paulus: « Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret »...[3]

Secundum exemplum profero: munus servandi, custodiendi et exponendi depositum fidei schema considerat solummodo ex parte magisterii, cuius officium et ius esse exclusivum possimus concludere. Attamen, hoc munus est totius Ecclesiae; tantum partem eiusdem exercet magisterium. Omnia membra Ecclesiae — utique etiam simplices christifideles —, partem habent certissime in servando et custodiendo, probabiliter etiam in exponendo depositum fidei. Et christifidelibus pars est, non ex gratia, seu ex indulto magisterii, sed ex eorum charactere christiano.

Tertium exemplum habeatur totum cap. IX, quod loquitur de relatione inter Ecclesiam et Statum. Doctrinam necessitatibus hodiernis adaptam expectantes, invenimus solummodo principiorum applicationem ad circumstantias quae, numquam universales, iam per totum saeculum, etiam in particulari, desunt. Ceterum, ut mihi videtur, ad hanc materiam ab omni controversia inutili removendam, Concilium debet iuris publici reddere, constitutione dogmatica relicta, decretum de libertate conscientiae et religionis omnibus concedenda.

Sunt etiam alii defectus, exempli gratia absentia considerationis ordinatae cultus Ecclesiae, et omnes dimanant ex insufficientia radicis et fundamenti. Ecclesia est ipse Christus mystice vivens et operans in omnibus membris, in quibus omnibus vivit et operatur etiam Spiritus Sanctus, ipsius Christi Spiritus. Nonnisi per talem conceptum possumus intelligere ipsam Ecclesiam et « operationem in mensuram uniuscuiusque membri » secundum quam crescet Ecclesia in « aedificationem sui in caritate »...[4] Ipsa Ecclesia, ergo, in Christo, per Christum et cum Chri-

sto docet, cultum offert, sanctificat et sanctificatur et aliquomodo regit et regnat. Omne Ecclesiae membrum habet suam partem in huiusmodi activitatibus et vita, unumquodque secundum propriam mensuram.

In iis propositionibus, ut mihi videtur, iam continetur adumbratio secundum quam schema clarius et adaequatius componi potest. Officium huius Concilii — si non maximum, saltem unum ex paucis maioribus officiis — est suaviter, clare et adaequate indicare quid sentiat Ecclesia de seipsa, quid dicat Ecclesia seipsam esse.

Et debemus indicare quid de seipsa Ecclesia *hodie* sentiat; non possumus, revertendo ad conceptus partiales tridentinos et vaticanos, praetermittere theologicos recentioris temporis labores qui tantam perfectionem dederunt conceptui et intellectui Ecclesiae, Corporis Mystici Christi.

Pro mea parte, ergo, velim ut schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* revideatur et recognoscatur secundum praefatas observationes. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] secundum meum humile iudicium. [2] deest. [3] ... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata » (*Eph.* 5, 25 ss.). [4] (*Eph.* 4, 16).

7

EXC.MUS P. D. LUCIANUS BERNACKI

Episcopus tit. Melensis, aux. Gnesnensis

Venerabiles Fratres,

Pauca tantum dicere mihi permitto.[1]

Inter capita schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* quae generaliter placet, non invenitur caput, ut mihi videtur, essentiale, scilicet *de Summo Pontifice, visibili capite Ecclesiae.* Capitis istius absentia nullo respectu excusari potest, ne facto quidem, quod illa veritas in Concilio Vaticano I iam tractata sit. Schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* capite isto carere non debet. Est enim caput essentiale doctrinae de Ecclesia...[2]

Capitis specialis *de Summo Pontifice* carentia in praesenti schemate dolenda est, non solum ratione integritatis doctrinae, sed etiam respectu ad nostros fratres separatos. Papatus est veritas revelata, cui ab omnibus fratribus separatis contradicitur. Est ille evangelicus lapis angularis aedi-

ficii Ecclesiae Christi, quem reiecerunt reiciuntque. Qua de causa, Concilii generalis gravissimum mihi videtur officium hanc doctrinam ...[3] convenienti modo sublineare, et quidem ratione finis sui pastoralis et unitivi, ut illa veritas revelata et pro fide nostra fundamentalis, lucide exponatur, Patrumque scriptis factisque historicis fundetur, ut *ita etiam* [4] reditus in Patris universalis domum fratribus nostris separatis faciliteteur.

Papatus non est quaedam institutio humana. In agnoscendo aut reiciendo papatum, non agitur de aliqua praerogativa humana reicienda aut agnoscenda, *neque* [5] de quodam iure praecedentiae ambitionibus humanis fundato. Papatus est in primis veritas a Christo Domino ipso revelata uti fundamentum, supra quod Christus Dominus unicam Ecclesiam suam extruere intendit et revera extruxit. Adverte insuper, Christum Ecclesiam suam fundantem, non distinguere Ecclesiam orientalem inter et occidentalem; loquendo simpliciter de unica Ecclesia sua.

Tales distinctiones ac: oriens, occidens, patriarchatus, cardinalatus et similia alia, *quamquam valde importantia et nunc temporis necessaria et inevitabilia, tamen Ecclesiae non sunt* [6] essentialia. Quapropter omnino carent ulla ratione proportionata ad quamcumque scissionem vel separationem in Ecclesiae sinu iustificandam. Essentiale problema, quod quaevis *communitas christiana* [7] sibi ponere debet, perscrutando num sit vera Christi Ecclesia an non, consistit in eo: num constitutio eius interna respondeat constitutioni quam Christus Dominus Ecclesiae suae dedit; quam constitutionem Iesus Christus implicite determinavit ad apostolum dicendo: « Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam »...[8] Qui textus sacer olim multimodis argumentis, praesertim a fratribus nostris separatis protestantibus, impugnatus, nunc temporis confirmationem novam authenticitatis suae recepit a codicibus antiquissimis in Aegypto repertis emptisque, qui nunc bibliothecam Marianam *in Geneva* [9] ornant. Papyri illi, peritorum iudicio, primis annis saeculi secundi adscribendi sunt. Non ergo timeamus ne veritas de Ecclesiae Petra validissimis argumentis recentioribus roborata et ita fratribus nostris separatis explicata lapis scandali eis *inveniri* [10] possit.

Salvator noster divinus non gratis nobis inculcat adagium: « Veritas liberabit vos », et pro circumstantiis vere desperatis hanc alteram exhortationem ad Petrum direxit: « Duc in altum »; verbis ergo Christi fisi, ne timeamus *veritatem dogmaticam* [11] de visibili Ecclesiae capite omnibus clare profundeque in mentem revocare.

Quapropter, quamquam minimus episcoporum, rev.mis Patribus, ut schema nostrum *de Ecclesia* speciali de Summo Pontifice capite locupletetur, enixe rogo.

Aliquas alias observationes particulares, paucis verbis facere mihi liceat.

Sub n. 7 schematis *de Ecclesia,* omnino recte affirmatur nos profiteri « non esse nisi unicam veram Iesu Christi Ecclesiam, eam nempe, quam in symbolo, unam, sanctam, catholicam et apostolicam celebramus ».

Quas proprietates, vel notas Ecclesiae a Concilio Nicaeno et Constantinopolitano I elaboratas fuisse constat, ut illis proprietatibus clarius appareret veritas Ecclesiae comparatae cum iam a saeculo apostolico erumpentibus communitatibus religiosis, quae Christi Ecclesiam se profitebantur, etsi verae Christi Ecclesiae proprietatibus *carentes.*[12]

Aetate nostra, alia adhuc Ecclesiae nota seu proprietas uti essentialis apparet digna, ut non modo in communem Ecclesiae catholicae veritatem exponendi modum introducatur, sed etiam ad iam exsistentes Ecclesiae *proprietates vel*[13] notas quae in symbolo enumerantur adiungatur; scilicet, nota *petrinitatis,* quae nota enuntiat: veram Christi Ecclesiam esse non posse, nisi fundatam super S. Petrum eiusque legitimum successorem.

Fortasse obiicietur notam illam esse nimis controversam et pro fratribus nostris separatis scandali fore; qua ratione melius esset eam non nimis sublineare in Concilio, quod — etsi sensu secundario —, tamen unitivum esse debet. Ad quod respondendum...[14]:

1. Antiquae Ecclesiae notae, in symbolo enumeratae, ultimis saeculis vim suam distinctivam sub certo respectu perdiderunt eo quod sic dictae « denominationes separatae », notas illas subiective eas interpretando, etiam pro seipsis usurpant.

2. Petrinitatis nota, e contra, in suo fonte et in applicatione sua obiectiva et historica non potest applicari nisi Ecclesiae nostrae catholicae. Est enim:

a) a Christo Domino ipso promulgata ...[15]

b) concretam, scilicet physicam, S. Petri personam respicit *eiusque successores.*[16]

c) Persistentia eius historica in Ecclesia romana ininterrupta Petri successorum serie facile demonstrari potest.

d) Exsistentia valorque eius demonstrativus explicita convictione Patrum priorum saeculorum historice demonstratur.

Est ergo nota illa omnino obiectiva et historica; et plus quam antiquae Ecclesiae notae, demonstrativa; quia Christum Dominum ipsum auctorem maxime competentem habet, neque ullo modo obiectivo, nisi ad Ecclesiam catholicam romanam applicari potest: quod patet.

Quapropter, opportunissimum censeo, notam *petrinitatis* in schemate nostro, non solum profundius explanandam esse, sed insuper eam,

priorum Conciliorum exemplo, *salvo tamen meliori iudicio venerabilium Patrum,*[17] symbolo inserendam esse, ita ut textus respectivus symboli sequens evadat: « ... Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam necnon petrinam Ecclesiam credo ».

Ne venerabilium Patrum Concilii patientia abutar, paucissimis adhuc verbis me referre liceat ad cap. IX, *de relationibus inter Ecclesiam et Statum,* sub n. 42, pag. 66. Agitur hic de officio potestatis civilis adiuvandi homines, ut facilius cognoscere et agnoscere possint Deum et officia Deo debita adimplere. Relate ad vigentes semperque profecto duraturas difficultates, quas Ecclesia Christi, variis regionibus, in officio suo homines docendi habet et habitura est, spero valde utile fore, si post lin. 4, pag. 66, addantur verba sequentia: « Quapropter societas civilis, inter alias, speciali obligatione tenetur Ecclesiae libertatem et media praestare, ut magisterium suum, quam amplius in omnes omnisque status homines fructuose exercere possit ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] In praesenti schemate veritas dogmatica de Petro Summo Pastore eiusque successoribus non tractari videtur nisi accidentaliter, vide e. g. cap. 1, n. 7; cap. 4, n. 14 et 16; cap. 7, nn. 30-31. Ad quae annumerari possunt nn. 6 et 7 schematis *de Ecclesiae unitate.* [3] non postponere, sed. [4] deest. [5] vel. [6] sunt productus indolis humanae, consequenter Ecclesiae non. [7] Ecclesia. [8] (*Mt.* 16, 18). [9] Friburgi. [10] evenire. [11] deest. [12] carerent. [13] deest. [14] duco. [15] (*Mt.* 16, 18). [16] deest. [17] deest.

Praeses: Interrumpitur per aliquot momenta disceptatio de schemate, ut secretarius generalis annuntiet exitum votationis hodie factae.

Secretarius generalis: Circa propositionem de decreto *de unitate Ecclesiae* votum tulerunt Patres: 2.112.

Dederunt votum *Placet*	2.068
Non Placet	36
Vota nulla	8

Duae tertiae partes erant 1.048 suffragia. Itaque propositio approbata est.

8

EXC.MUS P. D. AEMILIUS DE SMEDT
Episcopus Brugensis

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesia* possidet qualitates reales. Progressus insignis, qui his ultimis *annis* [1] factus est in doctrina de Ecclesia apud theologos, et in conscientia ecclesiali apud fideles, non sine influxu fuit in redactione schematis. Ea, v. g., quae dicuntur de Corpore Mystico, de episcopatu et de laicis, sunt profunda et vigorosa.

His nonobstantibus, fatendum est quod schema in multis defectuosum est. Quaedam dicere velim de ipsa conceptione Ecclesiae, quae his capitibus schematis subest. Haec conceptio Ecclesiae mihi videtur ex una parte deficiens in spiritu oecumenico, et ex alia parte, aliena a modo quo doctrina ...[2] a Concilio ...[3] doctoribus et praedicatoribus fidei praesentanda est. Vestris cogitationibus submittere liceat sequentem quaestionem: nonne schema emendandum est a quodam triumphalismo, a quodam clericalismo, a quodam iuridismo? *En tres partes.*[4]

1. *Triumphalismus.* Schema nimium indulget illo stylo pomposo, romantico, cui assueti sumus in *L'Osservatore Romano* et in aliis documentis romanis. Vita Ecclesiae praesentatur ac si esset concatenatio triumphorum militantis Ecclesiae; *v. g. iam in ipso titulo* [5] « de Ecclesiae militantis natura », « de membris Ecclesiae militantis »; *vel si videre vultis in pag. 10, in primis lineis:* [6] « Itaque — scribitur — novus hic populus... non tamquam effusa turba sed ut confertum agmen procedit, quod esca spirituali nutritum et de spirituali consequente illud petra potatum, portis inferi et insidiis diaboli victor adversans, ad finem usque saeculi... perdurabit ».

Hic stylus parum congruus est [7] cum realitate, cum statu reali populi *Dei,*[8] quem humilis Dominus Iesus appellavit: « pusillus grex ». Haec *tam aliena* [9] ab anima serena et tranquilla fratrum orientalium, ab aspiratione universi *generis humani* [10] ad pacem. Quam parum hae concordant cum iis quae dicenda essent, sed non dicuntur, circa gravissimum problema modernum de libertate religiosa!

2. *Clericalismus. In primis schematis capitibus* [11] praevalet traditionalis pictura Ecclesiae. Cognoscitis pyramidem: papa, episcopi, sacerdotes, qui praesunt quique, potestatibus acceptis, docent, sanctificant, gubernant; dum, in basi, populus christianus magis receptive se habet, et quodam modo secundum locum videtur occupare *in Ecclesia.*[12]

Notandum est quod hierarchica potestas est tantummodo aliquid transitorium. Pertinet ad statum viae. In altera vita, in statu definitivo, iam non habebit obiectum, quia electi *ad perfectionem,*[13] ad perfectam in Christi unitatem pervenerunt. Id quod permanet, est populus Dei; id quod transit, est ministerium hierarchiae.

In populo Dei, omnes sumus alii cum aliis coniuncti et eadem iura et officia fundamentalia habemus. Omnes participamus regali sacerdotio populi Dei. Papa est unus ex fidelibus; episcopi, sacerdotes, laici, religiosi, omnes sumus fideles. Ad eadem sacramenta accedimus, remissione peccatorum, pane eucharistico et verbo Dei indigemus omnes, et ad eamdem patriam tendimus, per misericordiam Dei...[14]

Sed quamdiu populus Dei in via est, Christus eum ad perfectionem adducit mediante hierarchiae sacro ministerio. Omnis potestas in Ecclesia est ad ministrandum, ad serviendum: ministerium verbi, ministerium gratiae, ministerium gubernationis. Non venimus ministrari, sed ministrare.

Cavere debemus, ne in loquendo de Ecclesia, cadamus in aliquem hierarchismum, *in aliquem clericalismum, in aliquam episcopolatriam vel papolatriam.*[15] Id quod praevalet est populus Dei; huic Dei populo, huic Verbi sponsae, huic vivo sacrario Spiritus Sancti, hierarchia suppeditare debet humilia sua servitia ut crescat et perveniat ad virum perfectum, ad plenitudinem Christi. Huius crescentis vitae *hierarchia*[16] bona mater est: Mater Ecclesia.

3. *Iuridismus.* Ex *recentibus*[17] disquisitionibus historicis et theologicis resultat quod maternitas Ecclesiae fuit veluti centrum primitivae christianae Ecclesiologiae. In schemate *nostro,*[18] desideratur profundior exquisitio conceptus theologici: Mater Ecclesia. Omnes baptizati sunt filii Ecclesiae. Valido baptismate, omnes christiani a Matre Ecclesia generantur. Quocumque modo et in quovis christiano coetu degunt, iure Ecclesiae filii sunt. Eius filii semper manent, sanguinem christianum semper in venis suis habent. De facto fratres sunt et permanent, etiam cum a reliquis fratribus *sunt separati.*[19] Vinculum generationis numquam amittitur, neque Matris Ecclesiae dilectio erga filios *unquam cessat,*[20] sive prope sunt, sive a longe manent.

Et quando nunc,[21] sub hoc respectu, legimus ea quae passim, sed praesertim in pagg. 15 et 16, scribuntur, videre est ad quas aberrationes perveniri potest quando Ecclesia consideratur modo pure iuridico, vel, ut melius dicam, aprioristico. Quando sermo est de membris Ecclesiae, *schema sic ratiocinatur:*[22] membrum Ecclesiae est tantummodo ille qui..., atqui..., ergo... *A priori sic ratiocinatur et pervenit ad conclusionem:*[23] reliqui iam non *sunt*[24] sensu proprio membra Ecclesiae. *Sic Mater non*

loquitur; talis modus procedendi, non solum non est bona theologia, sed non est modus loquendi quem bona mater sibi sese permittere potest.[25]

Concludo: triumphalismus, clericalismus, iuridismus: en tria puncta, inter alia, in hoc schemate emendanda; initio dixi hoc schema multa optima continere; et revera arbitror hoc schema a defectibus purgatum, materiam praebere splendidae constitutionis *de Ecclesia*; ideo opto ut a Concilio statuatur praesens schema remittendum esse ad commissionem ut emendetur.

In textu scripto tradito: [1] decenniis. [2] de Ecclesia. [3] ipsis. [4] deest. [5] ita iam sonant tituli. [6] v. g. pag. 10, lin. 1-7. [7] Haec mediaevalis conceptio Ecclesiae redolet quendam desuetum romantismum a quo homo modernus abhorret. Haec tam parum congrua sunt. [8] deest. [9] aliena sunt. [10] mundi. [11] Clericalismus. In praesentata constitutione. [12] deest. [13] deest. [14] et in virtute Spiritus Sancti. [15] Vitanda est omnis species clericalismi vel episcopolatriae vel papolatriae. [16] hierarchica Ecclesia. [17] recentioribus. [18] deest. [19] separantur. [20] suos. [21] Quando. [22] hoc schema incipit stabiliendo a priori quid requiratur ut notio membri alicui personae applicari valeat. Dicitur. [23] deest. [24] dicuntur. [25] Sic loqui nec est bona theologia, nec est sermo dignus Ecclesiae si revera mater est. Quae unquam mater de filio suo quem generavit, quem dilectione fovit, si ille propter dolorosam aliquam rationem iam sub tecto paterno et cum fratribus suis non degit, quae, inquam ulla vera mater declaravit: iam non est membrum familiae meae. Vox sanguinis aliter loquitur. Matrem Ecclesiam sic loqui non convenit. Talis apriorismus, tale exercitium cursus Logicae minoris indignum est Matris Ecclesiae. Non sapit misericordiam, de qua Summus Pontifex in suo inaugurali sermone. In quaestione de membris positive est procedendum, agnoscendo et describendo gradus realis pertinentiae ad Matrem Ecclesiam.

9

EXC.MUS P. D. MARCELLUS LEFEBVRE

Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia,
Superior gen. Congregationis S. Spiritus

Venerabiles Fratres,

Mihi liceat loqui de his schematibus in genere, quoad methodum qua utimur. Etenim, si hodie ad propria revertamur, nonne cum aliquo intimo dolore ab Urbe discedimus? Etenim, etsi de reali unanimitate non dubitamus, attamen haec unanimitas usque nunc non perfecte apparuit. Nonne hic defectus principaliter venit ex methodo?

Usque nunc, conati sumus in uno textu obtinere fines, etsi nullo modo oppositos, attamen valde diversos, nempe: doctrinam declarare

et errores exstirpare, oecumenismo favere, ad omnes homines veritatem manifestare. Pastores sumus, et bene scimus quod non in iisdem verbis loquimur peritis in theologia et non peritis, non eodem modo sacerdotibus et laicis. Quomodo doctrinam definire, ita ut amplius non detur locus erroribus hodiernis, et per eumdem textum praebere veritatem ita ut intelligatur ab *omnibus* [1] imperitis in scientia theologica? Aut doctrina amplius non accurate proponitur, ut ab omnibus intelligatur, aut doctrina perfecte exponitur et textus non amplius intelligitur ab imperitis.

Et haec difficultas augetur, mihi videtur, in nostro Concilio, quia ex hodiernis circumstantiis, et explicito desiderio Summi Pontificis, necessitas directe loquendi omnibus hominibus magis apparet, quam in praecedentibus Conciliis. Et forsan erit nota peculiaris huius Concilii. Media communicationis socialis zelum praedicationis veritatis et desiderium unitatis in nobis de die in diem accrescunt.

Ex altera parte, clare apparet quod ex natura rei, ex verbis ipsius Summi Pontificis, « Concilii Oecumenici maxime interest ut sacrum christianae doctrinae depositum efficaciore ratione custodiatur atque proponatur ».

Liceat mihi dicere ut superior generalis (et certus sum quod in hac re cum me conveniunt alii superiores generales) quod habemus gravissimam responsabilitatem inculcandi in mentibus futurorum pastorum amorem sanae et integrae doctrinae. Nonne fere omnes Patres, hic praesentes, a religiosis vel a sodalibus alicuius instituti clericalis suam formationem sacerdotalem acceperunt? Unde nobis maxime interest ut « universa doctrina christiana tradita accurata illa ratione verba concipiendi et in formam redigendi quae ex actis Concilii Tridentini et Vaticani I praesertim elucet accipiatur »: haec sunt verba ipsius Summi Pontificis.

Unde deduci debemus quod ex argumentis maximi momenti, haec duo desideria — id est 1) exprimere doctrinam modo dogmatico et scholastico pro aedificatione peritorum, 2) proponere veritatem modo magis pastorali pro aliorum aedificatione — omnino custodienda et servanda sunt.

Quomodo tunc satisfactionem dare his duobus optimis desideriis? Humiliter sequentem solutionem vobis, carissimi Fratres, propono, solutionem quae iam ab aliquis Patribus innuitur. Si hanc propositionem vestro iudicio submittere audeo, en ratio: iam in commissione centrali, omnino easdem difficultates, praesertim quoad dogmatica schemata, experti sumus. Patribus huius commissionis centralis ad unanimitatem obtinendam, eamdem propositionem submittebam, quae moralem unani-

mitatem obtinuit. Haec solutio, quae tunc tantum pro commissione theologica proposita fuerat, hodie ad omnes commissiones cum optimo fructu extendenda esse videtur.

Nempe, proponantur ab unaquaque commissione duo documenta: unum magis dogmaticum, ad usum peritorum; unum magis pastorale, ad usum aliorum, sive catholicorum, sive non-catholicorum, sive infidelium.

Sic multae difficultates, quae hodie fiunt, optimam solutionem et vere efficacem invenire possunt:

1. Obiectiones illae de defectu doctrinali vel de defectu pastorali, quae tantam difficultatem provocant, locum amplius non haberent.

Sic documenta dogmatica, cum tanta cura confecta et utilissima ad veritatem proponendam, carissimis nostris sacerdotibus et praesertim professoribus et peritis ut regula aurea fidei permanerent. Certe grato animo a Patribus Concilii haec documenta *sacerdotes et professores* [2] hanc sanam doctrinam recepturi sunt.

Item documenta pastoralia, quae multo facilius in diversis linguis vernaculis traduci possent, veritatem omnibus hominibus, aliquando peritis in scientiis profanis, sed non theologicis, modo magis intelligibili pro eis proponere possent. Qua cum gratitudine omnes homines a Concilio lucem veritatis accepturi essent!

2. Obiectio de pluralitate schematum pro eodem obiecto ipso facto solveretur. E. g. schema dogmaticum *de necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium* cum principiis enuntiatis in schematibus *de Missionibus* componeretur et esset documentum doctrinale pro commissione de missionibus; et ex schematibus de missionibus conficeretur documentum pastorale ut directorium ad omnes quibus de missionibus interest.

Schema dogmaticum *de laicis* et schema dogmaticum *de castitate, de matrimonio, de familia, de virginitate* componerentur cum principiis schematum commissionis de laicis, et duo documenta exararentur: unum doctrinale, dogmaticum, directum potius ad pastores et peritos, et aliud pastorale et directivum pro omnibus laicis. Et sic pro omnibus commissionibus.

Meo humili sensu, si haec propositio admitteretur, unanimitas facile obtineretur, et optimos fructus a Concilio omnes homines accipere possent, et, pacatis animis, in corde uno et anima una ad propria revertemur.

Hanc humilem propositionem, sapienti iudicio consilii praesidentiae submitto. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] hominibus. [2] deest.

10

Exc.mus P. D. ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. Argentoratensis

Venerabiles Patres et dilecti Observatores,

Liceat mihi aliquam quaestionem ponere circa mentem generalem huius schematis. Ad quos vult Concilium constitutionem doctrinalem de Ecclesia mittere? Estne tantummodo ad episcopos et theologos? Iam pluries in hac aula...[1] dictum est quod constitutio doctrinalis alicuius Concilii non confundi debet cum exhortatione spirituali ad fideles; sed tamen etiam fideles expectant a Concilio aliquam praesentationem « mysterii Ecclesiae » hodiernis quaestionibus consonantem, et non tantum catholici sed etiam qui non pertinent ad romanam Ecclesiam. Non obstante opportunitate declarationis doctrinalis in forma mere theologica, requiritur nuntius doctrinalis modo directe pastorali, forte sub forma alicuius prooemii, vel, *sicut dictum est, melius* [2] sub forma specialis documenti, ut plenius manifestetur quantum homines vero hodierni vocati et amati sunt a Christi Ecclesia. Hoc est tanti momenti quia graves aequivocationes existunt apud homines circa Ecclesiam. Multis apparet ut institutio mere humana, ut aliquod velamen, et non ut revelatio regni Christi, *non* [3] ut perpetua Christi gloriosi praesentia inter homines.

His dictis, remanet quod Ecclesiae praesentatio dogmatica, etiam ad usum episcoporum et theologorum, pastoralis esse debet; sed intentio pastoralis non est aliquod superadditum explanationi mere doctrinali; intentio pastoralis debet ordinare et animare ipsam explanationem doctrinalem, ita ut homines veritatem amare et ad Dei vocem propius accedere possint. Quaestiones quibus respondendum est, aliae sunt hodie quam heri (sicut hodie iam optime dictum est).

Heri, Ecclesia proponebatur praesertim ut institutio, hodie proponi debet etiam et potius tamquam communio; de hoc forte non satis in nostro schemate. Heri, agebatur de capite Ecclesiae, quod est Summus Pontifex, in quo omnis Ecclesia unitur, hodie agere debemus de episcopo, qui Ecclesiam per mundum universum praesentem reddit; ego, sicut multi, episcopus sum titularis, et cum aliqua anxietate, fere nihil de meo et nostro episcopatu in schemate inveni. Heri, agebatur de episcopo singulari, a populo fere separato, hodie, praesertim de collegio episcoporum agere debemus, in quo episcopus per consecrationem inseritur: cui collegio, non datur in schemate locus primarius sicuti decet. Heri agebatur praesertim de hierarchia Ecclesiae, hodie, agere debemus etiam

de populo *christiano,*[4] de laicis; hoc fit in schemate, sed nimis iuridico modo. Heri, in disceptationibus cum separatis, de his rebus disputabant quae erant causae divisionis, hodie, de his quae communes oportet primum loqui; quod in schemate est contrarium. Heri, Ecclesia proponebatur praecipue ut salutem afferens illis qui sunt « ad intra », hodie, proponi debet etiam ut aliquo modo salutem afferens ...[5] illis qui sunt « ad extra », qui sunt maior pars hominum...[6] Ecclesia parata esse debet ad habitus agendique modos suos evangelice purificandos, dum in mundum influere conatur: quia non vult dominare sed ministrare. Ecclesia sibi proponat, omnibus hominibus salutarem inquietem afferre; deinde, mundum ut fermento movere; denique, inter homines, lux radians et calefaciens esse, et unicam certissimam plenamque veritatem praebere. Quae quidem omnia, non sunt innovationes; est simplex reditus ad Apostolorum et Patrum Ecclesiam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] recte. [2] deest. [3] nec. [4] Dei et quidem. [5] et. [6] Ad hoc requiritur sermo de missione evangelica Ecclesiae plus quam de eius iuribus.

11

Exc.mus P. D. IOSEPH D'AVACK
Archiepiscopus Camerinensis

Venerabiles Patres,

Attento hodierno statu Ecclesiae et humani generis; attento statu sanae pietatis, studiorum theologicorum, magisterii ecclesiastici, *mea humili sententia,*[1] videtur in schemate desiderari aliquid amplius circa vitam intimam Ecclesiae; quae vita intima, est quasi anima vitae exterioris hierarchicae, dum per istam in actum adducitur eaque gubernatur eamque vicissim enutrit et fovet.

Non agitur de sublimibus speculationibus theologicis; agitur tantum de revocando, in devota severa meditatione, in vero spiritu pastorali quasdam veritates fundamentales catechismi. Liceat, quaeso, mihi breviter revocare:

1. Circa consilium Dei in creatione et redemptione: ut alias dixi, Deus Unus et Trinus, Deus caritas ad suam imaginem tales creavit homines ut egeant et valeant vivere in societate per quam muniantur, augeantur, omnia bona diffundant et prodant; quae omnia magis necessaria et ardua facta sunt per peccatum, ...[2] magis provida et fecunda per redemptionem (oboedientiam); in supremo gradu vero haec fiunt in Ec-

clesia quae est non tantum societas sed familia, sed Corpus Mysticum, quae, hierarchice ordinata, nexa vinculo caritatis quae per oboedientiam in actum educitur ...[3] est imago suprema et effusio et participatio divinae caritatis.

2. Circa Corpus Mysticum: in quo caput realiter infundit vitam in membra; quae, cum sint homines intellectu et voluntate praediti, debent illam vitam libere recipere eaque vivere, et sic invicem vitaliter iuvare, illa arcana efficientia quam Pius XII, felicis recordationis, vocat « sane tremendum mysterium et numquam satis meditatum »...[4]

3. Circa sacerdotium et sacrificium Christi: quid nobis hoc sacrificium conferat, quid de suis donis et datis exigat; ut scilicet eius fructu praeventi et moti, quasi agnoscamus sacerdotem nobis a Patre constitutum, eiusque sacrificium quasi ratum faciamus, accedentes per ipsum ad Patrem, et ita viventes ei obtemperando ut revera sacrificium Christi exprimat voluntatem nostram, et vere et sincere offerri possit a nobis.

Quae omnia, quo magis sincero animo per puriorem caritatem erecto fiant, eo amplius fructum sacrificii Christi recipimus: non tantum pro nobismetipsis, sed etiam *quodammodo* [5] pro aliis membris Corporis Mystici, iuxta illud apostoli: « Adimpleo in carne mea ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia »...[6]

4. Denique, circa nostrum sacerdotium, cuius magisterio et ministerio et ductu, quae nuper diximus fiunt. Obtemperantes magisterio et gubernio Ecclesiae, obtemperamus Christo, et tota vita christiana fit humilis sed efficax prosecutio eius oboedientiae redemptricis; quam vitam christianam, ministerio sacerdotum, per Christum offerimus Patri in Missa; fructus sacrificii Christi rursus per ministerium sacerdotum, statutis momentis, nobis datur « ex opere operato » in sacramentis.

Hae veritates, quibus rapide et vix innui, si attente considerentur, splendide apparebit: essentia et vita intima et vita exterior Ecclesiae; vinculum arctissimum, essentiale et vitale inter vitam intimam — gratia et caritas — et vitam exteriorem: hierarchia, oboedientia; momentum essentiale, vitale, vitae christianae vel humillimae; momentum maximum vitae in perfectione caritatis, per consilia; in gradu omnino supremo et singulari, in vita Beatae Mariae Virginis; munus et momentum summum nostri sacerdotii eiusque exigentia quoad vitam in perfectione caritatis.

Iam igitur patet quam has veritates considerare iuvabit, pro particularibus argumentis huius constitutionis: auctoritas in Ecclesia, episcopatus, sacerdotium, status perfectionis, laici, Beata Maria Virgo; quae omnia, secus, fient quasi evanescentia, solido fundamento dogmatico destituta.

Uno verbo, per considerationem illarum veritatum fundamentalium, tota Ecclesia eiusque vita effulget luce divinae caritatis, suaviter efficaciter allicienti intellectus, voluntates, corda.

An fortasse dicendum est nostris temporibus magis necessarium insistere circa hierarchiam et oboedientiam ei debitam in Ecclesia? Respondeo: praecise ad hunc finem magis necessarium est effuse et aperte loqui de vita intima in Ecclesia:

1. propter argumentum, ut hodie dicitur, psychologicum: considerata hierarchia et auctoritate quatenus opus caritatis, facilius et iucundius erit eas suaviter exercere, eisque filiali libenti animo parere;

2. sicut satis non est aliquod ius habere, nisi ab aliis agnoscatur et observetur, ita satis non est affirmare auctoritatem Ecclesiae (experientia docet); sed ordinis supernaturalis cum sit, ut agnoscatur necessaria est gratia: quae vero gratia, nobis per sacrificium Christi inventa, a nobis rursus impetratur per sacrificium nostrae vitae christianae.

Supreme igitur iuvat ostendere, in plena cognitione circa Ecclesiam, momentum vitae christianae in vita Ecclesiae, et erit solamen et incrementum caritatis et virtutis supernaturalis omnibus, praesertim in labore et tribulatione versantibus; erit solamen et incrementum animabus Deo in statu perfectionis consecratis; lumen et incitamentum sacerdotibus; erit via ad semper melius et efficientius agnoscendam et amandam et colendam Matrem Dei et nostram Mariam. Erit fundamentale remedium ad hodierna discrimina in vita christiana, in vita humana, quod est finis supremus nostri Concilii; iuxta mentem et animum pastoralem nostri Summi Pontificis, qui indulgentia plenaria ditavit oblationem quotidianam operis et tribulationum.

Unde ob amorem erga animas, sacerdotes, episcopos et Summum Pontificem et Ecclesiam, ob amorem in Mariam, suppliciter rogo ut praesens schema expresse fundetur super fundamentales veritates quas supra vix et summatim revocavi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (inoboedientiam). [3] (« Qui diligit me sermonem meum servabit »; « Qui vos audit, me audit »). [4] (Enc. *Mystici Corporis*). [5] « de congruo ». [6] (*Col.* 1, 24).

12

Exc.mus P. D. ANTONIUS PAWLOWSKI
Episcopus Vladislaviensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Praesens schema *de Ecclesia* procul dubio maximi momenti est inter ea quae Concilio Vaticano II disceptanda et statuenda proponuntur. Continet quidem plura capita doctrinae quae iam praeteritis temporibus a theologis uberrime discussa et ab auctoritate ecclesiastica stabilita ideoque nobis bene nota est. Nonnulla vero, praesertim de laicis et de oecumenismo, in forma tam sollemni prima vice occurrere videntur. Ex materia tam copiosa schematis, quasdam tantum quaestiones eligo, ut eis observationes breves apponam.

1. Id quod omnibus capitibus commune est et particularem indolem schemati affert est illa fructuosa, nostra aetate renovata, notio Mystici Corporis Christi, ex quo « uberrimi gratiarum rivuli tamquam ab excelso capite in omnia membra haud intermisso ordine derivantur ». Inde omnia media quibus Ecclesia ditata est, quorumque potiora sunt lumen fidei, fructus sacramentorum, oratio liturgica, necnon ipsum hierarchicum regimen, huic fini nobilissimo inservire debent ut animabus fidelium vitam supernaturalem procurent, foveant et adaugeant. Recte igitur in schemate saepius et diversis formis extollitur Ecclesiam esse salvificam, salutiferam et vivificatricem; quod melius quidem proprium eius munus denotat quam appellatio « Ecclesia militans ».

2. Gravissimum munus fidelibus incumbens in eo consistit ut non tantum propriam salutem procurent, sed etiam ad salutem aliorum cooperari pro viribus studeant. *Minime tamen fideles redemptores vocari possunt prout in cap. I, n. 1, lin. 15, pag. 9. Cum tamen de particularibus non dicam, omitto hic.*[1]

Ecclesia enim Christi ex natura sua sacerdotalis est, eo sensu quod omnia eius membra in sacerdotio unico et aeterno Salvatoris participant. Id, quo sacerdotium ministeriale eorum qui in hierarchico ordine constituuntur, a sacerdotio universali fidelium differt, in schemate praecise explicatur. Pariter haud semel et congrue quidem inculcatur obligatio laicorum, sacramento Confirmationis innixa, ad veram fidem catholicam simul et addiscendam et defendendam atque diffundendam. Laicorum opus praecipuum designatur voce « consecratio mundi », quae iuxta schema, in eo consistit ut « mundus (verba cito) in omni campo suae activitatis suique progressus Spiritu Christi imbuatur, quin ex proprio

suo ordine exeat saeculari »; atque « Ecclesia reapse tamquam principium supernaturaliter vivificans totius societatis » emineat.

Cui consecrationi non est qui non videat, quam maxime contradicere laicismum hodiernum, qui in omnes provincias vitae humanae sese immiscet, praecipue tamen regno Christi maximum damnum affert in iis quae bonum spirituale familiarum christianarum constituunt atque in iis quae ad rectam educationem iuventutis referuntur et necessaria sunt. Hoc periculum laicismi ubicumque *in omni populo* [2] adest et tanquam prima acies materialismi progreditur.

Inde recte ...[3] episcopi Italiae nuntium pastoralem ad sacerdotes duobus abhinc annis protulerunt, in quo omni sub aspectu enucleantur laicismi principia, manifestationes seu formae atque media apta ac necessaria ad eum superandum.

Similiter etiam episcopi Nationum Unitarum Americae Septemtrionalis, anno 1959, mense novembri, praecaverunt fideles adversus materialismum et laicismum.[4]

3. Ad repetitiones vitandas opportunius fore videtur, ut n. 10, pag. 16, de unione cum separatis componatur cum eadem materia, de qua agetur in capite ...[5] in speciali schemate de unitate Ecclesiae...[6] Attamen in positiva explicatione doctrinae *catholicae in praesenti schemate* [7] recte quidem ea passim adiungi possunt quae captui separatorum aptata sunt et ad eorum animum benevolum alliciendum inservire valeant. Liceat mihi rem aliquatenus duobus exemplis illustrare:

a) Peropportune claris et categoricis verbis in pag. 23, n. 14, linn. 23-35 declaratur in vera Ecclesia catholica omnem episcopum residentialem in communione cum Romano Pontifice, proprio et divino iure suam regere Ecclesiam. Nam hierarchae et theologi separati anxietate laborant ne episcopi cum Ecclesia catholica uniti, non remaneant nisi Romani Pontificis delegati vel vicarii.

b) In pag. 48, lin. 10, occurrit formula a Concilio Vaticano I sancita: « definitiones Romanorum Pontificum infallibilitate gaudere ex sese non autem ex consensu Ecclesiae ». In schemate recte adnotatur Romanum Pontificem ad veritatem cognoscendam media apta adhibere, quod quidem pro occidentalibus sufficit; pro orientalibus autem melius sit si aliquid amplius addatur. Scilicet « ex sese » non significat easdem definitiones proferri sine Ecclesia. Ipsa enim praxis Sanctae Sedis bene ostendit sollicitudinem quacum Romani Pontifices vocem episcopatus per orbem terrarum dispersi et exquirere et audire student, saltem per epistolas ad se missas, veluti Concilium epistolare constituendo (Korrespondenz-Konzil). Id recenter factum est occasione defi-

nitionum anni 1854 (de Immaculata Conceptione), et 1950 (de Assumptione) necnon ante ipsam convocationem huius celsissimi coetus.

Ex huiusmodi explicatione clarius patebit notam conciliaritatis, quae vocatur, orientalibus carissimam, etiam in Ecclesia catholica vigere et haud raro in praxi ab ipsis Romanis Pontificibus applicari.

In schemate ...[8] *Sed tempus deest...*[9]

Quo magis feliciter opus oecumenicum desideratur vel progreditur, eo magis veritas Ecclesiae catholicae atque suprema auctoritas Romani Pontificis in luce ponenda est. Inter notas vero, quae divinae eius legationis testimonium irrefragabile constituunt, praeter inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem a Concilio Vaticano I commemoratam, duo praecipue attributa in rem veniunt; nempe:

Sola Ecclesia catholica Romana est quae libertatem religiosam et ius hominum ad fidem veram profitendam strenue fovet ac tuetur; eaque ipsa indolem sibi quasi nativam et propriam demonstrat, ut vitam moralem fidelium de die in diem renovet et ad veram sanctimoniam adhortetur atque ducat.

Nam super petra...

Praeses: Carissime Frater, tempus absolutum est!

Orator: Ultima sententia. Nam super petra irrefragabili fundata, gaudet assistentia Spiritus Sancti, cuius lumine, virtute et gratiarum diversarum abundantia iuvenescit et omnes et confidentes eiusque principia sequentes, iuvenescere facit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] terrarum. [3] quidem. [4] deest. [5] de oecumenismo vel. [6] iam bene noto. [7] praesentis schematis. [8] In schemate, quod generatim placet, non pauca peropportuna ac sapientissima inveniuntur. Inter ea extollam caput de auctoritate et oboedientia in Ecclesia observanda, quae etiam pro nobis episcopis regulam auream rerum in dioecesibus gerendarum constituere potest. Paragraphus de communione in sacris liturgicis omni cum sedulitate iterum atque iterum consideranda est, ne exinde detrimentum ipsi operi oecumenico vel fidelibus proveniat; ipse textus enim bis praecavet a periculo interconfessionalismi, indifferentismi vel scandali. [9] deest.

Animadversiones additae:

Exeunte prima sessione Concilii Oecumenici Vaticani II disceptatio de schemate quod inscribitur *De Ecclesia* inchoata est multaeque opiniones a Patribus Conciliaribus profunde ac scite prolatae sunt. Cui nobilissimae disceptationi meam quamquam humilem opinionem adiungere audeo idque uti complementum quoddam ad meum votum die 1 decembris elapsi anni publice in aula conciliari publice enuntiatum atque in scriptis secretariatui Concilii porrectum.

In animo mihi est altera tantum breviter ac generaliter, altera vero in specie ac praecise attingere vel suggerere. Ut meum votum facilius intellegatur aptiusque

commissioni conciliari aliquo adiutorio sit, ordinem capitum schematis in mea sententia manifestanda prosequor.

Atque imprimis haud mihi placent tituli capitibus I et II impositi, qui verbo « Ecclesia » adiectivum « militans » adiciunt. Id minime opportunum censeo, nam ea quae in schemate dicta sunt, evidentissime ostendunt ibi de Ecclesia terrestri tantum agi. Non vero aliam indolem Ecclesiae inculcandam atque ipso titulo schematis apponendam puto, nisi eam qua ipsa uti organica designatur. Hac enim denominatione ad notionem Corporis Mystici sub Capite Christo aptissime alluditur ac praecipua indoles Ecclesiae instaurandae clare in luce ponitur.

Pag. 9, lin. 13, et pag. 10, lin. 11 ad denominationem Ecclesiae adhibentur verba: « novum Israel », « Israel Dei », quae mihi parum probantur. Quamvis haec verba de Sacra Scriptura desumpta sunt, attamen hodiernis hominibus intellectu non sunt facilia ac minus opportuna videntur.

Pag. 9, linn. 14-15 minus recte vox « redemptores » adhibita est. Minime enim membra Christi in opere Christi perpetuando « redemptores » vocari possunt. Id genus appellationis in sana theologia prorsus quid insolitum est. Nam de ipsa Dei Genitrice Maria non praedicatur nisi eam Corredemptricem esse. Sufficit igitur, ut fideles in opere Christi perpetuando « continuatores » vel « adiutores » appellentur.

Pag. 9, lin. 23 etiam insolite et aliquatenus elate de inferioribus praepositis Ecclesiae praedicatur atque asseritur eos « muneribus regis exornatos esse ». Iuste praeferenda est denominatio usitata « de potestate regendi, regiminis », non vero de charismate (cf. pag. 12, lin. 9).

Pag. 10, linn. 18-24, ubi figurae Ecclesiae afferuntur, quadam emendatione indiget. Haec enim enumeratio figurarum Ecclesiae magis aliquo manuali ad usum scholarum destinato quam enuntiationi conciliari convenire potest. In Litteris Encyclicis Pii Papae XII *de Corpore Christi Mystico* nullibi notio corporis figura vocatur.

Pag. 15, lin. 7, ex mentione de « obice » recte concluditur hic sermonem de adultis tantum esse. Sed secundum disciplinam ecclesiasticam baptismus etiam infantibus conferri potest et debet, immo ut infantes quamprimum baptisentur haec est gravissima obligatio catholicorum.

Nulla ratio adest, cur de episcopis in duobus capitibus agatur (cf. capp. III et IV, pagg. 20-31). Nam unicum caput de episcopis sufficere videtur eoque comprehendi possunt omnia quae de successione apostolica episcoporum, de eorum relatione ad Ecclesiam universalem, de munere eorum in ecclesiis particularibus ac de collegio episcoporum; hic quoque transferenda sunt ea, quae de episcopo uti pontifice, magistro et pastore in schemate XVII *de cura animarum* dicentur.

Cum singulare extet caput, ubi de episcopis disseritur, ex natura rei atque ordine logico sequitur, ut in peculiari capite sacerdotium ministeriale etiam consideretur.

Secundum meum humile iudicium schema *de Ecclesia* merito continet doctrinam de religiosis et de laicis cap. V et VI, eamque retinere debet (cf. pagg. 32-45). In praesenti condicione Ecclesiae ad eiusdem « accommodatam renovationem » seu « aggiornamento » ut italice dicitur, maxime interest, ut clare exponatur, quantum religiosi et laici aestimantur, quantumque ab ipsis sors Ecclesiae pendet. Idque praesertim magni momenti est pro progressu Actionis Catholicae atque operis missionum.

In cap. V « De statibus evangelicae perfectionis acquirendae » (pagg. 32-34) essentia rei demum in fine aliquatenus tangitur. Duo elementa huius status essentialia clarius exprimenda mihi videntur, quorum primum est, ut evangelica perfectio tanquam scienter ac voluntarie propter Deum suscepta obligatio, alterum vero ut haec perfectio in vita communi iuxta probatas Ecclesiae normas exercenda considerentur. Quae proinde in schemate tantum obiter in pag. 34, linn. 13 et 18 dicta sunt, haec ineunte capite profundius dicenda sunt.

Cap. VI inscribitur « De laicis » (pagg. 36-43). Verbum « laici » a multis hodie adhibetur, sed diverso sensu. Alii hoc verbo utuntur ad designandos homines in saeculo versantes, qui non sunt presbyteri, alii vero eos qui in aliqua disciplina theoretica vel practica scientia carent, alii denique eos qui sic dictum « laicismum » propugnant atque huic verbo sensum infensum Ecclesiae et omni religioni tribuunt. Itaque mihi videtur hanc vocem omittendam esse. Membra autem Ecclesiae qui non sunt clerici neque religiosi simpliciter « fideles » vel « christifideles » vocari possunt, prout in textu schematis saepe accidit (cf. pag. 48, lin. 7; pag. 52, lin. 38; pag. 59, lin. 10; pag. 60, lin. 31).

Pag. 38, lin. 9 proponitur quasi brevis definitio laicorum seu christifidelium ibique dicitur de ipsis: « qui baptismate ad populum Dei appositi, attamen in saeculo commorantes, solis communibus normis vitae christianae reguntur ». Haec definitio aliquatenus incompleta mihi videtur, eique adiciendum puto ea, quae de obligatione quoad Sacramentorum participationem, de statu gratiae sanctificantis fovendo, de cultu divino publice manifestando deque testimonio fidei christianae cum in vita privata tum publica reddendo.

Quae in hoc capite de iuribus et officiis christifidelium dicta sunt, eadem firmissime in principali praecepto fundari oportet quo vita christiana in statu gratiae supernaturalis ducenda est. De hoc munere quoad gratiam divinam in anima adipiscendam, conservandam, augendam aut restituendam, eamque usque ad finem vitae servandam, recte sermo institui potest eo loco, ubi de participatione in sacrificio Eucharistiae agitur (cf. pag. 39, lin. 37).

Doctrinam cap. VIII contentam solide elaboratam invenio. Displicent mihi tantum nimis rigidae atque hodiernis adiunctis minus aptae denominationes christifidelium uti « subditorum », quod sexies in textu occurrit (cf. pag. 60, lin. 27; pag. 61, lin. 9; pag. 65, linn. 18, 21). Ut argumentum huius capitis hodiernis temporibus magis accommodetur, necesse est loco verbi « subditi » vocem christifideles, fideles, populus Dei, sodales adhibere.

Quaestiones capp. IX, X et XI relatas ad alia schemata opportunius transferendas esse puto.

Totum schema *de Ecclesia* iuxta meam humilem opinionem sequentibus capitibus comprehendi propono:

1. De natura et membris Ecclesiae;
2. De Romano Pontifice, supremo Pastore et Magistro;
3. De collegio apostolico episcoporum;
4. De sacerdotio ministeriali presbyterorum;
5. De institutis evangelicae perfectionis;
6. De iuribus et officiis christifidelium;
7. De magisterio Ecclesiae;
8. De auctoritate et oboedientia in Ecclesia;
9. De necessitate Ecclesiae verae ad salutem.

In singulis capitibus schematis tantum ea breviter et succincte exponenda sunt, quae ad dogma fidei vel doctrinam christianam de organica structura Ecclesiae essentialiter pertinent. Ea scilicet quae tamquam principia generalia pro aliis schematibus ad normas magis practicas enucleandas inserviunt, eaque sub triplici aspectu, spirituali nempe, pastorali et apostolico. Etenim missio redemptiva (salvifica, salutifera) Ecclesiae ius et officium importat, ut ipsa vitam supernaturalem in hominibus foveat mediaque a Christo sibi commissa per sacerdotes ministret atque omnia membra ad regnum Christi promovendum invitet et obligat.

13

Exc.mus P. D. IOANNES VAN CAUWELAERT
Episcopus Inongoënsis

Venerabiles Fratres, carissimi Observatores,

In remoto medii continentis africani angulo constituti, mentem nostram huic Concilio comparavimus, meditantes singulos nuntios a Summo Pontifice datos et voces auscultantes probatorum undique episcoporum ac theologorum.

Votum ibi unanimum nobis occurrit ut hoc Concilium mundo Ecclesiae sincerum producat vultum qui divina sic volente Providentia, intimis hominum temporum nostrorum adspirationibus congruit, iisque novam vivendi rationem et altiorem sensum vitae et historiae inculcet.

Iteratis verbis undique affirmatur mundum temporis nostri, artibus technicis quasi cogere homines ut coniuncte vivere discant; sed coacta vitae consociatio, sine anima una, supplicium evadit.

Unde homines et nationes sine intermissione oppositionibus inter se confligunt, et ad aliquam altiorem unitatem aspirant quam ipsi nec excogitare, nec ad effectum perducere valent. Hic est autem providus nuntius quem Ecclesia in propria vita interna efficere et mundo afferre debet: « ut et vos societatem habeatis nobiscum et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo ». Id est nuntius: omnes homines ad fraternam in Deo communionem vocari, et Christum, proprio sacrificio, omnem divisionem vicisse.

Tragica ergo temporis nostri conditio, qui minantibus divisionibus suis, ad mortem se damnatum timet, nonne haec praecipua hora est Ecclesiae? Nunc est tempus acceptabile novum Pentecosten inaugurare. Nunc debet fraternam in Deo communionem omnium hominum nuntiare et advocare omnes in Christo credentes ut summis viribus huic communioni cooperentur.

Homines se ipsos contra Ecclesiam quasi necessario convertent et

mutuam fraternitatem in atheistica quadam consociatione quaerent, si, quod absit, Ecclesia illam missionem negligit quae est velut anima eius vitae et doctrinae. His dictis, multi episcopi Conferentiae Leopoldpolitanae in Congo, quorum nomine loquimur, celare non possumus, decepti fuerimus hoc schemate de Ecclesia.

Certo certius nonnulla ibi inveniuntur elementa optima *et pulchra,*[1] sed in genere eius praesentatio nimis iuridica est et aspectum laeti nuntii quem mundus hodiernus ab Ecclesia desiderat, nempe, quo omnes fideles suos et, per eos, omnes homines ad communem fraternitatem vocat, ibi non sufficienter invenimus.

Ecclesia, in schemate nostro, nimis sub aspectu statico *Ecclesia*[2] consideratur, quin sufficienter ostendatur Ecclesiam terrestrem in fieri esse ...[3] eiusque sinceram significationem et innatam virtutem moventem, esse ex fine eschatologico in quem omnibus viribus tendere debet...[4]

Schema nostrum aptioribus verbis ostendere deberet quomodo omnes institutiones actionesque Ecclesiae ad hoc ordinatae sunt ...[5] ut omnes unum sint in Christo; hoc enim non tantum donum est, quo Christus, spiritu suo, donat Ecclesiam, sed et munus implendum et quidem praecipuum ad quod omnes christiani caritate vocantur. In vanum docemus Ecclesiam catholicam esse veram Ecclesiam Christi eamque omnes institutiones a Christo integre servasse, si in vita eius sincerus vultus christianae fraternitatis conspici non potest.

Hoc amplius enucleari poterit in omnibus ceteris schematibus, quae exinde inspirationem communem reciperent sustentantem totam doctrinam.

Sic ostendere debemus, quod Ecclesiae est, mutatis mutandis, modo et mensura pro toto mundo, actuare ideam primaevam Ecclesiae Hierosolymitanae: ubi nempe, subministrantibus apostolis, « multitudo credentium erat cor unum et anima una, neque quisquam egens erat inter illos ». Tunc fiet ut « collaudantibus eis Deum et habentibus gratiam ad omnem plebem, Dominus augeat qui salvi fiant quotidie in idipsum ».

Tunc sine iniuriosa invocatione iuris, eis, qui extra Ecclesiam vivunt, praedicare poterimus necessitatem ingrediendi in Ecclesiam ad salutem inveniendam, quia Ecclesia tunc eis ideam unitatis et fraternitatis proponet, extra quam ipsi intelligent mundum ne quidem humane vivere posse, et Ecclesiam, id omne quod est bonum, in aliis religionibus, non destruere sed fraterno modo accipere et ad perfectionem ducere. Hic nuntius populos nostros africanos ita commovebit ut ei resistere amplius non poterint, qui dominatione occidentali defatigati magnae nationum familiae fraternitatem exquirunt, et sub influxu vitae modernae propriam

et nativam cohaerentiam amittentes, novam vitae communitariam quaerunt.

Tunc etiam fratres nostros e protestantismo invitare poterimus, non ut cuidam auctoritati, cuius missionem non intelligunt, se submittant, sed ut nobis cooperentur ad instaurandam gradatim et in caritate communitatem unius fidei. Ita si vicissim nosmetipsos renovamus, de die in diem vincula caritatis strictiora constituentes in veritate, albescet quondam dies quo intelligere et agnoscere poterint successori Petri non competere munus suprematiam imponendi vel potestatem quae solius Christi est sibi assumendi, sed potius Summum Pontificem esse servum servorum Christi, qui cum Christo vitam dat ut nomine Christi magno omnium christianorum coetui fidei et eucharistiae praesit ut prosit. Absentia in schemate spiritus missionalis, qui tam essentialis est Ecclesiae ut sine illo depereat, ab alio episcopo e Conferentia nostra exponetur.

Aliis animadversionibus, v. g. circa defectuosam et mediocrem doctrinam cap. II de membris Ecclesiae, III de collegio episcoporum, et IX de relationibus inter Ecclesiam et Statum, ab aliis Patribus iam expositis, ex corde assentior.

Unde votum tantum generale, nomine Conferentiae Congolensis proponimus: nempe, ut constitutio *de Ecclesia* funditus recognoscatur, et quidem propter suum maximum momentum oecumenicum, a commissione mixta iam constituta pro revisione constitutionis *de fontibus revelationis*. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] adhuc. [4] scil. illa perfecta et aeterna fraternitas in Deo quam nunc sub ductu Christi in Ecclesia inducimus. [5] ad illum finem.

14

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Venerabiles Patres Conciliares,

Simul atque, praeterita hebdomada, in hac aula communicatum fuit nos proxime *de Ecclesia* disceptaturos esse, statim facultatem loquendi expostulavi ut haec quae sequuntur, quaeque mihi ...[1] praeliminaria ipsi disceptationi *de Ecclesia* videntur, proponerem.

1. Plurimi episcopi imparati sumus ad schema *de Ecclesia,* plene cognita causa, aggrediendum, quia:

a) tempus sufficiens pro conscientioso et personali studio ...[2] nos prorsus defuit. Singulis enim diebus mane in aula pro sessionibus generalibus adsumus, vespere vero orationi attendimus et saepe saepius conventibus participamus.

b) Subsidia litteraria hic prae manibus non habemus; in rebus tam momentosis, libris theologicis et historicis absolute indigemus.

2. Ad hoc ut tempus reliquum, usque ad diem 8 decembris, *insumamus,*[3] quare, quaeso, *inaudita*[4] postulatione em.mi card. Ottaviani de B. M. Virgine, gressum non facimus ad disceptanda schemata *de ordine morali,* iam a Patribus bene cognita, quia ad ipsos iam mense augusto communicata *fuerant,*[5] ut in praesenti prima sessione examinarentur? Quantum scio famosa illa suffragatio diei 20 novembris et subsequens decisio Summi Pontificis rem deferendi ad specialem commissionem, non respiciebat nisi schema *de fontibus revelationis,* minime vero schemata *de ordine morali.*

3. Ex disceptatione hucusque habita apparuit non eodem modo ab omnibus Patribus haberi et intelligi illa « praeoccupatio unionistica seu oecumenica » quam vocant. Si quid in hac re liceat opinari, sincere dicam quosdam oratores mihi visos esse nonnihil in hac re *exaggerare.*[6]

a) Omnia sub luce et mensura desideratissimae unionis collocando, non satis, ut opinor, hierarchiam finium Concilii huius, quales a Summo Pontifice statuti et declarati sunt, servaverunt. Etenim Concilium hoc imprimis ad fideles catholicos respicere debet, cum sit, iuxta mentem Pontificis et verba et iuxta declarationes ipsorum fratrum separatorum, res interna Ecclesiae catholicae, utique redundans in bonum ipsius unionis.

b) Illa « praeoccupatio oecumenica *et*[7] unionistica », ultra iustos limites, ni fallor, influxum suum in nostros labores exercere non debet. Secus non solum rerum tractandarum statutum ordinem revolvere posset, sed etiam selectionem ipsam argumentorum in Concilio tractandorum imponere; quod omnino admitti nequit. Ecce, exempli gratia, quidam de nulla re dogmatica vellent in Concilio agi — ne de re quidem fundamentali et urgentis momenti qualis, *ex. gr.,*[8] inerrantia Sacrae Scripturae, veritas historica Evangeliorum, etc. —, eo fine ne videantur legitima libertate privari quidam ...[9] exegetae catholici qui dialogum instituere et pontem iacere intendunt erga fratres separatos. Ecce, quidam alii vellent ut Concilium de quibusdam doctrinis sileret ne oecumenismo, ut dicunt, mortem daret: non de Traditione nec de Beata Maria Virgine ne protestantibus displiceatur; non de primatu Summi Pontificis, ne orientalibus displiceatur; non de communismo atheo et de materialismo sermo fiat, ne videatur Ecclesia in rem politicam sese immiscere, non

de Ecclesia militanti, quia id sapit militarismum; ne citetur in Concilio magisterium ordinarium Ecclesiae, nescio ob quam causam. Quod ultimum, in hac aula publice dictum, gravissimum mihi videtur, cum praesertim magisterio ordinario ...[10] Ecclesia « omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » *infallibiliter*[11] regatur, et de vero sensu Sanctae Scripturae doceatur.

Forsitan, quando sermo erit de ordine morali negabitur necessitas agendi « de iustitia et castitate et de iudicio futuro » ...[12] quia his rebus homines moderni, quos ad Christum convertere debemus, Felicem et Drusillam *sequentes,*[13] nolunt aures aperire!

Censeo fratres nostros separatos, qui est eorum amor veritatis et quae est eorum cordis aequanimitas, minime has limitationes a nobis desiderare sed potius, e contra, integram expositionem nostrae doctrinae. *Ergo maneat*[14] plene apud nos sancta libertas tractandi in Concilio argumenta quae nobis videantur necessaria aut utilia, sine ullo « complexu timoris », vulgato nomine « tabù ». Veritas integra, si cum caritate uniatur, a nullo timeri poterit. Utique praesentatio veritatis induatur oportet sensum positivum, pastoralem, aptum auribus modernis; sed etiam in hac provincia *agatur*[15] cum mica salis et ne quid nimis. Periculum et damnum esset, ...[16] si nimis indulgendo psychologismo, methodum psychologicam — quae utique est utilis, immo necessaria quando agitur de singulis hominibus, vel de singulis ...[17] categoriis ad veritatem alliciendis, quaeque ex natura sua est mutabilis iuxta variationem conditionum humanarum, quaeque non tenetur ordinem logicum sequi —, transferre *velimus*[18] sic et simpliciter in textus conciliares...[19]

Ultimo: quoniam igitur em.mo consilio praesidentiae aliter visum est, inauditis, nescio cur, Patribus Conciliaribus saltem per elevationem personae, quemadmodum iam pluries factum est...,[20] summis oculis et festinanter textum schematis *de Ecclesia* percurrere potui et haec in genere adnotavi:

a) Placet, quia agit de rebus summi momenti, in *praecedentibus*[21] Conciliis minime tractatis; v. g. de Corpore Mystico Christi, de sacramentalitate episcopatus, de relatione inter episcopatum et primatum, de membris Ecclesiae, de statibus perfectionis, et ita porro.

b) Praesertim quia schema agit de rebus relative novis, maximo studio et diligentia in disceptatione opus nobis erit.

c) Censeo schema uti iacet nondum plene solvere quaestionem de *relationibus*[22] inter collegium episcopale et Summum Pontificem. Opinor hac in re non nihil prodesse ...[23] considerationem et discussionem ideae, a prisca litteratura patristica non alienae, iuxta quam episcopatus

non solum ut *collegium* sub suo praeside considerandus est, sed etiam ut *corpus* sub suo capite Pontifice Romano.

d) In rebus dogmaticis Concilium suam mentem *declarare velit*:[24] an scilicet intendat aliquid definire, an *solum*[25] solemniter proponere. Id in schemate nostro et in aliis ...[26] minime apparet. Necessarium censeo ut haec quaestio a Patribus solvatur, ne post Concilium theologi disputationes sine fine instituant.

e) Quantum scio, alia schemata non agunt de theologia episcopatus et statuum perfectionis, praecise quia de his rebus iure commissio theologica tractare *debet*.[27]

Ultimo: cap. VII, *de Ecclesiae magisterio,* magis logice *poneretur*[28] post caput *de episcopis*. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quasi. [2] (sine insufflatione « ab extra »). [3] insumaremus. [4] inexaudita. [5] fuerunt. [6] exaggeratos. [7] seu. [8] est. [9] audaces. [10] sine Conciliis necessario celebrandis, infallibiliter. [11] deest. [12] (*Act.* 24, 25). [13] imitati. [14] Maneat igitur. [15] agendum. [16] meo quidem iudicio. [17] hominum. [18] vellemus. [19] exarandos. [20] (pro rebus quoque minoris momenti). [21] superioribus. [22] relatione. [23] posse. [24] explicite declarare deberet. [25] tantum. [26] schematibus. [27] debebat. [28] ponendum videtur.

Praeses: Reponatur Sacrosanctum Evangelium!

[*Intervallum*].

Secretarius generalis: Proxima congregatio: feria II proxima, hora nona.

CONGREGATIO GENERALIS XXXII

3 decembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXXII

3 decembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *Concilii secretarius generalis*:

Praeest hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus P. D. card. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus.

Antequam prosequatur disceptatio *de Ecclesia* in genere, fiet ab exc.mo P. D. Francisco Grimshaw relatio circa duas propositas emendationes de schemate constitutionis *de sacra Liturgia*. Deinde, post relationem, fiet suffragatio circa duas emendationes, quae sunt in libello iam distributo, pag. 3.

Ad prooemium sectionis secundae capitis I, prima emendatio: pag. 162, lin. 33, post verba *populus adquisitionis,* addatur: *vi Baptismatis.*

Ad art. 12, secunda emendatio: pag. 163, lin. 25, post verba *in Seminariis et,* addatur: *studiorum domibus religiosis inter disciplinas necessarias et potiores.*

Interea lego nomina eorum, qui petierunt loqui circa schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* in genere: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ioseph Siri, arch. Ianuensis; Iacobus McIntyre, arch. Angelorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Valerianus Gracias, arch. Bombayensis in India; Paulus Léger, arch. Marianopolitanus in Canada; Iulius Döpfner, arch. Monacensis in Germania; exc.mi DD. Boleslaus Kominek, arch. tit. Euchaïtenus in Polonia; Franciscus Marty, arch. Remensis in Gallia; Ioseph Gargitter, ep. Brixinensis in Italia; Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis in Gallia; Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Merid.; Iulius Barbetta, ep. tit. Pharanitanus in Italia; Narcissus Jubany, ep. aux. Barcinonensis in Hispania; Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Monaco; Blasius Musto, ep. Aquinatensis in Italia; Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis in Rhodesia Septemtrionali; Aemilius Blanchet, arch. tit. Philippopolitanus in Thracia, rector Instituti Catholici Parisiensis; Raphaël Moralejo, ep. aux. Valentinus in Hispania; Raphaël Rabban, arch. Cherchensis Chaldaeorum in Irak; Thomas Holland, ep. coad. Portus Magni in Anglia; Ioseph Vairo, ep. Gravinensis in Italia; Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania; Michaël Doumith, ep. Sarbensis Maronitarum in Li-

bano; Zdzislavus Golinski, ep. Czestochoviensis in Polonia; Carolus Maccari, ep. tit. Emmausensis in Italia; Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis in Turchia.

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

[3] EMENDATIONES

A PATRIBUS CONCILIARIBUS POSTULATAE
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATAE ET PROPOSITAE

Caput I, nn. 10-15

AD PROOEMIUM SECTIONIS II CAPITIS I

1 — Pag. 162, linea 33, post verba « *populus adquisitionis* », addatur: « VI BAPTISMATIS ».

AD ART. 11

2 — Pag. 163, linea 25, post verba « *in Seminariis et* », addatur: « *studiorum domibus religiosis* INTER DISCIPLINAS NECESSARIAS ET POTIORES ».

[5] 2 – TEXTUS SCHEMATIS

Caput I, nn. 10-15

Textus in Schemate propositus

II – DE LITURGICA INSTITUTIONE ET DE ACTUOSA PARTICIPATIONE PROSEQUENDIS

Nihil carius habet Mater Ecclesia quam ut fideles universi ad plenam illam, consciam atque actuosam liturgicarum celebrationum par-

Textus a Commissione emendatus *

II – DE LITURGICA INSTITUTIONE ET DE ACTUOSA PARTICIPATIONE PROSEQUENDIS

14. *Valde cupit* Mater Ecclesia ut fideles universi ad plenam illam, consciam atque actuosam liturgicarum celebrationum participationem

* Litteris italicis seu *cursivis* indicantur additiones aut emendationes formales vel minoris momenti; litteris autem grandioribus seu MAIUSCULIS emendationes exhibentur maioris momenti, Patrum suffragationi proponendae.

ticipationem ducantur, quae ab ipsius Liturgiae natura postulatur et ad quam populus christianus, « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis » (1 Petr. 2, 9; cf. 2, 4-5), ius habet et officium.[30]

Quae totius populi plena et actuosa participatio, in instauranda et fovenda sacra Liturgia, summopere est attendenda: est enim primus, isque necessarius fons, e quo spiritum vere christianum fideles hauriant; [31] et ideo in tota actione pastorali, per debitam institutionem, ab animarum pastoribus est sedulo adpetenda.

Sed quia, ut hoc evenire possit, nulla spes effulget nisi prius ipsi animarum pastores spiritu et virtute Liturgiae penitus imbuantur in eaque efficiantur magistri, ideo pernecesse est ut institutioni liturgicae cleri apprime consulatur.[32] Quapropter Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur statuere decrevit.

10. [*Magistri in sacra Liturgia formandi*]. Magistri, qui sacrae Liturgiae scientiae in seminariis et facultatibus theologicis docendae praeficiuntur, ad munus suum in institutis ad hoc speciali cura destinatis probe instituendi sunt.

11. [*Liturgica institutio cleri*]. Scientia de sacra Liturgia in seminariis et facultatibus theologicis inter disciplinas principales est habenda,[33] et sub aspectu cum theologico et historico, tum spirituali, pastorali et iuridico tradenda. Curent insuper aliarum disciplinarum magistri, imprimis theologiae dogmaticae, sacrae Scripturae, theologiae spiritualis et pastoralis ita, ex intrinsecis exigentiis proprii uniuscuiusque obiecti, mysterium Christi et historiam salutis excolere, ut exinde earum connexio cum Liturgia et unitas sacerdotalis institutionis aperte clarescant.

ducantur, quae ab ipsius Liturgiae natura postulatur [5] et ad quam populus christianus, « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis » (1 Petr. 2, 9; cf. 2, 4-5), VI BAPTISMATIS ius habet et officium.[34]

Quae totius populi plena et actuosa participatio, in instauranda et fovenda sacra Liturgia, summopere est attendenda: est enim primus, isque necessarius fons, e quo spiritum vere christianum fideles hauriant; [35] et ideo in tota actione pastorali, per debitam institutionem, ab animarum pastoribus est sedulo adpetenda.

Sed quia, ut hoc evenire possit, nulla spes effulget nisi prius ipsi animarum pastores spiritu et virtute Liturgiae penitus imbuantur in eaque efficiantur magistri, ideo pernecesse est ut institutioni liturgicae cleri apprime consulatur.[36] Quapropter Sacrosanctum Concilium ea [6] quae sequuntur statuere decrevit.

15. Magistri, qui sacrae Liturgiae *disciplinae* in seminariis, *studiorum domibus religiosis* et facultatibus theologicis docendae praeficiuntur, ad munus suum in institutis ad hoc speciali cura destinatis probe instituendi sunt.

16. *Disciplina* de sacra Liturgia in seminariis et *studiorum domibus religiosis* INTER DISCIPLINAS NECESSARIAS ET POTIORES, in facultatibus *autem* theologicis inter disciplinas principales est habenda,[37] et sub aspectu cum theologico et historico, tum spirituali, pastorali et iuridico tradenda. Curent insuper aliarum disciplinarum magistri, imprimis theologiae dogmaticae, sacrae Scripturae, theologiae spiritualis et pastoralis ita, ex intrinsecis exigentiis proprii uniuscuiusque obiecti, mysterium Christi et historiam salutis excolere, ut exinde earum connexio cum Liturgia et unitas sacerdotalis institutionis aperte clarescant.

[6] 12. [*Vita liturgica in seminariis et institutis religiosis*]. Clerici, in seminariis domibusque religiosis, formationem vitae spiritualis liturgicam acquirant, cum apta manuductione qua sacros ritus intellegere et toto animo participare queant, tum ipsa sacrorum mysteriorum celebratione, necnon aliis pietatis exercitiis spiritu sacrae Liturgiae imbutis; pariter observantiam legum liturgicarum addiscant, ita ut tota vitae ratio in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu informetur.[34]

13. [*Vita liturgica sacerdotum*]. Sacerdotes, sive dioecesani sive religiosi, in vinea Domini iam operantes, omnibus mediis opportunis [35] iuventur ut plenius semper quae in functionibus sacris agunt intellegant, vitam liturgicam vivant, eamque cum fidelibus sibi commissis communicent.

[7] 14. [*Liturgica institutio et actuosa participatio populi*]. Liturgicam institutionem necnon actuosam fidelium participationem, internam et externam, iuxta ipsorum aetatem, condicionem, vitae genus et religiosae culturae gradum, animarum pastores sedulo ac patienter prosequantur,[36] unum e praecipuis fidelis mysteriorum Dei dispensatoris muneribus absolventes; et gregem suum hac in re non verbo tantum, sed et exemplo ducant.

15. [*Transmissiones radiophonicae et televisificae*]. Transmissiones actionum sacrarum ope radiophonica et televisifica, praesertim si agatur de Sacro faciendo, discrete ac decore fiant, sub ductu ac sponsione personae idoneae, ad hoc munus ab Episcopis destinatae.[37]

17. Clerici, in seminariis domibusque religiosis, formationem vitae spiritualis liturgicam acquirant, cum apta manuductione qua sacros ritus intellegere et toto animo participare queant, tum ipsa sacrorum mysteriorum celebratione, necnon aliis pietatis exercitiis spiritu sacrae Liturgiae imbutis; pariter observantiam legum liturgicarum addiscant, ita ut *vita* in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu *penitus* informetur.[38]

18. Sacerdotes, sive *saeculares* sive religiosi, in vinea Domini iam operantes, omnibus mediis opportunis [39] iuventur ut plenius semper quae in functionibus sacris agunt intellegant, vitam liturgicam vivant, eamque cum fidelibus sibi commissis communicent.

19. Liturgicam institutionem necnon actuosam fidelium participationem, internam et externam, iuxta ipsorum aetatem, condicionem, vitae genus et religiosae culturae gradum, animarum pastores sedulo ac patienter prosequantur,[40] unum e praecipuis fidelis mysteriorum Dei dispensatoris muneribus absolventes; et gregem suum hac in re non verbo tantum, sed etiam exemplo ducant.

20. Transmissiones actionum sacrarum ope radiophonica et televisifica, praesertim si agatur de Sacro faciendo, discrete ac decore fiant, sub ductu ac sponsione personae idoneae, ad hoc munus ab Episcopis destinatae.[41]

APPENDIX [7]

EXCERPTUM *ex* « Declarationibus » *additis Schemati a Commissione Praeparatoria parato, quod affertur ad meliorem intellegentiam n. 11 Schematis*

[DECLARATIO]. Quoad liturgicam institutionem cleri haec desiderantur:

1. Ut scientia sacrae Liturgiae, in ordinatione programmatum quibus universa ratio studiorum in facultatibus theologicis regitur, inter disciplinas principales, et non auxiliares (Cf. *Ordinationes* S. C. de Seminariis et Studiorum Univers., diei 12 iunii 1931: AAS 23 [1931] p. 271), computetur. Hoc enim consequitur ex natura ipsa sacrae Liturgiae, quatenus, ex supra expositis, apparet uti actus quidam vitalis Christi totiusque mystici eius Corporis et uti fons atque culmen vitae spiritualis et pastoralis Ecclesiae.

Attamen computatio scientiae sacrae Liturgiae inter disciplinas principales secum non fert ut per tot horas in hebdomada doceatur quot docentur v. gr. theologia dogmatica vel sacra Scriptura. Necessarium tamen erit ut ipsi saltem una hora in hebdomada per quattuor annos tribuatur, ita ut totum suum obiectum, in quantum fieri potest, attingere valeat atque exhauriat.

2. Ut disciplina de sacra Liturgia non solum tradatur sub aspectu iuridico seu rubricali, neque unice sub aspectu historico; sed ita ut sibi proponat explicationem scientificam, in quantum possibile, integralem proprii obiecti, illud illustrando sub aspectu cum theologico et historico, tum spirituali, pastorali et iuridico.

NOTAE

[30] Cf. PIUS XI, Const. Apost. *Divini cultus*: AAS 21 (1929) pp. 39-40; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 552, 555, 559, 560; Allocutio diei 22 sept. 1956: AAS 48 (1956) p. 724.

[31] Cf. S. PIUS X, Motu proprio *Tra le sollecitudini*, 22 nov. 1903, n. 3: ASS 36 (1903-1904) p. 330.

[32] Omnia documenta Summorum Pontificum et Sanctae Sedis, quae his ultimis decenniis de Liturgia egerunt, necessitatem liturgicae institutionis cleri fortiter inculcant. Inter alia cf.: anno 1945 Epist. circ. S.C. DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERS. *De institutione clericorum deque Officii divini recitatione,* in *Il Monitore ecclesiastico,* 71 (1946) pp. 157-163; anno 1947 PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 591-592; anno 1954, Allocutio diei 2 nov.: AAS 45 (1954) pp. 669-670. Tractatio materiae simul cum quaestione speciali de institutione in Musica sacra: S. PIUS X, *Tra le sollecitudini*: ASS 36 (1903-1904) pp. 329-339; PIUS XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) pp. 17, 23, 24; *Instructio S. Rituum C. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958: AAS 50 (1958) pp. 659-663.

[33] Hucusque enim sacra Liturgia, in ordinatione programmatum quibus universa ratio studiorum in fa-

NOTAE [8]

[34] Cf. PIUS XI, Const. Apost. *Divini cultus*: AAS 21 (1929) pp. 39-40; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 552, 555, 559, 560; Allocutio diei 22 sept. 1956: AAS 48 (1956) p. 724.

[35] Cf. S. PIUS X, Motu proprio *Tra le sollecitudini*, 22 nov. 1903, n. 3: ASS 36 (1903-1904) p. 330.

[36] Omnia documenta Summorum Pontificum et Sanctae Sedis, quae his ultimis decenniis de Liturgia egerunt, necessitatem liturgicae institutionis cleri fortiter inculcant. Inter alia cf.: anno 1945 Epist. circ. S.C. DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERS. *De institutione clericorum deque Officii divini recitatione,* in *Il Monitore ecclesiastico,* 71 (1946) pp. 157-163; anno 1947 PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 591-592; anno 1954, Allocutio diei 2 nov.: AAS 45 (1954) pp. 669-670. Tractatio materiae simul cum quaestione speciali de institutione in Musica sacra: S. PIUS X, *Tra le sollecitudini*: ASS 36 (1903-1904) pp. 329-339; PIUS XII, Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina,* 25 dec. 1955: AAS 48 (1956) pp. 17, 23, 24; *Instructio S. Rituum C. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958: AAS 50 (1958) pp. 659-663.

[37] Hucusque enim sacra Liturgia, in ordinatione programmatum quibus universa ratio studiorum in fa-

[8] cultatibus theologicis et in seminariis regitur, inter disciplinas auxiliares et non principales, computatur. Cf. Ordinationes S. C. de Seminariis et Studiorum Univers., 12 iunii 1931: AAS 23 (1931) p. 271.

[34] Cf. can. 1367, 3°; Pius XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956, art. 37, § 1: « In novitiatu, necnon per totum subsequens tempus, alumni... sacram Liturgiam addiscant, eaque sese nutriant »; et art. 40, § 2, I: « Dilectio quoque et summa reverentia dignitatis munerumque sacerdotalium in ipsis evolvatur. Cultus publici sacrificalis, sacramentalis et deprecatorii, atque domus Dei decoris studium et praxis apud eos excitanda sunt omnique ope promovenda ».

[35] V. gr. mensilibus collationibus: cf. canones 131, 448 et 591.

[36] Cf. S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* nn. 104-108.

[37] Cf. Pius XII, *Adhortatio ad Italiae Ordinarios de Televisione,* 1 ian. 1954: AAS 46 (1954) pp. 22-23; Litt. Encycl. *Miranda prorsus,* 8 sept. 1957: AAS 49 (1957) pp. 796-800; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* nn. 74-79.

cultatibus theologicis et in seminariis regitur, inter disciplinas auxiliares et non principales, computatur. Cf. Ordinationes S. C. de Seminariis et Studiorum Univers., 12 iunii 1931: AAS 23 (1931) p. 271.

[38] Cf. can. 1367, 3°; Pius XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956, art. 37, § 1: « In novitiatu, necnon per totum subsequens tempus, alumni... sacram Liturgiam addiscant, eaque sese nutriant »; et art. 40, § 2, I: « Dilectio quoque et summa reverentia dignitatis munerumque sacerdotalium in ipsis evolvatur. Cultus publici sacrificalis, sacramentalis et deprecatorii, atque domus Dei decoris studium et praxis apud eos excitanda sunt omnique ope promovenda ».

[39] V. gr. mensilibus collationibus: cf. canones 131, 448 et 591.

[40] Cf. S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* nn. 104-108.

[41] Cf. Pius XII, *Adhortatio ad Italiae Ordinarios de Televisione,* 1 ian. 1954: AAS 46 (1954) pp. 22-23; Litt. Encycl. *Miranda prorsus,* 8 sept. 1957: AAS 49 (1957) pp. 796-800; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* nn. 74-79.

3 – RELATIO EXC.MI P. D. FRANCISCI GRIMSHAW
Archiepiscopi Birminghamiensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Sumatis, quaeso, hunc libellum novissimum. Paginarum numeri incipiunt a titulo ipso; pag. 2 nihil habet; pag. 3, emendationes; pag. 4, relatio quae nunc facienda est.

Referam ergo ad paginas huius libelli, ut commodius procedamus.

Quae sequuntur, tractant de emendationibus faciendis a n. 10 ad n. 15 huius primi capitis.

Pauca occurrunt, uti videtur, quae maioris momenti habenda sunt. Duae tantum quaestiones speciatim suffragio offeruntur, ceterae vero emendationes aut latinitatem spectant aut modum clariorem res exprimendi aut demum sunt omnino minoris ponderis.

Omnes animadversiones de his numeris in aula factae diligenter perpensae sunt; et fere omnes saltem ad modum acceptae. Quae vero acceptae non fuerunt omittuntur eo quod sensus eorum aut satis in textu iam videtur contineri aut alibi in schemate invenitur, aut demum quia res non pertinet ad commissionem de sacra Liturgia, sed ad alias.

Ad duas maioris momenti emendationes quod attinet, scilicet: prima posita est ut satisfiat voto in aula expresso; nempe ut fundamentum

sacramentale participationis liturgicarum celebrationum verbis exprimatur, vestigia sequendo beati Thomae Aquinatis et praesertim Litterarum Encyclicarum *Mediator Dei,* ubi habentur haec verba: « Baptismatis enim lavacro generali titulo christiani in Mystico Corpore membra efficiuntur Christi Sacerdotis, et charactere qui eorum in animo quasi insculpitur, ad cultum divinum deputantur » (A.A.S., 39, 1947, p. 155). Emendatio ergo est: « *vi Baptismatis* ».

Secunda emendatio, quae est in n. 16, posita est ut suum momentum tribuatur disciplinae de sacra Liturgia in seminariis et studiorum domibus religiosis, textu tamen relicto in sua pristina forma ad facultates theologicas quod attinet. Divisio studiorum in principalia et auxiliaria desumpta est ex Motu Proprio *Deus scientiarum Dominus* et *Ordinationibus* S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus diei 12 iunii anni 1931, et nonnisi ad facultates universitarias directe refertur.

De duabus his ergo emendationibus satis spero me locutum esse.

Haec pauca tamen addenda videntur de quibusdam aliis emendationibus minoribus, et de una vel altera quae accepta non fuit.

Pag. 5 ergo huius folii, lin. 1, loco « Nihil carius habet Mater Ecclesia », ponitur « *Valde cupit* Mater Ecclesia », ut latinius forsan et pressius res exprimatur.

Dein, pag. 6, lin. 4 et lin. 8, loco « Liturgiae scientiae » petitum est ut diceretur « Liturgiae *disciplinae* », quia scientia idem valet ac subiectiva cognitio seu intelligentia vel notitia. Praeterea, uti etiam inferius in lin. 16, inter vocabula *seminariis* et *facultatibus theologicis* inserenda videntur verba « *studiorum domibus religiosis* », cum res etiam ad domos pertineat ubi clerici religiosi instituuntur.

De verbis, quae pag. 6, lin. 17, leguntur, scilicet « historia salutis » seu « mysterium Christi », quaestio mota est: num, videlicet, cum iis convenirent quae in schemate constitutionis dogmaticae leguntur (pag. 36, art. 18 — si postea legere velitis — schematis originalis). Subcommissio theologica respondit nullam ibi esse difficultatem.

In lin. 30, iterum eiusdem paginae, verba « tota vitae ratio » mutentur. Et in linea sequenti additur verbum « *penitus* ». Nunc legitur: « ... ita ut tota vita in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu penitus informetur ». Ita satisfacere cupit commissio optatis quorumdam Patrum qui affirmaverunt vitam clericalem nutriri debere aliis etiam piis exercitiis quae non essent liturgica.

Iterum pag. 6, lin. 34, verba « Sacerdotes, sive dioecesani sive religiosi » mutata sunt, secundum propositionem unius Patris, in « Sacer-

dotes, sive *saeculares* sive religiosi », quia haec dictio est propria vigentis iuris canonici.

Pag. 7, par. 14, tota paragrapho, a quibusdam Patribus proponebatur additio alicuius phrasis, ne excludi viderentur alii modi Missae assistendi, qui ipsis demum Litteris Encyclicis admissi fuerant. Sed cum verba, in linn. 2 et 5, e documento pontificio desumpta sunt, uti indicatur inter notas capiti adiectas, cumque praesertim commissio censuerit vim generalem moniti ibi contenti non esse minuendam, iudicavit eadem commissio se additionem non esse accipiendam, sed relinquitur Ordinariis, uti patet, principia statuta secundum suum prudens iudicium applicare, iuxta populorum aetatem et vitae genus etc., uti in textu notatur.

Et haec sunt omnia quae dicenda videntur, Patres venerabiles, antequam textus emendatus proponitur vobis ad approbandum. Dixi.

4 – PATRUM ORATIONES

De Ecclesia (prosequuntur)

1

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN

Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Patres,

Schema constitutionis dogmaticae de Ecclesia *mihi placet, sed animadversionem proferre velim de cap. VI,* de laicis.[1]

Omnis baptizatus quasdam relationes reales habet cum vera Ecclesia Christi in ordine sacramentali et iuridico. Attamen ii soli plene ad Ecclesiam pertinent, ex quibus Ecclesia secundum Christi institutionem in unitate fidei, cultus et regiminis coalescit. Ii soli igitur vere et proprie dicendi sunt membra Ecclesiae, qui, regenerationis lavacro abluti, veram fidem catholicam profitentur, auctoritatem Ecclesiae in episcopis et Vicario Christi agnoscunt, et cultum divinum secundum Christi institutionem exercent. Inter membra Ecclesiae autem distinguendum est inter clericos et laicos, nempe inter illos qui ex ordinatione sacramentali sacerdotium Christi participant et ex munere vel ex legitima delegatione auctoritate Ecclesiae induti sunt, et illos qui eiusmodi potestatem non participant, sed praelatis subsunt et secundum communes normas vitae christianae reguntur.

Quam maxime autem notandum est laicos, quamvis nec sacra potestate nec auctoritate Ecclesiae induantur, destinari tamen ut modo ipsis convenienti ad missionem Ecclesiae adimplendam cooperentur. Erratum est putare eos Ecclesiae incorporatos esse solum ut propriam salutem operentur, sed suo modo et ordine in communi opere Ecclesiae cooperentur oportet. Ex ipso suo Baptismo sacerdotium commune quodammodo participant et, dum per illud apti sunt ad cultum divinum cum Ecclesia exercendum, etiam vocati sunt ad beneficia Redemptionis, modo ipsis congruo, cum aliis communicanda; atque per sacramentum Confirmationis roborantur, ut fidem catholicam coram mundo profiteantur eamque diffundant et defendant. Quod iam declaratum est a S. Paulo: « Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate »...[2]

Hoc officium laicis incumbit secundum eorum statum, individualiter vel collective exerceri potest, et iuxta locorum et temporum adiuncta amplecti potest opera stricte religiosa vel socialia vel oeconomica, dummodo in bonum personarum et societatis ordinetur et missionem Ecclesiae promoveat. Quod officium laicorum ex ipso eorum statu quadam speciali efficacitate fruitur, eo quod in mundo degunt, inter concives conversantur eorumque conditiones participant.

Nostra aetate evoluta est nova forma apostolatus laicorum, quae fini intento optime respondet. Vocatur Actio Catholica, qua laici vera missione canonica proprii Ordinarii apostolatui hierarchico associantur. In ea servantur laicorum associationes religiosae, apostolicae, caritativae, sociales et oeconomicae, sed ordinari potest ad quodcumque opus quo, iuxta adiuncta et necessitates, missio Ecclesiae promoveri potest. Est forma apostolatus laicorum ab ipsa Sancta Sede stabilita et constanter provecta, et ubi bene ordinata est et sollerter dirigitur, maximo adiumento est hierarchiae in missione Ecclesiae provehenda, praesertim in iis rebus in quibus laici magis apti sunt.

In hoc schemate autem parum insistitur in Actione Catholica, dum in aprico poni deberet, ob maximum eius momentum et optimam eius aptitudinem ad conditiones hodiernas tractandas...[3] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Eph.* 4, 16). [3] Hac ratione ergo cap. VI, de laicis, placet iuxta modum.

2

Em.mus P. D. IOSEPH card. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesia* est bonum, quamvis perfectibile, et apparet fundamentum omnino aptum ad utilem disceptationem ineundam.

Duo tantum in genere dicam, ceteris ad singula capita remissis.

1. Schema optime praebet veritatem de Ecclesia visibili et iuridice ab ipso Domino ...[1] constituta, in luce veritatis de Corpore Christi Mystico. Haec veritas etenim reassumit totum ordinem Incarnationis et elevationis ad supernaturalem ordinem. Praebet insuper intimam rationem cur tam mira in vita Ecclesiae visibili et in historia animarum — in primisque Sanctorum — inveniantur.

Veritas Corporis Christi Mystici certe eminet in hac constitutione. Censeo tamen melius ordinanda, redigenda in unum, et forsan complenda esse, quae, cap. I-II, nn. 4-10, dicuntur de convenientia obiectiva et habitudine Ecclesiae visibilis *ad Corpus Christi Mysticum.*[2] Haec melior explanatio mihi videtur necessaria, quia debet esse clarum et firmum: veritatem de Corpore Christi Mystico nullatenus dispensare a veritate de necessitate Ecclesiae visibilis, iuridice quidem a Domino constitutae, sicut intima et spiritualis adhaesio priori non dispensat ab adhaesione alteri debita. Nullus potest obliterari Ecclesiam vel peius reiicere et sese salvare independenter ab illa, in Corpore Christi Mystico, nisi aliquomodo et quidem vario modo ad illam reducatur.

2. Sicut placuit praemittere in schemate latiorem et magis comprehensivam veritatem de Christi Corpore Mystico, opportunum erit affirmare, saltem in capite ubi de magisterio agitur, aliquam veritatem generalem de Ecclesia visibili et iuridice divinitus constituta, eam nempe esse vivam semper eodem modo decursu saeculorum. Quod significat testimonium et magisterium Ecclesiae (sicut et regimen et capacitatem sanctificandi) esse eiusdem valoris, *ex. gr.*[3] saeculo IV ac saeculo XX, et testimonium ac magisterium Ecclesiae quovis tempore esse de se sufficientia ad veritatem proponendam et firmandam. Ecclesia non est vivens et aucta capacitate et adsistentia a Christo tributis solummodo quandoque, sed semper et eodem modo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (non ab aliis). [2] et Corporis Christi Mystici. [3] deest.

3

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. MCINTYRE
Archiepiscopus Angelorum in California

Em.mi, rev.mi et venerabiles Patres,

In genere schema de Ecclesia placet. Tamen [1] in cap. II, par. 9, schematis *de Ecclesia,* agitur de eis qui sunt « membra Ecclesiae sensu proprio ».

Videtur quod disiunctio inter ordines personarum non est completa. Lacuna adest, quia in his classibus personarum non includuntur infantes decedentes ex hac vita sine lavacro regenerationis Baptismatis. Cum hi infantes sunt personae, rationabile est, et utile est, mihi videtur, Sacrum Concilium Vaticanum II, in hoc loco debere agere de aeterna eorum sorte. Certo certius haec est quaestio involuta et apud theologos diuturne disputata.

Fortasse quaestio non pertinet directe ad hoc schema; sed in nullo loco in schematibus invenitur tractatio de hac re.

Ergo, propono ut consideratio huius quaestionis addatur ad par. 9, saltem in modo implicito, quia videtur aliquam coniunctionem habere cum materia tractata in hac paragrapho; tamen solutio quaestionis potest esse res abscondita in aeternis consiliis providentiae et misericordiae Dei. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

4

EM.MUS P. D. VALERIANUS CARD. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

Iam sumus ultima in hebdomada primae sessionis huius Concilii. Si verum sit — et nihil obstat quominus verum sit — quod Summus Pontifex, in aliqua publica contione, nuper prolata, iocose assimilavit hanc primam sessionem novitiatui, illi ex nobis qui non sunt religiosi, ideoque nullum novitiatum experti sunt, valde alleviati essent ex hac prima sessione emergere.

Sed hoc seposito, grato ac felici animo *concedendum* [1] est, in hoc tempore, cum nullam praeviam experientiam habuimus, sumus assuefacti modo agendi in Concilio, vel, ut dicitur anglice, " we have been able to find our feet and get our bearings ". Et hoc sane haud parvum lucrum est.

...[2] Praesertim pro nobis ex oriente, contributio in *variis disceptationibus ex parte* [3] praelatorum ex diversis ritibus orientalibus, cum manifestatione vivida eorum Liturgiae...,[4] nobis dedit aliqualem ideam...,[5] quacum nos usque modo inusitati eramus. *Et hodie pro nobis erat causa gaudii specialis, quod Missa conventualis erat celebrata in ritu orientali et in lingua vernaculari indiana, occasione festi S. Francisci Xaverii, Patroni Indiae, cuius corpus adhuc conservatur et veneratur in civitate Goa.*[6]

Mihi quidem videtur, quod erat optima animadversio facta *altera die* [7] ab exc.mo D. Ioanne Heenan, arch. Liverpolitano, quando dixit quaestionem reunionis cum orientalibus dependere non tam a dogmate quam a psychologia historica. Aut ipsi debent mutare suum modum cogitandi et sentiendi, aut nos nostrum modum administrandi mutare debemus, *vel mutatio in utroque, et sic invenietur via media, sine detrimento, credo, veritatibus fundamentalibus.*[8]

His praenotatis, liceat mihi facere *paucas* [9] principales animadversiones.

1. *Si* [10] aliquod schema fundamentaliter sanari non potest, et hoc quidem secundum opinionem maioris partis membrorum, certe illud — sicut iam factum est —, specialis commissio ...[11] potest curare ut funditus redigatur. Sed si aliquod schema, sicut praesens *de Ecclesia,* etiam secundum opinionem peritorum, fundamentaliter tale est, ut sub luce emendationum, sive de materia sive de stylo, melius redigi possit, ne committatur commissioni speciali ...[12] sed referatur et relinquatur commissioni theologicae ut illud melius redigat. *Ego autem* [13] credo quod praesens schema fundamentaliter, non obstantibus gravibus emendationibus, acceptabile est.

Schema vero eget gravibus emendationibus.[14] Ex. gr. de cap. X, *mihi videtur,*[15] multa erunt dicenda *a missionariis, spero,*[16] quando disceptatio fiet de ipso capite. Sed interea vellem tantum *hoc* [17] dicere: *in mea humili sententia,*[18] tota expositio *in cap. X* [19] est unilateralis, carens moderatione et prudentia pastorali, certe offendens animum multorum populorum non christianorum eorumque guberniorum, quorum hospitalitate missionarii gaudent, ideoque valde periculosa pro opere missionum. Totum *caput, mihi videtur,*[20] aliter concipiendum et redigendum est...[21] Si hoc caput relinquatur intactum, tunc timeo ne, ut dicitur an-

glice, " we *in the missions*[22] will have to face the music ", id est: nos in missionibus erimus victimae eorum qui has ideas conceperunt et hoc caput scripserunt...[23]

Sumamus unum exemplum: cap. X, art. 46, par. 4, lin. 27 et sequentes. In illis lineis, citantur verba Sacrae Scripturae de Actibus: « Oboedire oportet Deo magis quam hominibus ». Est expressio firma, est expressio digna ministrorum Evangelii. Sed e contra, « civilibus ergo societatibus, si impedire conantur quominus libere exerceat suum ius et officium sanctissimum, Ecclesia non cedere potest sed usque ad sanguinem resistere debet »: haec sunt verba aggressiva et provocantia.

Venerabiles Patres, nos in missionibus iam habemus graves difficultates de missionariis, praesertim de missionariis externis, quos nos volumus habere crescente numero. Ideoque quaeso et adprecor, ut videatis ne augeantur difficultates nostrae in missionibus propter scripta huius generis. Certissime nos sumus parati accipere coronam martyrii, si Deus vult. Sed aliud est invitare persecutionem sanguinosam, allicere tales homines et talia gubernia ut faciant persecutionem.[24]

2. *Secunda animadversio est haec.*[25] Hac in sessione, saepe locutum est de modo varias veritates praesentandi. Nobis enixe studuimus de reactionibus nostrorum fratrum separatorum, plus de orthodoxis quam de protestantibus; hoc enim bonum est. Sed mihi videtur, sive conscienter sive inconscienter, obliviscitur quod, praeter fratres nostros orientales separatos (qui hodie centum et undecim milliones numerantur) et protestantes (ducenti et novem milliones), adsunt magni numeri Hinduorum, Mohammedanorum, Buddhistarum, Parsorum (in India solum sunt trecenti et septuaginta milliones Hinduorum), etc., qui omnes multam litteraturam de suis systematibus philosophiae et theologiae habent; quique modum sibi proprium tum cogitandi cum sentiendi habent...[26] Non est possibile, concedo, ut Concilium determinet modum definitum praesentationis, sed Concilium certe potest, non mere commendare aliquas methodos praesentationis, sed etiam plaudere methodos iam experimentatas et nunc de facto usitatas.

Habeo hic in notis tres citationes de scriptis modernorum apologetarum: unus germanus, alter americanus. Et in his citationibus est appellatio, ut nos utamur scriptis philosophiae et theologiae Hinduistarum, Buddhistarum, etc., et de iis sumamus elementa; sicut Thomas Aquinas fecit cum Aristotele et Augustinus cum Platone, etiam potest fieri cum philosophia orientali.

Alia minuscula mando ad secretarium generalem.[27]

Et concludo. Altera die unus Pater Concilii posuit hanc quaestionem: quale responsum nos possumus dare quando redimus in nostris

patriis? Ego habui iam talem experientiam quando redii recenter in Indiis Orientalibus. Et dedi hoc responsum:[28]

Tractamus de materiis spiritualibus, vel rebus materialibus sub specie aeternitatis. Ideoque principium fundamentale nos in istis discussionibus regens est « festina lente »; dum in mundo saeculari in rebus materialibus — in materiis politicis vel oeconomicis vel industrialibus, etc. — principium est potius celeritatis, cum sessionibus frequentibus et relative brevibus, etsi non oeconomicis...[29]

c) Nobis a Summo Pontifice datum est privilegium cogitandi quid velimus, et loquendi quomodo velimus, etiamsi interdum insipienter vel minus sapienter.

d) In nostro systemate habemus praesidentes, praelatos aeterna sapientia imbutos, et etiam heroica patientia, qui considerant Patres Conciliares non tamquam inferiores sed veluti sodales.

e) Huic explanationi adiunxi hanc conclusionem: Roma est aeterna, *Roma est immortalis*;[30] et, ut anglice dicitur, " The mills of Rome grind slowly ".

Tali explanationi responsum silentii accepi, vel quia isti satisfacti erant, quia convincti; vel quia admiratione affecti erant. S. Thomas Aquinas, in aliquo art. II-II, dixit: « Aliquando admiratio signum est ignorantium ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] confitendum. [2] Etiamsi celeritas usque nunc habita non talis erat uti nos voluimus vel exspectavimus; etiamsi ego ipse dixi in aliqua locutione priori, nos hic adunatos esse, non praecise ut habeamus quod anglice dicitur: " A refresher-course " in Theologia, Sacra Scriptura, Historia Conciliorum; attamen puto admittendum esse theologiam quam multis annis abhinc, etiam in Universitatibus Romae, et quidem sub professoribus celeberrimis, didicimus, sed quam decursu temporis in labore ministeriali auruginosa evasit, aliquibus saltem nobis, cum aliquo novo vigore redire. [3] disceptatione. [4] (actionum, precum et cantus). [5] (" slant "). [6] Nunc scimus quomodo illi cogitant, sentiant de multis rebus; quomodo illi orant et cantant. Si hoc non est exercitatio practica in « oecumenismo » vel « dialogo » (ut dicitur), nescio quid hoc sit. [7] deest. [8] deest. [9] tres. [10] Ecclesiae imago in hoc mundo, sive in tractatibus theologicis, sive in contionibus, sive in conferentiis publicis — vel etiam in affirmationibus conciliaribus — mundo moderno — praesertim in India — praesentari debet, non tam sub luce eximiae sanctitatis quam sub luce eschatologiae, seu sub aspectu huius facti, videlicet, secundum promissa Domini Nostri Iesu Christi, *est* in oeconomia salvationis, quod Ecclesia « in fieri » usque ad secundum adventum Filii Dei, incompleta et imperfecta remanebit. Dominus Noster Ipse nullum dubium nobis de hac re relinquit; nam ipse descripsit Regnum Caelorum tamquam rete pisces bonos et malos continens, tamquam ager, in quo crescunt simul zizania et triticum. Valde frequenter S. Paulus ait: Ecclesia nunc in mundo existens portat notas, non gloriae Christi, sed eius passionis

(cf. 2 *Cor.* 4, 10), vel eius vulnerum (cf. *Gal.* 6, 17). S. Augustinus ait: « Adhuc nox est. Ecclesia in tenebris stat. Templum est in processu constructionis... etc. ». Et card. Newman loquitur de Ecclesia in hoc mundo tamquam semper aegrotans — " ailing, lingering " —. (In parenthesi, vellem dicere — mentionem feci card. Newman quia fertur quod quidam vir ecclesiasticus celeber dixit: " What we need at this Council is another Newman, but I am afraid there is none on the horizon ". Nescio, — sed hoc bene scio, quod Newman semper problema reconciliationis inter libertatem ex una parte et auctoritatem Ecclesiae ex altera parte, locutus est et scripsit cum admirabili acumine theologico. Ideoque, si Diaconus Athanasius in Concilio Nicaeno et Salmeron in Concilio Tridentino egerunt partes decisivas, non est spernendum adiutorium quod nobis affertur ab illis, qui non numerantur nec inter Patres Concilii, nec inter peritos, quia " Truth is brought out by many minds working together freely ". Haec tamen per transennam sunt dicta).

Iamvero, si secundum mentem Christi non possumus, hoc in mundo, Ecclesiam idealem exspectare — Ecclesiam philosophi, vel mystici vel poetae — Ecclesiam, uno verbo, cuius vita historica est una continua Transfiguratio, sicut Monte Thabor — tunc, *parva componere magnis,* quid iuris nobis est, si velimus mentem Summi Pontificis sequi, ideale Concilium Vaticanum expectandi? Ideale adipisci conando, timeo ne id quod fundamentaliter satisfactorium est, adipiscemur. Ergo, cum. [11] nominata a Summo Pontifice. [12] " which would be compelled to bite off more than it can chew ". [13] Ergo. [14] Dixi: schema habebit graves emendationes. [15] deest. [16] deest. [17] haec pauca. [18] deest. [19] deest. [20] schema. [21] nempe una ex parte extollendum est munus nobile Ecclesiae portandi ad omnes gentes Evangelium Christi cum multiplicibus suis beneficiis pro genere humano; altera ex parte appellandum est ad magnum bonum libertatis religiosae, quod multae gentes excultae modernae agnoscere et protegere volunt, prout saepius sollemniter ab iisdem declaratum est. Minus loquendum est de iuribus Ecclesiae, magis de eius sincera voluntate erga populos non christianos, eorum auctoritates, leges et traditiones, de voluntate nempe contribuendi ad eorum verum progressum et felicitatem in vera caritate et humilitate christiana. [22] deest. [23] qui tamen remanent tuti, securi, ac bene conservati. [24] deest. [25] deest. [26] Secretariatus pro christianorum unione, saepe in hac aula memoratus, naturaliter inspicit unumquodque problema sub luce sui mandati. Ipse certo dicere potest alias commissiones vel congregationes debent considerare hoc mandatum. Tamen, hic tractamus de rebus non provincialiter, sed globatim. [27] Multis abhinc annis, quando studiis incumbebam sub em.mo card. Bea, audivi hanc observationem alicuius em.mi professoris: si hodie habuissemus aliquem magni ingenii, sicut S. Thomas Aquinas, ille fecisset quod Ecclesia fecit in historia cum Platone et Aristotele, cum Plotino et Stoicis. Nequaquam intenditur aliqua reflectio de magno numero peritorum quem nos hodie habemus. Hoc accidit triginta abhinc annis; forsitan habemus hic unum ex eis. Sed, punctum in hoc consistit: « divitiae absconditae a saeculis non tantum in christianismo, sed etiam in omni religione, fodiantur et omnibus proclamentur ». In quantum paganismus est reapse paganismus, i. e. rebellio a Deo vivente, non habet inimicum fortiorem quam catholicismum. Sed etiam in paganismo ex fontibus incorruptis naturae humanae, surgunt nobiles purique impulsus, cogitationes et desideria, non tantum in philosophia et arte, verum etiam in religione et moralitate. Omnis enim genuinus valor ad Deum pertinet polletque

iure in regno eius existendi. Ecclesia nullum obicem ponit contra culturam non-christianam, nec contra antiquitatem; sed tantum contra peccatum.

Adsunt tres apologetae catholici moderni (inter alios) qui hoc scripserunt. (Anglice cito, quia impossibile esset versionem exactam in lingua latina dare; tamen postea sensum generalem harum citationum dabo).

1) Primus est ex Germania. " Often Westerners who have been to the East have been unaware of the values of Orient culture, and unprepared to appreciate the noble and beautiful elements of Orient life. When Christianity penetrates the social inheritance and spiritual traditions of the Orient, we may expect to see new expressions of Christian life. Asia as well as Europe has its testimony to bring to Christ, and I think, salvo meliore iudicio, that the final commentary on the Gospels cannot be written until China, Japan, and India have been Christianised ".

2) Secundus ex China est — Sinis genuinus et liber. " The lay apostles, it is true, are more exposed to the Western currents; and therefore it would be profitable for them to taste something of the Oriental mysticism. Equipped with the spiritual wisdom of our Church, the lay apostles can then embark on the study of Orient mysticism. In this way they will not only enjoy some of the truly piercing insights of the Oriental mind, but also realise what they are really groaning and groping for. After wading through the mystical classics of the East, let the lay apostles return to the simple messages of the Gospel and of the Saints, and they will be constantly be thrilled to find unsuspected profoundities under the cover of childlike simplicity ».

3) Tertius est ex America: « I think that India, when the Gospel goes through and penetrates more than the one and half per cent who know it today, will give us the treatise on ' The Spirit of Christ ' ".

Sensus generalis hic est — requiritur maior magisque positiva attitudo quam illa quae continetur in cap. X, art. 46, in pag. 75, a lin. 19 usque ad lin. 23, ubi dicitur: « Quidquid veri, quidquid boni, quidquid honesti ac pulchri habeat unaquaeque natio ex propria indole proprioque ingenio, Ecclesia praecipit ut servetur, et pro munere suo ad altiorem ordinem evehit ».

Id quod ignorantes possumus oblivisci est hoc — quod Deus diversis in temporibus variisque in modis ad homines est locutus, usque dum, quando venit plenitudo temporis, misit suum unigenitum Filium ut daret hominibus plenitudinem et singularitatem suae revelationis. Singularitas christianitatis consistit praecise in talem scientiam; et hoc intelligendo, intelligemus etiam quid significet illa formula (saepe erronee interpretata) — « Extra Ecclesiam nulla salus ».

3. Tum in schemate *de unitate Ecclesiae* cum in schemate *de Ecclesia* mentio fit (ut necessario fieri debet) de sanctitate Ecclesiae: in priori schemate in pag. 251, in par. 4; in schemate posteriori, in pag. 11, art. 5, par. 5, a lin. 20 usque ad lin. 30. Puto haec duo non omnino concordare. Sed quidquid sit, ex aspectu mere apologetico, non est necessarium hodie vim ponere in necessitate sanctitatis in Ecclesia, quod ab omnibus admittitur. Hoc tamen est necessarium: monstrare iis qui extra gregem sunt quod etiamsi Ecclesia, secundum missionem Christi in hoc mundo, est Ecclesia imperfecta, tamen potestate intra se pollet sese recuperandi in quacumque crisi. Hoc punctum illustrari debet illis excultis, qui nostras veritates haud cognoscunt: monstrare quod iterum iterumque in historia Ecclesiae felices recuperationes sequuntur periodus adversas. Ut G. K. Chesterton dixit, saepe Ecclesia videbatur moribunda suis inimicis; isti libitinarium fossoremque sepulchri

vocaverunt ut Ecclesiam sepelirent. Tamen semper evenit ut Ecclesia sepeliret tum libitinarium cum fossorem sepulchri; quia cognovit Deum qui ex sepulchro se suscitavit. Puto hanc esse imaginem Ecclesiae quae apologetis adiuvaret in iis quae ad nostros fratres separatos pertinent. Forsitan est confessio humilitatis; sed, sicut nobis in hac aula dictum est, humilitas est veritas. Et veritas semper praevalebit.

4. Ultima animadversio quam ego vellem facere haec est: In Concilio Vaticano I, in constitutione *de fide catholica* hoc invenitur: « Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile » (D. 1794).

Pro nobis, in missionibus, haec verba Sacrosancti Concilii in re apologetica, praesertim cum excultis non-catholicis, qui in nostris scholis et collegiis suam educationem formationemque receperunt, optimum initium suppeditant. Quia cum eorum scientia de historia et negotiis hodiernis, non possunt quin admittant quod Ecclesia in sua operatione, considerata etiam ut institutio pure humana sed historica, est quid dignum eorum considerationi et studio. Et non raro accidit, quod sincerus veritatis quaesitor sic ducitur ad inveniendum secretum existentiae continuae Ecclesiae per saecula non obstantibus magnis difficultatibus; eius vigoris et extensionis ubique terrarum — secretum nempe quod est Ecclesiae divinitas. Itaque, aliquando est possibile ducere tales homines ab Ecclesia ad apostolos; ab apostolis ad Christum; a Christo ad Deum — ut iam abhinc saeculis aiebat Tertullianus.

Nunc, mihi videtur, si unquam erat tempus hanc considerationem reaffirmandi, forsan modo differenti — hoc tempus nunc iam prope est. Decursu enim saeculorum, vigor Ecclesiae lucide manifesta est admirabili eius propagatione ubique terrarum; instauratione Hierarchiae tot in nationibus; immo, numero grandi, nempe 50, nationum etiam ex magna parte non-catholicorum, quae relationes diplomaticas cum Sancta Sede habent. Hoc inquam, felix phenomenon clare indicat quod Ecclesia manifestat interminabilem iuventutem, quod praestigium eius a multis recognoscitur, et quod eius officium morale ad conducendam pacem et ordinem rectam in mundo recte admittatur.

Nullibi in hoc schemate hanc ideam explicite expositam fieri credo. Mea humili opinione, haec idea speciali mentione digna est, et apponi potest, uti opinor, in cap. X — « De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum ».

[28] *Conclusio.* Altera die, unus ex Patribus Conciliaribus interrogavit quid respondendum sit iis qui volunt scire quid nos in his duobus mensibus hic fecimus. Hoc mihi recenter accidit, quando in Indiam reversus sum; interrogatus sum a pluribus a-catholicis, inter alios, a Primo Ministro Iaponiae. Hoc fuit meum responsum: *a*) In discussionibus, lingua officialis est lingua latina, et non omnes nos possumus hanc linguam fluenter loqui. Ergo; *b*). [29] Cum multa resolvuntur, et plura non in effectum rediguntur; cum innumeris commissionibus et subcommissionibus. Ut illustrarem nostrum modum agendi, citavi hoc dictum: « Si vis pro uno anno providere, semen semina; si vero pro decem annis providere velis, arbores semina; si tandem pro una generatione providere intendas, semina ideas, firmas et perpetuas ». [30] deest.

5

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER

Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Relate ad praesens schema, quod merito vocari posset cardo doctrinalis Concilii Vaticani II, mihi liceat quasdam observationes exprimere et postea aliqua vota proponere.

Ex principalioribus elementis quae in schemate *de Ecclesia* continentur, modo particulari eminet caput de episcopatu. Etenim ex clara expressione episcopatus naturae, necnon ex determinatione loci, qui, iure divino, in Ecclesia episcopis pertinet, multa alia schemata pendent, et praesertim illud cuius titulus est: « De rationibus inter episcopos et Curiae Romanae Congregationes ». Praeterea si apte exponitur missio imprimis pastoralis episcoporum, vocabulum « mens pastoralis » admirationem, quandoque iam in hac aula expressam, non amplius provocabit.

Multum igitur adiuvabit disceptatio quae de praesenti schemate, in genere considerato, nunc habetur. Attamen, ob brevissimum tempus quod ante conclusionem sessionis relinquitur, obque fatigationem qua Patres afficiuntur, omnibus aperte apparet graviora problemata constitutionis *de Ecclesia,* cum debito pondere sufficientique cura definiri non posse.

Prima illa sessio Vaticani II mihi apparet ut donum magnum quod Deus Ecclesiae suae largitus est. Etenim, his duobus mensibus elapsis, Patres Concilii se confidenter fortiterque dederunt menti renovationis a Summo Pontifice saepe expressae. Experientia illa necessaria, etsi quandoque dolorosa, salutaris Ecclesiae fuit et Concilio Vaticano II viam aperuit ad fines suos assequendos.

Nunc autem ut Concilium fructus suos reipsa seu concrete producere valeat, quaedam vota humiliter proponere audeam.

1. Ut mens renovationis, a congregatione generali in suffragiis saepius expressa, ad finem suum tute efficaciterque perducatur, propono ut, de consensu Concilii supremae auctoritatis, consilium constituatur quod illi menti participet quodque permanentem praesentiam Concilii inter sessiones praestet.

Consilium illud constituatur integro manente munere aliis conciliaribus consiliis iam concredito. Efficacitatis autem causa, consilium illud

inter-sessionale auctoritatem haud dubiam sed certam et bene determinatam habeat. Munus eius sit: labores commissionum ita moderari, coordinare et accelerare, ut in sessione proximi mensis septembris, schemata proponantur quae fructuosius disceptarentur et probabilius ad maioritatis Patrum adprobationem ducerentur.

2. Propono praeterea ut tempus quod nobis ante conclusionem praesentis sessionis impertitur, imprimis ad suffragia de constitutione liturgica exprimenda conferatur. Commissioni liturgicae sufficiens tempus adlaborandi tribuatur, forsan congregationum generalium diuturnitatem contrahendo, ut suffragiis nostris saltem duo priora capita illius constitutionis praesentare valeant. Valde enim exoptarem, sicut de cetero plures alii episcopi, ut, ad dioeceses nostras redeundo, fidelibus nostris substantialem partem constitutionis *de sacra Liturgia* afferre possimus.

Conclusio. Romae amantem Patrem, intrepidum Pastorem, prudentem Arbitrum Patres Concilii invenerunt. Summus Pontifex, sua impavida sollicitudine pastorali, Concilium animavit et inspiravit. Id certum habeo: omnes in hac aula conciliari, quaecumque sit opinionum legitima discrepantia, bonum Ecclesiae bona sua fide prosequi. Prae arduo illo opere quod Ecclesiae nostrae aetatis incumbit (ingens enim munus habet, non solos christianos sed homines omnes in Christo congregandi), optatum humiliter audeam formulare, ut omnes ad praesens Concilium participantes libenter, benigne et benevole communicent menti renovationis a Summo Pontifice propositae: nunc enim post duos menses, ipso Sancto Spiritu ducente, mens illa Ecclesiam renovandi apud universi orbis episcopos desiderium inconcussum factum est. Dixi.

6

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DOEPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Venerabiles Patres,

Constitutio de Ecclesia est quasi centrum totius Concilii Vaticani II, a quo pendent multa alia tamquam a fundamento; et hoc schema certe est praeparatum eximio studio, et nolo repetere laudes quas iam audivimus, sed multis ex eis plane subscribo.

Urgentibus vero exigentiis huius horae Ecclesiae, schema adhuc non plene satisfacit. Dicam quosdam defectus, totum schema pervadentes.[1]

Imprimis *possunt esse* [2] sequentes:

1. Ante omnia displicet *structura schematis*. Est nimis longa et, *ut ita dicam,*[3] nimis extrinseca. *Aegre* [4] inveniri potest idea fundamentalis totum pervadens — *quia certe idea fundamentalis adest.*[5] Singula capita nimis ...[6] inconnexe iuxtaponuntur. *Solummodo dare liceat duo exempla*:[7] doctrina de episcopatu profertur, quin fundamentum eius, scilicet idea ecclesiologica populi Dei (cui sacrum ministerium inservire debet), antea saltem breviter exposita sit. Item cap. V « De statibus acquirendae perfectionis evangelicae » inter caput de episcopis et caput de laicis ita positum est, ac si tractaret de classe membrorum Ecclesiae a clero et laicis prorsus distincta; debuisset potius poni post caput de laicis et debuisset incipere a consideratione vitae charismaticae, quae et ministris sacris et laicis est patens et ad quam pertinet status evangelicae perfectionis tamquam eius quasi stabile institutum. *Insinuationes pro ordinanda materia in scriptis trado.*[8]

2. *Dictio et argumentatio* saepius profundiore usu Sacrae Scripturae carent. *Dico profundiore, quia Sacra Scriptura saepe citatur et interrogatur pro tota quaestione.*[9]

Exempli gratia:[10] institutio Ecclesiae, cap. I, n. 2, nimis superficialiter vel parum accurate describitur. Textus enim dicit, Christum populum Dei non modo per se, sed etiam per electos praepositos sanctificare et gubernare, deinde prosequitur, Christum tales praepositos instituisse. *Textus* [11] sic sonat, ac si institutio Ecclesiae cum institutione praepositorum identificari *possit.*[12]

Aliud exemplum,[13] pag. 10, lin. 22: Ecclesia et « regnum Dei », secundum hodiernam theologiam biblicam, non simpliciter identificari possunt. *Alia exempla do in scriptis.*[14]

4. Quasi per totum schema, *respectus iuridicus Ecclesiae* praestat aliis aspectibus, — *respectus certe qui omnino pro Ecclesia necessarius est.*[15] Ita conceptus membri Ecclesiae, qui originarie apud S. Paulum magis coniunctionem hominum cum Christo et inter se per Spiritum Sanctum et gratiam effectam significat, hic fere unice ad iuridicam admembrationem in societate externa, visibili Ecclesiae catholicae applicatur...[16]

6. *Desideratur clara indicatio* ubinam Concilium pro summa sua auctoritate veritatem de fide definire, ubinam solummodo communem doctrinam exponere velit.

Nunc aliquos defectus — quidam maiores — singulorum capitum indicare liceat.[17]

1. Collegii episcoporum ...[18] natura et functiones tamquam succedentis collegio apostolorum non sufficienter apparent. In schemate pauca

tantum et quasi ad modum corollarii, in n. 16 cap. IV, dicuntur. Locus fundamentalis (in Evangelio S. Matthaei, 18, 18) solummodo in loco abscondito in *aliqua nota* [19] citatur.

E contra e collegialitate initium sumi debuisset tota tractatio de episcopis...[20] Ita facilius monstrari potuisset, quod episcopatus est institutio iuris divini, vel quod communis doctrina magisterii ordinarii collegii episcopalis una cum Romano Pontifice est infallibilis, licet singuli episcopi infallibiles non sint; uno verbo: doctrina de episcopatu, tam ardenter desiderata, facilius et cohaerentius dari potuisset.

In tali contextu minime superfluum esset verbum dicere de Summo Pontifice. Nam, quamvis non necesse est multoties repetere definitiones Vaticani I, tamen hic optime monstrari potest quomodo Primatus, in praedicto Concilio definitus, non solum in se et absolute considerari debet, sed etiam refertur ad collegium episcoporum, quod ex illo unitatem et firmitatem accipit, quodque illi variis modis inservit (quantumvis actus Romani Pontificis ex sese habent auctoritatem). Hoc verbum de Primatu explicite et cum studio dixi, ne praesentes disceptationes ullo modo suspicionem creent ac si per Concilium Vaticanum II Primatum quodammodo obscurare velimus, quod esset *contra fidem et insuper* [21] stultissimum...[22]

Mutari debet insuper, v. g. passus pag. 23, lin. 7 *et sequentibus, ubi sermo est de collatione iurisdictionis episcoporum,*[23] ne conciliariter definiri videatur quaestio disputata, utrum nominatio episcopi per Romanum Pontificem habenda sit collatio potestatis a potestate Papae derivanda. Nam sententia opposita, secundum quam ...[24] est designatio personae eiusque cooptatio in collegium episcopale, ita ut particeps fiat potestatis collegii huius iure divino ei inhaerentis, bonis rationibus fulcitur...[25]

2. Praeterea ad potestatem ecclesiasticam quod attinet, observandum est: expressiones *potestas, gubernium,* tamquam stylo biblico minus correspondentes, ne nimis premantur; potius loquatur de ministerio...[26] Hic, *in tractatu de episcopis,*[27] fortasse inseri poterunt puncta principalia cap. VII et VIII, *de magisterio, de auctoritate et oboedientia,* quae capita ceteroquin sunt nimis longa...[28]

3. Doctrina de relatione inter Ecclesiam et Statum post *disceptationem* [29] in commissione centrali *factam,*[30] certe valde melior reddita est. *Subscribo rationibus, iam ab aliis Patribus allatis, quod illud caput esset aliter et totaliter mutandum. Etiam subscribo quod audivimus a card. Gracias de cap. X de missionibus.*[31]

Concludo. Schema non solum mutatione quorundam locorum sanari

potest, sed nova profunda elaboratione indiget. Unde votum meum est: schema praeiacens non placet.

Diu anceps eram, utrum dicerem placet iuxta modum an non placet; quia diversis ex causis non temerario passu ad reiectionem schematis in Concilium veniendum est.[32] Sed timeo discussiones sine fine perduraturas esse, nec facile fore ut per mutationes particulares tota indoles, stylus, dispositio schematis ita emendetur, ut postulatis supradictis satisfaciat. Unde maius commodum duxi quod labor et sudor statim novo schemati elaborando impendatur.

Modus *opportunus procedendi posset esse*[33] sequens:

a) Diebus adhuc restantibus huius periodi ...[34] continuetur disceptatio de schemate, qua desiderata Patrum patefiant.

b) Tunc ferantur suffragia utrum schema placet an non, *et ibi videbitur sententia Patrum.*[35]

c) Provideatur ut intra certum temporis intervallum (e. gr. usque ad 15 februarii), ulteriores adnotationes in scriptis commissioni transmitti possint, sive a singulis sive a coetibus.

d) Usque ad initium alterius periodi Concilii, commissio exaret novum schema correspondenter ad placita Patrum et adiuvantibus peritis, *qui hac in re competentes sunt.*[36] In componendis quibusdam capitibus, collaborent etiam aliae commissiones conciliares, nempe commissio de laicis in cap. VI; commissio de religiosis in cap. V; commissio de missionibus in cap. X; secretariatus pro unione christianorum collaboret in cap. II, IX, XI, necnon consultetur in reliquis capitibus efformandis...[37]

Quibus propositis, nihil detractare velim indefesso labori ac studio a commissione theologica impensis; immo gratias ei explicite ago, quia multa bona ...[38] proposuit, quae optime inserentur novo schemati, vel saltem ad res profundius penetrandas notabiliter inserviunt. Etenim nullo modo mirandum vel aegre ferendum nobis est, quod in re tanti momenti finis solummodo pluribus gressibus, iisque *faticosis, attingatur. Ut sequentes gressus ad finem omnibus nobis tantopere exoptatam conducant, faxit Deus!*[39] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] I. *Adnotationes praeliminares*. Constitutio *de Ecclesia* a Concilio decernenda certo inter praestantissima et gravissima decreta Concilii Vaticani II aliquando adnumerabitur. Potissimum ab hac constitutione pendebit, utrum Concilium reapse illum magnum fructum habebit, quem omnes exspectant; utrum nempe revera Ecclesiam Christi tanquam ultimum idque solum signum atque instrumentum salutis in mundo hodierno persuadenter repraesentare et testificari valeat. Praeterea haec constitutio plurimis aliis decretis a Concilio edendis fundamentum praebebit. Schema praeiacens reapse iam continet multa

bona, quorum habet alia iam ab initio, alia ex emendatione a commissione centrali peracta. Laudanda veniunt imprimis sequentia: amplior et profundior descriptio mysterii Ecclesiae (cf. cap. I); necessitas Ecclesiae ad salutem ita definita, ut cum voluntate Dei salvifica universali concordetur (cf. cap. II); ponderatio magis positiva relationum realium, quibus non-catholici cum Christi Ecclesia coniunguntur; multa de episcopis et laicis dicta. Urgentibus vero exigentiis supradictis schema adhuc non satisfacit. Infectum est gravioribus quibusdam defectibus, quorum principaliora tantum hic animadvertere possum; nam — proh dolor! — tempus Patribus pro examine huius schematis concessum longe brevius erat. Nihilominus omni cum studio labori incumbamus, ut hominum spes aliquando expleatur et pro mundi salute novo modo annuntietur immutabilis veritas Ecclesiae a Christo Domino nobis donata. II. *Defectus totum schema pervadentes.* [2] sunt. [3] deest. [4] Vix. [5] deest. [6] absolute et. [7] Ita v. g. [8] Ergo imprimis structura schematis magis perspicua et organica quaerenda est, et quidem fere hoc modo: *a*) cap. I praeter figuram Corporis, alias notiones ecclesiologicas S. Scripturae magis respiciat, praesertim notionem Populi Dei. Haec notio Populi Dei nempe requiritur non solum ad organicam connexionem eorum, quae dicenda sunt de populo Veteris Testamenti, Novi Testamenti et de Ecclesia Caelesti (in schemate quasi ex toto omissa), sed etiam ad praeparandum fundamentum aptum pro postea dicendis de episcopatu, de laicis, de statu perfectionis; *b*) materia capp. III-VI magis organice disponatur secundum supra dicta; subsumi potest sub sectione quadam speciali, quae ageret de variis classibus membrorum Ecclesiae secundum hunc ordinem idearum: populus Dei (nexus ad sectionem praecedentem!) — hierarchia — laici — status perfectionis evangelicae; *c*) capp. VII-VIII valde abbreviari poterunt, vel fortasse principalia eorum puncta inseri tractatui de hierarchia; *d*) capp. IX-XI subsumi possent sub sectione quadam agente de relatione Ecclesiae ad mundum praesentem seu humanitatem nondum perfecte christianizatam; quae sectio iterum a consideratione populi Dei nexum sumat, et quidem a redemptione radicali et vocatione totius humanitatis per Incarnationem et Crucem factis. [9] Non videtur necesse esse ut figura Corporis prae ceteris ita extollatur, ac si omnes veritates de Ecclesia fere ex ea sola deduci possent. Magis persuasivum et demonstrativum ac historiae salutis consentaneum esset, si magis, idque inde ab initio figura Populi Dei respiceretur. Ita quoque et connexio ac continuitas inter Populum Dei Veteris Testamenti et Ecclesiam ut novum Populum Dei eluceret, et caracter Ecclesiae ut communitatis evidentius declarari posset. (Termino quidem « maxime » in pag. 9, lin. 8, cohaerentia veteris et novi Populi Dei aliquatenus insinuatur, sed nimis infirme et fortasse ambigue, quia opinio oriri potest vetus et novum populum sola gradatione perfectionis differre). [10] Similiter. [11] Hic textus minime, immo nullo modo de institutione et fundatione Ecclesiae per Christum loquitur, quod tanto magis dolendum est, quia nec n. 1 de fundatione Ecclesiae per Christum claris verbis agitur, sed solum de consilio Patris. Si n. 2 (secundum inscriptionem) de exsecutione huius consilii tractatur, nullo modo eos actus quibus Christus Ecclesiam i. e. novum Populum Dei condidit, negligere licet. Textus propositus. [12] posset. Alia exempla deficientis usus S. Scripturae sunt: pag. 10, lin. 12: dicitur Christum terminum « Ecclesia » adhibuisse; sed non constat utrum hoc an alio aequivalenti termino usus sit; pag. 10, lin. 15: desideratur ut praeter Petrum etiam Prophetae et Apostoli tanquam fundamentum Ecclesiae nominentur

secundum doctrinam S. Pauli; pag. 10, lin. 20: non est evidens quid significatur expressione: Christum per Apostolos Ecclesiam diversis figuris repraesentavisse; num sit inspiratio quaedam Christi eaque verbalis? [13] deest. [14] pag. 11, lin. 10: Quaeritur utrum *Io.* 15, 5 revera de Ecclesia directe agat, an potius de connexione singulorum fidelium cum Christo. Unde patet: S. Scriptura non secundum statum hodiernae exegeseos a catholicis peritis repraesentatum adhibetur. 3. Pluribus in locis tendentia negativa praevalet. Iterum iterumque inculcantur quae iam multoties in documentis ecclesiasticis stabilita sunt, ac si v. g. in tota quaestione de episcopatu solum de tuendo Primatu, a Conc. Vat. I iam lucide definito, ageretur; quaestiones vero a Vat. I insolutae et hodie a theologis multiformiter discussae, non sufficienter promoventur. Tendentia negativa etiam apparet in seriebus damnationum: cf. pag. 34, linn. 10-14; pag. 60, linn. 11-24. 4. [15] deest. [16] 5. Relatio ad fratres separatos non satis advertitur (cap. IX de Oecumenismo et quibusdam partibus cap. II exceptis), speciatim quod attinet ad modum quo dicendi. Nam locutio iuridica, scholastica, doctrinam mere auctoritative imponens, vix ab eis comprehenditur. [17] III. *Defectus quidam maiores singulorum capitum.* Ad singula capita quod spectat, praeter exempla iam supra allata, praesertim haec sunt emendanda. [18] (scil. semper cum et in suo capite, i. e. Romano Pontifice uniti). [19] nota 16, pag. 30. [20] in capp. III et IV. [21] deest. [22] Ergo patet: capp. III et IV ex integro reformari debent. Consequenter tolli debet sequens contradictio in schemate: in cap. VII agnoscitur ordinarium exercitium summae potestatis doctrinalis per episcopos in orbe dispersos continue peractum (pag. 49, linn. 26-37), in cap. vero IV negatur dari exercitium ordinarium supremae potestatis iurisdictionis per collegium episcoporum (pag. 24, lin. 30); immo negatur institutio divina actionis iuridicae collegii episcoporum (pag. 31, nota 17; N. B.! Ratio allata potius contrarium probare videtur; praecise ex eo quod Concilia Oecumenica absolute loquendo non necessaria sunt, sequitur, quod exsistere debent modi ordinarii, quibus collegium episcoporum summam suam potestatem in universam Ecclesiam, ei qua collegio a Christo traditam, exercere possit). [23] « a regimine Ecclesiae supremo » (melius dicatur « mediante... »), [24] nominatio. [25] (et fatendum est eandem nostrae opinioni melius convenire). [26] Insuper potestatem docendi, sanctificandi et regendi ne nimis separentur, quia etiam bipartitio in potestatem ordinis et iurisdictionis, historice antiquior, suum habet momentum; stabiliatur potius unicum et complexivum ministerium a Domino in Ecclesia institutum, duplici via (ordine et missione) et diversis gradibus tradendum, quod docendo, sanctificando, regendo exercetur. [27] deest. [28] et hoc modo commode omitti possunt. [29] disceptationes. [30] factas. [31] tamen etiam in forma praesenti plurimis vel fere omnibus statibus hodiernis difficulter applicatur. Magis respiciendum est, quod hodierni status sunt « pluralistici » uti aiunt, aut in hanc directionem sese evolvunt; nec adaequate repraesentant societatem civilem. Unde plura, quae schema statui assignat, ei non competunt; ita — saltem in actuali oeconomia salutis — non ei competit quà tali exercitium cultus; nam societas humana, uti Deo inserviens, formaliter non per statum, sed per Ecclesiam Christi repraesentatur. Declaretur lucide, statum dirigi solo suo fine proprio, qui est bonum commune; declaretur etiam libertas cuique civi vindicanda agendi secundum propriam conscientiam (scil. intra limites boni communis obiectivi). 4. Cap. X de Missionibus. Nimis unilaterale et rigidum, condicionibus statuum modernorum non christianorum

vix adaptatum esse videtur; certe hac de re Patres ex illis regionibus provenientes plura loquentur. [32] Longe haesitavi schema qua totum reiicere et studiose inquisivi num nihilominus via inveniri posset, qua schema in forma proposita quoad substantiam salvaretur. [33] procedendi consiliandus mihi videtur. [34] Concilii. [35] deest. [36] deest. [37] Notandum vero est, novam constitutionem non solummodo brevibus principiis abstractis constare debet, sed doctrinam plenam compaginatam contineat, secus spes nostra deciperetur. [38] — uti iam dixi —. [39] faticosissimis attingitur. Scopus propositus sacrificiis vel maxime arduis dignus est.

7

Exc.mus P. D. BOLESLAUS KOMINEK
Archiepiscopus tit. Eucaitenus

Rev.mi Patres Conciliares,

Schema *de Ecclesia* in genere mihi placet. Structura Ecclesiae Christi bene monstrata et explicata est, in quantum hoc possibile sit. Uti fundamentum adducti sunt fontes, non solum evangelici, sed etiam Traditio, tam antiqua quam moderna, et speciatim Litterae Encyclicae *Mystici Corporis.*

Attamen, his in theologicis speculationibus, defectum magnum et quidem essentialem animadverto. Carent consideratione passionis ...[1] mortis Christi Domini, id est *Crucis eius.*

Schema semel iterumque attente legi, elementum istud Crucis in Ecclesiae definitionibus quaerendo, et una tantum vice expressionem de salvifico Sanguine Christi inveni, ac semel etiam vocem *Crux.* Et haec sunt fere omnia.

Attamen Ecclesia iuxta Crucem nascitur, praesentibus Beata Maria Virgine et S. Ioanne Evangelista, qui futurae Ecclesiae aedificatorum personam gerit. Ex latere Christi morientis nascitur.

Omnia quatuor Evangelia *aliqua* [2] de Christi passione et morte capita continent. Non datur bonus nuntius sine passione et Cruce. Etenim passio et mors Christi in Cruce una cum gloriosa resurrectione essentialem actionem salutarem constituunt, qua Christus nos redemit et Ecclesiam sponsam suam acquisivit, seipsum tradendo pro ea, sicut ait S. Paulus: « Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam » (*Ad Eph., cap. V* [3]).

Utrum nos, apostolorum successores, ita tribulationes timemus, sicut olim S. Petrus qui Salvatorem pati noluit et ex ore Divini Magistri verba

haec audivit: « Vade post me, Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quae Dei sunt, sed ea quae hominum »...[4]?

Si in schemate saepius splendidam imaginem et factum arcanum Corporis Mystici apud S. Paulum referimus, quare illud classicum dictum S. Pauli, ex epistola ad Col., cap. I, vers. 24-25, tota in plenitudine non est adhibitum?: « Quia nunc gaudeo in *passionibus* pro vobis et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro Corpore eius, quod est Ecclesia: cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quae data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei »?

Atqui hodie decies deciesque centena milia in Christum eiusque Ecclesiam credentes, pluribus in regionibus, multa debent pro fide christiana pati, et quidem physice, moraliter, personaliter et communiter. Dolores fidelium bene supportati — secundum verba S. Pauli, et forsan ipsius Salvatoris —, incrementum dant eidem Ecclesiae, iuxta illud S. Pauli: « verbum Crucis - Dei virtus est ».

Et his in difficilioribus dolorosisque conditionibus, Ecclesia haec purior aliquando magisque Christo fidelis fieri potest, quam in prosperitate et pace externa constituta, quamvis extrinsecus minus magnifica minusque suavis oculis humanis *appareret*.[5] Plures nostrum hic praesentium hoc vident propriisque digitibus tangunt. Proverbium docet: hodie mihi, cras tibi.

Et Sacrificium Sanctae Missae quid est, nisi reproductio cruentae oblationis Domini nostri in qua omni vice non solum confessores sed imprimis martyres commemoramus? In memoriam revoco omnes apostolos — uno excepto —, martyres fuisse. Similiter omnes priores episcopi romani istius excellentis, etsi difficilis, gratiae martyrii participes facti sunt.

Persuasum mihi est quod permulti christiani sacerdotesque temporis nostri defectu isto in schemate *de Ecclesia* vivide afficerentur; nequaquam licet nobis parum de Cruce curare, eam silentio praeterire, eiusque in oeconomia salutis momentum negligere...

Schema caput de laicatu complectitur. Catholici hi laici, ubicumque vivant, non solum paucis in regionibus, *ita* [6] verbo et exemplo pastorum suorum *more* [7] educentur, ut sciant quod dignitas membri Ecclesiae, Mystici Corporis Christi, magni pretii solutione conservari debet. Non tantum oblatione pecuniae in templo, sed quantum sociali diminutione, restrictione libertatis et aliquando maxima dolorosissimaque gratia Dei misericordis, scilicet corporis vel spiritus tribulatione aut etiam vitae temporalis perditione.

Super hanc ergo doctrinam in schemate accentus ponendus est, ad mentem verborum Domini: « *Et qui non accipit crucem suam et sequi-*

tur me non est me dignus ». Eadem verba de Ecclesia Christi referuntur: qui membrum Ecclesiae esse vult aliquo modo crucem portare debet.

Doctrina de Cruce ex schemate conciliari influxum exercere debet in catechesim nostram, in formationem christianorum temporibus nostris tam laicismo et materialismo imbutis.[8]

Et ideo ad *commemorationem* [9] vel etiam ad exaltationem, ut ita dicam, S. Crucis in schemate *de Ecclesia* humiliter exhortor. Ad schema hoc essentiali magnique momenti elemento complendum propono: ad complendum, dico, non solum obiter, per meram additionem et iuxtapositionem, sed aliquo modo ab intus, a fundamentis. Agitur enim hic de ipsa radice redemptionis et Ecclesiae, Ecclesiae praesertim temporum nostrorum, quae, proh dolor! nimis facile Crucem in peregrinatione sua terrestri oblivioni tradit. Non licet nobis Crucem Christi perdere vel eam solummodo mere symbolice tractare. « O Crux, ave, spes unica! ».

In textu scripto tradito: [1] et. [2] deest. [3] (*Eph.* 5, 25-27). [4] (*Mt.* 16, 23). Super hanc ergo doctrinam in schemate accentus ponendus est ad mentem verborum Domini: « Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus » (*Mt.* 10, 38). Eadem verba ad Ecclesiam Christi referuntur. Qui membrum Ecclesiae esse vult, aliquo modo crucem portare debet. Doctrina de cruce ex schemate conciliari influxum exercere deberet in catechesim nostram, in formationem christianorum temporibus nostris tam laicismo ac materialismo imbutis. [5] appareat. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] immemorationem.

8

Exc.mus P. D. FRANCISCUS MARTY

Archiepiscopus Remensis

Venerabiles Fratres,

Magnum equidem felixque fuit commissionis praeparatoriae conatus in elaborando praesens schema. Essentiale praebet elementum quod reflexionem et laborem faciliorem reddat.

Documentum ...[1] conciliare tractatus de Ecclesia esse nequit. Verumtamen, cum nullum adhuc Concilium constitutionem ediderit de Ecclesia, congruit ut Vaticanum II modo sat amplo et completo de tali obiecto tractet.

Duas observationes mihi liceat proponere: *ex eius fonte et ex eius fine, Ecclesia enucleari debet.*[2]

Ad I. *Ecclesia essentialiter est mysterium.*[3] In schemate, Ecclesia

nimis ut « institutio » videtur, non satis ut « mysterium » proponitur. Hoc autem Ecclesiae mysterium fundamentum suum in Sanctissima Trinitate invenit. Pater diligit homines, quos per Incarnationem redemptricem sui Filii salvat, sub impulsu Spiritus; sicque Ecclesiam constituit, quae familia est filiorum Dei. Ecclesia, corpus mysticum, non autem firma consurgit e vinculis *puris visibilibus seu socialibus,*[4] sed e vinculis spiritualibus, in Christo scilicet. « Institutio » non est nisi « mysterii epiphania ». Ad spiritualia *ordinatur*[5] sicut, mutatis mutandis, Eucharistia ut res et sacramentum ordinata est ad rem tantum, i. e. unitatem Ecclesiae.

Et certe mysterium nequit ab institutione praescindere; sed ista, sicut est humanitas Christi, non debet mysterium eliminare, quod semper ordinis manet supernaturalis.

Ipsa etiam hierarchia in Ecclesia sensum non habet nisi in quantum ad mysterium refertur. Hierarchia enim ministerium est ad totum corpus, non solum institutio. Ex quo sequitur quod cap. I loqui deberet de episcopatu, *qui est pars essentialis ex mysterio.*[6] Cap. IV eruere deberet ex mysterio collegialitatem episcopalem. Fideles deberent non ut subordinati considerari, sed in sua cum hierarchia connexione: sunt enim vocati ad libertatem filiorum Dei. *Mysterium Ecclesiam ponit in sua interna connexione et non tantum ut « Institutionem » visibilem. Corpus Mysticum est explicitatio mysterii.*[7]

Ad II. *Quoad missionem Ecclesiae.* Sicut et Christus *missus* est, ita et Ecclesia in Christo est *missa.* Quae missio *intrinsecae*[8] est necessitatis: « Vae! mihi si non evangelizavero ». Non igitur in hoc est missio Ecclesiae, ut salutem hominum *possideat.* Haec enim salus semel pro omnibus per Christum est acquisita. Sed Ecclesiae missio in hoc stat, ut salutem hanc annuntiet et transmittat.

Axioma « extra Ecclesiam, nulla salus » significat omnem hominem, quisquis sit, qui in mundo salvatur, per Christum salvari, ideoque per Ecclesiam. Voluntas salvifica universalis, essentialis est *missioni*[9] Ecclesiae, quae in mundo illam adimplet.

Hic mundus habet autem proprios suos valores, quos debet Ecclesia in sua missione recognoscere, sed illos assumendo eosque altius transferendo. Sic fit ut relationes inter Ecclesiam et Statum nonnisi intra relationes inter Ecclesiam et mundum recte intelliguntur.

Integrum Corpus Mysticum pro missione habet evangelizandi mundum. *Ita omnes in Ecclesia, i. e. Hierarchia et membra, munus habent transmittendi salutem.*[10] Laici non sunt servitores minores Hierarchiae, immo *rationem*[11] specificam habent in annuntiando transmittendoque salutem.

Conclusio. Mihi videtur quod schema, ex mysterio et ex missione, modo meliori enucleare potest naturam Ecclesiae. In hoc sensu, schema aptari debet; aptari potest etiam in distributione nova capitum. Novam distributionem possibilem ad secretarium trado.[12]

Gratias pro benevolentia vestra! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] vero. [2] deest. [3] Quod « ut mysterium » Ecclesia semper appareat. [4] pure visibilibus. [5] inservit. [6] deest. [7] deest. [8] internae. [9] missio. [10] deest. [11] partem. [12] Conclusio. Mihi igitur videtur schema recognoscendum, distribuendoque capita iuxta duplicem hanc notionem: Mysterium Ecclesiae et Missio Ecclesiae. 1) De natura Ecclesiae; 2) De hierarchia, de episcopatu; 3) De Ecclesiae membris; 4) De magisterio et auctoritate; 5) De Ecclesiae missione: de praedicatione Evangelii; 6) De unitate Ecclesiae, de Oecumenismo; 7) De cooperatoribus in apostolatu: hierarchia, religiosis, laicis.

9

EXC.MUS P. D. IOSEPH GARGITTER
Episcopus Brixinensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Cum plures iam Patres suam dixerint sententiam, quid in schemate proposito censeant acceptandum et laudandum, quid vero emendandum vel reprobandum, liceat mihi breviter de duobus tantum quaestionibus verbum facere, quae respiciunt ea quae in hoc schemate de episcopis et de laicis dicenda sunt.

1. *De episcopis.* Postquam Concilium Vaticanum I claris verbis primatum iurisdictionis Romani Pontificis definivit, et haec doctrina iam firmiter cordibus et mentibus catholicorum inhaeret, nunc desideratur ut Concilium Vaticanum II fusius et accuratius de episcopis tractet, et quidem non tantum vel primarie quatenus iurisdictioni Romani Pontificis subsunt...,[1] sed magis quatenus sunt successores apostolorum, qui in communione et unione cum Romano Pontifice ex divina institutione positi sunt regere Ecclesiam Dei...[2] Sub hoc respectu munus episcoporum in schemate, ut mihi videtur, non satis enucleate tractatur; quae in schemate de episcopis dicuntur vix excedunt ea quae iam in Concilio Vaticano I continentur.

Quoad relationem episcoporum ad Summum Pontificem, notandum est quod[3] episcopi non solum primatum Summi Pontificis agnoscunt eique se submittunt, sed insuper maxima reverentia et caritate cum ipso se *coniunctos esse*[4] sentiunt. Talis unio episcoporum in fraterna

caritate cum Summo Pontifice tanti momenti est pro Ecclesia, ut mereatur extolli et in lucem poni a Concilio, nam per eam primatus iurisdictionis vero quodam sensu roboratur et vivificatur. Caritas est enim elementum essentiale regiminis in Ecclesia, quia omnis potestas in servitium caritatis instituta est, ita ut « Ecclesia iuris », *uti vocant,*[5] et « Ecclesia caritatis » in unum coalescant.

Praeterea, quia episcopi non mere potestate delegata, sed ordinaria, proprias dioeceses regunt, optandum est ut in schemate explicite agnoscatur ius et officium episcoporum *in hoc*[6] innitendi, servatis de iure servandis, in hac propria et ordinaria responsabilitate in regimine suae dioecesis, et decernendi ex propria conscientia de apta applicatione legum et praescriptorum generalium in concretis circumstantiis in quibus degunt. Talis mea assertio bene concordat cum iis quae Pius IX in epistola, *mense martio*[7] anni 1875, *post Concilium Vaticanum I,*[8] ad episcopos Germaniae scripsit, qui tunc temporis iura episcoporum defenderunt contra aggressiones gubernii civilis, quod asseruit, post definitionem primatus...,[9] episcopos iam non esse nisi functionarios Romani Pontificis.

2. *De laicis.* Ad laicos quod attinet, mihi bonum videtur ut de iis in tractatu de Ecclesia agatur. Utique de apostolatu laicorum alio loco tractandum est, sed fundamentum omnis apostolatus quaerendum est in doctrina de laicis ut membris Corporis Christi Mystici. Omnino necessarium mihi videtur ut in lucem ponatur sacerdotium *universale*[10] laicorum, quod quidem a sacerdotio ministeriali sacerdotum essentialiter differt, tamen est veri nominis sacerdotium, non solum, uti dicitur in schemate, sacerdotium « improprium ». Laici, utique, auctoritati ecclesiasticae subsunt; sed in hac submissione non consistit et non exhauritur eorum existentia, secus laicus ...[11] definiri deberet tanquam persona ab auctoritate Ecclesiae dependens. Quodvis membrum Mystici Corporis, praecise ut tale, ...[12] sua officia et iura habet, quae ab auctoritate quidem dirigi, sed non auferri ...[13] possunt. Proinde indoles iurium et officiorum, quae laicis in Ecclesia per Baptismum et Confirmationem competunt, atque eorum munus proprium in aedificatione Corporis Christi, magis positive et clarius exponatur.

Laici, ut membra Ecclesiae, munus sibi proprium habent in instauratione regni Christi in societate in qua vivunt, in quo munere adimplendo nec a sacerdotibus suppleri possunt, nec mere executores sunt praescriptorum Hierarchiae Ecclesiae, sed propria competentia gaudent, ita ut, obsequentes, *evidenter,*[14] doctrinae et legibus ab auctoritate Ecclesiae datis, proprio iudicio et responsabilitate agere valeant. In campis rerum profanarum, ut v. gr. rerum technicarum, politicarum, oecono-

micarum, peculiares vigent leges et methodi, et sunt imprimis laici, in istis conditionibus viventes et operantes, qui diiudicare valent quomodo ordo divinus et regnum Christi in eisdem aedificari et expandi possit.

Concludo: Rogo Patres Concilii, ut in schemate de Ecclesia, ubi de episcopis et laicis agitur, clarius et modo positivo exponatur quaenam sint utrorumque iura et munera propria in Ecclesia Christi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] — quia hoc iam continetur in doctrina de primatu successoris S. Petri —. [2] (cf. *Act.* 20, 28). [3] In tractatu de episcopis ne tam saepe — sicuti fit in schemate — dependentia et necessaria submissio episcoporum relate ad Summum Pontificem in memoriam revocetur, quasi si episcopi non satis conscii sint huius obligationis. [4] iunctos. [5] deest. [6] deest. [7] die 2 mensis martii. [8] deest. [9] Summi Pontificis. [10] deest. [11] catholicus. [12] suam dignitatem. [13] vel coarctari. [14] deest.

10

EXC.MUS P. D. GERARDUS HUYGHE
Episcopus Atrebatensis

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesia* nobis propositum talis est momenti, ut dici posset quod centrum sit Concilii Vaticani II. Etenim Ecclesia est signum omnibus hodiernis hominibus manifestum, credentes sint aut increduli. Vocari potest « Sacramentum praesentiae Christi in hoc mundo ». Certum est autem quod multi homines generationis nostrae Ecclesiam vel ignorant vel oppugnant. Accidit ut plures Christum Dominum agnoscant et diligant, quin Ecclesiam ipsam inveniant aut intelligant. Quinimmo, accidit ut Ecclesia, nedum animos ad Christum perducat, eos ab illo avertit.

Quare ergo res ita se habent? Veritas in hoc sistit, quod si Ecclesia a multis invidetur, id provenit ex modo nostro eam exhibendi; et in hoc omnes nos peccavimus. Mundus hodiernus exspectat quid Ecclesia in Concilio congregata de se ipsa dictura est. Mundus Ecclesiam sic interrogat: « Quid dicis de teipsa? ». Responsio quam huic quaestioni daturi sumus eo maioris est momenti quod instrumenta hodierna communicationis eam ubique terrarum manifestam facient. In tempore praeterito, Concilia oecumenica ad hoc solum deveniebant, quod textus et canones in lucem edebant, quos soli theologi cognoscere et interpretari poterant. Nunc autem, coram nobis, adest opinio publica, quae cum aviditate et

cum fiducia id exspectat, ut verum vultum Ecclesiae perspiciat, et proinde ex illis textibus, quos nunc elaboramus, Ecclesia iudicabitur per futura saecula.

Ratione habita exigentiarum illarum, quid dicemus de schemate quod nobis proponitur? Quamvis certa elementa positiva contineat, attamen exspectationi multorum hominum non correspondet. Optaremus etenim ut doctrina Ecclesiae quae in hoc Concilio determinanda est, ipsam Ecclesiam exhiberet quasi imbutam spiritu evangelico, scilicet: spiritus apertus et reapse catholicus; spiritus missionarius; spiritus humilis deditionis et servitii.

1. *Spiritus apertus et reapse catholicus.* Schema istud videtur pervasum esse spiritu cuiusdam Ecclesiae ad seipsam conversae, in seipsa limitatae, dum nos hodie, in quantum pastores, mundum universum evangelizare intendimus, et testes volumus esse illius Ecclesiae catholicae quae sit omnibus aperta, et erga omnes caritate plena. Non iam amplius in coetu quodam christiano vivimus, sed responsabiles sumus, non solum pro christifidelibus, sed etiam pro omnibus qui Christum adhuc non cognoscunt. Et omnes nos, collegiali modo, responsabiles sumus mundi hodierni, quem ad Christum perducere debemus. Responsabilitas illa nobis in hac prima sessione Concilii clarissime apparuit, et haec est maxima gratia quam hic accepimus. Oportet ergo, ut spiritus vere universalis totum illud schema pervadat et vivificet. Non sufficit ipsum schema alio modo reformare, oportet etiam spiritum novum in illud introducere.

2. *Spiritus missionarius.* Non sufficit quoddam caput huic materiae in fine schematis dedicare; necesse est ut in unaquaque pagina exprimatur praeoccupatio nostra primaria, i. e. praeoccupatio de illis qui longe sunt, et quibus portas salutis aperire volumus. Ecclesia non est solum societas quae proprios fideles dinumerat, ut eos ab erroribus protegat; est etiam communitas quae semper novis filiis aperta est, corpus quoddam quod semper percrescit. Oportet ergo spiritum missionarium ubique in nostro schemate clarius apparere.

3. *Spiritus humilis deditionis et servitii.* In toto schemate exhibetur Ecclesia tanquam potentia, quae omnes gentes et omnes homines suo dominio adstringere vellet. Forsan in hoc magis stupefacti sunt nostri coaetanei. Spiritus ille iuridicus et dominationis avidus, qui in nostro schemate apparet, sane Christo Domino plane alienus erat.

Legatur, v. gr., id quod de oboedientia Ecclesiae tribuenda dicitur. Atqui in Ecclesia a Christo condita, auctoritas non aliud significat quam servitium aliorum. Quando Paulus Apostolus de Corpore Mystico loquitur, semper id illustrat quod si ministeria diversa sunt, omnia ad bo-

num commune inservire debent. Minime existit in Ecclesia divisio in duos ordines, illorum scilicet qui imperant, et illorum qui oboediunt, sed omnes in eodem corpore eodem modo servire debent. Ipse Summus Pontifex vocatur « Servus servorum Dei ».

Similiter, cum de relationibus inter Ecclesiam et auctoritatem civilem agitur, quid prodest de potestate Ecclesiae sicut in Medio Aevo existebat dissertare, cum hodie potestas illa in nulla natione viget nec vigere potest? Ecclesia deberet non propria iura vindicare, sed conscientiam evangelicam totius mundi exprimere; etenim tanquam anima esse deberet huius universi, quod coram nobis evolvitur et ad suam unitatem perficiendam conatur.

Conclusio. Vultum Ecclesiae formare intendimus, non solum pro mundo hodierno, sed etiam pro generationibus futuris. Utinam similitudinem Christi inveniant et etiam semper adhuc viventem spiritum Beatitudinum Evangelii! Ad hunc scopum obtinendum, necesse est, mea sententia, ut schema totalem modificationem a commissione mixta recipiat, ut in eo spiritus Evangelii plene et intime infundatur. Dixi.

11

Exc.mus P. D. DIONYSIUS HURLEY
Archiepiscopus Durbanianus

Patres venerabiles, Fratres carissimi,

Iucundum sane non est, iteratis vicibus, in disceptationibus conciliariis munere fungi advocati diaboli. Sed in hoc stadio, ut ita dicam, viae purgativae Concilii vitari non posse videtur.

Schema *de Ecclesia* in genere mihi non multum placet propter defectum illum quasi toti operi praeparatorio Concilii communem, nempe carentiam unitatis et coordinationis. Plures Patres de inclusione capitum de episcopis, de statibus perfectionis, de laicis et de oecumenismo in hoc schemate conquesti sunt. Intelligere non possum quomodo in praeparatione Concilii unitatis tantopere deesse potuerit operis unitas.

Pro solutione talis difficultatis nihil aliud remanere videtur nisi denuo proponere ut, inter primam et secundam sessionem, totum illud opus praeparatorium reficiatur sub directione alicuius commissionis vere centralis, et — sit venia verbo —, centralizantis, cui munus sit finem Concilii ad mentem Summi Pontificis clare exponere, necnon curare ut media necessaria ad illum finem attingendum adhibeantur, *ut iam hoc mane dixit em.mus card. Léger.*[1]

Relate ad finem Concilii, quasi nulla mihi videtur, adesse necessitas veritates definiendi, cum in nullo discrimine positae sint quod tractationem conciliarem necessariam reddat. Immo dicere auderem nec conveniens, neque exoptatum esse, certas doctrinas formulis theologicis temporis anteacti coarctare, dum in media fermentatione theologica sumus maxime fecunda, quae multis ex causis originem ducit, praesertim quidem ex inquisitione renovata Sacrae Scripturae, monumentorum patristicorum et historiae ecclesiasticae, necnon ex sollicitudine crescenti de indigentiis hominum nostri temporis.

Sollicitudo illa est sollicitudo pastoralis, quae summa debet esse cura huius Concilii, quod convocatum est non ad veritates veteres definiendas, sed ad actionem pastoralem Ecclesiae renovandam, quae, Deo adiuvante, ut fructum praestantiorem habebit, crescentem in dies efficacitatem oecumenicam.

Sapienter omnino nobis expositae sunt (praesertim ab em.mo card. Bea et ab exc.mo D. De Smedt) notio et proprietates « oecumenicitatis »; alii Patres de ratione pastorali locuti sunt. Liceat mihi quaedam verba de eodem argumento proferre ut conamen aliquod, quamvis minimum, notionem illam adhuc magis claram et perspicuam reddere.

Pastoralis officii est veritatem hominibus proponere ita ut de ea vivere queant, eam amplectendo. Ad hoc necessarius est primo congruus modus proponendi doctrinam, qui modus non in mera adaptatione verborum et locutionum consistit, sed in genere loquendi, non scholari, nec oratorio, sed plano et communi, simul et praeciso, non iuridico nec dessicato, sed in quo percipiatur unctio quaedam amorque Dei et hominum.

Praeter congruum illum modum dicendi, requiritur etiam ut doctrina ipsa elaboretur et explicetur, ut apta sit, ex se et in quantum doctrina est, ad responsum dandum quaestionibus quibus vere laborant homines circa finem suum supremum, circa Deum Christumque eius. Certe veritas ipsa nec mutetur nec diminuatur oportet, sed intimius scrutetur, ad fontem denuo reducatur, profundius latiusque elaboretur, et ita renovetur, ut iam non sit tantum doctrina *in se* vera, sed fiat doctrina *pro hominibus* ad quos missi sumus. Fiat doctrina quae sit efficaciter et actualiter apta ad satisfaciendum iustis requisitis ac quaestionibus hominum. Sermo noster non tantum *aliquid* dicat, etsi verum, sed aliquid dicere intendat hominibus huius temporis. Reminiscamur dictum illud: « Quidquid recipitur secundum modum recipientis recipitur ». Et ita igitur in Concilio loquamur, ut praedicationi Evangelii in mundo hodierno novum impulsum demus. Paulus Apostolus ausus est Evangelium Graecis lingua Graecorum praedicare. Doctores medii aevi ausi sunt veritatem christianam conceptibus et vocabulis scholasticis expri-

mere. Est ergo traditio Ecclesiae suam praedicationem indigentiis populi et temporis accommodare.

Sacra Tridentina Synodus, ut ita dicam, novum typum episcopi ad vitam evocavit, qui S. Carolum Borromaeum exemplar perfectum habuit: typum scilicet episcopi non amplius feudalis, sicut in Medio Aevo, nec humanistae in sensu sic dictae « Renascentiae », sed pastoralis, et quidem relate ad necessitates societatis post-tridentinae. Nos autem ad mundum valde differentem missi sumus, mundum scilicet qui, non sicut ille post-tridentinus in intentione saltem et principiis religioni favet, sed parvam vel nullam de ea curam habet, dum vehementer de problematibus vitae humanae terrenae atque evolutionis mundi laborat. Mundi huius eiusque hominum pastores cum positi simus, quaerere debemus aliquem aptum et, si necesse sit, novum modum eis loquendi, vel potius eis praesentes esse in nomine Christi ac pro Christo. Indigetne mundus novus aliquo typo novo pastoris evangelici, pastoris scilicet non minus doctrinalis ac pastor Tridentinus, qui non sit contentus « doctrinam in se » hominibus tradere, sed doctrinam talem, vel taliter exaratam, ut eorum quaestionibus respondeat? Nonne talis erat sensus concionis undecima die mensis octobris a Summo Pontifice in hac aula habitae? Faciat Deus ut, de secunda Vaticana synodo, nova generatio pastorum procedat, magnae illi generationi Tridentinae comparanda, sed ad mundum hominesque huius saeculi plene conveniens! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

12

Exc.mus P. D. IULIUS BARBETTA
Episcopus tit. Pharanitanus

Venerabiles Patres,

Schema hoc *de Ecclesia* paucis ante diebus nobis oblatum, saltem humili meo iudicio, sive quoad doctrinam, sive quoad structuram, sive quoad formam seu stylum, mihi videtur disceptationi Patrum conciliarium fructuose et tranquille subiici posse.

Schema, solemniter in describendo Patris consilio exorditur, quod elucet e Novo Testamento; in quo omnia quae in ceteris schematis capitibus describuntur, themata resonant. Itaque in primis de consilii Dei exsecutione, quam Christus perfecit, schema pertractat, quae adamus-

sim eidem Dei consilio congruit, iuxta verba Pauli ad Philippenses: « Humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis », et iuxta illud quod Christus in Evangelio Ioannis dicit: « Quae placita sunt ei facio semper ».

De Ecclesia porro ipsa, in suis duobus aspectibus apte describitur, societatis et mysterii: de ipsa primum tanquam societate et deinde tanquam de mysterio agitur; quia non ab iis quae mysterio teguntur, sed ab iis potius quae oculis apparent, quaeque veluti manu contrectantur, initium capere oportuit.

Itaque de Ecclesia tamquam populo Dei sermo est, cuius Israel secundum carnem, typus fuit: quae porro, cum sit populus Dei, ne analogia (quae inter typum et antitypum vigere necesse est) excludatur, ut societas hierarchica a Christo instituta est.

Sicut ergo populus qui in deserto peregrinabatur ad terram promissionis lacte et melle manantem, a Moyse, summa rerum a Deo immediate donato, visibiliter regebatur, ita Ecclesia, verus Israel Dei, a Christo per beatum Petrum ad finem usque saeculi visibiliter pariter gubernatur.

Praeterea, quemadmodum in populo Israel, voluit Deus ut seniores electi regendi populi onus et sollicitudinem cum eodem Moyse susciperent — ita tamen ut ipsi quoque Moysi principi subicerentur —, ita Christus statuit ut apostolorum collegium tamquam hierarchia in Ecclesia constitueretur. Tamen, non ut una tantum habeatur in Ecclesia summa eaque collegialis potestas, sed extraordinarie, ut pro rerum adiunctis, apostoli omnes eorumque successores episcopi, una cum beato Petro et sub Petro eiusque successoribus in primatu, de rebus Ecclesiae in solidum decernerent; quod sane in Concilio Ierusalem factum esse constat.

De Ecclesiae mysterio autem schema fuse pertractat eiusdemque nomina figurasque, ex Novo Testamento collecta, recenset. Ex quibus principem locum figura Corporis tenet, cuius notionis potissimae: visibilitas, membrorum organica multiplicitas atque coniunctio, cum Christo capite naturae conformitas atque porro personae unius, mystice sane, unitas et utrumque ipsius principium ad mentem Scripturae Novi Testamenti, describuntur.

Ut ex iis quae usque modo paucis breviterque tetigi, schematis structura complexa est eademque simplex: complexa si res, simplex si rerum ordo descriptioque considerantur.

Etenim Ecclesiae natura definita, primum de membris in universum sermo est; dein de episcopatu tamquam supremo Sacramenti Ordinis gradu; insuper de residentialibus episcopis deque eorum muneribus atque, in interno ordine Ecclesiae, habitudine; postea de illis qui laici

nuncupati, commune tamen sacerdotium, quod ipsa Ecclesia est, cum illis qui ministeriali sacerdotio Christi funguntur, pari iure participant. Praeterea de oecumenismi doctrina, et tandem de Beatissima Virgine, utpote quae in Corpore Mystico Christi principem locum obtineat.

Ad formam quod spectat, mihi videtur, schema *de Ecclesia* haud scholae stylo atque processu compositum est, sed potius pastorali oecumenico spiritu, immo vero, si praesertim fundamentale caput de Ecclesiae natura consideratur, afflatu biblico conceptum esse atque descriptum. Non ergo stylus triumphalis, nec — sit venia verbo — clericalis, uti affirmatum est, sed simpliciter absque reboantibus verbis, stylus scripturalis et conciliaris.

Estne igitur schema perfectum? Nihil sub caelo perfectum: plura, enim, in eo contenta in aliis schematibus opportune includi possunt, ut v. gr. *de statibus acquirendae perfectionis, de oecumenismo;* et plura melius exprimi, ut in capite *de relationibus inter Ecclesiam et Statum.*

Solummodo repeto quod iam in exordio fatus sum: schema uti iacet amplissimo coetui Conciliari fructuose et tranquille subiici posse. Dixi.

13

EXC.MUS P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU

Episcopus tit. Orthosiensis in Phoenicia, aux. Barcinonensis

Em.me Princeps, venerabiles Patres Conciliares,

Schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* Patribus *Conciliaribus propositum, in genere laude mihi dignum esse videtur, et aptum ut Patrum discussioni subiiciatur. Merita non sunt pauca: quae quidem sufficienter in hac aula recensita iam sunt.*[1]

Attamen gravis quaestio praevia proponenda omnino videtur: quaenam est fundamentalis intentio huius schematis?

Certe non agitur de simplici exhortatione pastorali ad eos qui sunt extra Ecclesiam catholicam dicata. Modus doctrinam proponendi potius intentionem doctrinalem arguit, ad hoc ut filiis, qui iam ad Ecclesiam pertinent, genuina doctrina catholica sufficienter constet.[2] Iamvero in hac hypothesi, et ulterius progrediendo, quaeritur: quisnam est praecisus valor doctrinalis totius schematis? Duplicem tantum responsionem invenire fas erit: vel agitur de doctrina quam Concilium dogmatice definit, vel de doctrina quam Concilium authentice docet, etsi absque dogmatica definitione.

1. Iamvero, si intentio schematis esset doctrinam proponere dogma-

tice definiendam, tunc schema nimis prolixum videtur et plura continet asserta quae pro dogmatica definitione nullo modo matura videntur. Revera nostrum schema *de Ecclesia* tam longe superat integros textus a Concilio Vaticano I promulgatos, ut eos certe duplicet...[3]

2. Si schema intendit proponere veritates non dogmatice definiendas, sed solum authentice docendas, sequentes animadversiones censeo prae oculis omnino habendas esse:

a) Doctrina a Concilio Oecumenico approbata ita eo ipso firmatur propter consensum totius episcopatus, sub et cum Romano Pontifice, ut iam *in posterum ab ea non sit recedendum.* Recte hoc dicitur in *ipso* [4] schemate: « Quaecumque igitur in rebus fidei et morum ubique locorum ab universis episcopis, una cum ipso Summo Pontifice, tenentur et ordinario magisterio docentur, ea etiam citra solemnem definitionem tamquam irrevocabiliter vera eo sensu quo docentur tenenda sunt »...[5]

b) Inde, ad hoc ut aliqua doctrina proponatur approbanda a Concilio Oecumenico, multo maior requiritur certitudo quam illa quae pro decisionibus Sacrarum Congregationum — v. gr. Congregationis Sancti Officii —, sufficit. Nam, iuxta expressam affirmationem schematis, decisiones harum Congregationum « irreformabili sententia non muniuntur »...[6] Immo maior certitudo requiritur, quam pro ipsis litteris encyclicis Romanorum Pontificum, quae non semper et necessario irreformabilem doctrinam docere intendunt, sicut in ipso schemate implicite admittitur...[7]

c) Quoniam ergo Concilium Oecumenicum, ex ipsa sua natura, doctrinam approbare non potest nisi vel eam definiendo, vel saltem eam irreformabiliter docendo, sequitur schemata conciliaria summa vigilantia et responsabilitate esse proponenda et approbanda, ad hoc ut in eis nihil omnino contineatur, de quo non habeatur plena certitudo theologica. Sic intelligitur quam sapiens fuerit norma, quam deliberate sequi voluit — et revera secutum fuit —, Concilium Tridentinum: norma fuit nempe abstinendi a quaestionibus inter theologos disputatas et nonnisi in casu extraordinario — et certe post discussionem rei ab utraque parte habitam in ipso Concilio —, aliquid in talibus quaestionibus decidendi.

Immo, si aliquando necessarium visum fuerit quaestionem decidere inter theologos catholicos disputatam vel condemnare doctrinam ab aliquo auctore catholico propositam, Patres Concilii de hoc explicite informari deberent. Ita revera factum est in Concilio Vaticano I: quando doctrina libertatis actus fidei contra theologum catholicum Hermes proposita fuit, Patres Concilii expressam informationem receperunt de hac

re necnon de rationibus propter quas doctrina hermesiana condemnanda videbatur.

Iamvero, in nostro schemate aliqua videntur contineri, quae inter catholicos disputantur. En, *inter alia non pauca, tria tantum* [8] exempla:

1. In schemate dicitur episcopos potestatem iurisdictionis non habere « nisi ex participatione potestatis Romani Pontificis...[9]; dum alibi...[10] affirmatur episcopos ex sacra ordinatione episcopali habere iurisdictionem, in cuius exercitio dependent a Romano Pontifice. Haec duo non videntur inter se cohaerere. Praeterea omnibus notum est theologos catholicos nondum consentire in quaestione de origine iurisdictionis episcopalis; dum omnes tenent episcopos in eorum potestate regiminis dependere a Romano Pontifice.

2. Asseritur etiam in schemate potestatem collegii episcopalis, qua episcopatus una cum suo capite, Romano Pontifice, unum subiectum plenae et supremae potestatis in universa Ecclesia constituit, esse ordinariam et tamen nonnisi modo extraordinario legitime exerceri. Quod quidem, praeterquam nonnisi difficulter intelligitur, non ab omnibus admittitur...[11]

3. Affirmatur etiam in schemate episcopos non esse iudices fidei, nisi in Concilio Oecumenico; sed in eodem loco dicitur episcopatum cum suo capite, Romano Pontifice, esse infallibilem, non solum in Concilio Oecumenico sed etiam « cum singuli in sua quisque dioecesi authentice docentes, una cum Romano Pontifice, in revelata doctrina tradenda in unam sententiam conveniunt »...[12] Iamvero quomodo haec duo inter se conveniant, non apparet; praeterea vix intelligitur infallibilitas collegii episcopalis per orbem dispersi, si episcopi non sunt vi muneris iudices fidei, subordinati Romano Pontifici. Atque, ex alia parte, episcopos esse iudices fidei in *solo* Concilio Oecumenico multi theologi negant.

Quibus de causis, sequentia liceat proponere per modum conclusionis:

1. Clare determinetur, necnon *clare* [13] promulgetur quisnam sit huius schematis *de Ecclesia* praecisus valor doctrinalis.

2. Schema propositum — aptum quidem ut Patrum discussioni subiiciatur —, debitis emendationibus perficiatur ac ditetur.

3. Tales revera emendationes in schemate introducantur quas eius valor doctrinalis postulet. Quapropter e schemate supprimantur illa de quibus plena certitudo theologica adhuc non habetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Concilii propositum, laude dignum apparet. Merita namque non pauca habet: *a*) doctrinam completam et accurato examine praeparatam proponere conatur; *b*) prima vice doctrina dogmatica conficitur et traditur

circa naturam Ecclesiae atque in ea non excluduntur quaestiones quae nostris temporibus quam maxime intersunt, ut fit e. g. in capite de laicis in Ecclesia et in capite de oecumenismo; *c*) doctrinam in Ecclesia communem schema, verbis claris atque concisis, exponere conatur atque in genere prae oculis habet varias opiniones in Ecclesia exsistentes. Etsi non semper id felicem exitum obtineat!; *d*) praesertim in schemate — et quidem accurato modo confecta — de Ecclesia ut societate salutis tractatio proponitur, et quidem — quod certe speciali mentione dignum est — de possibilitate salutis schema agit pro omni homine bonae voluntatis in quacumque condicione versetur. [2] Respondere quis posset hic agi de pastorali exhortatione, quae potius ad eos qui extra Ecclesiam sunt dirigeretur. Attamen fatendum est stylum atque integrum modum doctrinam exponendi potius arguere intentionem doctrinalem pro filiis qui ad Ecclesiam catholicam iam pertinent. [3] Longissima ergo pateret via ad tantam definitionem dogmaticam Ecclesiae tradendam. [4] deest. [5] et, si tanquam divinitus revelata proponuntur, fide divina et catholica sunt credenda » (pag. 49, lin. 31). [6] (pag. 50, lin. 16). [7] (pag. 48). [8] paucissima. [9](pag. 24, lin. 6). [10] (pag. 23, lin. 3). [11] (cf. pag. 24, lin. 30). [12] (pag. 49, lin. 22). [13] deest.

14

EXC.MUS P. D. IOANNES RUPP
Episcopus Monoecensis

Em.me Praeses, venerabiles Fratres,

In schemate *de Ecclesia,* multa optima habentur sed forsan in eis non satis conspicitur illud quod gallice dicitur « l'idée directrice », vel germanice « der Grundgedanke », vel anglice « the clue ». Concilium mihi videtur magis ac magis intelligere finem ad quem tendit, qui, iuxta mentem Summi Pontificis, duplex est: *a*) finis remotus, *sensu logico, non affectivo, vel etiam forsan chronologico, finis remotus* [1] est unio christianorum; *b*) finis proximus est renovatio (italice « aggiornamento ») vitae ecclesiasticae, per adaptationem et praesertim per progressum spiritualem *orbis catholici, qui multis laborat defectibus.*[2]

His positis, de omni schemate conciliari examinari debet: quid valeat ad finem remotum vel proximum Concilii assequendum. Schema de quo nunc agitur, etsi multa, permulta habet quae duplici fini praedicto bene respondent, alia tamen continet quae minus respondent. Peccat nonnunquam vel ex defectu, vel ex excessu. Ex iis quae ex excessu peccant in ordine ad finem remotum, duo tantum sumere cupio.

1. Hodiernis in temporibus elementum ethnicum et geographicum neo-latinum non iam alia numerice superat in Ecclesia uti in aetate sic dicta « del barocco ». Catholicitas Ecclesiae, Deo opitulante, hodie splendet. Diversis *et longinquis* [3] e regionibus multa bona spiritualia in nos

defluunt. « C'est du Nord aujourd'hui que nous vient la lumière ». Ergo decentralizatio, ut aiunt, spiritualis iam facta est. Aliqua decentralizatio iuridica ab omnibus optatur et est in fieri.

Nulla tamen datur ratio, cur magno cum impetu malum exaggeratae centralizationis — si exstat — per malum oppositum curare velimus. Scio quod, iuxta auctores quosdam saeculi praeteriti, mens catholica sese modo hegeliano evolvit. Post nestorianismum, fit error oppositus; post Concilium Calcedonense, fit Constantinopolitanum II, ubi impugnatores erroris praecedentis hac vice damnantur. Sic post Vaticanum I, unde centralizatio — iuxta quosdam — exaggerata processit, Vaticanum II deberet in oppositum praecipitare. Sed res non ita se habent, nec ita se habere debent.

Propterea dolendum est quod schema nostrum, ubi agit de magisterio ecclesiastico, in aliquas exaggerationes cadit. *De una tantum loquar, et de aliis ad secretariatum mittam.*[4]

a) Eadem paragraphus tractat de magisterio Ecclesiae universalis et de magisterio singulorum episcoporum in propria dioecesi; sed sunt inter se *omnino*[5] diversa! Libertas, dignitas fidelium et praesertim *nostrorum sacerdotum*[6] exigit, ut caute et praecise definiantur casus ubi singulo episcopo vel etiam conferentia episcopali loquente, *ille*[7] interior et religiosus assensus, *de quo sermo fit,*[8] requiritur. Valde exopto ut textus ...[9] de hoc assensu *omnino*[10] deleatur...[11]

Haec valent pro prima animadversione. Nunc ad secundam et ultimam.

2. Concilium vult et debet ordinem episcopalem extollere. Sed non videntur episcopi residentiales ita extollendi, ut titularium ne quidem nomen pronuntietur, cum in uno tantum loco « alii » vocantur! Estne iurisdictio territorialis res sine qua non in ordine nostro? Iurisdictio residentialium in Ecclesiam universalem nonne potentialis est, extra Concilium, simul ac titularium? Nonne reducitur ad actum eodem modo ac titularium nempe a convocatione Summi Pontificis? Iurisdictio personalis nonne magis necessaria est in mundo moderno ac antea? Quod si dicunt rem maturam non esse, cur eorum labore non maturesceret? Insuper commissio praeparatoria Vaticani I de hac re optime laboravit. Quin etiam fratres nostri Orthodoxi et Anglicani in hac materia praxim habent, traditioni sat consentaneam nec pulchritudine carentem. Titulares sunt quasi dimidia pars episcopatus catholici, fratres sunt nostri dilectissimi, cum quibus bonum et iucundum est habitare in unum...[12]

Haec sufficiunt ut omnia uno verbo concludam: fiat in praesenti schemate, sicut in aliis, inter diversa quae componi debent, sapiens et evangelicum aequilibrium.

Sed cur loquor? Cur, venerabiles Patres, *loquimur? Porro innumeris verbis quae dicta sunt in hac aula, per quinque hebdomadas, de S. Liturgia,*[13] emendationes quae nobis proponuntur unum vel duo verba tangunt...[14] *Vere*[15] qui loquitur aes sonans aut cymbalum tinniens!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] De duabus loquar. [5] valde. [6] cleri. [7] deest. [8] deest. [9] qui. [10] agit. [11] *b*) E converso fere nihil habetur de Sancta Ecclesia Urbis Romae, sponsa ac adiutrice Summi Pontificis, quam Pastor Hermae « Basilissam » vocabat, et a Patribus priorum saeculorum verbis quae solvi non possunt extollitur; *c*) Aliunde, quae in schemate habentur de Magisterio ordinario vere non sufficiunt. [12] De his alio modo tractare debemus. [13] locuti estis? quid ex dictis nostris assumunt commissiones conciliares? Pro tot verbis prolatis, post quinque hebdomadas laboris incessantis, post tam multas et pulchras orationes a vobis factas. [14] vel mutant. [15] Nonne.

15

Exc.mus P. D. BLASIUS MUSTO

Episcopus Aquinatensis, Soranus et Pontiscurvi

Em.mi ac exc.mi Patres,

Ad hoc ut facultatem loquendi peterem, iis motus sum quae audivi a quibusdam Patribus circa schema *de Ecclesia,* quod arguitur de defectu indolis pastoralis et missionariae. Hanc causam ferri contra schemata dogmatica vel doctrinalia, compertum est iam a primis diebus convocationis Concilii et querela adhuc perseverat, *adhuc perseverat*[1] — sit venia verbo! — usque ad satietatem.

Qui talia iactant, videntur haud recte intelligere naturam muneris pastoralis, quod certo complectitur imprimis et potissime officium genuinam veritatem tradendi christifidelibus, eamque traditam tuendi, nostra praesertim tempestate, cum novi generis hostes funditus evertere totum systema dogmaticum subtilissimis artibus satagunt.

Quod si quis in extollenda necessitate indolis pastoralis constitutionum Concilii, subrepticie intendit faciliorem reddere occursum cum fratribus separatis, sciat artificium huiusmodi neque missioni neque agendi modo Ecclesiae congruere.

Ardentissima quidem caritate liberos omnes, a regula veritatis et disciplinae aversos, Ecclesia complecti exoptat et per saecula sine intermissione exoptavit. Toto animorum studio id aliquando fore speramus, immensa Spiritus Sancti gratia. Occursus tamen filiorum et Matris fiat

oportet non reticita vel attenuata qualibet ex parte veritate, sed in signo absolutae sinceritatis et claritatis.

Schema *de Ecclesia* votis et conciliis delectorum virorum, diuturna cura exaratum, nobisque, Summo Pontifice approbante, transmissum, doctrinam catholicam rite praebet: si quid vero in eo occurrerit, vel minus recte expressum, vel redundans, vel a congruo ordine expositionis devians, cura Patrum erit opportunas emendationes ferre decursu discussionis. Vehementer autem eos obiurgamus qui praedictum schema proclamant funditus esse renovandum a commissione mixta, nuper auctoritate Summi Pontificis electa: desunt enim rationes, ut mihi videtur, obiective validae quae id agere suadeant. Procul dubio — ut audivimus, *et alia vice hodie —, procul dubio* [2] exemplo Divini Conditoris, Ecclesia exhiberi debet ut ministra, *ministra* [3] eorum omnium qui Sanguine Christi sunt redempti, et a quavis cupiditate dominandi aliena.

Ex hoc vero nemini liceat animum avertere a natura eiusdem Ecclesiae, societatis perfectae, triplici potestate auctae, iuridice organizatae, quae depositum fidei ab errore immunem custodire et contra hostiles incursiones inconcussa auctoritate tutari debet.

Quae omnia firmissimis verbis sancienda sunt — ut schema nostrum facit — eo praesertim quia perditi homines verbum Dei alligare et Ecclesiae iura laedere, nefandissima audacia contendunt.

Nec accipi debet, mea humili opinione, *nec accipi debet* [4] condicio duorum schematum, *ut dictum fuit alia vice,* [5] quorum unum sit technice et scientifice exaratum pro theologis et magistris doctrinae sacrae, alterum vero haud excultae menti et cordi fidelium accommodatum. Superflua et vana ne quaeramus. Hanc rationem agendi enim numquam secuta sunt Concilia, quotquot usque nunc fuerunt.

Edantur igitur nunc, recepto more, constitutiones et decreta: erit postea munus nostrum omnium, et sacerdotum qui nobiscum dividunt curam ministerii, doctrinam conciliarem proponere et explicare assidue, scriptis et verbis, adhibitis etiam auxiliis didacticis, quorum praxis pastoralis semper ditissima fuit.

Venerabiles Patres, unusquisque nostrum a studio novitatis et academicae disceptationis abhorrens, recolat illud S. Pauli *in 2 Tim.*[6]: « Tu vero permane in iis quae didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris »...[7] Et meminerit etiam verborum eiusdem apostoli, quae videntur paene in descriptionem et usum nostrae aetatis prolata: « Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila ».

Id rogant *a nobis, venerabiles Patres,*[8] a nobis qui ex toto orbe ter-

rarum convenimus ad Petri cathedram, *id rogant a nobis,*[9] sinceri et probi christifideles, gemitibus quos in eorum cordibus indesinenter excitat et alit caritas Spiritus Sancti.

Et concludo. Ut omnia paucis verbis dicam, hoc schema constitutionis dogmaticae...

Praeses: Rogo te, rogo te, exc.me Domine, quia tempus iam transiit.

Orator: Finivi! Finivi! ... *de Ecclesia,* quamvis perfectibile, mihi valde placet.

Praeses: Est libertas loquendi hinc illinc, propterea omnes libenter audimus, cuius sententiae sint Patres. Nunc loquatur ultimus...

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] 2 *Tim.* 3, 14. [8] deest. [9] deest.

16

Exc.mus P. D. ADAM KOZLOWIECKI

Archiepiscopus Lusakensis

De S. Bartholomaeo duo tantum scio: unum quod nihil scripsit, alterum quod pellis eius extracta est... Ne mihi hic hoc accidat, breviter loquar!

Primo, dicendum mihi est Summum Pontificem aliquem finem primarium huius Concilii nobis dedisse. Finem primarium huius Concilii in eo consistit, secundum praesentem Romanum Pontificem,[1] ut Ecclesia Christi hominibus ita ostendatur, ut eam clarius intelligant et, intelligentia illuminata, ad eam revera attrahantur.

Et nunc quaero:[2] respondetne ...[3] hoc nostrum schema huic tam nobili ac arduo fini? Quamvis censeam hoc schema multa continere quae fini praedicto bene correspondent, tamen quoad plura iudico illud sat fundamentaliter nova redactione indigere...[4]

1. *Liceat mihi dicere aliqua de parva re, id est de stylo. Verum est nostrum modum dicendi talem esse debere qualis Ecclesiam solemniter docentem decet. Ast hoc haud significat linguam conciliarium decretorum debere esse difficilem ac complicatam, et propositiones singulas debere esse longas et multis appositionibus ac clausulis oneratas. Dictum est iam linguam debere esse conciliarem; sed card. Gracias hodie bene*

dixit etiam inter nos esse sapientes et minus sapientes. Habeatis patientiam pro nobis minus sapientibus!

Legamus primam sententiam, primum articulum: « Aeternus Unigeniti Pater, cum liberrimo eoque arcano sapientiae suae consilio statuisset genus humanum, per peccatum Adami protoparentis ex statu iustitiae originalis misere delapsum, per Incarnati Filii sui mortem redimere et in regnum eius transferre, ubi venit plenitudo temporis misit eum qui per Spiritum Sanctum sese hostiam Deo immaculatam offerens acceptabilem sibi populum mundaret ». Est una sententia, pro me saltem, difficilis! Estne hoc revera necessarium? Haec omnia vera sunt, sed fortasse pro nobis, minus sapientibus, hoc aliquo modo faciliori potestis dicere.

Nunc, repeto tantum:[5] ut inutiles divisiones et repetitiones, necnon et discrepantiae formularum et ...[6] confusiones evitentur, absolute necessaria est maior coordinatio et intrinseca unio omnium documentorum quae de una eademque re aut de rebus valde affinibus huc spectantibus tractant. Ideo subscribo illis quae iam a card. Alfrink proposita sunt circa novam redactionem totius schematis a commissione mixta praeparandam.

2. Expositio schematis sit magis christocentrica, et praeprimis magis insistatur in praesentia et operositate Christi in toto suo Corpore Mystico ac singulis membris vivis illius. In praesenti schemate hic aspectus christologicus non quidem deest, sed, praesertim post primas paginas, nimis in favorem aspectus ...[7] iuridici retrocedit.

3. In hac christocentrica descriptione Ecclesiae, multo magis ac profundius insistatur in divitiis quas Christus singulis vivis suis membris mysticis communicat: describantur ergo saltem principales nostrae in Christo incorporationis effectus uti sunt...[8]: participatio nostra in vita, morte et resurrectione Verbi Incarnati, communicatio Spiritus Sancti, mutua ac supernaturalis unio omnium hominum in Christo et alia plura...[9]

4. In descriptione theologica Ecclesiae, fortiter quoque inculcetur indoles eius essentialiter eschatologica. Qua de re in hac nostra constitutione, explicite etiam agatur de Ecclesia tum purgante tum triumphante. Nec essentia nec pulchritudo nec finis Ecclesiae recte intelligi possunt, nec ergo Ecclesia rite amari, nisi relationes Ecclesiae terrestris ad Ecclesiam caelestem apprime perspiciantur. Ut autem hoc efficacius et profundius fieri possit, in hac ipsa constitutione *de Ecclesia* de ipsa Beata Virgine ac Matre nostra Maria agatur, sed insuper etiam de communione, de intercessione, de invocatione et de cultu Sanctorum.

Si in hoc contextu, plene christologico et ecclesiologico, de Beatis-

sima Virgine Maria et de ipsis Sanctis loquemur, optimum simul servitium ipsis fratribus separatis, quibus integra doctrina catholica de Ecclesia explicanda est, praestabimus, sed etiam multis fidelibus catholicis, qui hac in re divitiis ipsis a Christo in Ecclesia oblatis, sive per excessum sive per defectum, non recte utuntur...[10]

Tandem:[11] in doctrina de Iesu Christi Mystico Corpore explicanda omnino necessarium est, ut modo valde explicito, amplo et profundo, de illa lege fundamentali agamus quae omnes manifestationes vitales, *tam totius Mystici Corporis quam singulorum eius membrorum,*[12] dirigere ac inspirare debet: de suprema, dico, lege caritatis. *Haec est lex, non consilium evangelicum; lex suprema, uti Christus dixit.*[13] Numquam doctrinam de Ecclesia adaequate hominibus, nostrorum temporum praesertim, explicabimus, nisi hanc doctrinam caritatis christianae, in toto eius ambitu christologico et ecclesiologico describemus...[14]

Eo autem vel magis, puto in constitutione *de Ecclesia* de caritate explicite esse agendum, quia haec caritas quam Spiritus Sanctus in cordibus nostris diffundit, a non paucis, proh dolor! cum vago sentimentalismo confunditur. Confiteor me vehementer mirari cum ex non paucis allocutionibus in hac aula aliquam diffidentiam erga legem caritatis percipio. Aliqui apparent putare eos qui de lege caritatis loquuntur, ex quodam sentimentalismo vago, nebuloso et suspecto laborare. Alii suspicari videntur eos, qui de lege caritatis loquuntur praeparatos esse veritatem parvipendere, ac si caritas periculosa esset veritati. Talem suspicionem iniuriosam esse assero. Hanc diffidentiam erga legem caritatis in ipso schemate, tam in illo quam in aliis percipio, praesertim in schemate de fundamento ordinis moralis.

Cur in art. 1 huius schematis tantum de « liberrimo eoque arcano sapientiae » consilio Patris locutio est, et ne verbum unum de aeterno amore Patris, illo amore divino qui quasi motivum divinum est et perfectissima explicatio creationis hominis, eius elevationis ad supernaturalem statum, eius post lapsum Redemptionis cruento Filii Sacrificio? Cur hic aeternus Amor divinus tam caute celatur?

Iesus Christus legem amoris et caritatis tanquam mandatum, *et quidem mandatum*[15] primum, nobis proclamavit. *Cur in libris de theologia morali agentibus, legimus de obligatione sub iustitia, et alia obligatione quae obligat tantum ex caritate?*[16] Iesus Christus neque sentimentalista fuit neque legem periculosam *veritati*[17] proclamavit. *S. Paulus, in epistola ad Corinthios, scribit*: « *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non haberem, nihil sum* ». *Non dixit*: « *Si haberem caritatem omnem et fidem non habeam, nihil sum* », *sed*: « *Si fidem habeam...* ».[18]

Praeses: Exc.me Domine, si habes adhuc plura dicenda, poteris continuare crastina die, ne nimia sit patientia Patrum conciliarium, quia iam hora ruit.

Orator: Ubi regnat veritas, ibi lex est caritas, dixit Ioannes XXIII. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Constitutio *de Ecclesia* in praesenti Concilio centralem occupat locum, cum secundum explicita ac pluries repetita verba Summi Pontificis aliquis finis primarius huius Concilii in eo consistat. [2] deest. [3] autem. [4] Cuius sententiae rationes sequentibus brevibus observationibus indicare velim. [5] deest. [6] ergo. [7] potius. [8] v. g. [9] Rationes autem cur constitutio *de Ecclesia* haec facta essentialia enumerare debet sunt sequentes: *a*) quia sic revera ipsa essentia Ecclesiae prout est institutum ac locus salutis nostrae describitur; *b*) quia nonnisi hoc modo supernaturalis pulchritudo Ecclesiae ita exhiberi potest, ut animi et corda hominum ad ipsam attrahantur; *c*) quia sic ponuntur fundamenta ad positionem laicorum in Ecclesia rectius describendam, quae profecto insufficienter describitur si ex sola comparatione inter hierarchiam et laicatum in Ecclesia procedemus; *d*) quia sic simul ultima fundamenta omnium iurium et obligationum in Ecclesia indicantur, quippe quae omnia et singula in nobilitate nostrae exsistentiae in Iesu Christi Mystico Corpore ultimatim radicantur. [10] 5. In Ecclesia theologice describenda modo utcumque claro porro dicatur, ipsam esse utique Iesu Christi Mysticum Corpus, et hoc tam sensu ontologico quam morali; insimul autem dicere necesse est hoc Corpus Christi esse corpus prorsus sui generis, nec ergo corpus physicum nec corpus mere morale. Haec observatio adeo necessaria est, quia conceptus nimis litteralis et humanus « corporis » adaequatam intelligentiam de positione fratrum separatorum impediat. Praecise ob hanc rationem necessarium est ut aliae quoque numerosae imagines a S. Scriptura ad designandam et figurandam Ecclesiam Christi adhibitae, in constitutione amplius quam hucusque adhibeantur. [11] 6. [12] huius Mystici Corporis. [13] deest. [14] Christus caritas est et caritate omnes, qui sunt Christi, in omnibus se duci sinant oportet. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] 1 *Cor.* 13: « si habuero omnem fidem... »; 1 *Io.*: « Deus caritas est ».

Animadversiones additae:

Cum a nobis postulatum est, ut animadversiones et emendationes in schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* et *de Beatissima Maria Virgine* ante finem mensis februarii proponamus, liceat mihi *pauca* excellentiae vestrae rev.mae transmittere.

Haec *pauca* tantum sunt — certe non omnia quae proponere vellem —, sed — proh dolor — tempus mihi ad omnes animadversiones redigendas deest, spero tamen eas ab aliis et quidem sapientioribus em.mis ac exc.mis Patribus transmissuras.

Difficultas mihi apparet in reconciliatione initii art. 13 (pag. 22, lin. 1 et seq.), in qua legitur: « Quos ipse Christus, qui " non venit ministrari, sed ministrare " (*Mt.* 20, 28), voluit usque ad finem temporum successores apostolorum in munere

doctorum et pastorum ad aedificationem et in ministerium Ecclesiae suae, eosdem Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (cf. *Act.* 20, 28) », cum art. 7 (pag. 12, linn. 22 et 23) in quo dicitur Ecclesiam « S. Petro et successoribus, qui sunt Romani Pontifices, tradidit gubernandam »; et cum art. 9 (pag. 15, lin. 24) in quo dicitur de Christo, Ecclesiam suam regente « per Vicarium suum ».

Ergo ex supra citato art. 13 clare apparet Spiritum Sanctum posuisse « episcopos *regere Ecclesiam* Dei » (non tantum Ecclesias suas particulares), dum in art. 7 et 9 supra citatis dicitur *tantum* de potestate gubernandi S. Petro eiusque successoribus collata.

Immo in art. 11 (pag. 20, lin. 3 ad 5) dicitur: « potestatem authentice docendi *et gubernandi* in Ecclesia ita instituit ut natura sua arcto vinculo coniungeretur cum potestate sanctificandi quae in Sacramento Ordinis confertur ».

In art. 14 (pag. 23, lin. 11) verba S. Leonis Magni de S. Petro adducuntur: « nihil in quemquam sine ipsius participatione transierit ».

Quamvis omnia supra dicta vera sunt, difficultas tamen in earum mutua coniunctione apparet, praesertim si inter pastores gregis Dei contentio exstaret non tam multum circa eorum vocationem et obligationem gregem Dei pascendi et populo Dei ministrandi, quam circa potestatem et iura.

Liceat ergo mihi humillime suggerere hanc difficultatem forte *aliquantulum* diminuturam si in tota redactione constitutionis *de Ecclesia* duo sequentia clarius elucescant:

1. Sicut Iesus Christus « non venit ministrari, sed ministrare » (*Mt.* 20, 28), ita etiam apostoli a Iesu Christo vocati sunt imprimis ad ministrandum, non vero — saltem primarie — ad gubernandum. Apostoli omnes, Petro incluso, vocati sunt ad servitium et ministerium gregi Dei, — potestas vero eorum et ius gubernandi ex vocatione primaria ad ministerium fluit et ad vocationem ministerii dirigitur.

2. Si vero ad hunc *secundarium* effectum vocationis ministerialis apostolorum eorumque successorum pervenitur, scl. ad potestatem et ius gubernandi Ecclesiam Dei distinguenda est vera potestas collata apostolis collegialiter, a *suprema* potestate collata tantum Petro eiusque successoribus. Apostoli ergo omnes collegialiter Ecclesiam Dei gubernant *cum* Petro et *sub* Petro eiusque successoribus. Petrus vero Ecclesiam Dei gubernat *cum* Apostolis eorumque successoribus sed *sub* Christo tantum. *Suprema* potestas Petri ordinariam potestatem aliorum apostolorum non tollit. Iura et potestas ex vocatione ministeriali apostolica profluentia ad obiectum vocationis apostolicae, i. e. ad ministerium gregi Dei dirigi debent. Sicut omnis potestas et omnia iura abuti possunt, ita etiam potestas et iura ex vocatione apostolica profluentia abuterentur si exerceantur sine relatione ad obiectum primarium vocationis apostolicae, scl. ministerium gregi Dei — si apostoli eorumque successores ea exercerentur *sine* vel *non-sub* Petro eiusque successoribus —, vel si Petrus eiusque successores iuribus et *suprema potestate* uterentur sine relatione ad ministerium gregi Dei vel *non-sub* Christo, vel ... (cum ipse nimis timidus sum, sapientioribus relinquo disputationem *utrum* et *quomodo* Petrus eiusque successores abuti possunt sua *suprema* potestate in relatione ad potestatem aliorum apostolorum eorumque successorum Ecclesiam regendi).

Permulta adhuc alia, quae mihi minus placent in schemate constitutionis apostolicae *de Ecclesia,* scribere vellem, sed tempus mihi deest. Spero tamen alios Patres super illa scripturos.

Secretarius generalis: Communico exitus suffragationum factarum hoc mane:

Circa I emendationem:

Praesentes votantes	2.113
Dixerunt *Placet*	2.096
Non placet	10
Vota nulla [1]	7

Maioritas requisita erat 1.409. Igitur emendatio probata est.

II emendatio:

Praesentes votantes	2.109
Dederunt votum *Placet*	2.051
Non placet	52
Vota nulla	6

Maioritas requisita: 1.406. Ergo etiam II emandatio placuit.

Praeses: Reponatur Sanctum Evangelium! ...

[1] Quorum unum est *placet iuxta modum*.

CONGREGATIO GENERALIS XXXIII

4 decembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXXIII

4 decembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *Concilii secretarius generalis*: Exeant omnes!

[*Intervallum*].

Hodiernae congregationi generali praesidet em.mus ac rev.mus D. card. Antonius Caggiano, arch. Bonaërensis.

Ante prosecutionem disceptationis, exc.mus D. Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia, postulavit verba aliqua facere ominantia erga Summum Pontificem. Potest igitur accedere ad microphonium exc.mus Šeper.

In disceptatione autem loqui postulaverunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania; Guillelmus Godfrey, arch. Vestmonasteriensis in Anglia; Leo I. Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; Augustinus Bea; Antonius Bacci; Michaël Browne; exc.mi DD. Aemilius Blanchet, arch. tit. Philippopolitanus in Thracia, rector Instituti Catholici Parisiensis in Gallia; Raphaël Rabban, arch. Cherchensis Chaldaeorum in Iraq; Raphaël G. Moralejo, aux. Valentinus in Hispania; Aemilius Guerry, arch. Cameracensis in Gallia; Carolus Maccari, ep. tit. Emmausensis in Italia; Thomas Holland, coad. Portus Magni in Anglia; Albertus Devoto, ep. Goyanensis in Argentina; Ioseph Vairo, ep. Gravinensis in Italia; Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania; Michaël Doumith, ep. Sarbensis Maronitarum in Libano; Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis in Turchia; Antonius Plaza, arch. Platensis in Argentina; Guillelmus Pluta, ep. tit. Leptismagnae in Polonia; Petrus Fiordelli, ep. Pratensis in Italia; Bernardus Mels, arch. Luluaburgensis in Congo; Henricus Compagnone, ep. Anagninus in Italia; Ioannes Hervas, prael. Cluniensis in Hispania.

Durante hac congregatione generali distribuentur aliae emendationes circa schema *de sacra Liturgia* et speramus fore ultimas circa cap. I, ita ut incipiatur suffragatio circa singulas reliquas emendationes crastina: et prosequetur certe feria V.

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagrabiensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Meus, brevissimus quidem, interventus nullam directam relationem habet cum schemate de quo nunc discussio est in cursu, sed ex amore procedit quem omnes nos erga Caput Supremum Ecclesiae fovemus. Est potius quaedam practica applicatio eorum, quae heri ab ultimo oratore exc.mo Kozlowiecki audivimus, scilicet de caritate, quae omnia in Ecclesia pervadere ac permeare debet.

Nos, Patres conciliares, bene perspectum habemus quantam consolationem attulerint et Beatissimo Patri et Patribus conciliaribus illa intima et familiaria colloquia, quae Summus Pontifex ultimis hebdomadis cum cardinalibus et episcopis ex omnibus mundi plagis habere dignatus est. Scimus quoque Beatissimum Patrem, cui figura Boni Pastoris continuo ante oculos versatur, etiam adversa valetudine paratum esse excipere conservos et confratres suos in episcopatu, uti heri vespere etiam in transmissione televisiva audivimus.

Puto tamen me loqui ex corde omnium Patrum hic praesentium, si dicam nos non tantum preces fundere, sed et animo volenti offerre sacrificium nostrae consolationis ea quidem intentione ut valetudo amantissimi Patris quantocius et integre restituatur.

Rogo itaque em.mum praesidium ut Beatissimo Patri significationem nostri affectus, nostri amoris, nostri spiritus sacrificii nostrarumque precum deferre velit.

[*Plausus Patrum*].

1

Em.mus P. D. IOSEPH card. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres,

Iis, quae ab exc.mo et rev.mo D. Šeper dicta sunt, ex toto corde accedo, etiam nomine omnium episcoporum linguae germanicae.

Iis, quae dicta sunt ad schema a Patribus, unum tantum addere vellem, scilicet in efformanda doctrina de Ecclesia non totam traditionem

catholicam esse respectam, sed tantum parvam partem, scilicet traditionem ultimorum centum annorum.

De traditione graeca fere nihil dictum est, et de antiquiore traditione latina pauca, quamvis hae traditiones graeca et latina uberrimae sint.

Hoc elucet ex adnotationibus eorumque fontibus, ex. gr. ad cap. IV, sex paginae inveniuntur cum adnotationibus. In his sex paginis bis tantum Pater graecus allegatur cum parva citatione. Et allegationes de Patribus latinis et e Medio Aevo non multo plus extenduntur, ita ut fere integrae hae sex paginae implentur citationibus ex ultimis centum annis.

Idem videndum est in adnotationibus ad capp. VI-VIII. Omnes allegationes sumptae sunt de hoc saeculo, exceptis una citatione de Papa Innocentio III, una de S. Thoma, una de Tridentino Concilio. Et similiter in adnotationibus ad omnia capita huius constitutionis.

Quaero: an talis modus procedendi sit rectus, sit universalis, sit scientificus, sit oecumenicus et sit catholicus, graece: « Katholon », id est quod complectitur totum et respicit ad totum. Hoc sensu quaeri potest an talis modus procedendi sit vere catholicus.

Hic defectus non tantum exteriora attingit, sed etiam ipsam doctrinam, quae coarctatur; ex. gr. in cap. I, *de natura Ecclesiae militantis,* recte allegatur verbum S. Pauli: « unus panis, unum corpus sumus »; sed explicatio huius loci Sacrae Scripturae magis est iuridica et sociologica quam theologica. Fere vix vestigium invenitur de ecclesiologia graeca eucharistica, quae Patribus graecis tam cara fuit, et fratribus nostris orientalibus adhuc hodie valde cara est. Nam Graeci vident in sacra Eucharistia, quam dedit nobis Dominus Iesus Christus, et in intercommunione Ecclesiarum inter se et cum Summo Pontifice primum et fortissimum vinculum pacis et unitatis.

Quaeri potest cur caput *de magisterio ecclesiastico* plane seiunctum sit a capitulo *de episcopis.* Nam qui sunt in Ecclesia doctores et magistri? Nonne episcopi a Spiritu Sancto positi, cum Summo Pontifice uniti, et ipse Summus Pontifex? Nihil etiam, fere nihil, invenitur in hoc capite de verbo Dei quod cum sacramentis duas columnas facit, quae portant totum aedificium Ecclesiae.

Ultimum exemplum praebet caput *de necessitate Ecclesiae praedicandi Evangelium omnibus gentibus.* Nihil hic invenitur de missione Filii Dei ad homines, exeuntis a Patre, quae per Ecclesiam eiusque praedicationem continuatur. Sed longe lateque loquitur schema de iure Ecclesiae praedicandi omnibus gentibus, quod ius omnibus fidelibus luce clarius est, sed infidelibus, post hanc declarationem, nihilo acceptabilius erit.

Ut taceam de aliis, ex dictis mihi apparere videtur hoc schema egere

ea amplitudine, profunditate, universalitate et, in hoc sensu, catholicitate, quam de constitutione Concilii Oecumenici recte et iure merito quaeri debet. Quare censeo in spatio inter primam et secundam sessionem hoc schema penitus emendandum, recognoscendum et profundius reddendum esse. Dixi.

Textus scripto traditus:

Iis, quae a patribus de hoc schemate iam dicta sunt, unum tantum adiungere vellem, sc. in efformanda doctrina de Ecclesia parvam tantum partem traditionis catholicae respectam esse, fere nihil nempe de traditione patrum graecorum et paucissimum traditionis latinae antiquioris, quamvis hae traditiones sint uberrimae. Quod elucet ex adnotationibus eorumque fontibus.

In cap. IV e. g. « De episcopis residentialibus » in adnotationibus, quae 6 paginas implent, bis tantum pater graecus allegatur cum parva citatione. Allegatio patrum latinorum et theologorum medii aevi non multo plus extenditur, ita ut fere 6 paginae adnotationum ex traditione ultimorum centum annorum desumptae sint.

Idem videndum est in adnotationibus ad capp. VI-VIII, quae agunt « De laicis », « De Ecclesiae magisterio », « De auctoritate et oboedientia in Ecclesia ». In omnibus his adnotationibus fere unice loci ex ultimis centum annis allegati sunt, exceptis una citatione Papae Innocentii III, una de S. Thoma et una ex Concilio Tridentino. Similiter in omnibus aliis capitibus res se habet.

Quaero, an hic modus procedendi sit rectus, universalis, oecumenicus et, si catholicum, graece: kath hólon, vult dicere id, quod totum respicit et amplectitur, an talis modus procedendi sit in hoc sensu vere catholicus.

Qui defectus non tantum exteriora attingit sed etiam doctrinam ipsam; e. g. quod doctrinam de corpore Christi mystico attinet, recte quidem adducitur illud S. Pauli « unus panis unum corpus sumus multi », sed explicatio huius loci S. Scripturae magis iuridica et sociologica quam theologica esse videtur. Nullum fere vestigium ecclesiologiae sic dictae eucharisticae invenitur, quae patribus graecis et fratribus nostris orientalibus tam cara est, nam primum ligamen inter ecclesias agnoscunt intercommunionem eucharisticam ecclesiarum inter se et cum Romano Pontifice.

Praeterea quaerendum est, cur caput « de Ecclesiae magisterio » plane seiunctum sit a capite de episcopis. Nam qui sunt doctores in Ecclesia, nisi episcopi a Spiritu Sancto positi cum Romano Pontifice uniti et ipse Romanus Pontifex? Insuper hoc caput fere nihil dicit de verbo Dei, quod cum sacramentis duas facit columnas, quae Ecclesiae aedificium portant.

Tertium exemplum cap. X « de necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum » praebet. Paulum de rationibus internis missionis Ecclesiae dicitur, in qua missio Filii Dei ad homines a Patre exiens continuatur, sed longe lateque de iure Ecclesiae tractatur, quod ius fidelibus luce clarius est, infidelibus autem etiam post hanc declarationem acceptabilius non fiet.

Ex his dictis apparebit, schema in multis partibus egere illa amplitudine, profunditate et vera catholicitate in sensu supradicto sumpta, quae a constitutione conciliari iure merito exigitur. Quapropter schema penitus emendandum, recognoscendum, profundius reddendum videtur.

2

Em.mus P. D. VILLELMUS card. GODFREY
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Em.mi, exc.mi, venerabiles Patres Concilii,

Liceat aliquas animadversiones facere de hoc schemate. Generatim schema placet. Defectus, si sint, iam sunt indicati: non est, igitur, cur repetam, ne tempus teram.

Examinando schema ut viderem quid utile, meo humili iudicio, possim dicere, elegi materiam de Oecumenismo, quia quaestio est magni momenti.

Ecce aliqua notanda. Situatio apud nos est adeo complicata ut vix possibile sit intelligere quid, in nostra natione, christiani credant. Verbi gratia, olim generatim intelligebatur quod terminus « Ecclesia catholica » significabat Ecclesiam catholicam ut nos intelligimus, id est Ecclesia ante reformationem, *Ecclesia antiqua*.[1] Nunc autem alia, nempe Ecclesia statalis, sibi vindicat illum titulum. Uti ego scio a iuventute mea, res mutatur. Immo, apud aliquos nos iam sumus « Romani » (sine addito) et alii sunt veri catholici, catholici simpliciter vel Anglo-catholici. Itaque nihil mirum si illi, qui ad oras nostras perveniunt, perplexi manent.

Hoc ergo dico, et ex imo corde dico, omnino imprudens esset, si quisque venerit apud nos et post breve tempus ad suos rediens loquatur vel scribat de situatione in Insula nostra: speciatim si indulgeat « falso irenismo », uti describitur, credens acatholicos quasi omnes esse nobis multo in fide vicinos. Est gravis error, qui poterit habere *tristes consequentias*.[2]

Non raro dicitur nos Anglos esse nimis frigidos respectu acatholicorum et caritate egentes, sine sympathia erga fratres separatos. Ast contrarium est. Utique caritas patiens est, benigna est, sed meminisse iuvat Paulum indicasse alias qualitates caritatis, nempe: « caritas non agit perperam ». Sumus quidem, et debemus esse, caritate pleni erga fratres nostros...,[3] sumus quidem patientes et sinceri, sed non « agimus perperam »; id est non volumus res facere quas illi interpretari possent eo modo ut expectent quod concessiones doctrinales et morales fient in hoc Concilio.

Id facere non esset caritas; e contrario esset gravis imprudentia, cuius radix est ignorantia culpabilis vel inculpabilis. Duo itaque vellem dicere:

1. Talis modus agendi est « agere perperam », quia alienus est a veritate.

2. Et res est seria quia non est adiumentum ad attrahendos fratres ad fidem catholicam amplectendam, sed potius obstaculum — *nota verbum* [4] — obstaculum.

Omnia in caritate fiant, utique, sed etiam in iustitia, prudentia et super omnia in veritate.

Directe locutus sum...[5] Melius est clare loqui, ne post Concilium terminatum dicatur: « Nos sperabamus aliquid radicaliter in re doctrinali et morali mutatum fieri, et ecce iam spes suscitata in cordibus nostris mortua est ». Cuiusnam esset culpa? Examinemus conscientias nostras. Caute loquamur, caute agamus, ne ex ignorantia situationum in aliis nationibus vel ex erronea intelligentia caritatis fratres separatos decipiamus et exinde non ad unum ovile eos attrahamus sed, proh dolor!, avertamus. Caritas sine scientia errat, quia non est vera caritas. Magna est veritas et praevalebit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] consequentias funestas. [3] separatos. [4] et repeto. [5] sine omni ambiguitate.

3

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Fratres,

Antequam finis imponatur huic primae sessioni, Patribus Conciliaribus proponere velim ut attente considerent quisnam sit scopus primarius ipsius Concilii.

Ita ut — primo — labores secundae sessionis et sequentium ordinari possint circa thema quoddam centrale, quod sit revera directivum futurorum illorum laborum.

Ita ut — secundo — actio uniuscuiusque commissionis sit actio partis in toto, partis ...[1] seu membri, quod conspirat et collaborat ad perficiendum eundem et communem finem, nunc a nobis definiendum.

Sicut Vaticanum I merito putatur Concilium « de Primatu Summi Pontificis » — et quidem feliciter —, ita huic Concilio Vaticano II ipse Vicarius Christi et Ecclesiae visibile caput, fulgens nomen veluti imponere visus est, cum Oecumenicam Synodum, mense antequam ea inciperet, hisce verbis consalutavit: « Ecclesia Christi, lumen gentium ».

Quod autem iam implicite inter nos omnes constat, id clarius atque evidentius declarandum esset.

Quam ob rem, si hoc thema uti centrale agnoscitur et directivum progressus laborum nostrorum, oportet ut concordes simus omnes in elaborando id quod vocari posset « un piano d'insieme », « un plan d'ensemble », seu ratio ipsius Concilii. Haec ratio ordinandi Concilii non modo schemata hucusque elaborata non parvipendit, sed e contrario ex ipsis praecipuam materiam sumit ut ad optatam unitatem redigantur et plene significantia fiant.

Hanc rationem sic proponere velim: Concilium sit Concilium « de Ecclesia » et habeat duas partes: *de Ecclesia ad intra* - *de Ecclesia ad extra*. Et explico.

A) *De Ecclesia ad intra*. In primis a nobis dicendum est quid sit Ecclesia ipsa, utpote mysterium Christi viventis in suo Corpore Mystico; quaenam sit revera natura Ecclesiae. Rogamus ergo ab Ecclesia: Quid dicis de teipsa? Ad quam interrogationem ...[2] intendit schema nostrum praesens *de quo agam in scriptis.*[3]

Elucidata vero natura Ecclesiae, fiat applicatio istius dicti: « operatio sequitur esse », et exponatur quomodo Ecclesia hodie progredi debeat, Summorum Pontificum vestigiis insistens, qui viam signaverunt: meminerimus tantum S. Pii X, cuius voluntas fuit « instaurare omnia in Christo », et Pii XII eiusque fulgentis magisterii, quod a Ioanne XXIII continuatur, et ab ipso definitum est « quasi fons in aperta platea positus »; ita ut Ecclesia quam fidelis remaneat supremo mandato Domini: « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Sub luce verborum illorum, examini subiciantur ea omnia quae ad renovationem pastoralem concurrere possunt in mundo hodierno.

Euntes ergo: Ecce, Ecclesia evangelizans. Sermo sit de munere missionario Ecclesiae sub omnibus suis aspectibus.

Docete eos: Ecce Ecclesia docens. Sermo sit de Ecclesiae munere catechetico sensu lato et secundum varios suos modos.

Baptizantes eos: Ecclesia sanctificans. Sermo sit de munere sacramentali Ecclesiae secundum septem sacramenta.

In nomine Patris...: Ecce Ecclesia orans. Sermonem iam fecimus de munere liturgico Ecclesiae.

His peractis deveniamus ad *Ecclesiam ad extra.*

B) *De Ecclesia ad extra*. Quo sub titulo sermo fiet de Ecclesia in quantum dialogum instituit cum mundo. Mundus autem exspectat ut Ecclesia solvat quaestiones maioris momenti, quas ei proponit, et quae sunt:

1. Quaenam ulterius dicendi habeat Ecclesia *circa vitam ipsam personae humanae*. Quid, verbi gratia, de inviolabilitate huius vitae, de

eius conscia procreatione, de eius extensione in sic dicta explosione demographica.

2. Quaenam dicendi habeat Ecclesia de *iustitia sociali.* Moralistae tot et tanta volumina scripserunt « de sexto », ita ut nihil fere inexploratum remaneat, sed quasi muti fiunt ubi sermo agitur de munere sociali proprietatis privatae concrete determinando; immo mirandae illae Litterae Encyclicae sociales in scholis atque in libris de hoc argumento non ita diffuse — ut oporteret — exponuntur. Et quomodo definiendum est superfluum illud nostrum quod pauperibus debitum est? Item, quodnam est officium theoreticum et practicum nationum, quae divitiis gaudent, erga « tertium mundum » vel erga nationes, quae fame afficiuntur?

3. Quaenam dicendi habeat Ecclesia de *ipsa evangelizatione pauperum* et de condicionibus ex parte nostra requisitis ut nostrum testimonium ad eos perveniat, et ab ipsis accipiatur?

4. Quaenam dicendi habeat Ecclesia de *pace internationali et de bello,* ita ut doctrina eius lumen fiat in angustiis temporum.

Concilium triplicem prosequitur dialogum:

— Dialogum Ecclesiae cum fidelibus suis.

— Dialogum Oecumenicum Ecclesiae cum fratribus nondum visibiliter unitis.

— Dialogum cum mundo hodierno.

Ad res autem sociales quod attinet, optandum sane videtur ut eae in hoc Concilio magis directe et diffuse tractentur, sicut de rebus oecumenicis a proprio secretariatu iam factum est; ac, si opus est, aliquid simile fiat.

In hac expositione mea programmatis Concilii nihil dixi quod non explicite vel implicite contineatur in sermone dilectissimi nostri Summi Pontificis, quem Deus servet incolumem, die 11 septembris. Summus Pontifex locutus est de Ecclesia ad intra, de Ecclesia ad extra, enumerando problemata maiora sub tali titulo tractanda; et ibi omnes nos exhortatus est ad examen conscientiae nostrae instituendum in Concilio circa mandatum Domini: « Euntes..., docete..., baptizantes... in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Per modum conclusionis rogo igitur:

1. Ut programma futurae evolutionis Concilii ab ipso Concilio determinetur sensu iam exposito.

2. Ut sine mora commissiones schemata propria recipiant et revisioni subiiciant in linea praedictae perspectivae, ea tantum retinentes quae revera sint maioris momenti sub aspectu renovationis pastoralis.

3. Ut votum a Concilio emittatur de opportunitate creandi *secretariatum pro problematibus mundi hodierni.*

Faxit Deus ut fructus laborum huius secretariatus tam uberes evadant quam fructus laborum secretariatus oecumenici, de quibus liceat mihi, utpote successori card. Mercier, gaudium meum proferre. Semen, quod generosa cum prudentia nec sine quibusdam difficultatibus magnus ille Ecclesiae episcopus seminavit, viam aperuit conatibus hodiernis unionis.

Speramus pariter hanc rationem, de qua locuti sumus, viam aperituram esse, ita ut mundus melius audiat et accipiat Ecclesiam, et Christus hominibus nostri saeculi fiat magis ac magis via, veritas et vita. Dixi.

[*Plausus Patrum*].

In textu scripto tradito: [1] vero. [2] respondere. [3] deest.

Adnotationes additae:

Primum quod advertimus, quando inspicimus schema de Ecclesia est magna eius diversitas et manifesta eius inaequalitas. Quaedam ibi occurrunt probanda et laudanda, quaedam vero omnino non placent, forsitan non tam quod attinet ad substantiam rei, sed ad minus quod attinet ad praesentationem, orientationem et modum dicendi.

Schema constat undecim vel duodecim capitibus inter se separatis. In materia tanti momenti, quae maximam exspectationem in tota Ecclesia excitavit, oportet conficere expositionem clare constructam, maxime positivam, dogmatice solidam et simul pastoraliter inspiratam, integram et aequilibratam, quae simul instruere, commovere et secum trahere possit omnem animam bene dispositam.

Non loquor nunc nisi de sex prioribus capitibus, relinquendo pro momento sex ultima capita, contra quae plures moveri debent obiectiones et rationes criticae.

Propono ut in prima sectione agatur de quaestione fundamentali, circa naturam Ecclesiae et circa eius necessitatem ad salutem.

In secunda sectione ageretur de variis ordinibus qui Ecclesiam constituunt, imprimis de hierarchia et in specie de Episcopis; deinde de populo fideli et in specie de laicis; denique de illis qui sive ex clero sive ex laicatu ad praxim consiliorum evangelicorum vocantur.

Initium sumamus a natura Ecclesiae, quae est Populus Dei et Corpus Christi Mysticum. Hic petimus expositionem explicite biblicam, simplicem, bene ponderatam, directe fundatam in textibus inspiratis, sine disputatione, et memoratis ut fundamento non tantum Petro sed etiam apostolis, quorum sumus successores, ita ut omnes qui Scripturam agnoscunt, de doctrina exposita convenire possint. Magis determinatam descriptionem istius capitis, qualiter illud optamus, relinquo Patribus qui in hac materia ex professo eruditi sunt.

De necessitate Ecclesiae duo notare volo. Primo, necessarium est ut variae categoriae hominum relate ad pertinentiam ad Ecclesiam *concrete* indicentur, ita ut omnis controversia praecaveatur. Primo veniunt illi qui intra Ecclesiae societatem vivunt, nempe catholici. Secundo illi qui simul ac secundum diversos respectus, cum Ecclesia connectuntur et ab ea separantur. Haec « situatio » complexa et quasi contradictoria est ipsum fundamentum problematis oecumenici cum orthodoxis, protestantibus, anglicanis. Tertio illi qui, ratione redemptionis Christi,

potentialiter ad Ecclesiam pertinent et ad eam vocantur, nempe non-christiani, etiam Iudaei.

Altera observatio est quod vitare debemus discussionem de verbo « membri » Ecclesiae. Vocabulum istud nititur in imagine corporis humani ad indicandam aliquam societatem. De hac voce theologi disputant, et non est de consuetudine Conciliorum ut controversias inter doctores catholicos dirimant.

In secunda sectione ageretur de hierarchia et in specie de episcopis, ad complendam praeclaram doctrinam Concilii Vaticani I, de capite hierarchiae et totius Ecclesiae, Pontifice Romano. Oculi omnium ad nos respiciunt et aures omnium ad nos extenduntur, ut percipiant doctrinam completam, luminosam et apte proportionatam de ordine episcoporum. Haec doctrina in schemate proposito in variis paragraphis dispergitur. Haec fragmenta disiecta in unum conferri debent.

Fundamentum est institutio ab ipso Christo collegii episcoporum ut successorum collegii apostolorum. Deinde extollatur episcopatus ut summus gradus sacramenti Ordinis, ut fit modo non spernendo in textu commissionis.

Ulterius, et istud est maximi momenti, declaremus nitide et percellente modo, quomodo nos ipsi, sub lumine Spiritus Sancti, et fundati in Scriptura et Traditione, videamus nostrum ministerium, ad quod indigni vocati sumus. Hoc autem triplex munus docendi, sanctificandi et pastoraliter dirigendi exprimamus non praevalenter cum verbis potestatis, ne dicam dominationis, sed verbis servitii seu diakoniae. Non enim exercemus illud nisi caritate Christi compulsi, et vehementer desideramus ut omnes christiani evangelico dicendi modo perducantur ad agnitionem illius divini muneris, quod pro beneficio omnium a Domino in Ecclesia institutum est. Ut obtineatur haec pacifica, gaudiosa et liberativa agnitio, non sufficit, verbi gratia, conficere catalogum variarum punitionum, quas episcopus suis subditis imponere potest. Sic enim non obtinetur repraesentatio veridica eius officii paternalis. Similiter non praebetur exacta descriptio potestatis episcopi, si nimis insistitur super limitationes, restrictiones et exemptiones quae ei imponi possunt.

Neque praeteriri potest consideratio de indole collegiali sacri corporis episcoporum. Intime enim uniuntur cum Capite collegii sui et Capite totius Ecclesiae, scilicet Pontifice Romano. Intime insuper uniuntur inter se, et se invicem ab una Ecclesia particulari ad aliam, secundum exemplum antiquitatis, in coetu universalis caritatis adiuvant.

In capite sequenti agendum est de Populo fideli et in specie de laicis. Hic etiam spes omnium fidelium ad nos dirigitur. Accedat exaltatio sacrae conditionis illorum qui ad praxim consiliorum evangelicorum individuatim vel collective vocantur.

Non loquor nunc de aliis materiis quae in altera parte schematis tractantur, in qua plura melius adaptanda sunt. Hoc unum sublineo: in fine totius expositionis oculos extollamus ad Beatissimam Virginem Mariam, quae est membrum eminentissimum, typus et Mater Ecclesiae Christi, immo perfectissimum exemplar secundum quod cuncti fideles apostolicam suam activitatem pro gloria Domini exercere debent.

Quapropter propono ut schema de Ecclesia melius redigatur, et praesertim fortius construatur, cooperantibus aequo iure Patribus et theologis tum commissionis de fide, tum secretariatus pro unitate christianorum.

Sic sperare licet, ut in pace et concordia perveniamus ad expositionem dogmatice solide fundatam, quae intellectum illuminet et affectum inflammet, pulchram

et salutariter efficacem, pro fidelibus qui filii nostri sunt, pro fratribus qui partim adhuc a nobis dissentiunt, et pro omnibus hominibus, pro quibus exercemus munus episcopale, tremendum sane pro nostra fragilitate humana, sed simul plenum amore, salute, gaudio et pace pro cunctis quos paterne in Christo diligimus.

Praeses card. CAGGIANO: Meminerint em.mi et exc.mi Patres plausus non debent fieri in Concilio.

4

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres Conciliares,

Antequam ad iudicium de schemate promendum accedam, praemittere liceat *aliqua* [1] de eius momento, ut ita dicam, historico, et de eius momento pro hoc nostro Concilio. Notum est quaestionem de Ecclesia explicite poni coepisse maxime saeculo XVI. Proh dolor! Concilium Tridentinum inter tam multas et graves vicissitudines non potuit adaequate illustrare quaestionem tanti momenti.

Concilium Vaticanum I illam quaestionem quidem aggressum est, plura magni momenti de *ea* [2] edixit, sed, infeliciter interruptum, opus hoc perficere non potuit. Notum est etiam, inde ab annuntiatione Concilii Vaticani II, problema Ecclesiae saepe a permultis inter maxima, quae ab hoc Concilio tractanda sunt, adnumeratum fuisse. Haec quaestio urget eo magis, quod eadem etiam fratres christianos non catholicos, maxime protestantes, multum occupat, ita ut apud illos interdum de Ecclesia « recenter quasi ex novo detecta » sermo fiat. E dictis patet hoc schema locum omnino centralem in nostro Concilio occupare, et occupare debere, et *maximam* [3] responsabilitatem hac in re tam ipsi Concilio quam omnibus nobis *singulis* [4] pro bono Ecclesiae immo pro bono totius humanitatis incumbere.

Iam pauca de ipso schemate.[5] Non est mera ...[6] formalitas, sed officium iustitiae, si incipio ab agnoscenda magna cura *magnoque* [7] labore, cum quibus hoc schema paratum est. Multi textus e Sacra Scriptura et, immo magis, e documentis magisterii Ecclesiae, in unum collecti et *tot* [8] notae marginales testimonium perhibent de hac cura et diligentia. Plures aspectus essentiales Ecclesiae de facto *in schemate* [9] bene illustrantur. Tamen quaero: praebetne ergo schema *hoc* [10] nostrum id quod a schemate tanti momenti et tanti ponderis *iure* [11] expectari potest et debet?

1. *Relate ad materiam. a*) Primum quidem notanda sunt essentialia quaedam, quae desunt. Schema agere vult de Ecclesia simpliciter. Iam vero inde a prima pagina subiectum sic simpliciter restringitur ad Ecclesiam « militantem », *qui terminus certe non est valde adaptatus,*[12] omittendo pulcherrima *illa*[13] et profundissima, quae in Sacra Scriptura *et in Patribus*[14] habentur de Ecclesia consummanda et glorificanda. Iam vero patet hanc consummationem, aspectum omnino essentialem Ecclesiae praebere, a quo Ecclesia terrestris in statu viae totam suam lucem accipit.

Alia puncta: Post enucleatam Ecclesiae naturam expectaretur explicatio finis eius, scilicet magisterii et sacerdotii. Iam vero necessitas annuntiandi Evangelium omnibus gentibus — *ergo magisterium*[15] — tractatur demum in penultimo capite, dum magisterium ipsum tractatur cap. VII, modo nimis avulso ab Ecclesiae natura, a qua scilicet totam suam vim accipit. De sacerdotio autem, *quod*[16] est participatio sacerdotii Christi et commune tum episcopis tum presbyteris, vix *ac ne vix*[17] sermo est...[18]

b) Relate ad materiam insuper notandum est: plura adesse vel superflua vel quibus in constitutione aliqua dogmatica non est locus. *Omitto singula et trado scriptum.*[19]

c) Ultimo loco...,[20] non esse locum in constitutione aliqua dogmatica rebus quae usque hodie inter theologos catholicos optimae notae controvertuntur, uti est nota illa quaestio *cui tantum momentum attribuitur,*[21] de iis qui « vere et proprie » sunt membra Ecclesiae, de qua *quaestione*[22] liceat dicere rem saltem non esse maturam ut hodie definiatur nec ullam *omnino*[23] adesse necessitatem ut definiatur.

2. Aliqua *relate ad ordinem* quo materia disponitur. Iam dixi supra de illo tam essentiali munere Ecclesiae, *de*[24] magisterio, sermonem fieri demum in cap. VII, postquam iam ex professo de episcopis, *magistris,*[25] tractatum est (cap. IV). Ulterius, intra hoc ipsum caput de magisterio Ecclesiae, statim fit sermo de Romano Pontifice (tamquam sit aliquod periculum ne eius auctoritas non agnoscatur... *quod periculum in Ecclesia vere non adest*[26]), dein *sermo fit*[27] de singulis episcopis, et deinde *tandem*[28] de collegio episcoporum...[29] E contra ordo naturalis *et biblicus*[30] esset incipere a collegio episcoporum, uti etiam in Novo Testamento primum apparet collegium apostolorum a Domino Nostro Iesu Christo institutum et tam magisterio ordinario quam solemni (in I Concilio Hierosolymitano) munus praedicandi exercens, dein de Petro eiusque successoribus tamquam capite collegii apostolici. Tunc enim Romanus Pontifex non separatur a collegio apostolorum, sed ut eiusdem cul-

men apparet, sicuti vere est. Tunc etiam argumentatio multo magis naturalis et persuasiva fiet.

3. Quid *de argumentis* vel de modo res probandi in schemate adhibitis? Summus Pontifex f. r. edixit Concilio substantiam vitae christianae ex puris fontibus Sacrae Scripturae et Traditionis illustrandam esse. De facto notum est constitutiones dogmaticas Conciliorum plurimam solere adhibere curam, ut omnia accurate ex Sacra Scriptura et ex Traditione, inde ab antiquissima, *probentur.*[31] Iam vero sufficit inspicere notas marginales nostri schematis, v. g. in cap. VII de magisterio *ut videamus Traditionem exhibere, ut modo exposuit em.mus card. Frings, ultimorum 100 vel 200 annorum.*[32]

4. Quid de modo proponendi doctrinam? *a*) Dixi in schemate multas collectas inveniri citationes e Sacra Scriptura vel e documentis Ecclesiae. *Haec*[33] tamen insufficienter explicantur et proinde ideas exprimendas potius offuscant quam illustrant. Ita, v. g., in cap. I, de natura Ecclesiae, optime quidem colliguntur variae metaphorae, quibus Ecclesia in Novo Testamento illustratur. Si hae metaphorae bene explicarentur, Ecclesia cum omnibus suis divitiis *cum*[34] multiplicibus suis aspectibus appareret. Sed de facto non explicantur sed statim veluti confugitur ad unicam metaphoram de Corpore Christi Mystico, pulcherrimam quidem, profundissimam, sed quae minime — *minime*[35] — totam exhaurit realitatem Ecclesiae, id quod iam ex ipso hoc facto apparet, quod ipsa Sacra Scriptura plures alias metaphoras *adhibet.*[36]

De citationibus ex Sacra Scriptura nihil amplius addo. Saepe extrahuntur a suis contextibus et propterea vix vere probant. Neque loquor de terminis technicis qui ibi inveniuntur, sed unum tantum adhuc:[37] in schemate permultae inveniuntur exhortationes v. g. et maxime in capite de laicis. Iamvero his *exhortationibus certe*[38] minime locus est in *constitutione aliqua dogmatica,*[39] quippe quae doctrinam modo quasi obiectivo exponere et probare *debeat.*[40] Character pastoralis potius in seligendis argumentis et in modo ea exponendi manifestari debet quam in exhortationibus *et praedicationibus.*[41]

5. Si nunc *demum*[42] quaerimus quaenam sit *radix* horum omnium quae in schemate non placent *et non placere possunt,*[43] puto omnino dicendum esse, quod schema *tale quale est,*[44] non respondet illi scopo quem Summus Pontifex Concilio praestituit et quem ipsum Concilium *nostrum*[45] in nuntio ad omnes homines dato suum fecit, scilicet alloqui non professores theologiae nec solum sacerdotes, immo nec solos fideles catholicos, sed omnes christianos, immo et omnes homines, et ipsis doctrinam Christi, modo intelligibili, modo acceptabili exponere ut illam intelligant, illam ament, illam accipiant, uti iam fusius explicavi *alia*

vice.[46] Hoc scopo observato etiam ultimum problema scilicet nimia longitudo schematis facilius solvetur.

Ex dictis patet schema tale quale est, non placere, sed meo quidem iudicio nova elaboratione, eaque valde profunda *et solida,*[47] indigere. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] aliquid. [2] eadem quaestione. [3] gravissimam. [4] deest. [5] Hoc spiritu ergo loquar, et eodem quaeso audiatis. [6] quaedam. [7] et. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] qua. [17] deest. [18] etsi plura de eo habentur tam in S. Scriptura quam in Traditione. [19] Breviter adduco duo tantum exempla: Cur asseveratur (hic cito ad verbum) « episcopatum procul dubio ad sacramentum Ordinis pertinere » (n. 11) vel « etiam presbyteros sacramento recepto veros esse sacerdotes » (n. 12). Aliud exemplum: quid interest explicare per longum et latum, quae sit auctoritas doctrinalis theologorum (n. 32) in documento aliquo, quod ad omnes fideles, immo ad omnes christianos et omnes homines dirigi debet (eo vel magis, quia res est iam communiter recepta apud catholicos). [20] noto. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] scil. [25] deest. [26] deest. [27] deest. [28] deest. [29] (n. 30). [30] deest. [31] comprobentur. [32] in longe maxima eorum parte citantur Litterae Encyclicae vel Litterae Apostolicae Summorum Pontificum ultimorum 100-200 annorum. Atqui constitutiones dogmaticae Conciliorum non sunt encyclicae nec propriam doctrinam primario talibus documentis probare debent. [33] Hae. [34] et in. [35] deest. [36] adhibuit. [37] Praeterea pluries tentamen fit omnia vel fere omnia expressionibus e S. Scriptura et multo magis ex documentis Ecclesiae depromptis exprimere. Cum tamen tales expressiones vel textus omnino e diversis contextibus extrahantur, saepe saepius minime ad invicem adaptantur; unde idea exprimenda potius obscuratur quam illustratur cum damno praecisionis in lingua et conceptibus. *b*) Item saepius in schemate adhibentur termini technici scholastici, qui ab hominibus hodiernis minime intelliguntur, et ita via praecluditur quominus homines hodierni Ecclesiam, quae pro eorum salute instituta est, et Concilium quod eos alloqui vult, intelligant. *c*) Denique. [38] deest. [39] constitutionibus dogmaticis. [40] soleant. [41] deest. [42] ultimo. [43] deest. [44] deest. [45] deest. [46] in disceptatione de schemate *de fontibus revelationis.* [47] deest.

5

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Venerandi Patres Conciliares,

Brevissime loquor ut *semper* [1] soleo. Opinor enim opportunum esse ut Patres Conciliares sententiam suam aperiant claram, pressam, nitidam, sine litterariis calamistris, et quam brevissime possint. Ac prae-

sertim ut abstineant omnino a contionibus seu praedicationibus generalibus quae ad rem non pertinent. Nos enim sumus *Patres conciliares,*[2] non catechumeni. Duas tantum animadversiones proponendas habeo.

1. Prima animadversio spectat ad dilectissimos fratres a nobis seiunctos, qui observatores vocantur. Fratres, dixi, a nobis seiunctos, non separatos, ut semper scripsi cum per fere 30 annos iussu trium Romanorum Pontificum, eorum documenta, *concredito*[3] mihi munere, latine redegi. Sunt enim fratres a nobis seiuncti, non separati, quia inter nos et illos semper aliquid interest commune, saltem vinculum caritatis. Iamvero liceat mihi fratribus hisce a nobis seiunctis veniam amantissimo animo petere. Veniam dico si per dissensiones, *non dico dissidia, si per dissensiones*[4] nostras in disceptando interdum iisdem offensionem, animique turbationem dedimus; et si iisdem visum est nos quoque discordia laborare atque etiam ex utraque parte acerbioribus verbis usos esse.

Animadvertant tamen oportet hi fratres dilectissimi nos episcopos catholicos, cum inter nos de religione disceptamus, numquam discordes esse circa doctrinam, quam unam semper omnes amplectimur, sed tantum circa modum quo eadem doctrina catholica proponi atque enucleari debeat. De modo, non de ipsa doctrina agitur, etiam in hoc disceptando schemate, in quo de vera Iesu Christi Ecclesia agitur.

2. Si igitur, ut supra dixi, dissensiones nostrae circa hoc schema non in doctrina catholica versantur quam unam omnes amplectimur, sed in modo tantum quo eadem doctrina proponi debeat, cur ad novum schema funditus efficiendum provocamus? Corrigatur potius, emendetur, reformetur, ubi corrigendum, ubi emendandum, ubi reformandum est. Non agitur de substantia, sed de forma. Ac timeo ne, si hoc schema alteri commissioni demandetur ut novum schema componat, fieri possit ut theologi peritissimi ac Patres conciliares qui hoc primum schema redegerunt, una cum ceteris multis *Patribus conciliaribus*[5] quibus hoc schema placet *velint asseverare*[6] ipsi quoque « non placet » et *ad novum, hoc est ad tertium schema appellent.*[7] Et tunc id profecto eveniet quod Iudaei post Christum sepultum, timentes eius resurrectionem, dixerunt Pontio Pilato: « et erit error peior priore ».

Opinor igitur valde opportunum esse ut hoc schema quoad doctrinam probetur, quoad formam autem iterum *remittatur*[8] commissioni theologicae quae, utpote quae ex melioribus theologis quos Ecclesia habeat composita sit, sereno ac pacato animo atque perpensis debito modo votis et animadversionibus a Patribus conciliaribus propositis, hoc idem schema reformet ac melius disponat; deinde vero singulas emendationes ac mutationes suffragiis Patrum conciliaribus opportuno tempore subiciat.

Haec habui, venerandi Patres, quae sapientiae, prudentiae et cari-

tati vestrae proponerem, illud apostoli in omnium mentem revocando: « Omnia vestra in caritate fiant ».

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] episcopi. [3] pro credito. [4] deest. [5] deest. [6] asseverent. [7] et novum, hoc est tertium, schema petant. [8] committatur.

7

EM.MUS P. D. MICHAËL CARD. BROWNE

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Non obstantibus omnibus, schema in sua substantia mihi placet.[1] Est doctrinae profundae, opus, evidenter, manuum peritissimarum. Hoc non excludit illud posse adhuc perfici ex disceptatione singulorum capitum, *vel etiam forsitan ex quibusdam additionibus vel forsitan subtractionibus.*[2]

In disceptatione hucusque facta, *scilicet usque ad hodiernam diem, usque ad heri potius,*[3] plura dicta sunt in laudem schematis, plura quoque in criticam eiusdem.

Quoad ista ultima quaedam humiliter dicere vellem.

Mihi placet ut schema agat de Ecclesia ut Corpore Christi Mystico. Si quodcumque thema naturae pastoralis sit, istud est quam maxime. *Uti scimus ex doctrina de Corpore Mystico, cuius Christus est caput et Spiritus Sanctus anima, et nos sumus membra, sanguis, ut ita dicam, Corporis Mystici est gratia et caritas Christi. Unde summopere pastoralis naturae est consideratio de Ecclesia ut Corpore Christi Mystico.*[4]

Nec timeatur de effectu super fratres dilectos separatos. Qui bona fide extra Ecclesiam catholicam adhuc inveniuntur membra sunt eiusdem, non quidem simpliciter, *ut dicitur in schola,*[5] sed tamen anima et voluntate, et eadem ratione ad Corpus Mysticum pertinent. Unde, ut videtur, spes plenae pertinentiae ad Corpus Mysticum posset esse motivum efficax pro eorum unione cum Ecclesia catholica.

Nec timendum est *quod doctrina* [6] de Ecclesia catholica ut Corpore Christi Mystico ex eo quod in sensu latiore sermo fuit apud theologos — *et magnos theologos* [7] —, de omnibus *Christo unitis,*[8] Angelis inclusis, ut constituentibus Corpus Christi Mysticum.

Quoad criticam motam contra schema, sicut et contra alia schemata, scilicet, ea esse naturae nimis iuridicae, fateor me nonnisi cum quadam difficultate eam intelligere. Sine iure, et sine iuribus, in hac vita non vivitur, *neque in Ecclesia.*[9]

Caritas ipsa sine iuribus et sine iustitia non subsistit. *Quasi primum opus caritatis est iustitiam, ius omnium tenere et defendere.*[10] Pax quoque fructus caritatis, opus iustitiae est, *quae dicitur a iure.*[11] Iura Ecclesiae ordinarie sunt iura ipsius Dei. Nec video ubinam in schemate *nimis* insistatur in iuribus Ecclesiae.

Nec video quomodo dici possit schema de Hierarchia, non autem de populo christiano agere. Capp. I-II agunt indifferenter de populo christiano et *hierarchia.*[12] Cap. VI est totaliter de laicis. Cap. XI agit de toto populo, christiano et non christiano. Haec capita perfici poterunt ex disceptatione de singulis.

Quod in schemate sermo fiat de Ecclesia militante et de Ecclesia triumphante existimo neminem debere se turbare. Istae locutiones sunt traditionales, *saltem habent traditionem respectabilem, quamvis sunt etiam alii termini forsitan aeque convenientes.*[13] Et sensus in quo sumuntur et fidelibus exponuntur *etiam in catechismis, recordor bene quomodo explicatum nobis fuit de Ecclesia militante et Ecclesia triumphante, unde etiam ut fidelibus et pueris exponuntur, sensus eorum*[14] valde innocens est, longinquissimus ab illo qui in loquela mundana et politica ipsis tribuitur.

Alia non adiungo, sed concludo: schema, generice saltem consideratum, adhuc mihi placet.[15]

In textu scripto tradito: [1] Schema mihi valde placet. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] quoad doctrinam. [7] deest. [8] electis. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] de clero. [13] deest. [14] deest. [15] Cum quadam sympathia audivi observationem alicuius venerabilis Patris de difficultate disceptationis nostri schematis in brevi tempore de quo nunc disponimus. Sed disceptatio praesens est potius introductio ad pleniorem disceptationem quae postea habebitur. Concludendo: schema generice consideratum valde placet.

7

EXC.MUS P. D. AEMILIUS BLANCHET
Archiepiscopus tit. Philippopolitanus in Thracia

Venerabiles Patres,

Schema, nobis propositum, capitibus constat inter quae tam magnae adsunt differentiae ut appareat diversitas auctorum qui inter se materiam diviserunt et neque modo res considerandi neque mente qua eas tractant vere consentiunt; ita ut schema unitate indigeat et *ex altera*

parte [1] idem obiectum in plures partes distrahatur. Sic, v. g., de episcopis agitur partim in capite *de episcopatu ut supremo gradu sacramenti ordinis,* partim in capite *de episcopis residentialibus, partim in capite de Ecclesiae magisterio,* et passim. Unde fit ut non habeamus sufficientem et cohaerentem theologiam de episcopatu; quae theologia a nostro Concilio specialiter et in primis exspectatur, nam Concilium Vaticanum I, cum interruptum fuerit post definitionem infallibilitatis Summi Pontificis et antequam de episcopis constitutionem edat, opus incompletum et quasi claudum reliquit. Quod Concilio Vaticano II incumbit perficere.

Ideo oportet res dispersas in unum colligere et de natura episcopatus, de munere et officiis episcoporum, de loco quem tenet in Ecclesia collegium episcoporum, clare, realiter, substantialiter tractetur.

De rebus iam in hoc schemate dictis quaedam notanda videntur.

1. Saepius quam decet, datur, *v. g. et ut idem exemplum retineamus, datur* [2] de episcopatu notio nimis exclusive iuridica. Hic et illic iuxtaponuntur canonicae affirmationes et exhortationes piae, quarum additio non veram plenamque theologiam constituit: nimis in praesenti schemate, *regulae* [3] iustae organisationis, cura auctoritatis et oboedientiae, praevalent officiis et functionibus apostolicis, cum necesse sit ut episcopi hodierni — non solum sint, ut debent, centrum christianae communitatis quam docere, nutrire, et gubernare oportet —, sed vere appareant ut apostoli, successores apostolorum qui curam et onus *habeant,*[4] in hoc praesenti mundo ex magna parte non christiano, non solum ovium quae sunt in ovili, sed ceterarum quae sunt a longe et quarum etiam rationem sunt reddituri. Ius suum locum habet et *quidem* [5] necessarium; sed, hic et in aliis schematis partibus, oportet ne omittatur evangelica virtus et, e contrario, ut in primo gradu appareat.

2. In schemate non tractatur de vero et totali statu hodiernae Ecclesiae. Ita, *ut idem exemplum retineamus,*[6] nulla ratio habetur huius facti quod numerus episcoporum titularium semper crescit et hodie ad plus quam mille accedat (si bene numeravi); et sic longe plus quam tertiam partem episcoporum qui sunt in mundo constituat: de iis tamen non agitur, *ut notatum est heri,*[7] ne nominantur quidem: ad eos, in uno loco, tantum alluditur in his sat stupendis verbis: « episcoporum sive residentialium sive aliorum ». Nonne hic erat locus alicui largiori ac simul meliori notioni episcopatus qui non solum territorio definiatur sed ministerio *et muneri* [8] speciali commisso? Theologia mere « notionalis » et non « realis », ut ita dicam, quae non respondet verae praxi Ecclesiae et quae tam amplo facto est male adaptata, aliquem defectum ostendit et aliquid nimis angustum habet.

3. *Idem exemplum retineamus.*[9] Potestas gubernii episcopalis videtur, hic et illic, confundi cum ista iurisdictione qua obiectum particulare ei assignatur, et si schema, in diversis locis, *veras*[10] functiones essentiales episcopi — in quibus potestatem gubernii — agnoscit, nimis videtur eas non substantiae episcopatus tribuere, sed alicui delegationi Summi Pontificis, ita ut timendum sit ne episcopi appareant velut quidam « praefecti » qui nihil habeant de se, sed omnia accipiant de potestate centrali. Quod non est bonae et exactae theologiae et contradicit verbis ab ipso Summo Pontifice Pio IX in notissima epistola adhibitis. Theologia huius schematis nimis saepe vincula externa, in locum realis et vitalis coniunctionis, videtur substituere. Quod est valde contrarium tum historiae, tum rei, tum exspectationi et menti huius temporis.

Desideratur theologia episcopatus quae datis revelatis, traditioni patrum et veritati rerum consonet.

Mihi liceat duo tantum addere:

Prima nota: Non videtur bonum neque efficax toties et tam instanter dicere de auctoritate et iuribus; quas res, ut evidens est, oportet affirmare praesertim in hoc tempore: non hic de substantia sed de modo agitur: at sufficit haec semel, bene et firmiter dicere. Melius est ac magis fructuosum de mysterio loqui quod est primum, cum ius sit tantum vindicandum ad servitium, non ad dominationem. Haec perpetua repetitio de iuribus exercendis a Summo Pontifice et episcopis periculum incurrit non solum suum finem attingendi, sed effectum contrarium producendi, cum, nedum ad oboedientiam trahat, fastidium et iram provocet. Vera auctoritas non abundat verbis imperii.

Secunda nota (valde dissimilis): Caveant auctores schematis ut verbis in sua vera et iusta acceptione utantur; e. g. verbum « episcopus » non habet eundem sensum in omnibus textibus Sacrae Scripturae quam in recentioribus documentis et in praesenti statu Ecclesiae. Aut, aliud exemplum: si, in textu latino Veteris Testamenti, bis verbo « Ecclesia Dei » auctor utitur loquens de coetu populi Israël, nihil deducendum est de hodierna Ecclesia, cum idem verbum hic et illic non eadem significet. Vera, proba et solida theologia sanam criticam supponit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] normae. [4] habent. [5] deest. [6] e. g. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] vere.

8

EXC.MUS P. D. RAPHAEL RABBAN
Archiepiscopus Cherchensis

Venerabiles Fratres,

Veniam peto aliquas facere observationes de schemate de Ecclesia de quo agitur. Schema in genere placet, attamen secundum modum. Rationes plures iam traditae sunt secretariatui generali. Inter alias:

1. Nescimus cur sermo de Corpore Mystico Christi separatur a tractatione de membris Ecclesiae dum hae tractationes stricte et intime connectuntur inter se.

2. Itaque non intelligitur cur sermo fit in schemate de duobus gradibus ordinis, de episcopatu, scilicet et de sacerdotio, et non etiam de diaconatu qui ad ordinem pertinet et de quo sermo erit forsitan modo quidem iuridico in alio schemate.

3. Quoad doctrinam in schemate propositam aliquando videtur modo captui difficili, immo et aliquantulum duro, exponi. Ita v. g. doctrina de membris Ecclesiae et de Corpore Mystico Christi. Ista doctrina ita exponitur ut e dictis concludi possit sceleratos catholicos esse vere et proprie membra Ecclesiae idemque negari sanctis acatholicis qui per Christum sanctificantur. Durus est sermo iste; quis audire illum potest? Certe influxus Christi in christianos est Capitis in membra. Haberetne ergo Christus duo corpora mystica, unum pro catholicis, alterum pro acatholicis? Duo corpora unius eiusdemque corporis? Minime sane!

Ceteroquin non videtur convenire ut in Concilio nostro quod, inter alia, sibi proposuit viam parare ad uniendos fratres separatos, proponantur aliqua quae, cum non sint de fide, remanent discutibilia et adhuc perfici possunt sapientissimis theologorum historicorumque discussionibus et lucubrationibus, cum quoad concepta et facta tum quoad modum ea exprimendi. Talia proposita ansam praebere possunt fratribus nostris quaerendis. Plura necessaria et pulcherrima dicta sunt de membris Ecclesiae; bene enuntiatur veritas istis verbis: « Sic nemo salutem obtinere valet, nisi membrum Ecclesiae exsistat, vel voto ad eamdem ordinetur ». Optime declaratur piam Matrem Ecclesiam semetipsam scire esse coniunctam, plures ob rationes, cum fratribus separatis; fratres separatos habere participationem consecrationis baptismalis et communionem aliquam orationum expiationum et benedictionum spiritualium, immo et aliquam in Spiritu Sancto coniunctionem. Omnia ista necessaria et sufficientia optime declarantur plenaque sunt spiritu

oecumenismi et caritatis evangelicae. Ad quid ergo recursus ille, v. g., de quo in n. 9, ad « antiquissimas traditiones », de quarum vera mente et de sensu genuino sententiarum aliquorum Sanctorum Patrum hac in re, iure adhuc disputatur.

4. In schemate adhibentur expressiones, utique traditionales et nobis scholasticis familiares, attamen minus felices ad exprimendam veritatem et ad illam reddendam omnibus acceptabilem.

Sit exemplum de episcopis residentialibus. In schemate apparet clare episcopos in Ecclesia habere potestatem propriam, ordinariam cum ipso officio episcopali coniunctam, iuris omnino divini, et ita ad ipsius Ecclesiae constitutionem pertinere ut ne ipsa quidem suprema potestate pontificia aboliri vel in aliud mutari posse.

Quaero: ad quid totum hoc si talis ordinaria potestas episcoporum talibus expressionibus et praerogativis depincta non nisi modo extraordinario exerceri potest, sicut vult v. g. n. 16? Quae ordinaria sunt, ordinarie exerceri debere puto et nonnisi extraordinarie exerceri non debere. Certum, teste historia omnibus Ecclesiarum separationibus antecedente, electiones episcoporum primi immo et secundi saeculi, non dedita opera neque consensu tacito Petri successorum, sed potius dedita opera legitimorum successorum uniuscuiusque apostolorum factae sunt. Exercitium autem istius potestatis ordinariae includebatur in ipsa electione ad talem vel talem sedem, utique post acceptam consecrationem episcopalem. Coarctio exercitii istius potestatis, ita ut exerceatur solo modo extraordinario sicut schema mavult, non ex ipsa natura istius potestatis ordinariae, verum per positivas et successivas leges exstitisse dicendam esse videtur, per evolutionem scilicet acceptabilem, non primatus, sed exercitii primatus. Omnia alia, sicut dixi, tradidi secretariatui generali. Ideo dixi.

Textus scripto traditus:

Actus Fidei: Credo quidquid dixit Dei Filius, nil hoc verbo veritatis verius. Credo quidquid continetur in omnibus articulis fidei, prout exponuntur et docentur ab Ecclesia catholica romana, sub auctoritate et infallibili Primatu Petri eiusque successorum, Romanorum Pontificum.

Istis declaratis, veniam humillime peto aliquas facere observationes circa schema *de Ecclesia,* prudenti propositum iudicio Patrum conciliarium.

Cap. I: *De Ecclesiae militantis natura.* Ultima periodus n. 7, pag. 12, linn. 23-24, quae sic sonat: « Ideoque sola iura catholica Romana nuncupatur Ecclesia » supprimendam esse videtur, tum quia ista periodus plus dicit quam assertum per titulum eiusdem n. 7, ubi legitur: « Ecclesia catholica Romana est Mysticum Christi Corpus », sive quia id quod erat necessarium iam expressum est in aliis lineis istius numeri. Periodus de qua agitur evadit, uti videtur, inopportuna et inutilis.

Cap. II: *De membris Ecclesiae militantis, eiusdem necessitate ad salutem.*

1. In n. 8, pag. 15, linn. 3-5, sic legitur: « ... neminemque salvari posse, qui sciens Ecclesiam catholicam a Deo per Iesum Christum esse conditam, tamen eam renuat intrare ». Rectius dicendum est: « ... neminemque salvari posse, qui sciens Ecclesiam catholicam *unicam ac veram esse Ecclesiam* a Deo per Iesum Christum conditam, tamen eam renuat intrare ».

Ratio istius correctionis, vel potius additionis, est in eo quod quamplurimi sunt, qui credunt Ecclesiam catholicam a Deo esse per Iesum Christum conditam, et renuunt eam intrare, quia aequo iure id credunt, bona quidem fide, de omnibus aliis ecclesiis, et tamen sic credentes salvari possunt.

2. Doctrina in n. 9 proposita de Ecclesiae membris valde est dura et captui difficilis! Ibi enim asseritur, explicite et clarissimis verbis, solos catholicos *vere et proprie* membra ecclesiae dicendos esse. Iamvero, talis declaratio viam aperit pluribus difficultatibus et insolubilibus sane obiectionibus. Revera:

a) Puer e catholicis natus, semel ac baptizatus, membrum fit Ecclesiae. Quid autem de puero ex acatholicis natus et ab eis baptizatus? Semel ac baptizatus, fitne, an non, membrum Ecclesiae? Si affirmative, quandonam amittit istud ius, essendi scilicet membrum Ecclesiae, si remanet, bona fide, acatholicus? Si autem per Baptismum non fit membrum Ecclesiae, quo titulo et quonam iure hoc conceditur puero catholicorum, et negatur illi puero acatholico, dum ambo, catholicus et acatholicus, incapaces sunt emittendi actum fidei?

b) Omnis baptizatus, vi baptismi, subiectus est legibus Ecclesiae (cf. notam 6, pag. 17). Quomodo hoc concipi potest si baptizati acatholici non sunt vera membra Ecclesiae? Societas aliqua non potest leges ferre nisi in proprios subditos et in propria membra.

c) Secundum doctrinam in schemate propositam (vid. etiam n. 5, pag. 11, linn. 21-25), scelerati catholici essent *vere et proprie* membra Ecclesiae, dum sancti acatholici, qui per Christum sancti fiunt, non essent vere et proprie membra Corporis Christi Mystici. Est aliquid horribile! Influxus Christi in christianos est Capitis in membra. Iamvero, habetne Christus duo corpora, unum pro catholicis, alterum pro acatholicis? Duo corpora unius eiusdemque Capitis? Minime.

Ex altera parte, non videtur convenire ut in Concilio nostro, quod, inter alia, sibi proposuit viam parare ad uniendos fratres separatos, proponantur aliqua quae, cum non sint de fide, remanent discutibilia et adhuc perfici possunt sapientissimis theologorum historicorumque discussionibus et lucubrationibus, cum quoad concepta et facta tum quoad modum ea exprimendi. Talia proposita ansam praebere possunt fratribus nostris quaerendis. Iam in nn. 8 et 10 plura, necessaria et pulcherrima, dicta sunt de membris Ecclesiae. Ita, in n. 8, pag. 15, linn. 8-9, bene enuntiatur veritas istis verbis. « ... Sic nemo salutem obtinere valet, nisi membrum Ecclesiae exsistat, vel voto ad eamdem ordinetur ». Optime quoque declaratur in n. 10, pag. 16, piam Matrem Ecclesiam semetipsam scire esse coniunctam, plures ob rationes, cum fratribus separatis (lin. 7); fratres separatos habere participationem consacrationis baptismalis... et communionem aliquam orationum, expiationum et beneficiorum spiritualium (linn. 13-14), immo et aliquam in Spiritu Sancto coniunctionem (linn. 14-15). Omnia ista, necessaria et sufficientia, optime declarantur, plenaque spiritu oecumenismi et caritatis evangelicae. Ad quid, ergo recursus ille, de quo in n. 9, ad « *antiquissimas traditiones* », de quarum vera

mente et de sensu genuino sententiarum aliquorum sanctorum Patrum, iure adhuc disputatur?

Supprimenda sunt ergo et e schemate delenda videntur quae sequuntur:

a) periodus « *non ponens obicem incorporationis...* » quae habetur pag. 15, n. 8, lin. 7, quia, ad baptismum quod attinet, obex poni potest validitati et liceitati sed non incorporationi, nisi baptismum sit invalidum.

b) Totus n. 9, utpote non gratus, male sonans auribus fratrum nostrorum acatholicorum et non bene et exacte exprimens doctrinam, quae doctrina potest relinqui scholis et alumnis ut ibi magis magisque elucidetur.

c) Verba « *non solum* » quae leguntur pag. 16, n. 10, lin. 15.

d) Periodus quae incipit a verbis « *sed sua virtute...* » usque ad verbum: « *incorporentur* » (linn. 16-19).

e) Periodus « ... *quibus illis solummodo frui licet, qui reapse sunt membra Ecclesiae* » (linn. 25-26).

Cap. III: *De episcopatu ut supremo gradu Sacramenti Ordinis, et de Sacerdotio.* Revera nescimus cur actum sit in isto capite de episcopatu et de sacerdotio, et non etiam de diaconatu ut gradus eiusdem Sacramenti Ordinis.

Cap. IV: *De episcopis residentialibus.* Legenti n. 14, pag. 23, lin. 23 et seqq. clare apparet episcopos in ecclesia habere *potestatem propriam, ordinariam, cum ipso officio episcopali coniunctam, iuris omnino divini, et ita ad ipsius Ecclesiae constitutionem pertinere ut ne ipsa quidem suprema potestate pontificia aboliri vel in aliud mutari possit.* Quaero: ad quid totum hoc, si talis ordinaria potestas episcoporum, talibus expressionibus et praerogativis depincta nonnisi *modo extraordinario* exerceri potest? sicut vult n. 16, pag. 24, lin. 30 et seqq. Quae ordinaria sunt, ordinarie exerceri debere puto, et nonnisi *extraordinarie* exerceri non debere. Ceterum, teste historia, omnibus ecclesiarum separationibus antecedente, electiones episcoporum primi et secundi saeculi, non dedita opera neque consensu tacito Petri successorum, sed potius dedita opera legitimorum successorum uniuscuiusque apostolorum factae sunt; exercitium autem istius potestatis ordinariae includebatur in ipsa electione ad talem vel talem sedem, utique post acceptam consacrationem episcopalem. Coarctio exercitii istius potestatis, ita ut exerceatur *solo modo extraordinario* sicut schema mavult, non ex ipsa natura istius potestatis ordinariae, verum per positivas et successivas leges extitisse dicendam esse videtur, per evolutionem scilicet, *non primatus,* sed exercitii primatus.

Expressio, ergo, haec: « *nonnisi modo extraordinario exercetur...* » non apparet tam felix ad exprimendam veritatem. Ideo, pro n. 16, sufficere possunt dicta in primis 7 lineis, i. e. a lin. 22 usque ad lin. 28, ad verba: « ... *in universam ecclesiam creditur* ». Cetera autem istius numeri omitti possunt.

Cap. XI: *De oecumenismo.* Bona sunt quae in schema continentur de oecumenismo, licet ibi non dantur omnia quae dicenda erant. Habebitur occasio loquendi denuo de oecumenismo quando sermo erit de schema a commissione praeparatoria pro ecclesiis orientalibus parato. In nostro hodierno schemate, et praecise in n. 54, pag. 83, linn. 5-25, optime exponuntur rationes quae militant pro mitigatione legis, nunc vigentis, de communicatione in sacris. Tria tantum verba vellem mutari, et quidem lin. 15 ubi dicitur: « Quia tandem ecclesia, *licet invito animo,* tolerat matrimonia mixta... ». Loco: *licet invito animo,* dicerem: *licet rationabilibus ob causis.* Expressio ita correcta vel mutata, erit forsitan magis conformis spiritui oecumenismi.

9

EXC.MUS P. D. AEMILIUS GUERRY
Archiepiscopus Cameracensis

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesia,* in principiis suis essentialibus saltem, mihi placet: ratione praesertim triplicis progressus doctrinae in quaestionibus maximi momenti, nempe de Ecclesia Corpore Mystico, de episcopatus collegialitate, de sacramentalitate episcopatus.

Decisio ista ultima, vero, actus sane erit inter praecipuos doctrinales Concilii, utpote apta sit imprimis ad unionem fovendam cum fratribus orientalibus atque, secundo, ad tractatum de sacramento ordinis renovandum, utpote tandem exinde consequentiae non parvae oriantur quoad relationes inter episcopum eiusque presbyteros. Etenim istae relationes fundantur super sacramento ordinis atque participatione sacerdotii, quod ab episcopo tamquam a Patre, sicut bene dicitur in cap. III schematis, (cito): ex « veluti paternae plenitudinis abundantia » et a capite in unitate presbyterii in presbyteris, derivatur. Attamen alius optandus videtur ordo ex quo maior sequatur unitas inter capita constitutionis de Ecclesia, secundum dispositionem ab em.mo card. Suenens hodie expositam.

Unum votum tamen Concilio humiliter proponere cupio. In diversis capitibus schematis nulla praesentatur argumentatio de una ex sublimioribus ac characteristicis Ecclesiae Catholicae realitatibus, scilicet de paternitate episcopatus. Sane in cap. IV de episcopis residentialibus dicitur, lin. 9, quod (cito): « regunt ut fidelium patres et pastores gregum suorum ». At vox illa « patres » sola habetur atque per transennam dicitur. Immo, in nota 5 correlativa, monemur quod hoc verbo (cito) « indicatur in Ecclesia esse potestatem patris familiarem et potestatem iuridicam moderari spiritu pietatis qui inter fideles et episcopum intercedere debet ». Sed revera non de mera « potestate patris familiaris », qualis in iure romano invenitur, evocanda agitur, etsi spiritu pietatis moderata.

Non solum de spiritu, nec de mirabili quadam imagine agitur, vel de conceptu quodam sentimentali, sed de vera ac profunda realitate constitutionis divinae Ecclesiae catholicae, quae vita est nostra, episcoporum, et ex qua verus sensus missionis nostrae hauritur. Et ideo emendatio postulatur quoad hunc punctum in uno vel altero ex capitibus schematis de Ecclesia propter tres rationes.

Prima ratio: Conceptio haec paternitatis episcopi solidis nititur tum Scripturae, tum Traditionis fundamentis:

Scripturae (cito): « Si decem millia paedagogorum habeatis in Christo sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui » (1 *Cor.* 4, 15). Distinguit ergo apostolus Paulus paedagogum a patre. Pater autem est ille qui generat i. e. vitam communicat. Pater est apostolus quia veram vitam communicat in Christo Iesu, vitam divinam Spiritus Sancti, vitam gratiae et fidei. Hoc facit « per Evangelium », scilicet praedicatione seu nuntio evangelii salutis et mysteriorum communicatione. In hoc sensu, episcopus, successor apostolorum, pater est missione sua evangelizationis, sanctificationis ac toto suo ministerio.

Traditionis: Sufficiat illum commemorare qui, primus, in epistulis suis, episcopum signum et centrum unitatis Ecclesiae suae particularis esse ostendit, S. Ignatius Antiochenus: « episcopus, imago Patris »; « non ad ipsum, episcopum, sed ad Patrem Iesu Christi eorum (fidelium) dirigitur submissio ».

Secunda ratio: Realitas illa paternitatis episcopi cum conceptione vitali Ecclesiae religionis et hierarchiae cohaeret. Nomen patris episcopo datum ideam praeclare evocat vitae; conceptioni nimis iuridicae de Ecclesia alia substituitur, vitalis, de Ecclesia Dei viventis. Enumerationi potestatum et iurium praeponitur missionis, muneris spiritualis, servitii, doni Patris filiis. Iesus Christus, qui venit Patrem suum hominibus revelare atque cum ipsis quibus dedit « potestatem filios Dei fieri » relationes vivas statuere familiares, voluit etiam paternitatem Dei his in terris in Ecclesia, emanationem ac manifestationem visibilem obtinere. Haec est hierarchia apostolica; signum esse debet sensibile, veluti sacramentum paternitatis Dei, ut in theologia orientali diceretur. Tunc nomen illud quod capiti supremo hierarchiae apostolicae tribuere gaudemus, ipsum vocamus SS.mum Patrem. Nomen illud dico plenissimum sensum tunc obtinebit.

Tertia ratio: Huiusmodi paternitatis episcopi conceptio repercussiones magni momenti in regimen dioecesium in Ecclesia obtinere valet. Conceptio haec episcopo in memoriam revocat propriam promissionem die episcopalis consecrationis factam, se dandi filiis suis sacerdotibus ac populo suo in servitium altissimae caritatis quae in salvandis hominibus in Ecclesia, quae est corpus mysticum Christi ac communitas fidei et caritatis, reponitur ut, sicut dixit Iesus Christus, « ut vitam habeant et abundantius habeant ». Dixi.

10

EXC.MUS P. D. RAPHAËL GONZALEZ MORALEJO

Episcopus tit. Dardanius, aux. Valentinus

Venerabiles Patres,

Postquam tot tantique exc.mi immo ac em.mi Patres locuti sunt vix aliquid novum a nobis, praesertim episcopis titularibus, dicendum remanet. Tamen omne « complexum » reiiciens et repetitiones non timens,[1] relictis quaestionibus in singulis capitibus contentis, humiliter observationes quattuor circa schema *de Ecclesia* in universum praemitto.

1. Schemati unitas deesse videtur, nam: *a*) si singulatim capita et universim ipsorum distributio perpendantur, nulla reperitur idea centralis, quae princeps sit et ratio ordinis totius schematis; *b*) e contrario, satis animadvertitur alia capita ab aliis esse redacta et quidem diverso modo: alia enim potius doctrinalia sunt et forte nimis synthetice exarata, alia vero nimia diffusione laborant, particularia minima referunt, et magis iuridica continent.

Censeo igitur schema reficiendum esse, ita ut: 1) commissio aliqua parva, vel saltem unus theologus ei reddat eam unitatem thematicam quae deesse reperitur, omnia circa ideam principem disponens, quae vel *ipsum*[2] Corpus Mysticum esse potest, vel potius Ecclesia ut est Mater et Magistra; 2) una eademque manus uniformitatem styli curet et debitam capitum proportionem, iuxta ipsorum doctrinale momentum, restituat.

2. Liceat schema amplissimo titulo ornatur *de Ecclesia,* evidens est omnia in ipso ad Ecclesiam militantem tantum referri. Cum ita sit, nonne igitur oporteret ut titulo « De Ecclesia militante » donaretur non iam cap. I sed totum schema? Sed potius optandum esset ut tota doctrina de Ecclesia tractaretur, vel saltem schemati integro praemittendus esset quidam prologus, in quo, ostensa primum doctrina generali de Ecclesia, argumenta deinde exponerentur quae Concilium prae oculis habuit ad doctrinam de Ecclesia in hoc mundo fusius ostendendam, et quidem nostris temporibus accommodatam.

Necesse est enim, in toto schemate clariori in luce ponere ea puncta quae ab hoc Concilio mundus expectat, quae episcopi et universitates ex orbe terrarum postulaverunt, et quae in hac aula multi Patres, etiam in hodierna sessione, saepe, cordate et dilucide commemorati sunt.

3. Plene adhaereo postulatis ab em.mo D. card. Ruffini, ut capp. V, VI et XI omnino supprimantur, dispertitis eorum normis, sensu potius

canonico et disciplinari, inter alia schemata quae eadem magis directe pertractant.

Fundamenta dogmatica statuum perfectionis et status laicalis, prout exponuntur in capp. V-VI, colligenda essent vel — ut ipse em.mus card. proposuerat, in capite altero schematis reformati, sub titulo *de membris Ecclesiae,* vel in introductione doctrinali proprii schematis, ut alii petierunt.

Quod attinet ad cap. XI *de Oecumenismo,* iam a Concilio constitutum est ut in unum documentum componatur cum decreto *de Oecumenismo,* a secretariatu ad unitatem christianorum confecto, et cum decreto *de unitate Ecclesiae,* redacto a commissione de Ecclesiis orientalibus.

4. Iam vero, censeo cap. IX « De relationibus inter Ecclesiam et Statum » eodem modo componendum esse in unum documentum cum decreto *de libertate religiosa* a secretariatu ad unitatem christianorum fovendam confecto, tum ut omnia simul compleantur in hoc cap. IX schematis *de Ecclesia,* tum — si id opportunius videbitur — ut omnia inserantur in schemate *de libertate religiosa.*

Animadvertite insuper, venerabiles Patres, in propositione a Concilio approbata ultimo die sabbato, ad finiendam disceptationem de schemate circa unitatem Ecclesiae, minime esse praevisum a quo haec tria documenta in unum essent componenda: propono igitur ut commissio mixta efformetur ex membris tum commissionis theologicae tum commissionis pro Ecclesiis orientalibus tum secretariatus de unitate christianorum, quae commissio non tantum haec tria documenta in unum fundere curabit — ut iam est a Sacro Concilio constitutum — sed etiam haec bina documenta de quibus agimus, scilicet cap. IX « De relationibus inter Ecclesiam et Statum » schematis *de Ecclesia* et decretum *de libertate religiosa.*

His praemissis, liceat mihi exponere simpliciter, quibus oporteat, nonnullas preces, quibus certum habeo complures ex Patribus conciliaribus adhaerere.

1. Omnes qui vel ad defendenda schemata vel ad ipsa impugnanda loquuntur, rogandi sunt omittere omnia illa quae, vel modo loquendi vel rebus ipsis, distrahant attentionem audientium a veris argumentis quae afferre vel impugnare intendunt.

2. Preces quoque effundo ut priusquam in nostram quisque dioecesim proficiscamur, nobis tradantur omnia schemata a commissionibus praeparatoriis parata; si vero edita nondum sint, ut ipsa editio quantocius perficiatur.

3. Credendum sane est eos, a quibus res haec pendet, animadver-

tisse regulas ipsius Concilii, post experientiam duobus his primis mensibus peractam, denuo retractandas esse: nonnulla enim praecepta maioris momenti minus valere visa sunt ad depellenda obstacula graviora. Verum est providisse his amantissimum nostrum Patrem Papam Ioannem XXIII, sed prudentiae quoque nostrae est cavere ne haec denuo necessaria fiant.

4. Rogo etiam ut inveniatur ratio apta ut Patres per suffragium possint de singulis emendationibus opinari. Verum est — ut rev.mus secretarius commissionis sacrae Liturgiae suo tempore tenuit — in Concilio Vaticano I suffragationem tantum admissam esse ad illas emendationes quas commissio praecipuas retinuisset, conglobatis vel simpliciter reiectis ceteris ab ipsa commissione. Sed liceat quoque notare a Concilio Vaticano I validissimum subsidium abfuisse machinarum electronicarum, quarum valido adiutorio licebit procul dubio una eademque schedula ad viginti, triginta vel fortasse quadraginta simul interrogationes respondere.

5. Postremo: Nonne fieri posset ut suffragationes, praesertim cum multae in ipso die sint, perficerentur disceptatione in aula interrupta? Nisi haec ita fiant, non video quomodo possint attente considerari altissima illa quae venerabiles Patres conciliares, post accuratam meditationem, in medium protulerint. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

11

Exc.mus P. D. CAROLUS MACCARI
Episcopus tit. Emmausensis

Venerabiles Patres,

Schema nobis propositum, quamvis tempus congruum ad maturius perpendendum defuerit, videtur in genere probandum, immo sincera laude gratoque animo excipiendum. Nam summam exhibet hodiernae doctrinae de Ecclesia quae claritate et vigore praestat nostraeque aetatis necessitatibus respondere contendit. Non video igitur — dicam humili sinceritate —, quibus validis et obiectivis rationibus propositum sit ut schema *totum* [1] funditus recognoscatur atque integre renovetur. Haec mea generalis probatio emendationes minime excludit, quae in schemate tanti momenti peropportunae esse poterunt...[2]

Agitur enim de quaestionibus, quae nostris temporibus maxime

etiam inter catholicos agitantur: fuse igitur et profunde tota haec materia tractanda est, ita ut documentum solemne — doctrina viva at non vaga confectum — in Sacrosancto Concilio promulgandum paretur, prout viri catholici cleri populique christiani instanter exoptant.

His praemissis, nonnullas animadversiones subiiciam quae ad cap. VI *de laicis* spectant, quaeque utiles aliquatenus forsitan esse poterunt in textus emendatione.

Vos omnes, venerabiles Patres, probe nostis partes, quae hodie laicis tribuuntur in apostolatu catholico. Saepe passim audivistis et legistis hanc nostram aetatem appellari posse « horam laicorum », qui « promotionem » vel « emancipationem » nostris temporibus in Ecclesia obtinuissent. Dictiones huiusmodi, *ut iam notavit Pius XII sanctae memoriae,*[3] male sonant et periculo non carent, eo quod christifideles, praesertim iuvenes, exinde falso concludere possent cooperationem laicorum in apostolatu Ecclesiae esse aliquid prorsus novum in ipsa Ecclesia.

Quod autem hodie laici magis magisque activas et conscias partes habent in apostolatu Ecclesiae, hoc omnibus manifesto patet; idque procul dubio sane iucundum est et maximi momenti, ut Corpus Christi Mysticum novas semper acquirat vires novaque capiat incrementa. Quare opportunum admodum in schemate doctrina de laicis non ita proponitur, ut argumentis mere extrinsecis et contingentibus innitatur (v. g. rationes petendo a parvo numero sacerdotum, ut saepe fit), sed modo stricte dogmatico et positivo exhibetur atque evolvitur: actuosiores scilicet partes, quas laici nostris diebus habent in apostolatu Ecclesiae, utique de facto oriuntur etiam ex auctis ubique necessitatibus apostolicis, sed in primis et per se oriuntur ex alia ratione, et quidem altiore ac nobiliore, quae est nostra incorporatio Christo Mystico, cuius membra viva efficimur per baptismum et corroboramur per confirmationem...[4]

Haec doctrina si sollemniter proclametur in Concilio, et quidem per synthesim claram et concinnam, non pauca beneficia exinde consecutura praevidentur. Haec proclamatio enim, inter alia, causa erit laetitiae innumeris sacerdotibus et laicis, qui in hoc campo laborant, ipsorum actionem apostolicam melius diriget atque confirmabit, nonnullaque dubia atque incertas vel periculosas opiniones dissipabit.

Materia, igitur, in cap. VI tractata, eiusque expositio generatim placet, sive quia perspicuam synthesim praebet quaestionum, de quibus hodie multum sed non semper recte disceptatur, sive quia modo temperato et firmo nonnullas fugat dubitationes atque errores, *et*[5] aliquos graviores, non ignorat.

Mihi liceat *tamen*[6] has breves quoad textum animadversiones facere:

1. Ad n. 22, pag. 37, brevior et clarior definitio « laici » desideraretur;

2. Ad n. 23, pag. 38...,[7] fortasse clariore in luce ponendi essent effectus sacramenti confirmationis, vi cuius fidelis fit miles spiritualis militiae ad regnum Dei promovendum et defendendum...[8];

3. Ad eundem numerum, in eadem pagina, verba linn. 2-3, « necessitates et desideria sua patefacere possunt laici » non satis perspicue significare videntur actuosam sociamque operam a laicis praestandam; quam quidem cooperationem non licet ita imminuere atque extenuare, ut propria laicorum actio eorumque operandi ratio nimis compescatur; doctrina Romanorum Pontificum hac in re plus concedere videtur; ceterum, *ut experientia docet,*[9] si cupimus adiutricem laicorum operam efficacem, ardore plenam eamque docilem, opportunum est ut congruum spatium relinquatur christifidelium actioni et in eorum opera maior fiducia reponatur;

4. Ad n. 25, pag. 40: sermo est de Actione Catholica in contextu...,[10] qui ex una parte nimis coarctare videtur campum ipsius Actionis Catholicae (dicitur « in rebus mere religiosis »), ex altera vero parte videtur extendere appellationem, Actionis Catholicae propriam, ad alia opera atque apostolatus associationes, quae « Actio Catholica » proprio sensu dici nequeunt; hucusque enim strictiore et proprio sensu Actio Catholica appellata est, in documentis Summorum Pontificum, peculiaris illa apostolatus forma, quae directe subiicitur sacrae hierarchiae ac proinde quemdam publicum officialemque characterem prae se fert. Cum de hac quaestione, ut puto, rursus agendum erit in schemate *de laicorum apostolatu,* definitiva solutio huius quaestionis *magni*[11] momenti heic non praeveniatur. Quapropter verba « quae participatio nominis Actionis Catholicae usu venit », in linn. 14-15, viderentur vel supprimenda — eo magis quod incisum constituant —, vel hac fere ratione emendanda: « quae participatio, si forma organizata sub directa ...[12] auctoritatis ecclesiasticae subordinatione exprimitur, nomine Actionis Catholicae usu venit »; periodus, vero, quae immediate sequitur, compleri deberet iuxta v. g. felicem dictionem primae Romanae Synodus: « Ideo Actio Catholica aliaque apostolatus opera » etc. Haec autem dicta sunt non ob minorem aestimationem aliarum apostolatus associationum, quae splendidam eamque desideratam atque efficacissimam coronam Ecclesiae *formant,*[13] sed ut Actioni Catholicae, iuxta pontificia documenta, specialis natura ac speciale munus inter omnes apostolatus formas servetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] textus utique perfici potest, immo debet, ut eius partes aptius inter se cohaereant, et expositio, quandoque, maiore

polleat efficacitate. [3] deest. [4] qua non solum officio tenemur aedificandi et tuendi regnum Dei in nobismetipsis, sed etiam illud propagandi atque defendendi apud fratres. [5] deest. [6] deest. [7] linn. 11-12. [8] Qua de causa confirmatio considerari potest sacramentum proprium apostolatus catholici (cf. concinna et lucidissima expositio S. Thomae in parte III Summ. Theol., q. 72). [9] deest. [10] quodam. [11] summi. [12] specialique. [13] efformant.

12

Exc.mus P. D. THOMAS HOLLAND

Episcopus tit. Etennensis, c. s. d. Portus Magni

Venerabiles Fratres,

Ingenue confiteor, primo intuitu, hoc schema valde placuit *et adhuc* [1] bonum opus illud considero — *notetis bene*: « *considero* », non « *desidero* » (*qui bonum opus desiderat aliam rem desiderat*)[2] —. Attamen, lydio lapide applicato ad punctum *huius schematis* [3] quod etiam *bonum opus est episcopatus,*[4] deficit a legitimis exspectationibus. Et hoc non dico (pace *totius Conferentiae episcopalis principatus* [5] Monacensis) quia episcopus sum titularis, sed quia fratres nostri separati legitime hic — *et alibi, ut credo* [6] — nobiscum stant in exspectanda completione doctrinae Vaticani I in hac re. Hoc est in votis; aliquo modo est *et* [7] in promissis.

Nunc vero, parturiunt montes et exit — non certe ridiculus mus — sed tenuior macilentiorque tractatus, qui animum dubio pulsat utrum adaequata studia in re requisita facienda adhuc sint, vel utrum affectus *aliquis reverentiae* [8] eorum adaequatam expressionem impediat. Certe non deberet impedire; *nam, Fratres mei venerabiles,*[9] si de una veritate nostrae fidei edocti *luculenter sumus in hac aula, est de veritate necessitatis* [10] primatus Summi Pontificis. Gratias agamus Deo super hoc inenarrabili dono *eius.*[11]

In alia parte schematis, ni fallor, apparet praeprimis manus unius eximii theologi, qui abhinc triginta et amplius annos doctrinam tradebat *hic Romae* [12] de magno et glorioso Corpore Christi quod est Ecclesia. In illis annis, qui ad eius pedes sedebant, sive in exercitationibus practicis sive in cursibus peculiaribus, ut puta de Corpore Christi in Patribus graecis, exinde quadam visione frui potuerunt, qua plura et praeclara, in opere redemptionis dispersa, in unum cohaerebant, luce vivida perfundebantur et ad praxim provocabant.

Hanc partem schematis ergo...[13] grato animo accipio. Quae mea gratitudo et vestra erit, Fratres venerabiles, si memineritis quod huius theologi doctrina ad litteram fere inventa est in litteris Encyclicis *Mystici*

Corporis. Utique, Pius enim Papa XII, beatae recordationis, dum filiis bello distractis loqueretur de honore, dignitate et sublimitate pertinendi ad illud Corpus in quo omnes eadem veritate, Spiritu et pane, usque ad vitam perennem enutrimur, in verbis fere locutus est huius theologi de quo est sermo. Et laetus omnino sum *hanc* [14] occasionem arripere illi gratias reddendi ...[15] ex corde...[16]

Age vero, hoc schema nostrum tam proficua doctrina refertum, diebus prioribus occasio facta est voces hinc inde audiendi, quae, ut non unus ex nostris ingenue fassus est, prima iecerunt semina profundae deiectionis animi de futura sorte huius Vaticani Concilii II.

Ex una namque parte, explicite abdicata est ulla spes ut schema seriam considerationem in aula nancisceretur. Ex altera parte, nonnulla dicta sunt, modo certe concionatorio, quae in posterum difficiliorem reddant viam, qua magna talenta huius Concilii, viribus consertis, simul in refectione huius schematis collaborent.

Mihi ergo, anxio animo de schemate cogitanti, occurrit notum illud principium: « Distingue tempora et concordaberis iura ». Ideo rogo vos, Fratres venerabiles, estne nostrum propositum in omnibus vocibus a Concilio proferendis, semper eodem tenore, stylo, et accentu loqui? Vel *paulo aliter rogo*:[17] quae a nobis dicenda sunt ad easdem semper *dirigenda sunt* [18] personas? Si « utique » dicendum est, tunc vere angustiamur. Ego non video quomodo non erit valedicendum multis quae Concilium forsan dicere debet; amplius non video quomodo de quibusdam capitibus doctrinae apte et adaequate unquam loqui poterimus. Quod praecise a quibusdam, ut in praesentibus disceptationibus panditur, nunc vere timetur.

Ego, vero, crediderim quod aliter res se habeat; et hic libenter sequor exc.mum Lefebvre: nec admodum quassatus sum rationibus heri in contrarium adductis. Quaedam, *putaverim,*[19] documenta paranda sunt ...[20] quae directe homines universos respiciunt, ubi veritates de opere Redemptionis in Christo et Ecclesia, stylo fluido, ab omni technicalitate purgato, amanter et humiliter, « kerygmatice » si vultis, praeconium habeant. Ibi nullatenus ut iudices sed ut pastores, fratres, conservi, co-redempti, loquamur. Ulterius, divisiones gratiarum sunt. Ex iam actis in hoc Concilio, apparet qui inter nos necessario charismate donentur, ut talibus documentis operam navent. *Ideo,*[21] deputentur nunc illi Patres qui medicamentum misericordiae populo melius sciant praebere. Audiatur clare haec vox; est enim vox valida et vera Ecclesiae; et manus illico ad opus mittantur, ut nos in proxima sessione approbemus quod interim confectum fuerit. Hoc ergo dictum sit de uno genere documentorum.

Nunc vero, nonne oportet ut alia habeantur documenta in quibus prout necessarium est, et semper erit, Ecclesia sibi ipsi loquatur? Non enim hodie, in societate pluralistica, adhuc possibile videtur ut eisdem vocibus, eisdem documentis, Ecclesia omnibus hominibus loquatur, et identidem simul iudicium ferat de thesauris in deposito revelationis contentis eo modo ut theologi, praedicatores, studentes theologiae indesinenter illuminentur, pascantur et in profundiorem veritatis intelligentiam ducantur, ut olim semper factum est a Conciliis.

Iam dixi in exordio quomodo ex unius theologi doctrina de Corpore Christi quod est Ecclesia plures e nobis profectum magnum habuimus, qui a magisterio ordinario postea in communem fidelium usum large effusus est.

Praebeamus et nos, venerabiles Fratres, digna et serena *fidei*[22] monumenta quibus, mediante pastorum meditatione et praedicatione, postea indeficiens lumen et pabulum fidelibus prostet. Certe omni cura laboremus etiam in his, ut positive, pastoraliter et oecumenice progrediamur, quantum fieri potest. At consentiamus quod ipsa materia subiecta de qua agimus, exigit et ipsa tractationem aptam et adaequatam, quae non illico omnibus hominibus pervia est...[23]

Praeses: Tempus finitum est, exc.me Domine!

Orator: Dixi!

In textu scripto tradito: [1] Etiam nunc. [2] deest. [3] eius [4] iuxta S. Paulum bonum opus est, scil. episcopatum. [5] episcopi. [6] deest. [7] deest. [8] quidem reverentialis. [9] deest. [10] sumus ex experientia in hoc Concilio, est de necessitate. [11] deest. [12] deest. [13] vere. [14] deest. [15] quam maximas. [16] Nam omnes scitis, venerabiles Fratres, quantum solatii tunc fuerint illa verba; quantae utilitatis et frugis usquedum manent. [17] deest. [18] dirigere. [19] deest. [20] ut puto. [21] deest. [22] deest. [23] In genere ergo, relate ad hoc schema (et forsan omnia theologica) propono: maneat alibi discutiendum; demptis capitibus quae melius cum aliis materiis cohaereant. Ulterius abbrevietur, emendetur, in quantum res ferat, purgetur a nimio iuridismo et ceteris. Attamen quae ex antiquissima traditione requiruntur ad iurium Christi Corporis in terris expressionem et conservationem, intacta maneant. Interim et alia vero parentur monographa, nomine totius Concilii postea edenda, in quibus soluto sermone posthabeatur omnis alia voluntas, nisi illa infundendi oleum et vinum in hominum plagas eosque in stabulum ducendi. Et stabulum est etiam Ecclesia, omnesque nos, pro modulo, sumus stabularii. Nescio vero utrum omnia quae dicenda habeamus, quasi ex stabulo dici possint.

13

EXC.MUS P. D. ALBERTUS DEVOTO
Episcopus Goyanensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Generalia dicam et particularia scripto tradam.[1]

Ut praecipua inter quaestiones in hoc Concilio tractandas, enixe desiderabatur ea quae ad naturam et constitutionem Ecclesiae refertur.

Sed quid a non paucis episcopis, sacerdotibus et fidelibus desiderabatur dicendum circa thema tanti momenti?

Imprimis descriptio biblica Ecclesiae, non tantum modo essentiali facta, sed etiam modo, ut ita dicam « existentiali », i. e., ratione habita eius incarnationis in hoc mundo. Haec descriptio, peroptime facta est ab ipso Christo Domino in parabolis de regno Dei, in quibus Ecclesia non praesentatur ut aliquid perfectum et ideale, sed ut opus quod — etsi sit divinum — tamen ab hominibus in historia faciendum est.

De facto omnes scimus Ecclesiam omnes difficultates proprias suae incarnationis pati, quae difficultates non tantum ab extrinseco, sed etiam et praesertim ab intrinseco, i. e. a peccatis et limitationibus membrorum proveniunt. Ecclesia enim quae nunc est in via ad Patriam, *tantum*[2] erit sine ulla ruga et sine ulla macula in adventu Domini sui in fine saeculi.

Ex alia parte desiderabatur clara et evidens revalorizatio notionis totius « Populi Dei », per Baptismum congregati, ut initium totius constitutionis *de Ecclesia.*

Tertio loco, attendebatur Concilium loqui modo praeciso de collegialitate episcopatus eiusque responsabilitate in totam Ecclesiam, necnon de ambitu episcopalis functionis.

Desiderabatur etiam positiva acceptatio et stimulatio liberae opinionis publicae in Ecclesia, quae ad exercitium potestatis regiminis multum iuvat, ita ut sine illa, tale exercitium vix aut ne vix quidem, opportuno modo exerceri possit.

Forsitan, quod magis attendebatur a Concilio Vaticano II, erat praesentatio Ecclesiae in sua evangelica simplicitate et in suo spiritu paupertatis, ita ut vivum et authenticum testimonium daret coram mundo hodierno, suam missionem in praesenti vita non esse dominationem, sed regnum Dei aedificare praesertim in servitute pauperum et eorum qui patiuntur.

Sed reapse, schema ut iacet non respondet his legitimis et sinceris

aspirationibus multorum fidelium. Ergo totum schema recognoscatur, ita ut melius et clarius appareat credentibus et non credentibus verus vultus Ecclesiae Christi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

Animadversiones additae:

Praeter haec, circa schema nobis propositum haec notanda sunt in concreto:

1. Imprimis *quoad materiam*:

a) Primum caput, quamvis de natura essentiali Ecclesiae bene agit, tamen non satis eius realem conditionem in hoc mundo exprimit;

b) non pauca bona dicuntur cum de laicis loquitur, sed notandum materiam in nn. 24 et 34, potius ad schema *de apostolatu laicorum* pertinere;

c) n. 10, ubi de unione cum separatis, ad schema *de unitate* transeat.

2. Deinde *quoad ordinem* servatum:

a) Doctrina « de magisterio », cap. VII, cum doctrina de episcopis coniungatur, ita ut non appareat tanquam aliquid absolutum et segregatum a toto;

b) Doctrina « de necessitate Ecclesiae » coniungatur — ut in aula dictum est — cum doctrina de natura et fine Ecclesiae;

c) ubi res est de episcopis, videtur melius ordo inversus, ita ut incipiatur a notione collegii episcoporum;

d) munus annuntiandi Evangelium ad ipsam naturam Ecclesiae pertinet, ergo substantia cap. X ad cap. I transeat, reliqua vera ad schema de missionibus.

3. Denique *quoad indolem* seu modum:

a) Schema est valde diffusum et repetitiones non necessarias habet;

b) saepe, cum omnes casus possibiles examinare vellet in minimis immoratur, et sic facile non tantum claritas, sed etiam ipsa medulla constitutionis evanescit (v. gr. pag. 23, lin. 11 ss.);

c) modus loquendi, potius biblicus sit quam iuridicus, non praecise ratione citationum textuum S. Scripturae, sed ratione spiritus et orientationis materiae.

Conclusio: Schema recognoscatur ad sensum emendationum propositae, retinendo ea elementa, quae bona sunt.

14

EXC.MUS P. D. IOSEPH VAIRO
Episcopus Gravinensis et Montis Pelusii

Huius constitutionis *de Ecclesia* schema, venerabiles Patres, mihi iuxta modum placet.

Placet enim cum, ex una parte, militantis Ecclesiae fundamentalem structuram ac divinam missionem a Christo Domino Conditore statutas, et clare tradat, et firmiter tueatur, ex altera autem, eandem Ecclesiam, non sub aspectu tantum apologetico et institutionali...,[1] sed sub aspectu quoque dogmatico et mystico proponere intendat. Eam enim exhibet

tamquam mysticum Christi corpus natura theandrica praeditum, fidei obiectum et mysterium, Incarnati Verbi mysterio assimilatum; eandemque, et hierarchicam seu iuris, et charismaticam seu caritatis, unam esse Ecclesiam affirmat.

In quo schemate tamen quaedam desiderantur, quae negligenda non esse duco. Desideratur amplior Ecclesiae prospectus quae, licet diversis sit in statibus, una eademque est in tempore peregrinationis et in aeternitate mansionis — ut verbis S. Augustini utar —, duas vitas sibi divinitus praedicatas et communicatas noscens, quarum altera est in via, in opera actionis, ubi habentur mali permixti, altera vero in patria, in mercede contemplationis, ubi mali commixti non erunt...[2] Ecclesia enim peregrinans essentiali et immanenti intentione, sicut via ad terminum et ordo ad finem, ad caelestem Ierusalem tendit.

Schema vero Ecclesiam militantem, seu peregrinantem, effert absque hoc ipsius necessario contextu, eiusque finem videtur innuere, in cap. II praesertim, in n. 8, esse tantum individualem animarum salutem promovere ac spondere. Quod quidem in dubium revocari nequit, cum plane verum sit personam Deo et sibi existentem, ad Dei gloriam ac ad suam ipsius perfectionem esse creatam. Obliviscendum tamen non est nos vitam aeternam, animarum salutem, Dei gloriam, nostramque plenam perfectionem liberrimo et amantissimo Dei consilio adepturos esse in aeterna et perfecta communione, qua omnes electi, unum in Christo efformantes, divinam participent vitam, Deum sicut est videntes eumque laudantes et perfecta caritate diligentes ac perenni beatissimo gaudio fruentes. Quae perfecta communio illa est caelestis urbs Ierusalem, beata pacis visio, dotata Patris gloria, respersa sponsi gratia, quae agno immaculato, sponsa non habens maculam et rugam exhibetur...[3]

Desideratur praeterea in schemate nexus illustratio inter Corpus Christi Mysticum et Trinitatis mysterium. In eo enim analogia tantum cum mysterio Verbi Incarnati innuitur. Corpus Christi Mysticum, revera, divina et humana communio (coinonia) est, qua ineffabilem in simplici naturae unitate communionem Patris et Filii et Spiritus Sancti, homines, cum Christo Verbo Incarnato concorporales effecti, quodammodo participant et imitantur. Est igitur Ecclesia, ut S. Cyprianus docet, de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata...[4] Quam ob rem Ecclesia, cum sit personarum communio, minus recte, ut iam in aula notatum est, « persona mystica » in schemate mihi videtur appellari.

Malim dein evidentius in schemate emineat munus centrale, quo doctrina Corporis Christi Mystici, in synthesi catholicae veritatis, et fide credendae et operosa caritate perficiendae, fungi possit et debeat. Thema enim, quod divinus Magister in sua praedicatione continenter et multi-

farie evolvit, est Regnum Dei, quod est Ecclesia. Doctrina ceteroquin Corporis Christi Mystici, integrum corpus operis Filii Dei Incarnati complectens, ut docet S. Irenaeus...,[5] tum fidei veritates, tum vitam ac mores singulorum fidelium, christianarum societatum, maxime vero Ecclesiae, opus apostolicum ad Christum velut ad centrum refert, eaque omnia ad perfectam, ac fructuosam, in veritate et caritate, unitatem redigit.

Malim etiam sacerdotium stricte sumptum, hierarchicum semper appelletur, non vero ministeriale, cum universali sacerdotio christifidelium quoque quoddam, limitibus bene definitum, ministerium agnoscendum sit. Ita — ut unum exemplum afferam —, sponsi, cum sint ministri, et quidem ordinarii, matrimonii sacramenti, personam, in casu, Christi gerunt. Sacerdotium hierarchicum, autem, velim consideretur veluti solidalis structura in Christi Corpus vitaliter inserta, cuius vertex est Romanus Pontifex, Beati Petri successor, et Christi Vicarius, qui Petra permanet super quam Ecclesia aedificatur ...[6] et fratres in fide confirmat ...[7] et totum Christi gregem pascit...[8] Huius sacerdotii plenitudo et fecunditas in episcopis inest, qui collegio apostolorum succedunt, eorumque missionem docendi omnes gentes easque sanctificandi et regendi ...[9] in aevum continuant. Quod sacerdotium etiam presbyteri tanquam episcopalis ordinis cooperatores vere participant.

Malim insuper relationes inter Ecclesiae magisterium et civitatis autonomiam quae dicitur, accuratius et profundius perpendantur, praesertim ad quaestionem quod attinet de authentica interpretatione iuris naturae. Quaerendum esse mihi videtur utrum magisterii Ecclesiae competentia sit exclusiva, ita ut civitas hanc authenticam interpretationem semper ab Ecclesia repetere debeat an ipsa civitas polleat naturali autonoma competentia ea iuris naturae principia authentice interpretandi quae ipsius constitutionem respiciant.

De identitate, tandem, Corporis Christi Mystici cum Ecclesia Apostolica Romana, hoc notandum censeo: eam esse omnino veram, quamvis inadequate, ut verbo Scholae utar, intelligenda sit. Ecclesia Apostolica Romana est Corpus Christi Mysticum qua Ecclesia peregrinans. Attenta divina methodo Incarnationis nihil mirum quod Corpus Christi Mysticum, vitam terrestrem degens, quadam geographica determinatione *definiatur.*[10] Roma, enim, universo caritatis coetui praesidens (prokatemene tès agapès), ut ait S. Ignatius Antiochenus...,[11] est via unica et necessaria qua ad patriam pergimus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] cui etiam in Conc. Vat. I constitutionibus dogmaticis *de fide* (Denz. 1793; 1794) et *I de Ecclesia* (Denz. 1821-1840) consultum

fuit. [2] (cf. S. Aug., *Brev.* coll. cum *Don.* III, c. 10, n. 20 et *In Ioann. Ev.* tr. 124, 5). [3] (*Eph.* 5, 27). [4] (*De Or. Dom.* c. 23). [5] (*Adv. Haer.* l. 1, c. 9, n. 4). [6] (*Mt.* 16, 18). [7] (*Lc.* 22, 31). [8] (*Io.* 21, 15 ss.). [9] (*Mt.,* 28, 18-19). [10] designetur. [11] (S. Ign. Ant. *Ad Rom.* E. P. 52).

15

Exc.mus P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Venerandi Patres,

Animadversiones et vota plurium Patrum, relate ad nostrum schema, approbo. Laudo laborem in eo contentum; sequor criticam factam ab em.mis card. Liénart, Alfrink, Döpfner, Ritter, Gracias et Frings; porro criticam cuiusdam clericalismi et iuridismi in eo occurrentis. Sequentia tamen puncta addere velim:

1. Tamquam initium totius schematis ponatur aliquod caput quod agat de Iesu Christo, Capite et Domino suae Ecclesiae. Rationes hae sunt: *a*) Primatus et excellentia Christi relate ad Ecclesiam magis ita pateret; *b*) fundamentum christologicum clarius appareret omnis ecclesiologiae; *c*) speciale caput de Christo in initio decet, cum conclusio totius schematis speciale caput est de Beatissima Virgine.

2. Consentio iis qui desiderant assumptionem schematis de Beatissima Virgine tamquam partis huius schematis. Ratio est: Clarius ita apparet fundamentum christologicum omnis mariologiae. Hoc multum conferre potest ad fovendam pietatem erga Beatissimam Virginem apud catholicos et non-catholicos.

3. Propono ut funditus reformetur cap. IX de relatione inter Ecclesiam et Statum. Caput enim, uti iacet, non satisfacere videtur toti hodiernae doctrinae ecclesiasticae de hac relatione inter Ecclesiam et Statum; praesertim prout a Pio Papa XII evoluta est. Auctores insuper catholici *et quidem* [1] bene meriti iniuste censurari videntur.

4. Propono ut secunda pars cap. VI, *de laicis,* quae agit de apostolatu laicorum, coniungatur, tamquam pars doctrinalis, cum schemate *de apostolatu laicorum.* Hoc melius fieret in subcommissione aliqua mixta ex membris utriusque commissionis. Hoc idem fiat quoad cap. IX de relatione inter Ecclesiam et Statum. Ratio: De eadem materia, etsi sub diverso aspectu, agitur in utraque commissione. Requiritur ergo aliqua correspondentia inter ea quae doctrinaliter dicuntur in schemate theologico, et ea quae practice dicuntur in schemate *de apostolatu laicorum.*

5. Ad utrumque caput, de laicis et de relatione inter Ecclesiam et

Statum, haec mihi addere liceat. In cap. VII, *de magisterio,* loquimur de cooperatione laicorum cum magisterio Ecclesiae. Postulatur in n. 34, lin. 11 ss., ut a magisterio ecclesiastico laici adhibeantur tamquam periti in rebus, ex. gr. iuridicis et socialibus. Cur hoc postulatum non applicamus ad nostrum laborem? Sumus cum Romano Pontifice supremum magisterium in Ecclesia. Loquimur de quaestionibus hic, quae summi momenti sunt in vita sociali et publica, praesertim pro laicis. Commissio de apostolatu laicorum certo aliquos laicos competentes invenire posset qui nos tamquam consultores multum iuvare possent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

16

EXC.MUS P. D. MICHAËL DOUMITH
Episcopus Sarbensis Maronitarum

Venerabiles Patres,

In votis episcoporum fuit ut Vaticanum II aliquam constitutionem *de episcopis* ferat, complementariam constitutionis Vaticani I *de Romano Pontifice,* in qua successores apostolorum, sive in collegio sive singuli, describerentur in suo munere pastorali, ut habeatur completa expositio doctrinae *de hierarchia ecclesiastica* tam pro catholicis quam pro fratribus separatis, qui sic agnoscerent episcopum quem noscunt et non tam mirarentur de ipso Romani Pontificis primatu.

Loco huius optatae constitutionis, habemus schema *de Ecclesia* in genere, ubi inter alia, de potestate episcopali tractatur, et modo tam analytico, ut inde ipsa res obscuretur. Ad quod probandum, praetermissis aliis *quae scripto remittam,*[1] sufficiat afferre aliquas animadversiones *de episcopis*:[2]

1. Cum episcopalis potestas describitur, frequenter memorantur monita ad bene utendum de hac potestate et *frequenter memoratur*[3] primatus Romani Pontificis a quo pendet *haec potestas*;[4] sicut mater quae filio dat aliquod ludibrium et quae timet ne illud frangat.

2. Ipsa potestatis descriptio est incompleta:

— In ordine mystico: affirmatur ...[5] episcopatum esse supremum gradum sacramenti ordinis, sed non dicitur quid sit sacerdotium in seipso, nec quid sit in sua habitudine ad sacerdotium Christi et ad Corpus Christi, sacramentale et mysticum, et vix dicitur quis sit locus epi-

scopi relate ad suum presbyterium et ad suam Ecclesiam et ad apostolatum.

— In ordine iuridico: affirmata triplici potestate episcopi, non concluditur quod habet iure divino accuratam potestatem pascendi gregem, nec enuntiatur quid in iure providendum sit ut haec potestas vere et plene exerceatur.

3. Haec descriptio, analytice facta, consecrat disciplinam vigentem, quae non est — *ut videtur* [6] — immunis ab omni aequivocatione.

In schemate distinguuntur potestates ordinis nempe, regiminis et magisterii, et de illis tractatur, diversis in locis sine ulla connexione. Porro haec distinctio, utilis in expositione, fit captiosa si sumitur ut norma iuris.

Consuetudo antiqua *erat* [7] ut non consecretur episcopus (aut etiam *sacerdos* [8]) nisi ad missionem pastoralem, titulo scilicet alicuius Ecclesiae, quae in ipso ritu consecrationis designatur, ita ut consecratio ipsa reddat subiectum habilem ad missionem implendam. Hoc modo episcopatus possidebatur indivise, in tota sua plenitudine, et, eo quo aliquis ad collegium aggregabatur per consecrationem, eo ipso deputabatur ad missionem. Et ideo omnis potestas considerabatur ut « diaconia » scil. ut ministerium in Regno Dei exercendum ad illud promovendum. Qui modus apparet *sat* [9] consonus ipsius rei naturae, nam missio est ratio ordinis et ordo est fundamentum missionis. Non ideo negatur ius superioris auctoritatis, immo ipsius interventus necessarius est ad moderandum usum potestatis...[10]

In disciplina autem vigenti, distinctio potestatum sumitur ut regula iuris; et potestates ita inter se distinguuntur ut etiam separatim concedantur. Sed concedendo potestates, unam sine alia, coniunctio illis connaturalis disiungitur, ...[11] non sine perturbatione, ut videtur, in ipso episcopatu. *Et hoc modo* [12] norma nova introducitur, et novus ordo instauratur. Nam dum potestas ordinis, qua quis ad collegium aggregatur, ita inhaerens in subiecto censetur ut aboleri aut absorberi non possit, iurisdictionis potestas, qua quis ad missionem deputatur, non ex natura *rei* [13] derivari dicenda est, sed « ad nutum deputantis » concedi. Unde regula disciplinae, quae ex sese ad moderamen collegialis potestatis requiritur, iam fit aliquo modo in substitutionem potestatis...[14] Et hoc modo consecratio episcopalis evadit mere accidens et totum regimen reducitur ad aliquid mere iuridicum. Et eo ipso instauratur ordo directae administrationis et evacuatur *collegialis potestas* [15] per viam facti. Sed eo ipso etiam non videtur quomodo episcopi non sint *delegati aut* [16] vicarii Romani Pontificis, et quomodo illorum potestas maneat propria.

Ideo redeundo ad antiquam disciplinam, scil. potestatem episcopa-

lem non concedendo sine consecratione, nec consecrationem sine missione, sive ad Ecclesiam sive ad officium, et quidem pastorale, redimus, ut videtur, ad rei veritatem. Et tunc vitatur fictio iuris, vitatur functionarismus et saecularisatio sacrarum institutionum, redintegratur episcopatus in suo pristino valore, etiam collegiali, et ipse primatus non fugat collegialitatem sed ab ea appellatur. *Et fratres separati forsan agnoscent et episcopum catholicum et primatum.*[17] Hanc tamen quaestionem difficilem fateor, ideo illam reverenter submitto sapientiori iudicio Patrum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Sunt in schemate quae ad rem non veniunt, vel non veniunt secundum ordinem: ita capp. V et VIII ad rem non veniunt si agitur tantum de episcopis; si autem de Ecclesia, ne interponantur inter capita ubi de potestate episcopali. Sunt etiam quae ad rem nihil novi afferunt: quae in capp. I et II de Ecclesiae natura et membris dicuntur, referunt doctrinam quae in tractatibus theologicis exponitur, et quae obnoxia est iisdem difficultatibus, quin afferatur aliquod principium ad elementa unificanda aut difficultates solvendas. Ex una parte affirmatur identitas inter Corpus Christi Mysticum et Ecclesiam Romanam, et ex alia parte quod sunt extra hoc venerandum Corpus qui gratia sanctificante fruuntur; sed in hac duplici affirmatione non apparet nexus inter baptismum et gratiam. Non dicitur quod character baptismalis est titulus ad gratiam acquirendam et obligatio ad illam quaerendam, nec quod gratia votum characteris impressi complet et votum characteris imprimendi continet, ut intelligeretur cur omnis baptizatus debeat gratiam quaerere, et cur omnis iustificatus, citra baptismum, debeat Ecclesiam quaerere. Et quia non dicitur, non videtur quid novi afferant haec duo capita, quod iam non multoties dictum fuit in documentis anterioribus. [3] deest. [4] deest. [5] in cap. III. [6] deest. [7] fuit. [8] presbyter. [9] deest. [10] in membris collegii. [11] et. [12] deest. [13] officii. [14] ipsius. [15] collegialitas. [16] deest. [17] Tunc fratres separati agnoscent catholicum episcopum et forsan non mirabuntur de ipso primatu.

17

EXC.MUS P. D. IOSEPH DESCUFFI

Archiepiscopus Smyrnensis

Venerabiles Fratres, dilectissimi Observatores,

Loquens ultimo loco celeri gradu ad finem orationis properare debet.[1] Usque nunc pluries in hac aula audivimus *disertissimas*[2] orationes, pias exhortationes necnon duros sermones et etiam solemnes *obiurgationes*[3] tamquam si propter libertatem feliciter concessam cogitandi, loquendi et proponendi, in periculo forent integritas fidei *et regiminis,*[4]

amor veritatis et reverentia erga Sanctam Sedem. At feliciter talia mala timenda non sunt. *In cordibus episcoporum pulsat cor Christi.*[5] Ni foret perditio *pretiosissimi* [6] temporis, gaudendum esset tantam materiam sive oppugnatores, sive propugnatores *et nosipsos* [7] invenisse ad examen conscientiae *propriae* [8] faciendum de sinceritate *et puritate* [9] intentionum et de caritate ac mutua reverentia *debita.*[10]

Accedamus ad argumentum.[11] Missionarii in oriente, *et omnes episcopi et sacerdotes alibi,*[12] in eorum sinceris conversationibus cum membris Ecclesiarum non catholicarum saepe saepius audiunt haec verba:

1. Primatus Romani Pontificis non verbis Christi et traditione provenit, sed factis historicis et politicis, quae *propensioni* [13] Romanorum Pontificum faverunt. Fratres, parcite verbis relatis.

2. Si Summus Pontifex est infallibilis, vana evadit infallibilitas Ecclesiae.

3. Si Ecclesia est infallibilis, quid prodest infallibilitas Summi Pontificis?

Est dilemma, quod scholastici appellabant « argumentum cornutum ».[14]

Non tractabo primam obiectionem, quia brevitas temporis concessi non permittit longas dissertationes historicas evolvere: *speciatim quando aliquis loquitur ultimus.*[15]

Ad secundam et tertiam devenio, ubi verba, quantumvis nuda et rudia videantur, *tamen* [16] ad meritum et nodum quaestionis, quae *Ecclesiam christianam* [17] dividit, maxime pertinent, scilicet de primatu et infallibilitate Summi Pontificis. In Concilio Vaticano I in suspenso relictae sunt hae quaestiones; nunc vero in hoc Concilio II Vaticano optandum est, ut penitus examinentur et explicentur, ita ut fratribus separatis non praebeatur aequivocationis, disceptationis aut *dubitationis* [18] ansa. At feliciter invenire possumus in schemate *de Ecclesia,* cap. VII, *de Ecclesiae magisterio,* pag. 46, pro solutione huius essentialis quaestionis optima argumenta, quae si, meo humili sensu, in breviori forma ac in lucidiore ordine (*lucidus ordo*),[19] et in modo exhaustivo disposita et enucleata fuissent, maiorem vim et efficaciam apud omnes acatholicos indistincte obtinerent et multas alias difficultates *iuridicas* [20] solvere possent.

Proinde propono:

1. Ut in cap. VII, pag. 46, nn. 28-29 abbrevientur et uniantur atque in plena luce edicatur infallibilitas Ecclesiae magisterii et eius obiectum. Ista declaratio praesertim ab omnibus Ecclesiis separatis indistincte admitti potest et maxime unioni favebit, *quam nobis amantissimus Pater noster, Ioannes XXIII, indicavit.*[21]

2. Ut in pag. 47, n. 30, de subiecto magisterii authentici, declaretur

clarius relatio inter infallibilitatem Summi Pontificis et infallibilitatem totius Ecclesiae docentis.

Concilium Vaticanum I, in sess. IV, cap. IV, de Romani Pontificis infallibili magisterio, declaravit: « Romanum Pontificem, quando loquitur ex cathedra, ea infallibilitate pollere, qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit ». Ergo ad mentem Concilii Vaticani *Secundi* (*sic*)[22] *logice*[23] declarari licet: subiectum infallibilitatis ex verbis Christi duplex esse, sed differenti modo:

1. Infallibilitas Ecclesiae scilicet corpus episcoporum omnium collegialiter sumptum, Romano Pontifice incluso.

2. Infallibilitas personalis Summi Pontificis, quando loquitur ex cathedra, scilicet quando universali Ecclesiae declarat, definit atque imponit doctrinam.

3. *Concludo!*[24] Unde concludere possumus: Quod Romani Pontificis est consultare Ecclesiam *collegialiter sumptam*[25] docentem, scilicet collegium episcopale, ut possit nomine totius Ecclesiae, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definire infallibiliter et declarare eam in deposito revelato contineri, quod collegium episcopale, aut pars eius, *in casu divisionis,*[26] Summo Pontifici concors, non potest facere pro universali Ecclesia.

Exinde *humiliter*[27] propono ut in pag. 48, lin. 10, verba « ex sese », quae sunt aequivoca, emendentur et ab istis substituantur: « ex ipsius sententia personali ». *Sic salva est infallibilitas personalis Summi Pontificis.*[28]

Et etiam in serie prima...[29]

Praeses: Exc.me Domine, tempus elapsum est.

Orator: Dixi, dixi, dixi, dixi!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] disertas. [3] condemnationes. [4] deest. [5] deest. [6] pretiosi. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] Hodie memores finis huius Concilii ab amantissimo nostro Summo Pontifice praefixi, scil. praeparatio quaedam futurae unionis Ecclesiarum, circa cap. VII De Ecclesiae magisterio, aliquae animadversiones et propositiones considerationi vestrae ac commissioni Concilii submittere desidero. [12] deest. [13] desiderio. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] christianos. [18] dubii. [19] deest. [20] deest. [21] deest. [22] I. [23] deest. [24] deest. [25] deest. [26] deest. [27] deest. [28] deest. [29] *De Ecclesiae unitate,* pag. 253, ubi legitur, lin. 1: « Item de formulatione fidei iudicat et decernit, sive

solus, sive cum collegio episcopali ». Hic modus loquendi ansam praebet multis aequivocationibus, quae in discussione peracta non fuerunt discussae.

Animadversiones additae:

In serie II novum schema, *De Ecclesia* nuncupatum, meo iudicio, cum capite schematis in serie I cum titulo *de Ecclesiae unitate,* pag. 251, componi debet, ita ut novum schema *de Ecclesia* iam impressum constet e capitibus noviter ordinatis in quibus invenientur textus recogniti, qui cum subsequenti indice explanato Patribus commissionis conciliaris proponuntur.

Novum schema *de Ecclesia* propositum.

Index rerum.

Cap. 1. De Ecclesiae natura.

1. Prologus: nn. 1, 2, 3 in serie II, pagg. 9-10.
2. Quibus subsequentur in serie I, pag. 251, nn. 2, 3, 4.
3. Postea in serie II, pagg. 10-11, nn. 5-6.
4. Quibus sequentur in serie I, pag. 252, nn. 5-6.
5. Concluditur cum n. 7 in serie II, pag. 12, cui adiunguntur nn. 8, 9, 10 in serie II, pagg. 15-16.

Post prologum, tituli paragraphorum erunt: Consilii Patris per Filium exsecutio - Israël Dei - Figura Corporis Christi - Enucleatio Corporis Mystici - Mysticum Corpus - Ecclesiae hierarchia - Unitas visibilis - Ecclesia catholica: Mysticum Corpus - De membris Ecclesiae militantis.

Cap. 2. De episcopatu. In serie II, cap. 3, pagg. 20-21, nn. 11-12.

Cap. 3. De episcopis. In serie II, cap. 4, pagg. 22-24, nn. 13, 14, 15, 16.

Cap. 4. De Ecclesiae magisterio. In serie II, cap. 7, pagg. 46-53, nn. 28-53.

Cap. 5. De auctoritate et oboedientia. In serie II, cap. 8, pagg. 59-64, nn. 36-40.

Cap. 6. De statibus evangelicae perfectionis. Serie II, cap. 5, pag. 32, nn. 17-35.

Cap. 7. De laicis. Serie II, cap. 6, pagg. 36-45, nn. 20-28.

Cap. 8. De relationibus inter Ecclesiam et Statum. Serie II, cap. 9, pagg. 64-74, nn. 40-45.

Cap. 9. De necessitate praedicandi Evangelium. Serie II, cap. 10, pagg. 74-80, nn. 45-47.

Cap. 10. De Oecumenismo. Serie II, cap. 11, pagg. 80-86, nn. 48-56, cum insertione e serie I, pagg. 255-267, nn. 12-52.

Caput I.

Pag. 10. Titulus erit: *de Ecclesiae natura.*

Pag. 10, n. 2, linn. 22-23: (*expungatur*:) « Sub Petro exercendi »: locutio aequivoca, quia episcopi non sunt vicarii successoris Petri.

Pag. 10, lin. 2, post « appellavit » expungendae sunt sex subsequentes lineae, quibus substituatur: « ubi non est gentilis et iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et scytha, servus et liber, sed omnia in omnibus Christus (*Col.* 3, 4) ».

N. 3, lin. 13, post « praeannuntiavit » (*expungatur*:) « non modo quod », cui substituatur: « quia eam suo sanguine acquisivit », et expunctis verbis in linn. 14-18, eis substituantur: « super fundamentum apostolorum (*Eph.* 2, 20; *Apoc.* 21, 14) et nominatim super Petrum eiusque successores pari auctoritate praeditos in perpetuum aedificavit ».

Lin. 25: Hic inserendi sunt sine mutatione nn. 2, 3, 4 e schemate 1, pag. 251 (*de Ecclesia terrestri et caelesti*).

Pag. 12. Post lin. 15, ante n. 7, adiungantur nn. 5, 6 e serie I, pag. 252, cum sequentibus mutationibus:

In n. 6, pagg. 252-253, ad calcem post verbum « iurisdictionis » expungantur alia verba; item de formulatione, cui substitui potest: « Item Concilia oecumenica convocat et eorum decreta confirmat (can. 222) », quia in capite pag. 253, verba in linn. 1 et 2 expressa, ansam praebent aequivocationibus (vide *de magisterio,* quae dicuntur ibi circa infallibilitatem).

N. 7 in titulo expungatur verbum « romana »; iterum expungantur linn. 23-24: « ideoque sola iure catholica romana nuncupatur Ecclesia », quia « romana » in Symbolo non invenitur; eiusque adiunctio nunc nationalismum redolet et non oecumenismum favet. Innovationes vitandae sunt sine periculo irenismi.

Caput II.

De episcopatu. Pag. 20, nn. 11-12, nihil immutandum.

Caput III.

De episcopis residentialibus. Pagg. 22-24, nihil immutandum.

Adnotatio. Mihi liceat insistere supplemento adiungendo circa episcopos titulares: in iure veteri primitivo non nominabantur nisi episcopi cum sede residentiali. Quomodo usus conferendi hunc titulum mere honorificum acceptus est in Conciliis? Et quare adhuc nunc temporibus mutatis, adhuc confertur et in Conciliis ius deliberativum conferat (can. 223). Notiones historicae exponuntur in Annuario Pontificio 1962, pag. 1463.

De patriarchis. Romanus Pontifex est solum patriarcha occidentis. Magni momenti erit pro Oecumenismo, si de patriarchis orientalibus notitia historica daretur, in qua eorum primitiva institutio, eorum dignitas, eorum iura, iuxta auctores orientales authenticos, exponatur. In omnibus pares esse deberent cardinalibus Curiae ac residentialibus et praeesse eorum regionibus, sub auctoritate directa et immediata Summi Pontificis, ita ut omnes simul cum patriarcha occidentis (Romano Pontifice) Concilium orientale effectivum constituant ac Ecclesias orientales regant. Idem faciendum esse proponitur pro Ecclesiis protestantibus aut in Ecclesiis non latini ritus, in Missionibus. Cardinales et episcopi autochthoni regant Ecclesias sub auctoritate Summi Pontificis immediate. Tot patriarchae cardinales, quot Ecclesiae regionales. Notiones historicae de patriarchis: Annuario Pontificio 1962, pagg. 1461-1462.

Caput IV.

De Ecclesiae magisterio. In serie II, cap. 7, pagg. 46-53, nn. 28-53.

Pag. 48, linn. 3-26. Immutatio: « Est igitur Romani Pontificis pro universa Ecclesia catholica veritatis supremus magister, illique ministerium caritatis et admonitionis (*Io.* 21, 15-18; Clem. *ad Cor.* 56, Herder) necnon officium et ius competit integre custodiendi, defendendi et infallibiliter proponendi doctrinam salutis pro christifidelibus universis.

« Ad hoc munus implendum Romanus Pontifex ut possit tanquam caput Ecclesiae loqui, postquam exquisierit sententiam Ecclesiae sive in Concilium oecumenicum per ipsum convocatae, sive singulatim per orbem dispersae, sive cum aliis opportunis modis cognoscendi veritatem, prout temporum et rerum condicio suadet, quando loquitur ex cathedra, scil. in nomine Iesu Christi, cuius est vicarius visibilis in Ecclesia visibili, et etiam ut doctor Ecclesiae universalis et caput col-

legii episcopalis, quando definit doctrinam in materia fidei et morum in deposito revelato contineri aut cum eo necessario cohaerere, tunc ipse ut legitimus Petri successor, a Christo promissa speciali assistentia, pro munere ministerii ab errore doctrinali immunis est. Ita ut eius sententia ab omnibus credenda sit infallibilis et substantialiter (quia sententia infallibilis potest esse *perfectibilis* et clarius explanari in formulatione) irreformabilis, ex sese, nempe virtute charismatis divini sibi concessi, et non ex consensu fidelium aut aliorum episcoporum.

« Et ita infallibilitas Ecclesiae suo capiti Romano Pontifici unitae una cum eadem Pontificis infallibilitate, tanquam in culmine simul refulget et permanet ut columna et firmamentum veritatis (1 *Tim.* 3, 15) et portae inferi non praevalebunt adversus eam (*Mt.* 1, 18) ».

A lin. 26, pag. 48 et deinceps usque ad finem, nihil immutandum.

De Beata Maria Matre Dei et Matre hominum.

Hoc schema firma doctrina ac pietate et lucida expositione necnon locutionis moderatione placet ac nil quod fratribus seiunctis praesertim protestantibus displicere possit, praestabit.

Pag. 94, n. 2, lin. 24: merito Maria « socia passionis » et non corredemptrix nuncupatur.

Pag. 95, lin. 3: prudenter titulus gratiarum mediatricis explanatur, et melius in lin. 35 definitur cum adiunctis verbis « pro omnibus per Christum intercedit »; et in lin. 41 optime declaratur « Maria in Christo est mediatrix ».

Pag. 96, n. 4, lin. 20, locutio nunc multum controversa: Virginitatem in partu. Feliciter cum hac nova substituitur: « Insimul Mater semperque mente et corpore Virgo exstiterit ».

Tandem laudabiliter vitantur novae declarationes dogmaticae circa titulum mediatricis aut corredemptricis, qui etsi a multis episcopis instanter petitum sit ut sollemniter declarentur, attamen temporibus nostris ad fovendam unitatem et oecumenicitatem, non videntur fore opportune definiendi, donec, unitate completa, ab omnibus christianis rite et solemniter agnoscantur. Et tunc laus Mariae etiam erit perfecta et voce unanimi proclamata.

Toto corde approbo normas et consilia contenta pag. 100, nn. 4-5.

Votum.

Per secretariatum unitatis fovendae, opportunum mihi videtur fore ut fratres nostri protestantes cum magna caritate et serenitate hortentur ad examen instituendum de doctrina circa iustificationem, gratiam et meritum, quae obstant cultui et devotioni erga B. M. Virginem, et ad considerationem consectariorum quae possunt deduci ex locis qui leguntur in *Lc.* 1, 26-56 et *Io.* 19, 25-27.

Praeses: Nunc reponatur S. Evangelium.

Secretarius generalis: Proxima sessio erit crastina, feria IV, hora nona.

CONGREGATIO GENERALIS XXXIV
5 decembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXXIV

5 decembris 1962

Exc.mus P. D. Pericles Felici, *Concilii secretarius generalis*:

Praesidet hodiernae congregationi generali em.mus ac. rev.mus D. card. Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis.

Audiant omnes! In hac congregatione generali distribuentur aliae emendationes *de sacra Liturgia* — et sunt ultimae cap. I — quae suffragationi subicientur crastina. Item distribuetur omnibus Patribus fasciculus, qui continet schemata constitutionum et decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur.[1] Ut explicatur in nota adiecta, in hoc fasciculo exhibentur summatim schemata a commissionibus praeparatoriis confecta, iuxta argumenta proposita a SS.mo Domino. Haec tamen schemata studio subicientur commissionum S. Concilii iuxta normas quae dabuntur, ut ad principia generalia, si oporteat, reducantur et, ubi materiae similes vel mixtae id exigere videantur, ad maiorem redigantur unitatem. Hic fasciculus distribuetur durante congregatione.

Et durante eadem congregatione hodierna, dum disceptatio prosequitur circa constitutionem *de Ecclesia,* fient suffragationes de emendationibus iam distributis heri. Speramus fore ut suffragatio circa undecim emendationes propositas hodie absolvatur, secus crastina prosequetur.

Post relationem factam ab exc.mo D. Carolo Iustino Calewaert, ep. Gandavensi, quae iam est impressa et vos, venerabiles Patres, potuistis iam legere, fiet suffragatio ex ordine circa has emendationes:

Prima: pag. 164, lin. 29, post verbum *adhibitis* addatur *et episcopis consultis.*

Secunda: pag. 165, lin. 28, post verba *tectumque servat,* addatur: *Immo quandoque in ipsam Liturgiam admittit, dummodo cum rationibus veri et authentici spiritus liturgici congruat.*

Et reliquae, quae sunt iam impressae in fasciculo. Suffragatio etiam quoad has emendationes fiet per *placet* et *non placet.*

Nunc lego nomina eorum Patrum, qui petierunt loqui circa schema *de Ecclesia* in genere: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Ioannes Baptista Montini, arch. Mediola-

---

[1] Cf. vol. I, pars I, pag. 90.

nensis in Italia; beat.mus D. Maximus IV Saigh, patr. Antiochiae Melchitarum; exc.mi DD. Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia; Antonius Plaza, arch. Platensis in Argentina; Villelmus Pluta, ep. tit. Leptismagnae in Polonia; Petrus Fiordelli, ep. Pratensis in Italia; Bernardus Mels, arch. Luluaburgensis in Congo; Henricus Compagnone, ep. Anagninus in Italia; Ioannes Hervás, ep. prael. Cluniensis in Hispania; Villelmus Philbin, ep. Dunensis in Hibernia; Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia; Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Ioseph Buckley, sup. gen. Societatis Mariae; Paulus Barrachina, ep. Oriolensis in Hispania; Constantinus Stella, arch. Aquilanus in Italia; Georgius Hakim, arch. Ptolemaidensis in Israël; Ludovicus de Bazelaire, arch. Chamberiensis in Gallia; Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia; Alfredus Silva, arch. Conceptionis in Chile; Hermannus Volk, ep. Moguntinus in Germania; Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.; Aloisius Aponte, ep. aux. Poncensis in Portu Rico; Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia; Ioseph Schoiswohl, ep. Secoviensis in Austria; Aloisius Rodriguez, ep. Sanctacrucensis in Bolivia; Iesus Alba, ep. Tehuantepecensis in Mexico.

Suffragatio fiet ut aliis diebus, nempe: post factam suffragationem in prima schedula, haec auferetur et dabitur altera.

Rogantur pariter Patres ut suis locis maneant durante suffragatione.

[3] 1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

EMENDATIONES

A PATRIBUS CONCILIARIBUS POSTULATAE
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATAE ET PROPOSITAE

Caput I, nn. 16-31

AD ART. 16

1 — Pag. 164, linea 29, post verbum « *adhibitis* », addatur: « ET EPISCOPIS CONSULTIS ».

AD PROOEMIUM ANTE ART. 20

2 — Pag. 165, linea 28, post verba: « *tectumque servat* », addatur: « IMMO QUANDOQUE IN IPSAM LITURGIAM ADMITTIT, DUMMODO CUM RATIONIBUS VERI ET AUTHENTICI SPIRITUS LITURGICI CONGRUAT ».

AD ART. 21 [3]

3 — Pag. 165, linea 34, et pag. 166, lineis 1-8, articuli 21 nova haec redactio proponitur: « INTRA LIMITES IN EDITIONIBUS TYPICIS LIBRORUM LITURGICORUM STATUTOS, ERIT COMPETENTIS AUCTORITATIS ECCLESIASTICAE TERRITORIALIS, DE QUA IN ART. 22 § 2 [textus emendati], APTATIONES DEFINIRE, *praesertim* quoad Sacramentorum administrationem, *quoad* Sacramenta*lia,* processiones, linguam liturgicam, musicam sacram et artes, IUXTA TAMEN NORMAS FUNDAMENTALES, QUAE HAC IN CONSTITUTIONE HABENTUR ».

AD ART. 24

4 — Pag. 167, lineis 10-11, textus ita mutetur: « § 1. Linguae latinae usus, SALVO PARTICULARI IURE, in *Ritibus latinis* servetur ».

5 — Pag. 167, lineis 12-15, textus ita mutetur: « § 2. Cum tamen, [4]
SIVE IN MISSA, SIVE IN SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE, SIVE IN ALIIS LITURGIAE PARTIBUS, *haud raro linguae vernaculae* usurpatio valde utilis apud populum existere possit, amplior locus ipsi *tribui valeat,* imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et cantibus, IUXTA NORMAS QUAE DE HAC RE IN SEQUENTIBUS CAPITIBUS SINGILLATIM STATUUNTUR ».

6 — Pag. 167, lineis 16-19, textus ita mutetur: « § 3. *Huiusmodi normis servatis, est competentis auctoritatis ecclesiasticae territorialis, de qua in art. 22 § 2* [textus emendati], etiam, si casus ferat, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, *de usu et modo* linguae vernaculae STATUERE, ACTIS AB APOSTOLICA SEDE PROBATIS SEU CONFIRMATIS ».

7 — Pag. 167, post lineam 19, addatur: « § 4. CONVERSIO TEXTUS LATINI IN LINGUAM VERNACULAM IN LITURGIA ADHIBENDA, A COMPETENTI AUCTORITATE ECCLESIASTICA TERRITORIALI, DE QUA SUPRA, APPROBARI DEBET ».

AD ART. 25

8 — Pag. 167, post lineam 36, addatur: « 4) FOVEATUR SACRA VERBI DEI CELEBRATIO IN SOLEMNIORUM FESTORUM PERVIGILIIS, IN ALIQUIBUS FERIIS ADVENTUS ET QUADRAGESIMAE, ATQUE IN

DOMINICIS ET DIEBUS FESTIS, MAXIME IN LOCIS QUAE SACERDOTE CARENT: QUO IN CASU CELEBRATIONEM DIACONUS VEL ALIUS AB EPISCOPO DELEGATUS DIRIGAT ». [4]

AD ART. 26

9 — Pag. 168, post lineam 13, addatur: « QUOD VALET PRAESERTIM PRO MISSAE CELEBRATIONE, SALVA SEMPER NATURA PUBLICA ET SOCIALI CUIUSVIS MISSAE, ET PRO SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE ».

AD ART. 28

10 — Pag. 168, linea 22, post verba « *apud Episcopos* », addatur: « § 2. EX POTESTATE A IURE CONCESSA, REI LITURGICAE MODERATIO INTER LIMITES STATUTOS PERTINET QUOQUE AD COMPETENTES VARII GENERIS TERRITORIALES EPISCOPORUM COETUS LEGITIME CONSTITUTOS ».

AD ART. 31

11 — Pag. 169, lineis 6-7, supprimantur verba: « *salvis consuetudinibus ab Ordinario loci approbandis* ».

2 – TEXTUS SCHEMATIS [19]

Caput I, nn. 16-31

Textus in Schemate propositus *	*Textus a Commissione emendatus* **
III – DE SACRAE LITURGIAE INSTAURATIONE	III – DE SACRAE LITURGIAE INSTAURATIONE
A) *Normae generales*	
Pia Mater Ecclesia, ut populus christianus in sacra Liturgia abundantiam gratiarum securius assequatur, ipsius Liturgiae generalem in-	21. Pia Mater Ecclesia, ut populus christianus in sacra Liturgia abundantiam gratiarum securius assequatur, ipsius Liturgiae gene-

* Dispositio materiae huius III Sectionis in textu emendato mutata est. Textus proinde Schematis hic traditur ordine ipsius textus emendati.

** Litteris italicis seu *cursivis* indicantur additiones aut emendationes formales vel minoris momenti; litteris autem grandioribus seu MAIUSCULIS emendationes exhibentur maioris momenti, Patrum suffragationi proponendae.

staurationem sedulo curare debet. Nam Liturgia constat parte immutabili, utpote divinitus instituta, et partibus mutationibus obnoxiis, quae decursu temporum variare possunt vel etiam debent, si quae in eas forte irrepserint, quae minus bene ipsius Liturgiae intimae naturae respondeant, vel minus aptae factae sint.[38]

Qua quidem instauratione, textus et ritus ita ordinari oportet, ut res divinas, quas significant, clarius exprimant, easque populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere atque plena, actuosa et communitaria participatione celebrare possit.

Quare Sacrosanctum Concilium generaliores has normas statuit:

28. [*Solius hierarchiae est aliquid in Liturgia mutare*]. Sacrae Liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet: [50] quae quidem est apud Sanctam Sedem et, ad normam iuris, apud Episcopos.

Quapropter nullus omnino alius, etiamsi sit sacerdos, aliquid privato marte in Liturgia addat, demat, aut mutet.[51]

18. [*Traditio servanda et legitima progressio admittenda*]. Ut sana traditio retineatur et tamen via legitimae progressioni aperiatur,[39] de singulis Liturgiae partibus recognoscendis accurata investigatio theologica, historica, pastoralis[40] semper praecedat. Insuper considerentur cum leges generales structurae et mentis Liturgiae, tum experientia ex recentiore generali instauratione liturgica [41] et ex singulis indultis

ralem instaurationem sedulo curare *cupit*. Nam Liturgia constat parte immutabili, utpote divinitus instituta, et partibus *mutationi* obnoxiis, quae decursu temporum variare possunt vel etiam debent, si in eas forte irrepserint quae minus bene ipsius Liturgiae intimae naturae respondeant, vel minus aptae factae sint.[42] [19]

Qua quidem instauratione, textus et ritus ita ordinari oportet, ut *sancta, quae* significant, clarius exprimant, *ea*que populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere atque plena, actuosa et *communitatis propria celebratione participare* possit.

Quare Sacrosanctum Concilium generaliores has normas statuit.

A) *Normae generales*

22. § 1. Sacrae Liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet: [43] quae quidem est apud *Apostolicam* Sedem et, ad normam iuris, apud *Episcopum*. [20]

§ 2. EX POTESTATE A IURE CONCESSA, REI LITURGICAE MODERATIO INTER LIMITES STATUTOS PERTINET QUOQUE AD COMPETENTES VARII GENERIS TERRITORIALES EPISCOPORUM COETUS LEGITIME CONSTITUTOS.

§ 3. Quapropter *nemo* omnino alius, etiamsi sit sacerdos, *quidquam proprio* marte in Liturgia addat, demat, aut mutet.[44]

23. Ut sana traditio retineatur et tamen via legitimae progressioni aperiatur,[45] de singulis liturgiae partibus recognoscendis accurata investigatio theologica, historica, pastoralis semper praecedat. Insuper considerentur cum leges generales structurae et mentis Liturgiae, tum experientia ex recentiore instauratione liturgica [46] et ex indultis passim concessis promanans. Innovationes, demum, ne fiant nisi vera *et certa*

[20] passim concessis promanans. Innovationes, demum, ne fiant nisi vera utilitas Ecclesiae id exigat, et adhibita cautela ut novae formae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant.

Caveatur etiam, in quantum fieri potest, ne notabiles differentiae rituum inter finitimas regiones habeantur.

19. [*De mente biblica in instauratione liturgica inculcanda*]. Maximum est sacrae Scripturae momentum in Liturgia celebranda. Ex ea enim lectiones leguntur et in homilia explicantur, atque ex eius afflatu instinctuque preces, orationes et carmina liturgica effusa sunt, et ex ea significationem suam actiones et signa accipiunt. Unde ad procurandam sacrae Liturgiae instau-
[21] rationem, progressum et aptationem, oportet ut promoveatur ille suavis et vivus sacrae Scripturae affectus, quem testatur venerabilis rituum cum orientalium tum occidentalium traditio.

16. [*Libri liturgici recognoscendi*]. Libri liturgici recognoscantur, peritis ex universo orbe adhibitis; et intra paucos annos edantur.

D) *Normae ex natura communitaria et hierarchica Liturgiae*

Actiones liturgicae non sunt actiones mere privatae, sed celebrationes totius Ecclesiae, quae est « unitatis sacramentum »,[48] scilicet plebs sancta sub Episcopo adunata et ordinata.[49]

Quare ad universum Corpus Ecclesiae pertinent illudque manifestant et afficiunt; singula vero membra ipsius diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum et actualis participationis attingunt.

Quapropter:

26. [*Celebratio communis praeferenda*]. Quoties ritus, iuxta propriam cuiusque natu-

utilitas Ecclesiae id exigat, et adhibita cautela ut novae formae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant.

Caveatur etiam, in quantum fieri potest, ne notabiles differentiae rituum inter finitimas regiones habeantur.

24. Maximum est sacrae Scripturae momentum in Liturgia celebranda. Ex ea enim lectiones leguntur et in homilia explicantur, *psalmi canuntur,* atque ex eius afflatu instinctuque preces, orationes et carmina liturgica effusa sunt, et ex ea significationem suam actiones et signa accipiunt. Unde ad procurandam sacrae Liturgiae instaurationem, progressum et aptationem, oportet ut promoveatur ille suavis et vivus sacrae Scripturae affectus, quem testatur venerabilis rituum cum orientalium tum occidentalium traditio.

25. Libri liturgici *quam primum* recognoscantur, peritis adhibitis ET EPISCOPIS CONSULTIS ex *diversis orbis regionibus.*

B) *Normae ex indole Liturgiae utpote actionis hierarchicae et communitatis propriae*

26. Actiones liturgicae non sunt actiones privatae, sed celebrationes Ecclesiae, quae est « unitatis sacramentum », scilicet plebs sancta sub *Episcopis* adunata et ordinata.[47]

Quare ad universum Corpus Ecclesiae pertinent illudque manifestant et afficiunt; singula vero membra ipsius diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum et actualis participationis attingunt.

27. Quoties ritus, iuxta propriam cuiusque naturam, secum ferunt celebrationem commu-

ram, secum ferunt celebrationem communem cum frequentia et actuosa participatione fidelium, inculcetur, hanc, in quantum fieri potest, esse praeferendam celebrationi eorundem singulari et quasi privatae.

29. [*Singuli partem suam agant...*]. In celebrationibus liturgicis quisque, sive ministrorum sive fidelium, munere suo fungens solum et totum id agat, quod sibi ex rei natura spectat.

30. [*...et optime insituantur*]. Non solum ministri, sed etiam ministrantes, lectores, commentatores et ii qui ad scholam cantorum pertinent, vero ministerio liturgico funguntur.[52] Propterea munus suum tali sincera pietate et ordine exerceant, quae tantum ministerium decent quaeque populus Dei ab eis iure exigit. Ideo oportet eos spiritu liturgiae, suo cuiusque modo, sedulo imbui, et ad partes suas rite et ordinate obeundas institui.

27. [*Actuosa participatio fidelium*]. Ad actuosam participationem promovendam, populi acclamationes, responsa, psalmodia, antiphonae, cantica, necnon actiones seu gestus et corporis habitus foveantur; atque, prout natura singulorum rituum patitur, preces litanicae inserantur.

17. [*Partes fidelium praevidendae*]. In libris liturgicis revisendis, sedulo attendatur ut rubricae etiam partes fidelium praevideant.

31. [*In Liturgia nulla sit acceptio personarum*]. In Liturgia, praeter distinctionem ex munere liturgico et Ordine sacro manantem, et praeter honores ad normam legum liturgicarum auctoritatibus civilibus debitos, nulla privatarum personarum aut condicionum, sive in caerimoniis, sive in exterioribus pompis habeatur acceptio, *salvis consuetudinibus ab Ordinario loci approbandis.*

nem, cum frequentia et actuosa participatione fidelium, inculcetur hanc, in quantum fieri potest, esse praeferendam celebrationi eorumdem singulari et quasi privatae. [21]

QUOD VALET PRAESERTIM PRO MISSAE CELEBRATIONE, SALVA SEMPER NATURA PUBLICA ET SOCIALI CUIUSVIS MISSAE,[48] ET PRO SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE.

28. In celebrationibus liturgicis quisque, sive *minister* sive *fidelis,* munere suo fungens, solum et totum id agat, quod *ad ipsum* ex rei natura *et normis liturgicis pertinet.*

29. *Etiam* ministrantes, lectores, commentatores et ii qui ad scholam cantorum pertinent, vero ministerio liturgico funguntur.[49] Propterea munus suum tali sincera pietate et ordine exerceant, quae tantum ministerium decent quaeque populus Dei ab eis iure exigit. [22]

Ideo oportet eos spiritu Liturgiae, suo cuiusque modo, sedulo imbui, et ad partes suas rite et ordinate obeundas institui.

30. Ad actuosam participationem promovendam, populi acclamationes, *responsiones,* psalmodia, antiphonae, cantica, necnon actiones seu gestus et corporis habitus foveantur. *Sacrum quoque silentium suo tempore servetur.*

31. In libris liturgicis recognoscendis, sedulo attendatur ut rubricae etiam partes fidelium praevideant.

32. In Liturgia, praeter distinctionem ex munere liturgico et Ordine sacro manantem, et praeter honores ad normam legum liturgicarum auctoritatibus civilibus debitos, nulla privatarum personarum aut condicionum, sive in caerimoniis, sive in exterioribus pompis, habeatur acceptio.

[22] C) *Normae ex indole didactica et pastorali Liturgiae*

Etsi sacra Liturgia est praecipue adoratio divinae maiestatis necnon donum gratiae Dei, magnam etiam continet populi fidelis eruditionem.[44] In Liturgia enim Deus ad populum suum loquitur; Christus adhuc evangelium annuntiat. Populus vero Deo respondet tum cantibus tum oratione.

Immo, preces quae a sacerdote, in persona Christi coetui praeeunte, ad Deum diriguntur, [23] nomine totius plebis sanctae et omnium circumstantium dicuntur. Signa tandem visibilia, quibus utitur sacra Liturgia ad res divinas invisibiles significandas, a Christo vel Ecclesia delecta sunt. Unde non solum quando leguntur ea « quae ad nostram doctrinam scripta sunt » (Rom. 15, 4), sed etiam dum Ecclesia vel orat vel canit vel agit, participantium fides alitur, mentes in Deum excitantur ut rationabile obsequium Ei praestent, gratiamque Eius abundantius recipiant.

Exinde in instauratione facienda generales normae quae sequuntur observari debent:

23. [*Structura rituum*]. Ritus modo simplici et claro extruantur, sint brevitate perspicui et repetitiones inutiles evitent, sint fidelium captui accommodati, neque generatim indigeant multis commentariis ut intellegantur.

25. [*Lectio sacrae Scripturae, praedicatio et catechesis liturgica*]. Ut clare appareat in Liturgia ritum et verbum intime coniungi:

1) In celebrationibus sacris abundantior, varior et aptior lectio sacrae Scripturae instauretur.

2) Locus aptior sermonis, utpote partis actionis liturgicae, prout ritus patitur, etiam in rubricis notetur; et fidelissime ac rite adim-

C) *Normae ex indole didactica et pastorali Liturgiae*

33. Etsi sacra Liturgia est praecipue *cultus* divinae maiestatis, magnam etiam continet populi fidelis eruditionem.[50] In Liturgia enim Deus ad populum suum loquitur; Christus adhuc evangelium annuntiat. Populus vero Deo respondet tum cantibus tum oratione.

Immo, preces a sacerdote, *qui* coetui in persona Christi *praeest,* ad Deum *directae,* nomine totius plebis sanctae et omnium circumstantium dicuntur. Signa tandem visibilia, quibus utitur sacra Liturgia ad res divinas invisibiles significandas, a Christo vel Ecclesia delecta sunt. Unde non solum quando leguntur ea « quae ad nostram doctrinam scripta sunt » (Rom. 15, 4), sed etiam dum Ecclesia vel orat vel canit vel agit, participantium fides alitur, mentes in Deum excitantur ut rationabile obsequium Ei praestent, gratiamque Eius abundantius recipiant.

Exinde in instauratione facienda generales normae quae sequuntur observari debent.

34. Ritus *nobili simplicitate fulgeant,* sint brevitate perspicui et repetitiones inutiles evitent, sint fidelium captui accommodati, neque generatim multis indigeant *explanationibus.*

35. Ut clare appareat in Liturgia ritum et verbum intime coniungi:

1) In celebrationibus sacris abundantior, varior et aptior lectio sacrae Scripturae instauretur.

2) Locus aptior sermonis, utpote partis actionis liturgicae, prout ritus patitur, etiam in rubricis notetur; et fidelissime ac rite adim-

pleatur ministerium praedicationis. Haec vero imprimis ex fonte sacrae Scripturae et Liturgiae hauriatur, quasi annuntiatio mirabilium Dei in historia salutis seu mysterio Christi, quod in nobis praesens semper adest et operatur,[47] praesertim in celebrationibus liturgicis.

3) Etiam catechesis directius liturgica omnibus modis inculcetur; et in ipsis ritibus, si necessariae sint, breves admonitiones, a sacerdote vel competenti ministro, opportunioribus tantum momentis, praescriptis vel similibus verbis, dicendae, praevideantur.

24. [*Lingua liturgica*]. Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur.

Cum tamen « in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum existere »[45] possit, amplior locus ipsi in Liturgia tribuatur, imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et cantibus.

Sit vero Conferentiae Episcopalis in singulis regionibus, etiam, si casus ferat, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae Sanctae Sedi proponere.[46]

pleatur ministerium praedicationis. Haec vero imprimis ex fonte sacrae Scripturae et Liturgiae hauriatur, quasi annuntiatio mirabilium Dei in historia salutis seu mysterio Christi, quod in nobis praesens semper adest et operatur,[51] praesertim in celebrationibus liturgicis. [23]

3) Etiam catechesis directius liturgica omnibus modis inculcetur; et in ipsis ritibus, si necessariae sint, breves admonitiones, a sacerdote vel competenti ministro, opportunioribus tantum momentis, praescriptis vel similibus verbis, dicendae, praevideantur.

4) FOVEATUR SACRA VERBI DEI CELEBRATIO[52] IN SOLEMNIORUM FESTORUM PERVIGILIIS, IN ALIQUIBUS FERIIS ADVENTUS ET QUADRAGESIMAE, ATQUE IN DOMINICIS ET DIEBUS FESTIS, MAXIME IN LOCIS QUAE SACERDOTE CARENT: QUO IN CASU CELEBRATIONEM DIACONUS VEL ALIUS AB EPISCOPO DELEGATUS DIRIGAT. [24]

36. § 1. Linguae latinae usus, SALVO PARTICULARI IURE, in *Ritibus latinis* servetur.

§ 2. Cum tamen, SIVE IN MISSA, SIVE IN SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE, SIVE IN ALIIS LITURGIAE PARTIBUS, *haud raro linguae vernaculae* usurpatio valde utilis apud populum existere possit, amplior locus ipsi *tribui valeat*, imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et cantibus, IUXTA NORMAS QUAE DE HAC RE IN SEQUENTIBUS CAPITIBUS SINGILLATIM STATUUNTUR.

§ 3. *Huiusmodi normis servatis, est competentis auctoritatis ecclesiasticae territorialis, de qua in art. 22 § 2,* etiam, si casus ferat, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, *de usu et modo* linguae vernaculae STATUERE, ACTIS AB APOSTOLICA SEDE PROBATIS SEU CONFIRMATIS.

[24]

§ 4. CONVERSIO TEXTUS LATINI IN LINGUAM VERNACULAM IN LITURGIA ADHIBENDA, A COMPETENTI AUCTORITATE ECCLESIASTICA TERRITORIALI, DE QUA SUPRA, APPROBARI DEBET.

B) *Normae ex principiis de aptatione ad ingenium et traditiones populorum*

Ecclesia, in iis quae fidem aut bonum totius communitatis non tangunt, rigidam unius tenoris formam ne in Liturgia quidem imponere cupit; quinimmo, variarum gentium populorumque animi ornamenta ac dotes colit ac provehit,
[25] et quidquid, in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, in quantum potest, sartum tectumque servat.[42] Proinde:

D) *Normae ad aptationem ingenio et traditionibus populorum perficiendam*

37. Ecclesia, in iis quae fidem aut bonum totius communitatis non tangunt, rigidam unius tenoris formam ne in Liturgia quidem imponere cupit; quinimmo, variarum gentium populorumque animi ornamenta ac dotes colit *et* provehit; quidquid *vero* in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, *benevole perpendit ac, si* potest, sartum tectumque servat,[53] IMMO QUANDOQUE IN IPSAM LITURGIAM ADMITTIT, DUMMODO CUM RATIONIBUS VERI ET AUTHENTICI SPIRITUS LITURGICI CONGRUAT.

20. [*Aptatio iuxta locorum necessitates*]. In substantiali unitate ritus romani, legitimis varietatibus et aptationibus ad diversos coetus, regiones, populos, praesertim in Missionibus, locus relinquatur; et hoc in structura rituum et in rubricis instituendis opportune prae oculis habeatur.

38. *Servata* substantiali unitate ritus romani, legitimis varietatibus et aptationibus ad diversos coetus, regiones, populos, praesertim in Missionibus,[54] locus relinquatur, *etiam cum libri liturgici recognoscuntur*; et hoc in structura rituum et in rubricis instituendis opportune prae oculis habeatur.

21. [*Limites aptationis*]. Limites servandi in hac aptatione facienda ita a legislatione ecclesiastica statuantur ut, intacta vi editionis typicae librorum liturgicorum a Sancta Sede editorum aut edendorum, Ordinariis singularum provinciarum vel regionum, vel etiam Conferentiae Episcopali nationali, maior concedatur facultas divinum cultum ordinandi, imprimis autem quoad administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, processiones, linguam liturgicam, musicam sacram et artes, actis a Sancta Sede recognitis (cf. can. 291).

39. INTRA LIMITES IN EDITIONIBUS TYPICIS LIBRORUM LITURGICORUM STATUTOS, ERIT COMPETENTIS AUCTORITATIS ECCLESIASTICAE TERRITORIALIS, DE QUA IN ART. 22 § 2, APTATIONES DEFINIRE, *praesertim* quoad administrationem Sacramentorum, *quoad* Sacrament*alia,* processiones, linguam liturgicam, musicam sacram et artes, IUXTA TAMEN NORMAS FUNDAMENTALES QUAE HAC IN CONSTITUTIONE HABENTUR.

22. [*Aptatio Liturgiae praesertim in Missionibus*]. Et quia in quibusdam regionibus, praesertim autem in Missionibus,[43] Liturgiae aptatio difficilior evadit et magis urget:

40. *Cum tamen variis in locis et adiunctis, profundior Liturgiae aptatio urgeat, et ideo difficilior evadat*:

1) In Conferentiis Episcopalibus et in Commissionibus liturgicis sedulo et prudenter consideretur quid, hoc in negotio, ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune in cultum divinum admitti possit. Aptationes, quae utiles vel necessariae existimantur, Sanctae Sedi proponantur, de ipsius consensu introducendae.

1) *A competenti auctoritate ecclesiastica territoriali, de qua in art. 22 § 2,* sedulo et prudenter consideretur quid, hoc in negotio, ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune in cultum divinum admitti possit. Aptationes, quae utiles vel necessariae existimantur, *Apostolicae* Sedi proponantur, de ipsius consensu introducendae. [25]

2) Ut aptatio cum necessaria circumspectione fiat, quoties necessitas aut utilitas id exigit, Conferentiae Episcopali a Sancta Sede facultas tribuatur ut in quibusdam coetibus ad id aptis et per determinatum tempus necessaria praevia experimenta permittat et dirigat.

2) Ut *autem* aptatio cum necessaria circumspectione fiat, *eidem auctoritati ecclesiasticae territoriali* ab *Apostolica* Sede facultas *tribuetur, si casus ferat,* ut in quibusdam coetibus ad id aptis et per determinatum tempus necessaria praevia experimenta permittat et dirigat. [26]

3) Quia leges liturgicae speciales difficultates in regionibus Missionum secum ferre solent, Sacrae Rituum Congregationi praesto sint viri simul in re missionali et liturgica periti, qui consulantur quando huiusmodi leges parantur.

3) Quia leges liturgicae difficultates *speciales, quoad aptationem, praesertim* in *Missionibus* secum ferre solent, *in illis condendis* praesto sint viri, in re *de qua agitur,* periti.

APPENDIX [27]

EXCERPTA *ex* « Declarationibus » *additis Schemati a Commissione Praeparatoria parato, quae afferuntur ad meliorem intellegentiam quorundam articulorum*

AD ART. 19 SCHEMATIS: [DECLARATIO]. Non omnis instauratio vel aptatio liturgica commendari potest, sed ea tantum quae mentem sacrorum Bibliorum sapiat. Et non sufficit plures quam antea Scripturae textus legi, sed oportet totam celebrationem liturgicam recta et iucunda verbi Dei meditatione imbui. Unde optandum est ut e liturgicis libris tollantur ii sacrae Scripturae loci, qui interdum indebite usurpantur; ut serventur et colantur preces et cantus ex Scriptura desumpti vel eius instinctu effusi, neque introducantur qui ab ea dissonent. Exempla sunto illa optima carmina, troparia, responsoria, hymni, antiphonae, quae post tot saecula orantes laetificant, quod non aeque dici posset de nonnullis aliis liturgicis officiis.

AD ART. 22 SCHEMATIS: [DECLARATIO]. Intentio generalis paragraphi est explicite proclamare vim generalem, etiam in re liturgica, principii aptationis quod a Summis Pontificibus, inde a Benedicto XV, iterum iterumque, quando de quaestione missionali tractaverunt, inculcatum est. Inter multos textus sufficiat sequentem ex Litt. Encycl. *Summi Pontificatus* notare: « Iesu Christi Ecclesia, utpote fidelissima almae divinaeque sapientiae custos, ... ad unitatem contendit, superno illo amore conformatam et altam, quo omnes actuose exerceantur; non vero ad unam assequendam rerum omnium aequabilitatem, externam tantummodo atque adeo insitas vires debilitantem. Et curas omnes ac normas, quae facultatibus viribusque sapienter explicandis temperateque augendis inserviunt, — quae quidem ex occultis cuiusvis stirpis latebris oriuntur —, Eccle-

[27] sia approbat maternisque votis prosequitur, si modo officiis non adversentur, quae communis mortalium omnium origo communisque destinatio imponant. ... Quidquid in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, benevole nullo non tempore perpenditur ac, si potest, sartum tectumque servatur ».

In rebus liturgicis quae fidem tangunt rigidiorem aut etiam absolutam unitatem debere subsistere per se patet.

Sed in Ecclesia sunt alia, quae finem per se non tangunt, et in quibus tamen bonum commune aliquam plus minusve extensam aut rigidam unitatem exigere potest.

Ideo etiam in aptatione liturgica ad diversos coetus, regiones, populos, nullo modo videtur admittendum esse solum principium de unitate fidei servanda.

Specialis et urgentior necessitas aptationis Liturgiae in regionibus Missionum potest, inter alia, ex sequentibus documentis illustrari: 1) Ex multis affirmationibus Romanorum Pontificum circa urgens principium generale aptationis Ecclesiae in regionibus Missionum et quae implicite etiam necessitatem aptationis in re liturgica continent; 2) Ex multis indultis quae in ista re Sancta Sedes, his ultimis praesertim temporibus, Missionibus concedere debuit; 3) Ex historia missionali Ecclesiae antiquae, maxima ex parte in principio aptationis Liturgiae necessitatibus et ingenio singulorum populorum fundata; 4) Ex recenti historia Missionum, praesertim in Asia et Africa; 5) Ex rationibus pastoralibus propriis in Missionibus; 6) Ex multis petitionibus nuper ad futurum Concilium hac de re missis.

AD ART. 25 SCHEMATIS: [DECLARATIO]. 1. *Abundantior lectio sacrae Scripturae.* — Recentiora studia exegetica, historica, pastoralia satis superque ostendunt ipsam celebrationem liturgicam esse locum connaturalem et primarium in quo Ecclesia verbum Dei fidelibus annuntiare et fideles illud auscultare debent, et esse simul optimum ambitum ad rectum intellectum christianum Scripturae. Multi nostri aevi christiani de facto verbum Dei audire non possunt nisi in sola actione liturgica.

Accedit ratio desumpta ex relationibus cum christianis separatis. Anglicani et Protestantes exprobare solent catholicis ignorantiam sacrae Scripturae et mirari in Liturgia romana quendam adesse quasi defectum proportionis inter elementum sacramentale et elementum scripturale proclamationis et praedicationis verbi Dei.

2. *Connexio sermonis cum actione liturgica.* — In hoc numero inculcatur: praedicationem, ma-
[28] gis quam hodie fieri soleat, considerandam esse uti partem connaturalem praecipuorum rituum liturgicorum.

Tangitur deinde quaestio de obiecto praedicationis, et dicitur illud hauriri debere ex Scriptura et ex Liturgia, et ideo annuntiare praeprimis mysterium Christi sive historiam salutis in Christo ut aliquid semper in actu et ad nos semper spectans. Hoc tamen minime significat praedicationem debere semper tractare directe schema de creatione, elevatione, lapsu, praeparatione Redemptionis in VT, de Christo et Ecclesia et eschatologia, et non posse fieri de aliis quaestionibus dogmaticis et moralibus. Nam praedicatio, pro utilitate et necessitate audientium, potest et debet tangere omnia quae pertinent ad dogma, ad theologiam moralem, ad fideles instruendos, exhortandos, commonendos, ab erroribus periculisque tuendos. Sed dicitur praedicationem numquam oblivisci debere haec omnia ultimo induci ad annuntianda, admiranda, laudanda opera Dei in historia nostrae salutis in Christo semper pro nobis in actu, praeprimis in ipsis celebrationibus liturgicis. Nam in Liturgia praedicatio est pars ritus sacri. Debet ergo disponere ad plenam participationem ipsius ritus; et ideo ad melius conceptualiter et praesertim vitaliter percipiendam ipsam rem sacram, quae ibi continetur, et hoc sub aspectu quo ibi continetur, ad mentem ipsius Liturgiae quae, quoad essentiam rei, a mente Scripturae non differt.

3. *Catechesis directius liturgica.* — Hac expressione intellegitur explicatio directa ipsius Liturgiae, quae saepius omnino fieri debet et, hic inde, fieri etiam potest in ipsa praedicatione liturgica.

Generatim vitandum est ut ritus multis explicationibus indigeant ut intellegantur. Tamen in traditione liturgica notae sunt quandoque admonitiones didactico-exhortativae, ipsi ritui insertae, a ministro ad fideles dirigendae.

NOTAE

[38] Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 541-542; Allocutio diei 22 sept. 1956: AAS 48 (1956) pp. 723-724.

[39] Ibidem.

[40] Cf. *Acta et Documenta*, l. c. pp. 374-386.

[41] Cf. *Decretum de solemni Vigilia paschali instauranda,* 19 februarii 1951: AAS 43 (1951) pp. 128-137; *Decretum de facultativa celebratione instauratae Vigiliae paschalis ad triennium prorogata,* 11 ianuarii 1952: AAS 44 (1952) pp. 48-63; *Decretum quo liturgicus Hebdomadae sanctae Ordo instauratur,* necnon *Instructio de Ordine Hebdomadae sanctae instaurato rite peragendo,* 16 novembris 1955: AAS 47 (1955) pp. 838-847; *Ordinationes et declarationes circa Ordinem Hebdomadae sanctae instauratum,* 1 februarii 1957: AAS 49 (1957) pp. 91-95; *Decretum de rubricis ad simpliciorem formam redigendis,* 23 martii 1955: AAS 47 (1955) pp. 218-224, necnon *Codex rubricarum,* 25 iulii 1960: AAS 52 (1960) pp. 593-734; *Constitutio Apostolica de disciplina servanda quoad ieiunium eucharisticum,* 6 ianuarii 1953: AAS 45 (1953) pp. 15-24, necnon Motu Proprio *Sacram Communionem,* 19 martii 1957: AAS 49 (1957) pp. 177-178.

[42] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: AAS 31 (1939) p. 429.

[43] Cf. v. g. Pius XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus*: AAS 31 (1939) pp. 428-429; Allocutio diei 10 febr. 1946: AAS 38 (1946) p. 146; Litt. Encycl. *Evangelii praecones,* 2 iunii 1951 AAS 43 (1951) pp. 521-522. Cf. etiam *Acta et Documenta,* l. c. pp. 370-372; 638-639.

[44] Cf. Conc. Trid., Sess. XXII, Doctr. *De ss. Missae sacrif.,* c. 8: Denz. 946.

[45] Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 545.

[46] Cf. *Acta et Documenta*, l. c. pp. 391-428.

[47] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 580.

[48] S. Cyprianus, *De cath. eccl. unitate,* 7.

[49] Cf. S. Cyprianus, *Ep. 66,* n. 8, 3.

[50] Cf. can. 1257; Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 544.

[51] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 544; Allocutio diei 2 nov. 1954: AAS 45 (1954) p. 670; cf. *Commonitio S. Officii,* diei 14 febr. 1958: AAS 50 (1958) p. 114; cf. cann. 1257, 1259-1264.

[52] Cf. S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 93: AAS 50 (1958) p. 656.

NOTAE [29]

[42] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 541-542; Allocutio diei 22 sept. 1956: AAS 48 (1956) pp. 723-724

[43] Cf. can. 1257; cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 544.

[44] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 544; Allocutio diei 2 nov. 1954: AAS 45 (1954) p. 670; cf. *Commonitio S. Officii,* diei 14 febr. 1958: AAS 50 (1958) p. 114; cf. cann. 1257, 1259-1264.

[45] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 541-542; Allocutio diei 22 sept. 1956: AAS 48 (1956) pp. 723-724.

[46] Cf. *Decretum de solemni Vigilia paschali instauranda,* 19 februarii 1951: AAS 43 (1951) pp. 128-137; *Decretum de facultativa celebratione instauratae Vigiliae paschalis ad triennium prorogata,* 11 ianuarii 1952: AAS 44 (1952) pp. 48-63; *Decretum quo liturgicus Hebdomadae sanctae Ordo instauratur,* necnon *Instructio de Ordine Hebdomadae sanctae instaurato rite peragendo,* 16 novembris 1955: AAS 47 (1955) pp. 838-847; *Ordinationes et declarationes circa Ordinem Hebdomadae sanctae instauratum,* 1 februarii 1957: AAS 49 (1957) pp. 91-95; *Decretum de rubricis ad simpliciorem formam redigendis,* 23 martii 1955: AAS 47 (1955) pp. 218-224, necnon *Codex rubricarum,* 5 iulii 1960: AAS 52 (1960) pp. 593-734; *Constitutio Apostolica de disciplina servanda quoad ieiunium eucharisticum,* 6 ianuarii 1953: AAS 45 (1953) pp. 15-24, necnon Motu Proprio *Sacram Communionem,* 19 martii 1957: AAS 49 (1957) pp. 177-178.

[47] S. Cyprianus, *De cath. eccl. unitate,* 7; cf. *Ep. 66,* n. 8, 3.

[48] Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 557; S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 2: AAS 50 (1958) p. 633.

[49] Cf. S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 93: AAS 50 (1958) p. 656.

[50] Cf. Conc. Trid., Sess. XXII, Doctr. *De ss. Missae sacrif.,* c. 8: Denz. 946.

[51] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 580.

[52] Cf. S. Rituum C., Resp. diei 29 martii 1958, [30]
Toletan.; Synodus Romana 1960, n. 559.

[53] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: AAS 31 (1939) p. 429.

[54] Cf. v. g. Pius XII, Litt. Enc. *Summi Pontificatus*: AAS 31 (1939), pp. 428-429; Allocutio diei 10 febr. 1946: AAS 38 (1946) p. 146; Litt. Enc. *Evangelii praecones,* 2 iunii 1951: AAS 43 (1951) pp. 521-522.

3 – RELATIO EXC.MI P. D. CAROLI IUSTINI CALEWAERT
Episcopi Gandavensis

Venerabiles Patres,

Articuli 16-31 capitis primi Constitutionis de Sacra Liturgia iure aestimati sunt a Patribus maximi momenti, quia tales normas praebent de instauratione liturgica peragenda, quae quasi fundamentum totius huius Constitutionis reapse sint. Propterea numerosissimas de iis observationes et emendationes expendendas habuit nostra de Sacra Liturgia Commissio, de quibus nunc relationem vobis, Patribus, reverenter et humiliter proponere audeo. Non mea vero erit sententia, sed omnium Commissionis Sodalium, qui quasi semper et de omnibus in proponendis emendationibus unanimes fuerunt, immo ut de hac unanimitate ad vos testificer mandaverunt. Dicam:

1. De serie et ordine materiarum in hac sectione tenendo;
2. De normis generalibus;
3. De normis ex indole liturgiae utpote actionis hierarchicae et communitatis propriae;
4. De normis ex indole didactica et pastorali liturgiae;
5. De lingua liturgica in specie;
6. De normis ad aptationem ingenio et traditionibus populorum perficiendam.

I – DE NOVO ORDINE PROPONENDO NOVAQUE SERIE MATERIAE IN HAC SECTIONE CONTENTAE CONGERENDA

Multae difficultates a Patribus motae adversus plures articulos in hac parte schematis contentos, ex eo proveniunt quod res maximi momenti lectoribus quasi absconditae remanent, nisi clarius exprimantur. Itaque oportuit normas de unitate et traditione servanda et de auctoritate rem liturgicam moderante definienda, necnon normas de indole didactica et communitaria liturgiae tradere, antequam normae de aptatione statuerentur, ita ut haec desiderata et accipienda aptatio appareat tam clare iustis limitibus circumscripta, ut nullum dubium de iis moveri possit. Revera isti limites in schemate describebantur, at non statim omnibus legentibus manifesti facti sunt.

Unde ex observatione a duobus Patribus facta, censuit Commissio vobis proponendum ut ordo materiae in articulis 16-31 ita mutetur.

Primo ponatur prooemium generale, quod legebatur p. 164 schematis, lineis 13-27, et in quo nihil nisi ad sermonem perpoliendum emendavimus.

Deinde, sub littera A, « *Normae generales* », in qua sectione, suggerentibus pluribus, ut fundamentum inserendum censuimus articulum, olim 28, nunc 22, qui antea legebatur sub littera D, et de auctoritate competenti in liturgia moderanda tractat. De eo fusius denuo infra disseremus. Post hunc vero articulum, recensentur deinceps numeri olim 18-19, qui nunc fiunt 23-24 et intitulabantur: *Traditio servanda et legitima progressio admittenda; de mente biblica in instauratione liturgica inculcanda;* ultimo tandem, numerus olim 16 qui nunc fit 25, qui titulum habebat: *Libri liturgici recognoscendi.* Articulum olim 17 in sectionem sequentem transtulimus. Sic materia in hac sectione contenta nobis visa est melius cohaerere et clarius evolvi.

Secundam sectionem, sub littera B, posuimus eam quae olim quarta erat sub littera D et titulum praebebat: « *Normae ex natura communitaria et hierarchica liturgiae* »; nos tamen melius dicendum putavimus: « *Normae ex indole liturgiae utpote actionis hierarchicae et communitatis propriae* ». In hac sectione venit primo prooemium quod initio paginae 168 schematis legebatur, in quo nihil omnino mutandum censuimus. Deinde posuimus articulum olim 26, qui nunc fit 27 et quasi principium enunciat generale de celebratione communitaria praeferenda. Postea veniunt articuli olim 29 et 30, qui nunc fiunt 28-29 et praebent normas de diversitate munerum et partium in celebratione liturgica servanda, sive agatur de ministris, sive vero de ministrantibus. Deinde hic ponuntur articuli olim 27 et 17, qui nunc fiunt 30 et 31, in quibus definiuntur fidelium in liturgia partes. Tandem, articulus olim 31 nunc fit 32: in eo optatur ut in liturgia nulla sit personarum acceptio.

Tertia sectio, sub littera C, remanet quasi intacta, titulum praebens: « *Normae ex indole didactica et pastorali liturgiae* ». Unam tamen in serie articulorum inversionem fecimus, praeponentes numero olim 24, nunc 26, de lingua, numerum olim 25, nunc 35, de lectione Sacrae Scripturae.

Quarta tandem sectio, sub littera D, venit ea quae olim sub littera B legebatur et titulum habet: « *Normae ad aptationem ingenio et traditionibus populorum perficiendam* ». In qua vero sectione, series articulorum nullam mutationem passa est.

Tota haec nova rerum dispositio e textu vobis in hoc fasciculo tradito facile cognosci poterit. Speramus ex sese patere, novam dispositionem intelligibiliorem esse.

II – DE NORMIS GENERALIBUS

Numerus olim 28, nunc 22, de auctoritate competenti in liturgia moderanda.

In hoc articulo, inter primam et secundam sententiam, censuimus inserendam paragraphum novam, quae ita tractet de conferentiis episcopalibus, ut deinceps ad illam referatur quoties de hac materia in subsequentibus articulis agendum sit.

Res quam difficillima erat, et simul maximi momenti. Tota enim nostra constitutio de Sacra Liturgia eum cardinem habet ut liturgica instauratio pro magna parte ab episcopis, varie secundum varias regionum conditiones, executioni mandetur. Quod olim in schemate, sub numeris praecipue 21, 22 et 24, enunciabatur, ubi sermo erat de conferentiis episcopalibus. Adversus vero hoc vocabulum multae obiectiones motae sunt. In praesenti enim suo statu, conferentiae episcopales diversissimi sunt generis, aliae omnes certae regionis episcopos, aliae vero quosdam tantum ex eis complectentes. Nullam adhuc vim obtinent in iure canonico, sed de eis in promptu est schema a competenti praeparatoria commissione exaratum et Patribus in sessione ulteriore proponendum. Nobis ergo non licebat de hoc praeiudicare. Ne tamen interim constitutio nostra manca et suspensa remaneret, iuris ex nostra commissione peritissimi nobis proposuerunt formulam, quam nos unanimi plausu recepimus et vobis accipiendam instanter commendamus, scilicet:

« *Ex potestate a iure concessa, rei liturgicae moderatio inter limites statutos, pertinet quoque ad competentes varii generis territoriales episcoporum coetus legitime constitutos* ».

Sic, non tantum de conferentiis proprie dictis valet, sed etiam de concilio plenario vel provinciali, imo, si casus ferat, de coetu plurium regionum episcopos adunante. Dicendo « *a iure concessa* » nihil iudicare intendimus nec de fundamento theologico huius potestatis, nec de normis a constitutione ulteriore proponendis.

Et hoc sufficiat de articulo olim 28, nunc 22, nisi advertendum vobis observemus, in prima paragrapho mutatum esse vocabulum *episcopos* in *episcopum,* ut clarius distinguatur ea potestas quae in secunda paragrapho episcopis collegialiter sumptis conceditur, ab ea quae episcopo in sua propria dioecesi a iure iam vigente vel ab hac constitutione concreditum est.

Numerus olim 18, nunc vero 23.

Praeterea a nobis expensa est aliqua emendatio ab uno Patre proposita, quae sic sonabat: « ut novae formae, quae oriuntur, cum iam exstantibus organice coniungantur ». Censuimus inutilem esse hanc mutationem, quia textus schematis sufficit ad suggerendum novos ritus produci posse, dicendo « *innovationes* » et « *novae formae* », nec ullam portam claudit, sed melius continuitatem in evolutione inculcat servandam et ab artificiosis inventis nos praecavet.

Numerus olim 19, qui nunc fit 24.

Tres emendationes erant expendendae de hoc articulo:

1. Libenter et ut necessario accepimus additionem in lineam 33 inserendam, id est « psalmi canuntur », quae ex oblivione deerat in schemate.

2. Unus Patrum addere postulabat quae sequuntur: « textus biblici accurate seligantur oportet, quo facilius perquiratur et efficacius promoveatur ille affectus etc. ». Nos vero censuimus iam de hoc provisum esse in diversis aliis articulis schematis.

3. Tandem unus ex Patribus questus est quod *Declaratio,* quae hunc articulum olim comitabatur, in schemate non iam legitur. Unde censuimus hanc declarationem esse typis mandandam et vobis eam in Appendice proponimus, ut illustretur mens articuli. Sed quoad summam in textu articuli iam omnia dicuntur.

Numerus olim 16, nunc 25.

Decem emendationes proponebantur nobis expendendae.

1. Verbum « *recognoscantur* » a duobus Patribus impugnatum, nobis non omittendum videbatur. Non enim est, ut obiiciebatur, iussio a Concilio data Romano Pontifici, sed iudicium de necessitate tantum.

2. Addendum censuimus mentionem de *episcopis* ad hanc revisionem faciendam consulendis. Periti enim ad id non sufficiunt, ut illustravit unus ex Patribus.

3. « *Ex universo orbe* » mutavimus in « *ex diversis orbis regionibus* » ut aliquam rationem haberemus emendationis ab uno Patre propositae, vitatis tamen incommodis quae procuraret illa eius formula, scilicet « ex variis nationibus ».

4. Minus congruam censuimus additionem propositam, scilicet: « *Conferentiis episcoporum consultis* », quia iam episcopos quosdam introduximus in commissionem, et ii mandata a collegis suis facile expriment.

5. Non admittendam putavimus additionem ab uno Patre propositam, scilicet: « postquam S. R. Congregatio omnia consideraverit et approbaverit, si approbanda ei visa fuerint »; Romanus enim Pontifex modum procedendi, ut sibi placuerit, statuet.

6. Non accipiendam censuimus propositionem ut intra quinque annos coarctetur labor revisionis faciendae.

7. Item non assentiendum nobis videtur voto emisso ut una simul et non paulatim fiat instauratio. Experientia enim constat melius a clero et populo accipi ulteriorem instaurationem si iam priori assuefactus est; attamen non negligendum est inconveniens illud quod oritur ex necessitate libros semper emendi vel corrigendi. Quidquid sit, melius nobis videbatur de hac re nihil statuere.

8. Votum a duobus cardinalibus emissum, ut scilicet statim in Concilio commissio ad instaurationem exsequendam statuatur, non ad textum schematis, ut credimus, pertinet, sed ad Papam deferendum est et a vobis exprimendum, si placuerit.

9. Nobis ultro visum est mentionem editionis inutilem esse, quia immediate et necessario illa sequetur recognitionem peractam. Ut tamen tempus aliquo modo indicetur de peragenda recognitione, dicimus: « *Quam primum* ».

10. Episcopi quidam proposuerunt ut codex omnium liturgicarum legum et praescriptionum ita conficeretur, ut absolute omnia contineat, sublatis omnibus anterioribus decretis, responsis, privilegiis, consuetudinibus etiam centenariis, et ut hic codex deinceps nonnisi authentice interpretari liceat a commissione competenti.

Haec quidem emollienda essent: re vero discussa et mature perpensa, nihil addendum maluimus.

III – NORMAE EX INDOLE LITURGIAE UTPOTE ACTIONIS HIERARCHICAE ET COMMUNITATIS PROPRIAE

Numerus olim 26, qui nunc fit 27.

In hoc numero unam emendationem faciendum vobis proponimus, ut addatur « *quod valet praesertim pro Missae celebratione, salva semper natura publica et sociali cuiusvis Missae, et pro sacramentorum administratione* ». Et sic aliquomodo satisfacere censuimus observationibus a quibusdam Patribus factis. Tres enim Patres timebant ne ea, quae in hoc articulo dicuntur, sacerdotes inducant ad Missas sic dictas « privatas » despiciendas. Duo vero alii Patres additionem quandam proposuerant, ut scilicet: « celebratio baptismatis, primae com-

munionis, confirmationis et matrimonii, in quantum possibilis evadat, communiter fiat ». Rem generaliori modo asserere maluimus, ne in difficultates intricatissimas incideremus.

Numerus olim 29, qui nunc 28 fit.

Paucissima emendanda censuimus, ut scilicet addatur mentio de normis liturgicis, ad omnem ambiguitatem tollendam et obiectioni unius ex Patribus satisfaciendum.

Numerus olim 30, qui nunc 29 fit.

In hoc numero, ultro suppressimus mentionem de ministris, cum de iis in praecedenti articulo agatur. De sacristanis vero addendum aliquid optabat unus ex Patribus, et certe res non sine momento est; at in hoc loco id addere haud facile erat: quia articulus tractat de iis tantum qui proprie dicto ministerio in liturgia funguntur; inde nihil fecimus.

Numerus olim 27, qui nunc fit 30.

In hoc articulo tres emendationes vobis proponimus faciendas. Prima est ut mutetur vocabulum *responsa* in *responsiones,* quod accuratius censemus.

Secunda ut supprimatur in fine articuli quae de precibus litanicis dicebantur. Sublata enim in editione authentica declaratione olim articulum comitante, res forte haud facile intelligeretur, nec ab omnibus nota est illa forma orationis popularis quae in orientalibus ecteniis continetur. Imo omnia altiora principia iam in textu satis describuntur quin necessaria sit haec ultima illustratio.

Tertia emendatio, ab uno ex Patribus proposita, ut addatur aliquid de silentio, sic sonat: « *Sacrum quoque silentium suo tempore servetur* ».

Numerus olim 17, qui nunc fit 31.

Immutatus manet, cum de eo nulla emendatio alicuius momenti proposita sit.

Numerus olim 31, qui nunc fit 32.

Duae series emendationum propositae sunt a Patribus.

1. Prior series est illorum Patrum quibus non placet clausula finalis: « *salvis consuetudinibus ab Ordinario loci approbandis* ». Liben-

ter assentientes expungimus hanc clausulam, quae inefficacem redderet normam in articulo enunciatam.

2. Altera series emendationum a multis propositarum versatur circa taxas vel emolumenta occasione sacramentorum percepta, et categorias vel classes quae aequalitatem fraternam christianorum laedunt. Ista censuimus ad nostram commissionem non pertinere, sed ad decreta de disciplina sacramentorum remittenda.

IV – NORMAE EX INDOLE DIDACTICA ET PASTORALI LITURGIAE

Prooemium, quo nunc fit articulus 33.

In hoc prooemio, tria emendare, proponentibus Patribus, nobis placuit.

1. Aliquis timet ne vocabulum « *adoratio* » in linea 28 excludere videatur ceteros affectus religionis. Ad quem timorem evacuandum, forsitan sufficit mutare vocabulum « *adoratio* » in « *cultus* ».

2. Alius ex Patribus difficultatem movit de « *necnon donum gratiae Dei* », ideo commissio proponit tollendam esse hanc sententiam.

3. Alius male exaratam esse observavit formulam quae legebatur in linea 36: « *Immo preces quae a sacerdote, in persona Christi coetui praeeunte, ad Deum diriguntur* » etc. Censemus doctrinam quidem ibi assertam omnino tenendam esse, utpote quae fuse in Encyclicis *Mediator Dei* expositam, sed meliori forma ornandam, ideoque proponimus ut dicatur: « *preces a sacerdote, qui coetui in persona Christi praeest, ad Deum directae* ».

Etsi bonam, tamen non necessariam censuimus additionem ab episcopis quibusdam propositam, quae sic se habebat: « Istorum autem signorum munus est, salutis mysteria per mysticam repraesentationem patefacere, potiusquam ipsa velaminibus contegere ».

Numerus 23, qui nunc fit 34.

In hoc articulo, quaedam mutavimus ad sermonem meliorem reddendum, et addidimus qualificativum *nobili* (simplicitate), ut praecaveatur, sicut unus ex Patribus observavit, ne ritus breviores aequo fiant et ariditate laborent. De simplicitate vero evangelica in caerimoniis tenenda, ibi iam satis, nostro iudicio, provisum est et in capite VI schematis repetendum.

Numerus 25, qui nunc fit 35.

De unica versione sacrorum Bibliorum pro unaquaque lingua obtinenda, ut recte optavit quidam ex Patribus, nobis remittendum ad schema de Verbo Dei videtur.

Alius vero de hoc numero questus est, utpote qui homiliam esse partem necessariam actionis liturgicae statuat; sed textus in schemate exhibitus nihil facit nisi ius iam in *Caeremoniali episcoporum* assertum, et in novo Rubricarum codice necnon in novo *Ritu servando in celebratione Missae* innovatum repetere.

Omnes emendationes, quae ad id tendebant ut de praedicatione plura dicerentur, nobis visae sunt ad schema de disciplina cleri remittendae.

Rursus vero magni fecimus additionem a duobus propositam, quam inseruimus ut quartam paragraphum ad hunc numerum, et quae sic sonat:

« 4) *Foveatur sacra Verbi Dei celebratio in solemniorum festorum pervigiliis, in aliquibus feriis Adventus et Quadragesimae, atque in Dominicis et diebus festis, maxime in locis quae sacerdote carent: quo in casu celebrationem diaconus vel alius ab episcopo delegatus dirigat* ».

Hic textus revocat, saltem quoad sensum, responsum a S. R. Congregatione datum archiepiscopo Toletano anno 1958 et articulum 559 Synodi Romanae anni 1960.

V - DE LINGUA LITURGICA ARTICULUS OLIM 24, NUNC 36

Articulus olim 24, nunc 36, de lingua liturgica, tanti aestimatus est a Patribus, ut de eo ingentem molem interpretationum et emendationum expendere debuerimus. Octoginta oratores, quorum alii pro, alii contra causam dixerunt. Omnes rationes sapientissime proposuerunt, tum eas quae sunt iam notae, tum eas quae rem renovent, et adversas invicem expenderunt. Nostrum non est argumentorum nec summam contrahere nec adeo valorem perpendere.

Unum tantum observare velimus, quod plures patres ultro professi sunt, articulum, ut in schemate iacet, viam mediam inter extrema optime persequi. Duas enim partes simul tenet articulus noster, et principem locum linguae latinae, et aliquem locum linguae vernaculae assignandum. Modum vero inter duas proponit, tum enumerando limites, qui revera fusius enumerantur art. 41, 47, 77, 91, tum committendo coetui

episcoporum uniuscuiusque regionis ius utendi vel non utendi facultatibus concessis, et, in casu, munus exsequendi.

Inde tria continentur in articulo, et circa haec tria versantur emendationes a nobis expendendae.

Ad primam paragraphum

Prima paragraphus sic sonabat in schemate: « Linguae latinae usus in liturgia occidentali servetur ».

Tres series emendationum expendendas invenimus.

a) Emendatio alicuius momenti proposita est ab episcopis Africae et aliis, ut scilicet loco verbi *occidentali,* aliud verbum dicatur.

Vobis ergo proponimus « *in ritibus latinis* », quod significat tam ritum romanum, quam ambrosianum, toletanum, dominicanum et alios.

b) Emendationes a diversis Patribus ideo propositae ut ratio patenter habeatur linguae slavonicae et aliorum indultorum ab Apostolica Sede concessorum intra ambitum liturgiae latinae.

Vobis ergo proponimus ut addatur « *salvo particulari iure* », quod includit et servat omnes concessiones legitimas iam concessas vel in posterum concedendas.

c) Emendationes variae a variis propositae, quae mitigare vel emollire principium de lingua latina satagunt. Lectis autem et perpensis omnibus quae a Patribus sapientissime in congregationibus generalibus dicta sunt, nobis videbatur nostrum esse, ut eam viam mediam proponeremus, quae omnibus forsitan Patribus placere posset.

Ad secundam paragraphum

Textus sic se habebat:

« Cum tamen in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum existere possit, amplior locus ipsi in liturgia tribuatur, imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et cantibus ».

1. *Emendatio.*

Cum locus proferretur ex Encyclicis *Mediator Dei,* placuisset vero Commissioni supprimere omnia allegata ex magisterio ordinario deprompta, nobis visum est textum ita mutare ut locutioni insolitae « *vulgati sermonis* » substitueretur locutio « *linguae vernaculae* », et locutioni « *in non paucis ritibus* » quae confusionem pareret cum paragrapho precedente, substitueretur locutio « *haud raro* ».

2. *Emendatio.*

Cum capita de Missa, de Sacramentis et aliis, ad ulterius tempus remittenda sint, inserenda nobis placuit mentio de iis, ut clare pateat ad haec omnia extendi concessiones de lingua vernacula in praesenti capitulo expressas.

3. *Emendatio.*

Quia vero in paragrapho tertia vobis mox dicemus ut loco « *proponere* » inseratur verbum « *statuere* », necesse nobis visum est inserere claram mentionem de limitibus et normis servandis a coetibus episcoporum.

Emendationes quae nobis haud inserendae visae sunt.

Nostras non fecimus omnes alias emendationes, quas in tres series distinguere possemus.

Prima series erat earum quae proponebant ut restringatur facultas linguae vernaculae admittendae, quae praecipue e Missa prorsus arceatur.

Secunda series complectitur illas emendationes quae, e contrario, proponebant ne limitata ullatenus sit illa facultas.

In tertia serie collegimus emendationes ideo propositas ut limites quidem assignentur, qui tamen latius pateant aut melius describantur quam in schemate.

Exempli gratia: quidam Patres optabant ut lingua vernacula passim admittatur in tota hac Missae parte quae liturgia verbi constet; alii insinuabant linguam vernaculam adhibendam esse in omnibus quae alta voce promuntur, linguam latinam conservandam esse in iis quae secreto dicuntur.

Nos autem, re perpensa, omnia particularia remittenda censuimus ad respectivos articulos subsequentium capitum. Attamen expresse optavimus ut in capite de Missa aliqua commonitio inseratur ad praecavendum ne fideles ex diversis linguis et nationibus peregrini convenientes, incapaces evadant simul communiter orandi.

Ad tertiam paragraphum

Hanc paragraphum iam ultro emendare debebamus, ad normam eorum quae de numero 22 § 2 dicta sunt. Sic ergo sonabat, antequam emendationes a Patribus propositae expenderentur:

« Sit vero Conferentiae Episcopalis in singulis regionibus, etiam, si casus ferat, consilio habito cum episcopis finitimarum regionum eiusdem

linguae, limites et modum linguae vernaculae in liturgiam admittendae, *Sanctae Sedi* proponere ».

Emendatio vero a valde numerosis Patribus proposita loco « *Sanctae Sedi proponere* », scribit: « *statuere, actis ab Apostolica Sede recognitis* ».

Haec emendatio attente considerari meretur, tum quia a multis proposita est, tum quia respondet exspectationi plurium ut amplior de hac re potestas committatur coetibus episcoporum.

Attamen, ut haec emendatio unanimi consensu recipi valeat, necesse est ut in paragrapho secunda, ut iam dictum est, clare enuncientur limites intra quos versatur facultas auctoritati territoriali concredita, et ut hi limites revocentur uno verbo in hac tertia paragrapho.

Prior conditio videtur impleta, cum emendationem vobis proposuerimus in paragrapho secunda.

Ad alteram conditionem implendam, vobis proponimus ut initio tertiae paragraphi dicatur: « *huiusmodi normis servatis* ».

Verbum « *recognitis* » aliquo modo ambiguum est, ac proinde substitutum est verbis « *probatis seu confirmatis* ». Commissio enim, post maturam disceptationem, hanc ultimam locutionem selegit, ut clarius mens Patrum, qui hac in re intervenerunt, patefiat.

Verbum enim « *probatis* », de se genericum, specificatur seu explicatur verbo « *confirmatis* ». Nam hac locutione ostenditur ius quod ab auctoritate inferiore legitime statuitur et ab auctoritate superiore agnoscitur ac completur. Inde via media obtinetur, cum auctoritas inferior ius condat et auctoritas superior novam vim iuridicam addat.

Additur quarta paragraphus

Postulante iure meritoque uno ex Patribus, addendam censuimus quartam paragraphum, quae sic sonat:

« *Conversio textus latini in linguam vernaculam in liturgia adhibenda, a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali, de qua supra, approbari debet* ».

Etenim vitanda est illa perniciosa in versionibus libertas et varietas quae verum sensum et textuum decorem interdum minari videatur.

VI – DE NORMIS AD APTATIONEM INGENIO ET TRADITIONIBUS POPULORUM PERFICIENDAM

Prooemium, quod nunc fit numerus 37.

In hoc prooemio duas emendationes fecimus. Priorem, ut melius proferatur locus ex encyclicis Pii XII allatus. Alteram, rogante uno ex Patribus, quia non sufficiunt, ut aptatio sit bona, illae rationes negativae quae in prooemio leguntur, et ideo addidimus: « *immo quandoque in ipsam liturgiam admittit, dummodo cum rationibus veri et authentici spiritus liturgici congruat* ».

Numeri olim 20-22, qui nunc fiunt 38-40.

In his articulis, quaedam emendationes a nobis ultro factae sunt, ut clarius appareat duplicem casum distincte contemplari, nempe: aptationem a legislatore ipso praevisam vel praevidendam, de qua in articulis 38-39, et aptationem ab inferioribus postulatam, in art. 40 descriptam; et de iis valde diversus processus statuitur. Quod quidem iam aperte legebatur in istis articulis, sed non ita clare ut a legentibus statim intelligatur, ideoque multae censurae de iis pronuntiatae sunt a Patribus.

Numerus olim 20 nunc 38.

In hoc articulo duas tantum emendationes fecimus, alteram solius sermonis, alteram vero ut res clarior appareat; ideoque addidimus « *etiam cum libri liturgici recognoscuntur* ».

Aliqui Patres difficultatem moverunt de verbo « *in Missionibus* », quod male forsan sonat eorum auribus qui sub dicione europea olim degerint. Nos vero, postquam speciale consilium a quibusdam ecclesiarum nuper erectarum episcopis quaesivimus, conservandum putavimus hoc vocabulum quippe quod iam technicum et longa traditione probatum. Ex Patribus alii quoque contendebant eo supprimendam esse mentionem de Missionibus, quod eaedem conditiones alibi easdem solutiones postulent; sed cum dicitur *praesertim,* clare indicatur Missiones non esse solas regiones in quibus aptatio necessaria evadat.

Numerus olim 21 nunc 39.

Duas paragraphos quibus olim constabat hic articulus in unam contraximus, ad clarius exprimendum et potestatem coetibus episcoporum concessam, et limites huius potestatis. Advertendum autem est nihil in substantia omnino mutatum esse. Ad hoc addidimus in fine: « *iuxta nor-*

mas fundamentales, quae hac in constitutione habentur ». Loco verbi « *ordinandi* », scripsimus « *aptationes definire* ».

Praeterea, mentionem sustulimus de ordinariis singillatim sumptis, quam plures e Patribus supprimendam petebant.

Numerus olim 22 nunc 40.

In prooemio huius articuli, novam redactionem comparandam putavimus, tum ad clarius materiam proponendam, tum ad assentiendum voto eorum qui circumstantias haud locales sed personales vel sociales descripserunt. De Missionibus nihil repetendum censuimus, cum iam fusius in prooemio totius sectionis et in articulo 38 legatur.

In prima paragrapho, nulla substantialis emendatio facta est, immo omnes observationes a Patribus factae cadunt, cum textus a nobis aliter redactus sit.

In secunda paragrapho diximus: « *tribuetur, si casus ferat* », quod melius nobis visum est quam « *tribuatur* ».

De periodo decem annorum ab uno ex Patribus optato ad experientias concludendas, nihil nobis dicendum placuit, ne coarctetur lex et facultas in hoc articulo enunciata.

In tertia paragrapho mentio de Sacra Rituum Congregatione sublata est, iuxta optimam observationem cuiusdam Patris, ut Romano Pontifici integra libertas relinquatur alio modo procedendi si placuerit, ut supra iam dictum est.

Et sic, Venerabiles Patres, finem attingimus nostrae ad vos relationis de articulis olim 16-31, nunc 21-40, et optamus ut vestro suffragio confirmetur nostrae commissionis propositum.

4 – PATRUM ORATIONES

De Ecclesia (prosequuntur)

Praeses: Prosequitur nunc disceptatio generalis de schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia.*

1

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI

Archiepiscopus Panormitanus

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Capta occasione schematis dogmatici *de Ecclesia,* liceat mihi unum, submisso animo, sapientiae vestrae paucis proponere.

Hesterna die, em.mus D. card. Bacci asseruit nos in his, quae ad fidem pertinent et cum fide connexa sunt, omnino consentire; dissensiones autem, quae ex disceptationibus nostris, per duos fere menses productis, emerserunt, respicere tantum rationem seu modum quo veritates, a nobis sine controversia receptae, exhiberi possint hominibus nostrae aetatis, etiam non catholicis, scl. christianis a nobis disiunctis et ceteris, ut ad fidem nostram alliciantur et ad conversionem, quantum fieri possit, disponantur. Id sane magno cum gaudio audivimus.

Quae cum ita sint, facile viam inhaeremus plenae consensionis si, agendo de argumentis — sicut in praesenti — quae veritates dogmaticas necessario comprehendunt duo schemata parallela ...[1] conficerentur, nempe *dogmaticum* unum, *pastorale* alterum. Schema stricte theologicum natura sua esset breve et accuratum, atque doctrinam certam respectu quoque errorum recentiorum confirmaret; schema vero pastorale eamdem doctrinam catholicam *latius*[2] exponeret, captui hominum et societatis temporum nostrorum ita accommodatam, ut lumen Christi omnes admirentur et, Deo adiuvante, libenter sequantur.

Ita haberetur, ut opinor, Ecclesia sub duplici aspectu, quos em.mus D. card. Suenens heri appellavit *Ecclesiam ad intra* et *Ecclesiam ad extra.*

In hac *humili*[3] sententia mecum consociantur plures Patres conciliares, qui sibi persuasum habent, mensibus interpositis inter primam et secundam sessionem oportere ut parentur a selectis commissionibus schemata (secundum sensum supra explicatum), quae, post paucas emendationes, ab omnibus Patribus unanimiter, sancta cum laetitia, probari possint. Dixi!

In textu scripto tradito: [1] (vel duae eiusdem schematis partes distinctae). [2] fuse. [3] deest.

2

EM.MUS P. D. IOANNES B. CARD. MONTINI
Archiepiscopus Mediolanensis

Venerabiles Patres,

...[1] Officii mei esse censeo vos rogare ut peculiari diligentia consideretis ea, quae em.mus card. Suenens heri tam perspicue exposuit de fine huic universali Synodo proposito et de ordine logico et congruenti argumentorum in ea tractandorum.

...[2] Nam iis plane assentior, qui in his congregationibus generalibus affirmaverunt quaestionem *de Ecclesia* esse argumentum primarium huius Concilii Oecumenici, tum ob maximum eius momentum, tum propterea quod magnam partem argumentorum, quae ad tractatus Concilii apparata sunt, secum coniungere et componere potest.

Quid est Ecclesia? Quid agit Ecclesia? Hi sunt veluti duo cardines circa quos disponi debent omnes quaestiones huius Concilii. Mysterium Ecclesiae et munus Ecclesiae praestitutum ab eaque exsequendum: en argumentum, circa quod Concilium vertere debet!...[3]

Omnes enim expetunt ut Ecclesia, in hoc Concilio, perspicue et scienter profiteatur suam ipsius naturam, munus aeternum sibi concreditum, actionem his temporibus sibi propriam.

Animo igitur sincero et grato dicam, hoc in schemate multa contineri quae probanda sint, res scilicet interdum haud faciles, tamen egregie enuntiatas, plures etiam novas et opportunas.

Tacere autem nequeo id non sufficere; quam ob rem optandum est ut argumentum magis enucleetur et perficiatur, atque adeo schema finibus Concilii propositis plane respondeat.

En quae quoad schema ipsum petenda mihi videntur:

1. Cum animi gaudio audivi in hoc Concilio glorificari S. Ioseph, Ecclesiae Patronum; cum gaudio etiam maiore accipio fore ut Beata Maria Virgo ut Mater Sanctae Ecclesiae a Concilio honoretur; summo tamen gaudio afficiar, atque mecum, ut opinor, omnes Patres, si amplissimus hic coetus pie, solemniter et consulto celebraverit Dominum nostrum Iesum Christum.

Ecclesia enim est continuatio Iesu Christi, a quo vita eius manat, et qui est finis in quem vita eius tendit. Imago, mens, spiritus Christi hoc schemate, ut mihi videtur, aptius exprimi debent. Eodem schemate primaria elementa iuris ecclesiastici exhibentur; non tamen veritates satis exponuntur, quae apertius referuntur ad « mysterium Ecclesiae », ad eius vitam mysticam et moralem, quibus efficitur Ecclesiae vita quae vere proprieque dicitur.

Deinde maiore cum vi doctrina proferenda est, quae agit de relationibus quae inter Ecclesiam et Christum habentur. Dici debet omnibusque magis innotescere Ecclesiam prorsus scire se nihil posse ex se, sed omnia accipere a Iesu Christo, et operari eo quod Iesus Christus in eadem sit praesens et agens: Ecclesia non est solum societas seu communitas a Christo Domino condita, sed est instrumentum in quo ipse arcane praesens est ut salutem humani generis procuret doctrina, sanctificatione sacramentali, cura pastorali, quae alatur spiritu eius, qui est Pastor Bonus animarum.

2. Secundum optatum meum pertinet ad doctrinam de episcopatu et ad modum, quo ea proponatur.

Omnes norunt quantopere haec doctrina expetita sit ab omnibus fere Patribus, qui Concilio Vaticano I intererant, quasi complementum necessarium doctrinae de primatu Romani Pontificis; omnes etiam scimus, quantopere expositionem perspicuam omnibusque rebus absolutam hac de quaestione exoptent, ac merito quidem, Patres huius Concilii.

Duo capita, quae nobis hac de re proponuntur, nonnullas res probandas et apte expressas continent; tamen non explent desiderium, praesertim eo quod eorum compositio non videtur perfecte logica, et secundi capitis forma potius iuridica quam theologica.

Eo enim contendere debemus, etsi laboriosum est, ut cognoscamus et exponamus mentem et voluntatem Iesu Christi quod attinet ad episcopos eorumque munus in Ecclesia. Itaque recto ordine habita et cohaerens expositio doctrinae de episcopatu apte sequi debet methodum, quam servavit Concilium Vaticanum I in constitutione cui appellatio *Pastor aeternus,* et in qua doctrina de primatu Romani Pontificis explanatur. Haec autem sunt capita: 1) De institutione collegii apostolorum ac de muneribus his concreditis; 2) De successione corporis episcopalis in locum collegii apostolici; 3) De muneribus et facultatibus singulorum episcoporum, deque sacramentali fundamento muneris episcopalis. Huiusmodi exponendi ratio non solum rebus a Iesu Domino gestis aptius respondet, sed etiam facilior est, certior, et ut ita dicam, magis oecumenica. Eadem propterea efficiet ut relationes inter primatum Romani Pontificis et episcopatum apertius ostendantur. Nam magis congruit cum voluntate Christi Domini quae e Sacra Scriptura et Traditione Ecclesiae elucet.

Episcopus praeterea non solum respectu eius iuridico habito consideretur, sed nemini displiceat si respectus etiam supernaturalis exhibeatur, veluti quatenus ipse est « imago Patris », « imago Christi », ut Ecclesiae Patres eum praeclaris verbis appellaverunt.

3. Aliud optatum spectat ad capp. IX et X.

Cap. X duae rationes res considerandi omnino diversae continentur, quarum prior pertinet ad officium Evangelium ubique annuntiandi, quod est proprium Ecclesiae, et ad eos, qui in hoc munere versantur; altera vero pertinet ad ius divinum omnibus hominibus Evangelium annuntiandi, quo fruitur Ecclesia.

Prior ratio mihi videtur aptius referenda esse ad munus Magisterii Ecclesiae et ad eius organa, estque igitur inserenda capiti de hac re.

Altera vero ratio coniungitur cum cap. IX, ex eaque quaestio magni

momenti et his temporibus valde conveniens oritur: quomodo scilicet passim comprehendi et accipi possit Ecclesiae ius Evangelium praedicandi hominibus nostrae aetatis, quorum maior, proh dolor!, pars originem divinam Ecclesiae eiusque iura non agnoscit. Etenim ius *naturale* et primarium a nobis aperte hac oblata occasione affirmari debet, cum sit etiam ius *divinum,* videlicet hominum ius accedendi ad veritatem, praesertim ad veritates quae quasi fundamentum vitae efficiunt, et e quarum genere sunt veritates religiosae: ius dico quod vi impediri nequit sine iniustitia.

Hoc modo auxilium ferri potest etiam fratribus qui propter fidem doloribus obnoxii sunt, nam erit nuntium quod omnes homines bonae voluntatis comprehendent...[4]

Liceat igitur mihi votum probare a multis Patribus prolatum, ut scilicet hoc schema a commissionibus competentibus et a secretariatu ad unionem christianorum fovendam, una simul congregatis, recognoscatur et ut hae commissiones et secretariatus rogentur ne ulli parcant labori, ut quaevis sibi comparent auxilia — quorum multa erunt in promptu — ut schema de Ecclesia exoptatam perfectionem consequatur ac doctrinam praebeat apte et congruenter dispositam.

Praesertim eaedem commissiones et secretariatus inter se consulant ut veritas catholica tali modo proponatur, ut eam etiam fratres ab unitate Ecclesiae seiuncti facilius intelligant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 1) De ipso Concilio. [2] 2) De schemate. [3] In praesenti inquirimus, atque oportet nosmetipsi magis in dies rem comperiamus, ut omnibus fidelibus et universis hominibus explanare possimus, quid sit Ecclesia ex voluntate Dei et Iesu Christi, et quae esse debeat eius actio salvifica his temporibus nostris. Quam ob rem omnibus viribus annitendum est nobis ut exponamus hominibus quid sit Ecclesia, quid agat, quod sit nuntium ab ea hominibus nostrae aetatis proferendum ad eorum procurandam salutem et ad quaestiones, quibus premuntur, recte solvendas. Haec omnia enuntiare debemus verbis, quae simul veritati inhaereant et captui mentisque habitui hominum nostrorum temporum sint accommodata: haec enuntiare debemus et fidelibus nostris, iisque imprimis, et ceteris omnibus, in quibus praesertim fratres ab unitate Ecclesiae seiuncti habentur. [4] 4. Assentior Patribus qui difficultatem se experiri dixerunt circa opportunitatem reddendi Corpus Christi Mysticum verbis Ecclesiae « Romanae »; circa originem iurisdictionis episcopalis ab unico fonte, qui sit Romanus Pontifex (quamvis cum hoc unico fonte debeat esse coniuncta); circa non sufficientem definitionem relationis, quae inter collegium episcopale et Caput eiusdem collegii intercedit. Hae enim quaestiones mihi videntur novo studio esse expendenda. - 5. Hoc etiam sciscitandum est, qui valor huic constitutioni tribuatur: videlicet utrum omnes res quae in ea continentur, proponantur ad solemnem definitionem dogmaticam, an solum partes, et quae partes. - 6.

3

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH

Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérables Frères,

Discuter un projet de texte afin d'y apporter des amendements ou même d'en exiger la refonte totale ne doit pas être considéré comme un acte d'hostilité, encore moins une déviation de la saine doctrine. C'est plutôt un témoignage de l'intérêt que l'on porte à ce texte et de l'importance qu'on y attache.

Ce schéma *De Ecclesia* est la pièce doctrinale maîtresse, de beaucoup la plus importante de tout le Concile. En effet, il s'agit pour nous de compléter l'enseignement du premier Concile du Vatican relativement à l'ensemble de l'Eglise et plus particulièrement en ce qui concerne l'épiscopat afin que la primauté et l'infaillibilité du Pontife romain paraissent dans le cadre général du pastorat hiérarchique et de l'infaillibilité de l'Eglise universelle. Dans cette perspective, qu'il me soit permis de relever ce qui, dans le chapitre premier, ne me paraît pas répondre à la saine théologie œcuménique.

D'une manière générale, je dirai que ce chapitre ne renferme pas des erreurs, mais qu'il ne dit pas toute la vérité. Il est donc incomplet et, étant incomplet, il fausse la perspective des vérités mêmes qu'il énonce.

Voici quelques exemples.

La comparaison de l'Eglise avec « une armée serrée en bataille »...[1] n'est pas ce qu'il y a de plus heureux...[2] Ce « triomphalisme », comme on l'a déjà souligné dans cette vénérable assemblée, n'a pas de fondement dans l'Evangile. Il risque de fausser la conception de l'Eglise qui — corps du Christ souffrant et ressuscité — est appelée à compléter avec son Chef, dans la Foi et la souffrance, la Rédemption de l'humanité, et, avec elle, de la création entière.

Le n. 5 ...[3] ne sait trouver le fondement de la diversité des membres du Corps du Christ que dans le commandement des uns et la soumission des autres. Ceci est vrai partiellement, mais il n'est pas toute la vérité. En effet, entre les ecclésiastiques et les laïcs il y a bien d'autres relations que celles de chef et de sujets. Ce caractère purement juridique de l'Eglise fausse la véritable notion de l'Eglise du Christ; il devient, par l'insistance que l'on y met, et l'exclusivité qui le serre, une notion étrangère à la pensée du Christ.

Voici un cas typique de juridisme étouffant. Comme la juridiction, d'après les auteurs du schéma, est la base de tout pouvoir dans l'Eglise, et comme les évêques titulaires n'ont pas, de par cela même, de juridiction, le schéma n'en fait même pas mention dans son chapitre de l'épiscopat, comme si les évêques titulaires n'étaient pas, eux aussi, successeurs des Apôtres et membres du corps épiscopal.

Ce sont là des oublis ou des réticences très significatives.

Mais l'aspect unilatéral, et par suite incomplet, de notre schéma apparaît surtout lorsqu'*on* [4] parle de la primauté de Pierre et de ses successeurs. Outre l'insistance maladive à répéter cette vérité, comme si tout le christianisme était contenu dans ce dogme, le texte isole le Pontife Romain du reste de la Hiérarchie, comme si, dans l'Eglise, il n'y avait que le Pape, pour représenter le Christ, et le troupeau des sujets qui lui sont soumis. C'est là aussi une fausse conception et une fausse présentation de l'Eglise du Christ...[5] Encore une fois, ce qui est dit de positif est vrai; mais ce n'est pas également toute la vérité, car Notre Seigneur a établi les Apôtres et leurs successeurs pour paître, eux aussi, l'Eglise en union avec Pierre et sous sa direction, et il a également édifié l'Eglise sur les Apôtres et les Prophètes. Saint Paul nous l'enseigne clairement: « Vous avez été édifiés, dit-il, sur le fondement des Apôtres et des Prophètes, et la pierre d'angle est le Christ »...[6] Et saint Jean dit dans l'Apocalypse: « Et il m'a montré la Sainte Cité, Jérusalem, descendant du ciel, d'auprès de Dieu... Le mur de la cité avait douze fondements, et sur ces douze fondements il y avait le nom des douze apôtres de l'Agneau »...[7]

Je ne veux pas pousser plus loin mes déductions. J'ai voulu seulement donner des exemples de cette unilatéralité (je dirais: de cette partialité) avec laquelle une certaine école traite les problèmes théologiques, jusqu'à les défigurer, quitte ensuite à accuser l'œcuménisme de vouloir atténuer la vérité et de chercher des compromis dans la Foi. De tels compromis, personne n'en veut, ni les œcuménistes catholiques, ni nos frères orthodoxes et protestants. Ce que nous demandons et ce qu'ils demandent, c'est que toute la vérité révélée soit dite et non pas une partie de la vérité, et qu'elle soit exactement dite.

Vénérables Frères, la primauté de Pierre et de ses successeurs n'est vraiment compréhensible que dans la perspective du pastorat de la Hiérarchie. La primauté n'est pas un « imperium » humain ou un succédané de l'« imperium » des Césars, mais un ministère, un pastorat d'amour donné par le Seigneur à l'Eglise, son épouse, afin d'unifier et de guider les efforts de tous les Apôtres et de leurs successeurs. Ce n'est pas en vain que le Christ, avant de conférer à Pierre ce ministère, lui a dit

trois fois: « Pierre m'aimes-tu? Pais mes agneaux, pais mes brebis! ». Ce n'est pas en soulignant ce que ce *mystère* [8] comporte d'aspects humains, contingents et variables, que l'on exalte la papauté; ce n'est pas par des exagérations flatteuses ou intéressées qu'on relève son prestige. Le Christ a lié la juridiction à l'amour et l'a confiée à Pierre, homme comme tous les *autres* [9] humains, et pécheur repentant.

Vénérables Frères, sur ce point, nous avouons que nous sommes vraiment ecœurés quand nous lisons, dans des livres qui sont mis entre toutes les mains, des phrases comme celles-ci:

« Il Papa è Dio sulla terra...

« Gesù ha posto il Papa al di sopra dei Profeti...
al di sopra del Precursore...
al di sopra degli Angeli...

« Gesù ha collocato il Papa al livello stesso di Dio » — *al livello stesso di Dio!* — *« Dieu a mis le Pape sur le même pied..., au niveau-même de Dieu »!* [10]

La Papauté n'a pas besoin de ces intempérances de langage qui tournent à l'impiété et qui faussent la conscience et scandalisent les âmes même non-chrétiennes. La Papauté est assez grande et assez belle par elle-même pour captiver notre intelligence et subjuguer notre cœur. Elle est un charisme que le Christ, divin époux de l'Eglise, a déposé en elle, pour le bien non seulement de l'Eglise elle-même, mais aussi de l'humanité entière. Notre devoir à tous, surtout à nous, pasteurs des âmes, est de l'aider à l'accomplissement de sa mission salvifique du monde, en l'aimant, en nous dévouant pour elle, en cherchant avec nos humbles moyens à la purifier des scories profanes, afin de la montrer au monde dans sa beauté, telle qu'elle a été divinement constituée: c'est une primauté de ministère, de mission universelle, que celle de l'Evêque de cette Eglise de Rome qui n'est la première entre toutes que parce que, suivant le mot de Saint Ignace d'Antioche, « elle préside à la charité », car Dieu est *Charité*.[11] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (confertum agmen). [2] (voir pag. 10, lignes 2-7). [3] (pag. 11, lignes 1-2). [4] il. [5] (voir p. e. le n. 2, lignes 23-24 et n. 3, lignes 15-16). [6] (*Eph.* 2, 19-20). [7] (*Apoc.* 21, 10-14). [8] ministère. [9] deest. [10] (Sac. Domenico Bertello S.D.B. - San Giovanni Bosco, *Meditazioni,* vol. I, ed. 2, pagg. 89-90). [11] amour.

4

Exc.mus P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Venerabiles Patres,

...[1] Immutabilia, ut omnes norunt, sunt elementa essentialia Ecclesiae, scilicet eius constitutio, eius potestas originaria ad docendum, ad sanctificandum, ad regendum populum Dei ubique terrarum, et consequenter etiam quaedam iura fundamentalia relate ad Statum; *et dico hoc introductionis instar.*[2] Immutabilia nempe sunt ea principia, *venerabiles Patres, ea*[3] instituta, normae et media quae Ecclesiae vel sunt necessaria ad proprium finem assequendum, vel expostulantur ab eius natura sociali, vel a perenni exigentia iustitiae...[4]

Similiter omnes norunt quod iura mere ecclesiastica non sunt in se immutabilia. Ecclesia, cum sit mater caritatis universalis, secundum hanc superiorem legem, decursu temporis, institutiones, normas particulares, sive proprias, sive a iure romano hereditatas, ita suo spiritu permeavit aut purificavit ut efficaciter inservirent supremae salutis animarum legi; ita easdem aptavit sua materna sagacitate ut responderent mutabilibus necessitatibus christianae familiae totiusque mundi. Abusus qui irrepserunt in ea, defectiones, aliquando tardus recursus ad novas apostolatus formas, non sponsae Christi uti tali, sed nostrae humanae fragilitati tribuenda sunt, Deo permittente, sed ascribenda sunt iis quoque qui ab extra *Ecclesiae*[5] insidiantur *semper*[6] uno alterove modo; nam mysterium iniquitatis inde ab incunabulis operari coepit, iuxta II ad Thessalonicenses...[7]

Porro virtus aptationis Ecclesiae in cruciali hodierno rythmo evolutivo...[8] iam manifestatur in praesenti Concilio, et ulterius manifestabitur per examen et emendationem subsequentium schematum. Soli non sumus, pergamus ergo fiducialiter. Aliqualem huius adsertionis *meae*[9] confirmationem praebet ...[10] pars iam emendata schematis *de sacra Liturgia...*[11] Ideo, quando eloquio plus minusve vago nonnulli christifideles exoptant ut Ecclesia abroget aut sese expoliet suis iuridicis structuris, verisimilius loqui intendunt de maiore simplificatione apparatus iuridici et de introductione normarum quae animarum pastorationem reddant expeditiorem ac congruentiorem condicionibus praesentibus; *sunt a nobis audiendi et exaudiendi.*[12] Sed si aliud intendunt illi christifideles, et nonnulli *sacerdotes,*[13] profecto parvi penderent rem valde gravem, quod nempe Ecclesia, ex ipsa divina institutione, est societas visibilis, ideoque necessario regenda normis iuridicis...[14]

Etiam huic cardini, quem maximi faciebat, card. Manning tribuit conversionem suam. Iamvero [15] haec linea aequilibrationis mihi videtur servari in schemate; ergo, pro hac parte *saltem,*[16] placet. *Nec non pro ceteris emendatis emendandis, circa ordinem argumentum et linguam, utique.*[17] Non audeo *schema* [18] exaltare, quia vix potui integrum legere, sed eo minus condemnare aut substitutionem proponere quia, quantum ad me, *saltem absque dubio quantum ad me,*[19] peccarem praesumptionis. Nonnulli Patres sublineaverunt maiorem proportionem servandam esse inter aspectum quem appellare solent pneumaticum et iuridicum. Ego ipse puto esse aliquantulum minuendum aspectum iuridicum in capite *praesertim v. gr.*[20] « de laicis ». *Sed etiam hic quam facilis subiectivismus! Hesterna die, considerabatur caput « de laicis » infectum stylo exhortatorio; feria secunda, omnino infectum stylo nimis iuridico. Unde videtur mihi quod caute debemus procedere.*[21]

Nunc autem, quaedam animadversiones, his praehabitis.[22] In genere, citationes ex Patribus (orientalibus in specie), quae essent gratissimae fratribus nostris *seiunctis,*[23] et textum *maiore perfunderent afflatu pastorali, ut proposuerunt iam* [24] multi qui diebus elapsis locuti sunt, pauciores *de facto* [25] exstant in toto schemate. *Exopto ut inserantur.*[26]

Quoad cap. I [27] *plura* [28] et pulchra, in schemate, de intima natura Ecclesiae declarantur. Fuissent tamen quaedam sublineanda, meo iudicio, *aliorumque*:[29]

a) De Christo, Ecclesiae fundatore. Quaestio valde momentosa pro separatis, *vel, ut dicebat em.mus card. Bacci, seiunctis* [30] fratribus.

b) De termino eschatologico, ad quem Ecclesia tendit.

c) De maternitate Ecclesiae, immo de eius materna auctoritate seu servitio (quod est idem) erga filios suos, et erga omnes homines; aspectus *oecumenicus et missionarius. Conatus sum textum exarare ad delineandam hanc maternitatem; quem textum exc.mo secretario generali tradam quin legam.*[31]

Pergendo, nunc,[32] in hoc art. 1 *huius cap. I,*[33] Ecclesiae fundatio exhibetur ut decet, *mihi videtur*:[34] sicut medium ad reparandum Protoparentum peccatum. Videtur tamen adspectus (*et nostra peccata, reparanda*) *videtur tamen adspectus* [35] iste (redemptivus) integrandus, elaborando textum (ex doctrina S. Pauli in epistola ad Colossenses, ...[36] et ex Patrum explanationibus) in quo breviter declaretur in Ecclesia continuari mysterium Christi capitis (per incarnationem) totius humanitatis, et *Christi* [37] centri totius universi.

Similiter, in linn. 4-5 huius articuli, loco: « per incarnati Filii sui mortem », dicerem: « per Incarnatum Filium suum ». Ratio est quia mors Christi, etsi potissimum, non tamen exclusivum est elementum nostrae

Redemptionis. Incarnatione, inchoatur illa « exinanitio » redemptiva, quae culmen attingit in Cruce: tota vita Verbi incarnati, necnon eius doctrina, valorem habet redemptivum.

In lin. 8 huius articuli (*sublineo quaedam particularia, quia videntur potioris momenti*),[38] ante verbum « mundaret », ponendum esset « adquireret et mundaret ». Ratio huius additamenti duplex: quia, imprimis, Ecclesia est obiectum et fructus acquisitionis ex parte Christi, « *quam acquisivit sanguine suo* ».[39] Secundo, quia acquisitio praecedit mundationem, immo ligamen adquisitionis adeo perdurat ut per illud peccatores denuo mundi fiant.

Similiter in linn. 14 et 15, loco « redemptores », dicerem: « ipsius Dei adiutores, unusquisque propriam mercedem secundum suum laborem accipiens » (*Paulus*).[40] Per locutionem « ipsius Dei adiutores », magis servatur textus S. Pauli. Per verba autem quae sequuntur *in eodem textu,*[41] praeterquam factum nostrae collaborationis, affirmatur etiam dignitas et responsabilitas exinde proveniens.

Et praetereo alia...

Nunc autem, quoad... Iam fere transit hora... Esset...

Haberem quaedam circa cap. IV, quia est cardo totius schematis, mihi videtur. Sed, ne abutar tempore mihi adsignato, ego tradam haec exc.mo secretario generali Concilii.[42] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quod attinet sic dictum iuridismum, neminem latet necessitatem distinguendi inter ius divinum, sive naturale sive positivum a iure quod sit mere ecclesiasticum et humanum. [2] deest. [3] deest. [4] (propter veritatem et iustitiam, Ecclesia reprobavit genocidia et ideologias quae infirmant aut destruunt personae humanae dignitatem ac libertatem; adeo ut ipsi acatholici eam admirarentur eique gratias agerent et agant). [5] ei. [6] deest. [7] (2 *Thess.* 2, 7). [8] (praecipue in re culturali et sociali). [9] deest. [10] nobis et mundo. [11] (Dantur tamen leges, quae etsi sint iuris positivi humani, facti sunt quasi pars structurae eius; idcirco quasi immutabilia existimantur; ut est lex coelibatus ecclesiastici). [12] deest. [13] ex sacerdotibus. [14] quousque quidem erit peregrinans a Domino seu in via; secus cahos haberetur saltem in administratione sacramentorum. (Huius structurae causa, plures graviores que quaestiones dirimit S. Sedes, sublevando sic a poenis et difficultatibus haud levibus plures episcopos). [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] illud. [19] deest. [20] deest. [21] Utrumque puto facile obtineri posse retento praesenti schemate. [22] deest. [23] separatis. [24] efficerent magis afflatu pastorali perfusum, ut proponunt. [25] deest. [26] deest. [27] *In cap. I.* Animadversiones generales. 1) Opportunum esse duco ut praemittatur paragraphus brevis de Ecclesia prout tribus stadiis constat, militante nempe, patiente et triumphante. Quapropter emendetur etiam titulus huius cap. I sic: *de Ecclesiae natura.* [28] 2) Multa. [29] deest. [30] deest. [31] missionarius). In hoc schemate reapse videtur efferenda maternitas spiritualis Ecclesiae: non quidem poetice, sed gravi simulque

vivido textu conciliari. Auderem hoc proponere: « Ecclesia Mater nostra est atque Mater sancta, eo quod per spirituale semen verbi Evangelii et Baptismatis virtute concipit ac parturit Christo progeniem innumeram. Mater provida, quatenus aliis sacramentis, potissimum divina Eucharistia, filios substentat, corroborat, vel sanitati restituit. Mater sapiens, instructione et educatione impertita suo magisterio suaque pastorali sollicitudine, qua colit omnes virtutes et nos ad sanctitatem manuducit. Mater benigna, praesertim sua caritate universali suisque operibus misericordiae, quibus ministrat pauperibus vexatis, derelictis hominibus. Huiusmodi maternitas Ecclesiae vere fons est vitae supernaturalis, seu longe maioris et verioris quam sit vita orta ex naturali maternitate ». [32] Animadversiones particulares. Ad art. 1, pag. 9. [33] deest. [34] deest. [35] deest. [36] et Ephesios. [37] deest. [38] deest. [39] (cf. *Act.* 20, 28; *1 Petr.* 2, 9. Cf. pag. 10, lin. 14). [40] (cf. 1 *Cor.* 3, 8 ss.). [41] deest. [42] Ad art. 2, pag. 9: linn. 21-22: Vox « praepositos » substituatur per vocem « ministros ». Hac enim voce melius exprimitur munus sacrae hierarchiae, quod duplex est: repraesentare Christum supremum Pastorem, et bono fidelium providere spiritu ipsius Christi, qui dixit: « Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat » (*Lc.* 22, 27). Exinde pateret munus hierarchicum non esse iugum durum, sed pro omnibus amabile Dei donum. Linn. 23-24: Verba « sub Petro exercendis » omitti possunt, duplici hac ratione: *a*) quia superflua sunt, nam idem aliis verbis dicitur pag. 10, lin. 15 ss.; *b*) quia cum citationibus evangelicis quae statim sequuntur, non quadrant, nisi quid theologicum subintelligatur.

Ad art. 3, pag. 10: lin. 15 loco « super Petrum eiusque successores... in quibus ipse Petrus perpetua sua esset auctoritate superstes » dicerem cum Scriptura: « *super fundamentum apostolorum eorumque successores, idest Romanum Pontificem et collegium episcopale, in quibus Petrus et apostoli perpetua sua essent auctoritate superstites* ».

Ad art. 5, pag. 10: In 7 primis lineis huius articuli, ubi habetur enucleatio figurae Corporis Christi, videtur transpositio facienda cum aliis sequentibus paragraphis. Nam prima parte expositio fit modo magis iuridico, secunda potius theologico, et videtur opportunum quod institutio iuridica non primario describatur.

Meo iudicio institutio iuridica Ecclesiae esset describenda in paragrapho (nunc) primo non solum secundum relationes auctoritativas inter capita Ecclesiae et eorum subditos, sed etiam secundum relationem servitii pastoralis (ut supra dixi) inserendo v. gr. verba Christi: « *Qui maior est in vobis fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator* » (*Lc.* 2, 26). Cum hic consideretur habitudo praelatorum Ecclesiae cum subditis, esset etiam aliquid dicendum, etsi magna cum prudentia, de complementarietate vocationum et functionum ad mentem S. Pauli.

Pag. 11, lin. 15: verba « unus cum sit » supprimi possunt, ut superflua.

Lin. 34, in fine paragraphi 5, quaedam essent adiungenda ad exprimendam coniunctionem Ecclesiae cum fidelibus illis qui, sive adhuc purificandi in purgatorio ad caelestem beatitudinem certissime destinantur, sive omnium culparum nexibus soluti aeterna iam Dei visione fruuntur. Ergo hic proponitur textus: « *Eadem Sancta Mater Ecclesia pro illis qui in Christo iam mortui sunt, vel preces effundit ut quam citius ad patriam paradisi perducantur, vel caelestes apud Deum adprecatores veneratur, ab utrisque largitionem omnium bonorum a Domino cunctis adhuc peregrinantibus impetratura* ».

Pag. 11, lin. 29: loco verbi « reprimit », dicerem potius « *abluit* ».

Ad art. 6, pag. 12, lin. 7, sublatis verbis « ut vivum instrumentum », simpliciter dicerem: « *Sicut in Verbo Incarnato natura humana divinae eiusdem naturae pro nostro totiusque mundi salute inservit* ».

Ad art. 7, pag. 12: in hac paragrapho nihil substantialiter novi habetur quod in praecedentibus iam dictum non sit. Insuper formula conclusiva: « ideoque sola iure catholica romana nuncupatur Ecclesia » (linn. 23-24), ex una parte saporem videtur habere polemicum, ex altera parte nihil addit iis quae dicuntur pag. 10, linn. 15-17.

Quapropter, ut conclusio, sufficit ut retineantur verba: « Docet igitur Sacra Synodus... et apostolicam celebramus » (linn. 17-19), dimissis ceteris omnibus quae sequuntur, linn. 20-24.

In caput II.

Titulus, pag. 15: Invertenda sunt verba quibus componitur, ita ut dicatur: *de necessitate Ecclesiae ad salutem atque de Ecclesiae membris.* Hanc inversionem expostulat ordo logicus; de quo ratio habetur decursu capitis.

Ad art. 8, pag. 15: in lin. 2, ne bis repetatur vox « Ecclesia », loco « docuit sancta Dei Ecclesia » dicendum potius erit: « *tenuit catholica veritas* ».

In lin. 8 et in sequenti articulo, ubi loquitur de « voto Baptismi » certo *modus* loquendi videtur nimis technicus. Nonne posset reddi magis consonus Divinae Scripturae?

Ad art. 10, pag. 16: lin. 9. Ubi dicitur « non credunt fide catholica », sermo videtur durus et, si non recte intellectus, offensivus. Dicerem: « *quamquam omnibus fide catholica credendis non adhaereant* ».

Linn. 10-12. Verba « imprimis autem... eminent », omitti possunt, ne specificationibus ibidem contentis quis e fratribus separatis offendatur, et etiam quia haec verba, post dicta in lin. 9, non amplius sunt necessaria.

Lin. 24. Loco « tot tantisque » dicerem « *illis mediis* », cum fratres nostri separati in sacramentis validis *essentialia* habeant ad salutem consequendam.

In caput III.

Animadversiones generales:

1) Utiliter componeretur hoc caput et sequentia de episcopatu cum illis partibus biblicis textibus locupletatis schematis « De cura animarum » exaratis a commissione praeparatoria « De episcopis et de dioeceseon regimine », ubi in prooemio optima dicta sunt de munere episcopali.

2) Caput hoc et sequentia fiant solemniora quoad modum dicendi, ad sublineandam voluntatem Concilii efferendi doctrinam de episcopatu, ut factum est de Primatu Romani Pontificis in Conc. Vaticano I.

3) Nonne utile esset specimen aliquod in commodum Patrum Concilii parare, ad solvendas difficultates quae pro nonnullis exurgent ex sacerdotio et ex diaconatu aliquando conlatis a presbyteris?

4) Nihil in hoc schemate de *Ministris,* de quibus locutus est brevissime Concilium Tridentinum. Attenta discussione de diaconatu quae praevidetur in schematibus de cura fidelium, nonne esset aliquid dicendum?

Animadversiones particulares:

Ad art. 11, pag. 20, lin. 6. Tollantur verba « procul dubio », quae videntur saporem habere polemicum contra illos qui hucusque plena libertate contrarium tenuerunt.

Linn. 17-19. Loco verborum « vel potestatem valide conferendi... amittere

possit », haec ponantur: « *vel potestatem ipsi characteri inhaerentem amittere possit* ». Hac formula generaliore vitantur expressiones nimis iuridicae, ut « *valide* » (linn. 17-18). De cetero, quaenam sit potestas characteri episcopali inhaerens, aliunde scimus, nominatim ex Conc. Tridentino, sess. XXIII, can. 7 (D.B. 967).

Lin. 21. Post « superiores esse », adiungantur verba: « *ipsiusque sacerdotii proximum fontem et radicem existere* ». Hisce verbis apte significatur presbyteratum, etsi ordine chronologico ex dispositione Ecclesiae episcopatum praecedit, ratione originis ab episcopatu omnino pendere.

In caput IV.

Animadversiones generales:

1) Caput praetermittit quaestionem de episcopis titularibus. Sed, cum videatur potestas iurisdictionis saltem radicaliter seu virtualiter contineri in potestate ordinis, quaestio, hucusque disputata, solvi posset. Loquendo de episcopis titularibus, Concilium occasionem arriperet etiam aliquid docendi de habitudine potestatis iurisdictionis cum potestate ordinis.

2) In hoc capite videtur valde opportunum quod Concilium declarare velit quid sentiat *de semetipso,* quantum nominatim ad suam disparem compositionem, praelatorum nempe insignitorum charactere episcopali vel tantum presbyteratu. Quaestio, ut patet, connexa est cum illa de collegialitate episcopali.

3) Modo magis perspicuo declaretur quid sentiendum sit de magisterio ordinario episcopali.

4) Evidentius dicatur episcopatum esse de iure divino non tantum quoad existentiam (ut in art. 13, pag. 22), sed etiam quoad naturam, adeo ut Romanus Pontifex potestate eam mutandi minime pollet. Quapropter:

In particulari:

In art. 14, ad lin. 30, dicerem: « Minime igitur auctoritate Vicarii Christi iura episcoporum *divinitus conlata* minuuntur *neque immutari possunt* ».

In art. 15, ad lin. 36. dicendum esse duco: « Quoniam episcopi singuli, *utpote vicarii et legati Christi* in suis ecclesiis particularibus sunt centrum et fundamentum et principium unitatis, etc. ». Ratio est quia Christus solus est verum et proprium centrum et fundamentum unitatis, et episcopi hoc non sunt nisi nomine et auctoritate Christi. Nam idem dicitur in articulo hoc de Romano Pontifice relate ad Ecclesiam universam (pag. 24, lin. 1), verbis « ut ipsius Christi vicarius ».

5

EXC.MUS P. D. ANTONIUS PLAZA
Archiepiscopus Platensis

Em.me Praeses, Patres,

Schema *de Ecclesia* prouti est, mihi placet; breviter dicam quibus de causis ac etiam quasdam animadversiones vestro iudicio committam *et aliqua dabo exc.mo secretario generali Concilii.*[1] Placet:

1. Quia nobis claram concinnamque doctrinam de Mystico Corpore Christi tradit; quae equidem expositio doctrinalis certe necessaria est, sive pro scholis s. theologiae, sive vel maxime pro praedicatione vere

pastorali verbi, fidelibus accommodata, ita ut fideles probe cognoscant dignitatem suam in Ecclesia, pariterque officia consequentia.

2. Quia est medicina praeveniens, qua mala et errores vitantur et praecaventur. Certe nostris temporibus non est quaestio inter catholicos de Trinitate nec de divinitate Christi, nec de processione Spiritus Sancti, sed sub specie irenismi cuiusdam de iis est quaestio quae ad intimam constitutionem et vitam Ecclesiae pertinent; ideoque taxative et stricte de iis est agendum.

3. Quia complementum aptum evadit doctrinae nobis traditae a praecedentibus Conciliis, praesertim Vaticano I, *a*) circa Summum Pontificem, eiusque primatum et inerrans magisterium; *b*) claram insuper addens doctrinam de episcopis. Nec, ut mihi videtur, silentium obiici potest de episcopis auxiliaribus, cum schema, *in cap. III,*[2] recte possit interpretari de omnibus qui charactere episcopali signati sunt, et praeterea de munere episcoporum auxiliarium agi debet, et ni fallor de facto agitur, in schemate de regimine episcoporum et dioecesium.

Et quidem de his omnibus quaedam audiuntur, non certe dogmatica, sed dogmatice dicta, quae animum anxietate pulsant: nonne Christus Dominus dedit apostolis veram potestatem sacram? Nonne statuit Petrum pastorem omnium, fundamentum Ecclesiae, contra quam et contra quod portae inferi unquam praevalebunt? Nonne affirmamus Ecclesiam esse societatem perfectam, visibilem, in qua ideo auctoritas adesse debet tamquam quid essentiale aut saltem ut proprium? Nonne credimus esse characterem sacerdotalem et episcopalem? Christus ipse instituit Primatum et Hierarchiam in Ecclesia sua, et apostoli, forma nostri episcopatus, illam potestatem exercuerunt et exercendam dixerunt... Quid ergo sibi vult haec, parcite vocabulo, « democratizatio » Ecclesiae? Sumus equidem omnes fideles per gratiam et filii Dei; sed etiam scriptum est stellam a stella in claritate differre et esse divisiones gratiarum et ministrationum! Et quosdam posuisse Spiritum Sanctum pascere Ecclesiam Dei!

Humilitatem et simplicitatem certe sectare debemus, forma facti gregis ex animo, sed non falsam humilitatem qui nos canes mutos constituat in medio gregis, ne sub specie humilitatis depositum non custodiamus.

Nunc haec item animadvertenda censeo:

a) Adhaereo imprimis *et,*[3] brevitatis gratia, *tantum unum verbum dicam,*[4] modificationibus quae *alia die et etiam hodierna die*[5] ab em.mo card. Ruffini proposita sunt.

b) Absolute item necessaria est declaratio expressis verbis, in quocumque casu, de sensu et nota singularum declarationum seu propositio-

num, an definiatur necne, *an sollemniter proclametur quidquid de Ecclesia in schemate dicitur.*[6]

c) Insuper, agendum certe est de collegio episcoporum et doctrina haec in luce ponenda, sed cavenda est lata applicatio huius doctrinae ad conferentias nationales episcoporum.

d) Vitetur item talis expositio doctrinae fidei quae, alias et alias veritates silentio praetermittens, videretur potius « compromissum » aliquod quod nec fratribus nostris nec nobis iuvabit. Utique prudenter, nec glorianter, sed humiliter — quia gratia Dei in doctrina stamus — candide proferamus integrum depositum, quod accepimus custodiendum et praedicandum, quia veritas servat amicos.

e) Insuper *desideraveram, ut aliquando dictum fuit,*[7] ut schema de Beata Maria Virgine huic schemati coniungatur...[8]

Sunt et alia, sed non legam et tradam exc.mo secretario generali Concilii.[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] his. [5] deest. [6] aliter schematis titulus « Constitutio dogmatica » esset corrigendus. [7] peto. [8] Dolenter dico: aliqui videntur humana quadam sapientia carnis ducti schema aliquod velle construere, quod non agens de B. M. V. nec de Primatu Petri, nec de hierarchia, etc. propter fratres separatos, nihil aliud sit quam expositio trunca veritatis, quae populum fidelem, immo et ipsos fratres separatos ultimo offendet. Immo, ultimis hisce diebus, quidam ex conciliaribus ipsos observatores adierunt ad eorum sententiam negativam de schemate B. M. V. tractando exquirendam. Numquid hoc rectum est, et decet homini conciliari? [9] deest.

Secretarius generalis: Em.mus ac rev.mus D. card. Decanus rogat em.mos Patres ut velint se dispensatos habere a responsione danda circa omina natalicia, ut iam scriptum est.

Rogantur praeterea universi Patres ut suis locis, quantum possibile est, maneant, quia suffragatio continuatur.

6

Exc.mus P. D. VILLELMUS PLUTA

Episcopus tit. Leptimagnensis

Venerabiles Patres,

Ad schema nostrum liceat mihi duas animadversiones proferre.[1]

II. Schema *nostrum* [2] debet continere doctrinam de colenda vita spirituali tamquam *exsistentiae* [3] Ecclesiae essentia et tamquam radicali fonte *apostolatus Ecclesiae.*[4] In schemate nostro, praesertim in cap. V,

de statibus perfectionis...,[5] pluries mentio fit de valore vitae spiritualis, asceticae, pro insigni opere Ecclesiae quod est apostolatus...,[6] aedificatio Ecclesiae. Quod valde est laudandum. Attamen schema in hac materia est incompletum, quod patet ex sequentibus.

1. Verba laudantia valorem vitae spiritualis sunt solummodo obiter dicta, quamquam in schemate pluries et expresse sermo fit de actione apostolica et de personis quae hoc opus apostolatus perficiunt...[7] Hoc opus apostolatus pertinet ad essentiam Ecclesiae, et praesertim hodie est maximi momenti et sub diversa forma exerceri debet, etiam per laicos. Omnes nos in hoc consensum communem profitemur, fontem essentialem omnis apostolatus esse gratiam, et quidem etiam gratiam, quae in apostolo ipso est operans et abundans. Quapropter schema paucis saltem verbis, sed omnino claris, et de industria prolatis, hunc valorem vitae asceticae, pro apostolica actione omnibus inculcare debet, qui in Ecclesia hoc opus perficiunt (id est sacerdotes in cura animarum), et imprimis ii theologi docentes, *quia et magisterium eorum est opus* [8] apostolatus; et laici in omni forma apostolatus, praesertim in eorum « consecratione mundi » et in opere catechizationis. De omnibus enim istis schema loquitur, et loquitur etiam de eorum exsistentia et *operibus* [9] in Ecclesia; non loquitur tamen de fundamentali fonte eorum apostolatus, id est de colenda vita spirituali.

2. Haec necessitas inculcandi patet hodiernis temporibus civilizationis technicae, quae secumfert periculosam tentationem parvipendendi vitam spiritualem stricto sensu, tentationem etiam pro hominibus ecclesiastici muneris pastoralis ...[10] periculosam, quod fit maximo cum periculo et detrimento pro ipsa cura animarum, pro opere apostolatus et magisterii ecclesiastici...[11] Testes nos omnes sumus quomodo praesertim iuniores sacerdotes, ordinati post ultimum bellum, crebro etiam zelo magno *exteriori* [12] pollentes, iam sunt infecti ista haeresi actionis...[13] Omnes nos testes sumus tristium tragoediarum et cladium nonnullorum theologorum qui a fide defecerunt: et causa huius mali fere semper unica: theologia ab eis tractata unice ut scientia, et quidem laice tractata, propter neglectam vitam spiritualem ipsius magistri theologiae. Denique ...[14] hoc opus apostolatus laicorum est impossibile sine vita ascetica apostolorum laicorum, late saltem concepta, saltem in forma initiali ut vita in statu gratiae scienter culta. Quomodo enim fiet istud magnificum opus « consecratio mundi », si operantes non sunt prius consecrati? Sine saltem conatu *scienter* [15] in gratia vivendi, impossibilis est ille apostolatus renovationis familiae, quae imprimis eget vera vita christiana, quod est ...[16] gratia.

3. Forsitan quis dicat haec omnia non esse obiectum necessarium

schematis constitutionis [17] *de Ecclesia* et alibi tractanda esse et tractatum iri, in aliis schematibus nostri Concilii.

Attamen, meo iudicio, in ...[18] declaratione tam magni momenti, ut ita dicam constitutiva, quam Ecclesia in ...[19] constitutione de seipsa pronuntiat, suam nempe essentiam supernaturalem, in qua docet de suo esse, necesse est *etiam ea* [20] loqui de fundamentali supernaturali fonte et radice suae actionis, derivantis de supernaturali essentia ipsius Ecclesiae...[21] Agere sequitur esse...[22]

Et pro mea sententia hac in re id etiam proferre possum, quod Decreta ultimae Synodi Romanae dioecesis, cuius Ordinarius est noster amantissimus Papa Ioannes, de hac re tractantia, materiam istam de vita spirituali *pro apostolatu* [23] fusius et fortius tractant. Procul dubio etiam nobis sit in exemplum et indicium.

Pro mea thesi *proferre possum experientiam pastoralem denique, sunt enim hodie* [24] coetus laicorum viventium in matrimonio qui nobis theologis ...[25] dicunt...[26]: « date nobis asceticam modernam pro vita ...[27] in familia », « une spiritualité en mariage ». Denique ipsa commissio praeparatoria nostri schematis, in commentario pag. 55, conscia sibi finis pastoralis constitutionis dogmaticae, declarat: « quae omnia proponuntur stylo quodam pastorali, ne textus dogmaticus nimis iuridicus appareat...[28] ».

Ceteras animadversiones tradam in scriptis.[29] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] A) Schema *de Ecclesia* in genere mihi placet: non est reiiciendum, non est necessaria commissio ad novum schema elaborandum, sed praesens schema supplementis adauctum et emendatum sufficiens dat fundamentum et materiam pro constitutione: *de Ecclesia.*

B) Ad schema emendandum liceat mihi proferre sequentes animadversiones:

I - Doctrina schematis de episcopis cap. IV debet referri servatis servandis etiam ad episcopos titulares.

Doctrina de episcopis videtur mihi incompleta et aliquo modo in se contradictoria, saltem ex silentio de episcopis titularibus. Rationes sunt sequentes:

1. Iam secundum cap. III schematis fundamentum existentiae et valoris et dignitatis episcopi in Ecclesia est episcopi sacerdotii summa, data omnibus nobis episcopis consecratione episcopali. Schema nostrum id expresse et scienter aliquo modo defendit contra certos conatus diminuendi specialem sacramentalem existentiam episcopatus, quales conatus iam divulgabantur. Quapropter mirum, quod cap. IV tam gravia et pulchra verba solummodo ad episcopos residentiales refert.

2. In sensu nostri populi vere catholici episcopus in magna est aestimatione et nempe qua episcopus, qua consecratus, et populus noster minime perpendit omnia quae C.I.C. de rebus episcopalibus stricte iuridice tractat.

3. Denique omnes fere episcopi ante celebratum Concilium Vaticanum II multa legerunt apud doctos theologos de sacramentali dignitate et existentia epi-

scopatus, quae nobis specialem dat relationem ad Spiritum Sanctum, cuius instrumentum singulare hic et nunc est episcopus consecratus.

Iis omnibus perpensis episcopi aliquid plus completum expectabant — et quidem recte — de constitutione tam magni momenti, quando nempe Ecclesia de seipsa docet et de sua supernaturali constructione in qua episcopus praecipuum locum tenet.

Conclusio: ut in thesi superius.

[2] deest. [3] deest. [4] et apostolatus. [5] pag. 32 et 33. [6] missio aut. [7] Apostolatus enim est late sumendus. [8] quorum opus magisterii certe est. [9] actione. [10] valde. [11] in quocumque gradu. [12] externo. [13] externae. [14] etiam. [15] deest. [16] vita in. [17] in schemate. [18] quadam. [19] proposita. [20] eam. [21] Iterum. [22] Ita enim aliqua ex parte fit in illa Magna Charta ecclesiastica quod sunt Litterae Encyclicae *Mystici Corporis*. [23] in relatione ad apostolatum. [24] loquitur etiam experientia pastoralis: iam nunc enim adsunt quidam. [25] et pastoribus. [26] immo instanter dicunt. [27] sancta in matrimonio et. [28] An potest esse superior finis et stylus pastoralis quam vita omnium in Ecclesia in statu gratiae? *Conclusio*: ut thesis superius. [29] III - Schema debet continere doctrinam de existentia vere christiana « esse in Christo » coniunctam cum doctrina de Ecclesia.

Defectus schematis de quo loquor superius in secunda animadversione, est forsan consequens facti, quod schema nostrum de Ecclesia silet de illo magno beneficio, quod tamquam effectus necessarius tribuitur illis omnibus, qui Ecclesiae adhaesi, facti sunt in Corpore Christi Mystico vera Christi membra, id est vita supernaturali praediti, ideoque et illis magnificis virtutibus et donis Spiritus Sancti ad agendum praediti.

Nonne in schemate nostro necessaria videtur etiam doctrina de vita supernaturali tamquam organismo vitali, et quidem stricte coniuncta cum doctrina de Mystico Corpore Christi? Haec nobis videtur necessaria, quod ex sequentibus patet:

1. Omnes qui Ecclesiae adhaerent vi talis doctrinae plenius intelligent existentiam suam christianam quae secundum S. Paulum est « esse in Christo » et eo magis de existentia ista in Christo laetabuntur.

2. Clara et plena doctrina de supernaturali existentia hominis in Christo, radicale veri id est christiani humanismi fundamentum, videtur esse maxime necessaria hodiernis temporibus civilisationis technicae et culturae nonnisi externae, quibus periclitantur fere omnia bona spiritualia.

3. Eo magis, quod in aliis schematibus nobis iam datis et quidem expresse tractantibus de statu supernaturali (Series I, schema II, pag. 51 sq.) res est tam tenuiter tractata et sine ulla connexione nostra vitali cum Iesu Christo Salvatore nostro. Eo modo etiam doctrina ipsa de Ecclesia fiet in schemate plus christocentrica, quod iam alii in hac Aula postulaverunt.

Conclusio: Iterum ut in thesi superius.

7

Exc.mus P. D. PETRUS FIORDELLI
Episcopus Pratensis

Venerabiles Patres,

Schema agit *de Ecclesia,* quae est Mysticum Corpus Christi. Dogma Mystici Corporis Christi est ut ita dicam, magnum dogma nostrorum temporum. Bonum est ergo quod schema agat de integra constitutione Ecclesiae. Et ideo, postquam sermonem fecerit de capite et de membris in genere, distinctis capitibus agit de Romano Pontifice in cap. I, de episcopatu in capp. III-IV, de sacerdotio in cap. III, de statibus perfectionis in cap. V, et tandem de laicis in cap. VI.

...[1] Ego humiliter assentio commissioni, necnon iis Patribus qui praeferunt ut ista capita maneant, cum bonum omnino sit, ut in praesenti schemate, quod omnes fundamentale iudicant, non sileatur de intima Ecclesiae constitutione.

Sed his praemissis, humiliter mihi dolendum videtur, quod in toto schemate nullum inveniatur speciale caput quod agat de aliquo statu in Ecclesia, qui est maximae nobilitatis et sanctitatis et — ad incrementum Mystici Corporis Christi — maximae fecunditatis: scl. de statu sacramentali matrimonii. Puto quod nemini vestrum mea propositio causa erit stuporis et admirationis. Plurimis enim hodie videtur quod specialis locus in Mystico Corpore Christi tribuendus sit iis qui in statu matrimoniali christiano positi sunt. Cum autem mea petitio satis nova sit, liceat mihi afferre rationes. Rationes sunt:

1. Status matrimonialis christianus, qui oritur ex sacramento matrimonii certissime est specialis status supernaturalis, immo sacramentalis in Ecclesia. Absque dubio prae omnibus statibus, primum locum tenet status episcopalis et sacerdotalis. Deinde sequuntur illi qui dicuntur in documentis pontificiis, status perfectionis...[2]

Praeses: Excellentia vestra habeat me excusatum: quod dicit, videtur valde utile, sed videtur esse extra ordinem huius schematis.

Orator: Possum dicere conclusionem?

Praeses: Certe!

Orator: Conclusio mea ergo. Mea ergo humilis petitio, quam reverenter sed ardenter iudicio Patrum submitto, haec est: iustissime ponan-

tur, ante omnia, capita de episcopatu, de sacerdotio, de statibus perfectionis, postea autem addatur humile utique et breve caput, sed expresse dedicatum in schemate statui matrimoniali christiano. Non est licitum relinquere indiscriminatim inter laicos illos, quibus ipse Christus specialissimum locum in Corpore suo Mystico reservavit.

Id, quod propono *pro schemate*,[3] non est mera formalitas, sed, ut mihi videtur, grandis res.

In Ecclesia erit lux pro fovendo pretioso apostolatu familiari. Praeterea habebitur fundamentum ontologicum ad statuendas relationes inter Ecclesiam et familiam, familiam et Statum, ad vindicanda iura familiae, ex. gr. in ordine ad prolis educationem etc. Tandem erit, ex parte Oecumenici Concilii, magnum donum et gaudium pro coniugibus christianis ferventioribus, qui saepe vere admirabiles sunt, et aliquando heroici; pro coniugibus vero minus ferventibus erit materna invitatio et incitamentum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Aliqui Patres proposuerunt ut ista capita particularia transferantur in schematibus iis argumentis peculiariter dedicatis. Sed. [2] qui communes esse possunt tum sacerdotibus, tum religiosis, tum — post felicissimam constitutionem *Provida Mater Ecclesia* de Institutis saecularibus — ipsis laicis.

Sed inopportune — ut mihi videtur — e statibus perfectionis statim in schemate fit saltus ad laicos in genere et ad statum matrimonialem *tantummodo paucissima verba* dedicantur, ubi agitur de apostolatu laicorum.

Utique sponsi sunt laici. Sed etiam sodales Institutorum saecularium sunt laici, et tamen iustissime de iis loquitur schema in cap. V.

Sponsi christiani sunt laici, sed laici constituti in statu omnino speciali in mystico Corpore Christi, et quidem *ex iure divino*, nam Christus ipse instituit *statum matrimonialem*.

Dominus autem cur matrimonium sacramentum fecit? Praecise quod status matrimonialis in mente sua divina, summum habebat momentum ad incrementum quantitativum et qualitativum mystici sui Corporis.

2. Accedit ratio peculiariter ecclesiologica.

Generaliter constitutio Ecclesiae ita proponitur: Ecclesia catholica, quae dividitur in dioeceses. Dioecesis, quae dividitur in paroecias. In paroecia sub sacerdote parocho massa laicorum.

Sed, meo humili iudicio, hoc non est neque verum neque bonum.

Mihi videtur quod haec sit vera structuratio Ecclesiae Christi: nempe Ecclesia universalis, cuius caput invisibile est Christus, visibile Summus Pontifex, eius in terris vicarius.

Ecclesia universalis dividitur in tot dioeceses, quibus praesunt episcopi, utique cum Petro et sub Petro.

Dioecesis — ex constitutione ecclesiastica — dividitur in paroecias, quibus praesunt sacerdotes ab episcopo missi.

Nunc autem: estne paroecia ultima divisio Ecclesiae? Non.

Paroecia ulterius dividitur in tot cellulas sanctas, quae sunt *familiae christianae,* quas vocare possumus, exemplum Sanctorum Patrum secuti, velut *minusculas Ecclesias,* quibus praesunt ex mandato divino sponsus et sponsa, pater et mater.

S. Ioannes Chrysostomus dicebat: « Domum tuam ecclesiam fac » (*In Gen.* cap. 6, par. 2: P.G. 54, 607).

Et S. Augustinus scribebat: « Domum enim vestram non parvam Christi ecclesiam deputamus » (*Ep.* 188, 3: P.L. 33, 849). Et alibi « cum tota domestica vestra ecclesia » (P.L. 40, 450).

Ultima divisio Ecclesiae, seu melius ultima ex cellulis sanctis quibus componitur Ecclesia, non est paroecia, sed familia christiana.

Et hoc non ex constitutione Ecclesiae sicut paroecia, sed ex voluntate ipsius Christi, qui sanctum, immo sacramentale fecit ipsum institutum familiare. Unde decursu temporum paroecia mutari poterit, cum sit iuris ecclesiastici, familia numquam, cum sit iuris divini.

Non sine causa S. Paulus in mysterio matrimonii christiani vidit communicationem mysterii unionis Christi cum Ecclesia.

Denique attendenda est ratio pastoralis. Utique cum maxima fiducia in Deum et in Ecclesiae matrem Virginem Mariam, tamen dicendum est quod nostra tempora certe difficilia sunt pro vita vere christiana, praesertim in iuvenibus, et pro ipsa religione.

Nunc autem — *praemissa omnino superioritate sacrae virginitatis prae matrimonio* — velim tamen hoc dicere: duo sunt potissima adiumenta gratiae divinae pro missione Ecclesiae: apostolatus sacerdotum et animarum consecratarum ante omnia; et, statim post, familia christiana.

Pro nobis qui sumus pastores in regionibus a multis saeculis catholicis, familia vere christiana maximum est adiumentum contra pericula indifferentismi, terrenismi, et aliquando practici materialismi.

Pro episcopis, maxime dilectis et heroicis, qui sunt pastores in regionibus ubi adest persecutio religionis, puto quod familia christiana sit veluti ultimum et maxime pretiosum fortilitium pro religione Christi tuenda.

Denique pro venerandis episcopis qui in territorio missionum sunt, puto quod familiae christianae sancte constitutae sint dulcissima spes pro religione christiana alenda et diffundenda.

In schemate (cap. 6, n. 25) ubi sermo est de laicis actionis catholicae, dicitur quod Ecclesia eis donat « mandatum et veram canonicam missionem ». Sed, si haec vera sunt, multo altiore ratione, venerabiles Patres, habent mandatum et missionem non tantum canonicam, sed immo divinam sponsi christiani. [3] deest.

Secretarius generalis: Audiant omnes! Hora decima secunda, Summus Pontifex benedicet populo congregato in platea S. Petri. Censemus nos rem facturos esse gratissimam nostro amantissimo Patri, si omnes Patres in plateam se conferant ad accipiendam benedictionem Summi Pontificis [*plausus*]. Ideo coetus finietur aliquot momentis ante meridiem.

8

Exc.mus P. D. BERNARDUS MELS
Archiepiscopus Luluaburgensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi ...[1] in schemate *de Ecclesia* aliqua animadvertere quae problema missionale tangunt.

Schema utique in sua introductione recte exordium sumit a testamento quod Christus discipulis reliquit dicens: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae », nempe ut omnes baptizentur, in uno ovili adunentur, et ita salvi fiant...[2] Natura Ecclesiae, eius iura et munera tam intime cum ista missione coniuncta *sunt* [3] et in ea *fundantur* [4] ut ab ea nullo modo separari queant: ista missio est sincera ratio *essendi* [5] Ecclesiae in terris.

Inde sperabamus fore ut in ipso schemate de Ecclesia omnia quasi illuminarentur lumine istius missionis a Christo *acceptae,*[6] et ut in ipsa descriptione naturae et organizationis Ecclesiae adderetur, quomodo haec omnia cum ista missione coniungantur.

De facto vero, post introductionem, natura et structura Ecclesiae, eius iura et munera independenter ab illa missione exponuntur et describuntur, et in fine tantum *immo* [7] post capita de vita religiosa, de oboedientia in Ecclesia et de relationibus inter Ecclesiam et Statum, superadditur caput speciale de *necessitate* [8] nuntiandi evangelium infidelibus. Immerito quidem uti ex his a quibus incepimus, patet. Nam obligatio nuntiandi evangelium non est aliqua obligatio adventicia, aliquorum in Ecclesia tantum; sed pertinet ad ipsius Ecclesiae naturam et constitutionem, indeque ad totam Ecclesiam, sicut in die Ascensionis omnibus discipulis, nullo excepto, a Domino commissa est. Ecclesia in suo statu terrestri « tota est missa », ut optime *iam dixerunt card. Suenens et* [9] mons. Marty. Itaque non ultimum sed *post introductionem* [10] primum locum obtinere deberet, et intitulari « de missione Ecclesiae » et non « de necessitate annuntiandi Evangelium ». Clare indicari deberet in ista missione complete sumpta *totum* [11] munus Ecclesiae consistere et ex ea omnia alia illuminari et informari; ita etiam unitas in schemate instituetur.

Dolendum valde est et mirum [12] videri potest, quod hoc munus, quo Ecclesia tota, semper et ubique, missionalis constituta est, gradatim adeo languescere poterit, ut nostris diebus quasi privilegium factum sit quorumdam ad hoc *ut dicunt* [13] speciali mandato deputatorum, ut

etiam in schemate *apparet.*[14] Cura et obligatio nuntiandi Evangelium proximo suo omnibusque hominibus, cor fidelium nostrorum iam non *penetrat,*[15] et etiam multos sacerdotes, immo etiam pastores parum praeoccupat.

Et ita fit ut gradatim et tranquillo animo, *quodammodo* [16] ruinae Ecclesiae in regionibus missionalibus appropinquemus. Nec vereor ita loqui etiam de regionibus Africae, quae tamen in historia missionum celebrabantur tamquam paradisus missionum...[17] Non obstante *enim successu missionali,*[18] pro unoquoque quem Christo nanciscimur quattuor e contra ad islamismum se vertunt.

Et quid dicerem de universo genere humano in quo utique, unoquoque anno, octingenti fere milia adulti Christo et Ecclesiae per baptismum *uniuntur, sed eodem tempore* [19] triginta miliones hominum numerum augent eorum qui Christum ignorant, et nuntium evangelicum ab Ecclesia in vanum exspectant: *unum contra quinquaginta!* [20]

Et quid dicam *in fine* [21] de regionibus sic dictis christianis ubi indifferentismus continuo progreditur et grex noster de die in diem minuitur, ita ut numerus neo-paganorum *in quasdam regiones* [22] iam numerum fidelium superet?

Nonne timendum est ne post non multos annos christianorum numerus portio tam exigua mundi evadat ut non amplius impediri possit quin mundus rapiatur in chaos quasi sine Christo? [23]

Haec sunt facta et quidem amara.

Quibus consideratis nonne urgentissima videtur quaestio pro Ecclesia et pro nobismetipsis, quomodo missionem Christi ad effectum ducamus? *Et ad hoc non sufficit sicut fit in ipso schemate,*[24] theoretice exponendo naturam et iura Ecclesiae visibilis. Nec sufficit theoretice urgere obligationem omnium fidelium cooperandi ad aedificationem Ecclesiae, *quia haec pia vota cito in archivis Concilii Vaticani II sepelientur. Sed insuper et omnino necessarium est, ut iam innuit ipse card. Suenens*,[25] et ab hoc Concilio praecipue sperandum, ut inquiratur de modo quo practice, in statu hodiernae societatis nostrae, Ecclesia missionem suam a Christo acceptam ...[26] omnibus unitis viribus adimpleat et crescat, quin minuatur, in plenitudinem Corporis Christi.

Venerabiles Fratres, quando patria periclitatur omnis populus in defensionem vocatur, privilegiis et praerogativis *et « venerabiles usus »*[27] locum cedentibus urgenti necessitati. Quanto magis, quando *Ecclesia, Mater nostra amantissima,*[28] in periculo versatur, mobilisatio *quaedam generalis* [29] considerari debet, non tantum ut Ecclesia servetur incolumis, sed ut novo ardore opus aggredi possit et munus suum primordiale adimplere. Considerandum *igitur* [30] est quomodo Ecclesia denuo « in statu

missionis » restitui possit, et ad pristinam *et genuinam* [31] formam *revocari* [32] ita ut nova Pentecostes, ab amantissimo Patre nostro Papa Ioanne tantopere exoptata, in actum deducatur.

De modo quo in particulari haec instauratio fieri possit *in plano totius Ecclesiae,* [33] hic nec locus nec tempus est *hodie* [34] de hoc tractare; omnia *tamen* [35] ad id tendere debent ut parati inveniamur omnes, qui Christi vocem audimus ut bonum eius nuntium hominibus tradamus.

Quomodo schema recognoscendum esset et quomodo munus evangelizationis omnia capita schematis nostri informare deberet, ne prolixior fiam secretariatui tradam. [36]

Et liceat mihi episcopo missionario, qui parvuli sumus in hac aula, unum verbum addere: et ut parvulus, cui omnia licita sunt, loquar:

Venerabiles Fratres, [37] valde utique mirati sumus de modo quo duae tendentiae sese in hac aula manifestatae sunt et quandoque sat acriter sese opposuerunt. Haec utique utilia, immo necessaria fuerunt! De facto certissime scimus omnes idem credere, idem optare et fere idem intendere! Sed de modo attingendi finem non consentiunt. Quodammodo linguam diversam loquuntur, nec unus ab alio intelligitur.

Haec oppositio, si ita loqui fas est, in hac aula *difficillime* [38] solvi potest, sed potest et deberet omnino solvi extra hanc aulam, non tantum in commissionibus sed per contactus amicales et conferentias inter varias tendentias et varios coetus episcoporum. Sed hoc, proh dolor!, non fit; vel saltem non sufficienter fit. Immo audivimus *quasi* [39] a quibusdam hanc divisionem et oppositionem, sive verbis, immo et scriptis taliter urgeri, et talem diffidentiam et suspicionem in alios quandoque inici, ut non amplius intra limites urbanitatis, quin dicam caritatis, contineantur! Sed hoc in nostra conditione vere peccatum est contra Spiritum Sanctum!

Ideo, ut parvulus loquor!, enixe rogamus omnibus magnis quibus interest ut haec discussio fraterna extra hanc aulam quam citius instituatur, non tantummodo in capite, sed etiam in corpore episcopali, ita ut in proxima sessione concorditer et pacato animo *et rapido gressu* [40] veros labores Concilii aggredi possimus! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] episcopo missionario. [2] Ex quo patet. [3] esse. [4] fundari. [5] fundationis. [6] datae. [7] deest. [8] obligatione. [9] dixit. [10] deest. [11] primarium. [12] Mirum ergo. [13] deest. [14] quodammodo patet. [15] occupat. [16] deest. [17] et tanquam terram ubi Spiritus Dei vehementer spirabat. [18] haec omnia. [19] initiantur, dum per idem temporis spatium. [20] Nonne timendum est ne post multos annos christianorum numeri portio tam exigua evadat ut non amplius impediri possit quin mundus rapiatur in

chaos sine Christo. [21] deest. [22] quandoque. [23] deest. [24] Hoc non efficiemus sicut in schemate. [25] sed necesse est, et quidem urgentissimum. [26] renovatis methodis et. [27] deest. [28] mater Ecclesia. [29] virium omnium. [30] deest. [31] deest. [32] redeat. [33] et debeat in organizatione Ecclesiae, in vita pastorum, sacerdotum et fidelium, in educatione et studiis alumnorum in seminariis et scholis catholicis, et etiam in coetibus actionis catholicae. [34] deest. [35] deest. [36] Quomodo munus evangelizationis omnia capita schematis nostri informare debeat, ne prolixior fiam, secretariatui scripto tradam. - Venerabiles fratres, caritas utique Christi, sed etiam missio Christi urget nos; caritas etiam erga matrem Ecclesiam et caritas erga fratres nostros numerosissimos, quorum vita et beatitudo aeternae periclitantur. [37] deest. [38] difficile. [39] deest. [40] deest.

Animadversiones additae:

In omnibus capitibus huius schematis clare indicari deberet quo connexionem quam habent cum missione evangelisationis et quomodo in illa fundantur et ex illa eruuntur.

Unitas Ecclesiae non expletur in eo quod Ecclesia sit fundata supra petram, sed gravem obligationem inducit ex ipsa missione a Christo accepta ut omnes homines adducat ad illam unitatem.

Ita eius apostolicitas, non est tantum nota historica sed requirit in episcopis eamdem curam et eumdem zelum ac in apostolis ad regnum Dei per totum mundum diffundendum.

Eius catholicitas vera non est nota statistica sed prae omnibus urget actionem apostolicam Ecclesiae ut omnes populos ad veritatem evangelii perducat.

Eius sanctitas tandem non ipsi tantum datur tamquam ornamentum internum sed ut signum inter nationes quo homines ad ipsam alliciantur.

In cap. II necessitas essendi membrum Ecclesiae ex ipsis verbis missionis deducitur.

In capp. III-V de episcopis: sunt veri successores apostolorum qui etsi quoad iurisdictionem aliquam regionem determinatam sibi habeant concreditam, tamen etiam gravem obligationem habent de bono totius ecclesiae et erga missionem eius in toto mundo adimplendam.

In cap. VI, de religiosis: religiosi sunt vel deberent esse fermentum Ecclesiae quod, orationibus et paenitentia, et etiam activa participatione in apostolatu missionario, totum corpus Ecclesiae sanctificat et fructus dare adiuvat.

Cap. VII, de laicis: missio Christi in die ascensionis etiam ad ipsos extendebatur, sed decursu temporum facti sunt membra quasi passiva cum missio Christi ad ipsos etiam spectabat, sicut apparet ex ipso evangelio et usu primaevae Ecclesiae.

Cap. VIII: necessitas Petri primatus et magisterium Ecclesiae ordinarium et extraordinarium cum ipsa missione Christi annuntiandi et custodiendi veritatem evangelii intime connectuntur, et ex ea eruuntur.

Secretarius generalis: Velint Patres absolvere octavam suffragationem, et aliae fient crastina cum duobus novis propositis et hodie distributis.

Nunc communico exitus quattuor priorum suffragationum:

I suffragatio, circa emendationem I:

Praesentes votantes	2.110
Dixerunt *placet*	2.087
non placet	14
Vota nulla	9

Ergo approbata est emendatio.

Emendatio II:

Praesentes votantes	2.114
Dixerunt *placet*	2.083
non placet	21
Vota nulla	10

Etiam II emendatio placuit.

Circa III emendationem:

Praesentes votantes	2.109
Dixerunt *placet*	2.044
non placet	50
Vota nulla [1]	15

IV emendatio:

Praesentes votantes	2.073
Dixerunt *placet*	2.033
non placet	36
Vota nulla [2]	4

Etiam IV emendatio placuit.

Nunc velint Patres exhibere octavam suffragationem, et postea coetus solvetur ut possimus omnes recipere benedictionem Summi Pontificis.

[1] Quorum unum est *placet iuxta modum*.
[2] Quorum duo sunt *placet iuxta modum*.

Praeses: Reponatur nunc sanctissimum Evangelium!

[*Intervallum*].

Secretarius generalis: Exspectent adhuc episcopi et Patres conciliares ut schedulae auferantur seu colligantur.

CONGREGATIO GENERALIS XXXV

6 decembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXXV

6 decembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis S. Concilii*:

Hodiernae congregationi generali praeest em.mus ac rev.mus D. card. Eugenius Tisserant, Decanus.

Velint omnes attente audire! Censemus facturos nos esse rem gratissimam omnibus Patribus, si paucis verbis et paucis numeris referamus quae toto hoc tempore egerimus ad laudem Dei et decus Ecclesiae.

Post primam sessionem publicam, actam die 11 octobris elapsi, praesidente Summo Pontifice, celebratae sunt congregationes generales, usque ad hodiernam diem, triginta quatuor, quarum prima, die 13 octobris, et ultima, die 5 decembris anno 1962.

Schemata, discussa in congregationibus generalibus, quinque, nempe: *de sacra Liturgia; de fontibus revelationis; de instrumentis communicationis socialis; de unitate Ecclesiae;* demum, saltem ex parte, *de Ecclesia.*

Suffragationes, per schedulas peractae, numero triginta tres, quarum prima pro eligendis 160 membris commissionum conciliarium; secunda, tertia, quarta et quinta, ad approbationem generalem significandam quoad schemata *de sacra Liturgia, de fontibus revelationis, de instrumentis communicationis socialis, de unitate Ecclesiae*; ceterae 28 circa emendationes textus prooemii et cap. I schematis *de sacra Liturgia.*

Locuti sunt Patres 587.

Patres, qui scriptas tantum observationes exhibuerunt, 523.

Summatim: 1110... et labor hodie prosequitur.

Ob tot peractos labores, tam brevi tempore, relative, est quod Deo plurimas gratias agamus, et auspicium trahamus pro labore in posterum peragendo; pro quo labore Summus Pontifex dignatus est aliquas normas statuere, quae durante hac congregatione generali communicabuntur.

Nunc communico Patribus exitus suffragationum habitarum heri:

Emendatio V:

Praesentes votantes	2.072
Dixerunt *placet*	2.011
non placet	44
Vota nulla [1]	17

Ergo placuit emendatio.

[1] Quorum unum est *placet iuxta modum.*

Emendatio VI:

Praesentes votantes	2.082
Dixerunt *placet*	2.016
non placet	56
Suffragia nulla	10

Etiam VI placuit.

VII emendatio:

Praesentes votantes	2.079
Dixerunt *placet*	2.041
non placet	30
Vota nulla	8

Placuit igitur etiam VII emendatio.

Quoad VIII emendationem et ultimam heri peractam, hic est exitus:

Praesentes votantes	2.086
Dixerunt *placet*	1.903
non placet	38
Vota nulla [1] vel schedae datae sine suffragatione sunt	145

Proposito dubio: an suffragatio repetenda esset: (nam satis explicatur hoc factum, quod multae schedae datae sunt sine suffragatione) cum maioritas habita sit longe superior maioritate requisita statutum est suffragationem non esse repetendam; nam maioritas relativa erat 1.391 suffragia; habita sunt suffragia positiva, nempe *placet,* 1.903; ergo etiam octava emendatio placuit.

Hodie, suffragatio prosequitur circa ceteras emendationes, nempe emendationem nonam, emendationem decimam, et emendationem undecimam, quae habentur in primo fasciculo et circa quas relatio iam facta est. Deinde continuo fiet suffragatio circa duas emendationes, contentas in altero fasciculo, nempe de cap. I, nn. 32-36 schematis, quae sic sonant (videatis pag. 3)... [*Cf. infra,* pag. 322].

Antequam disceptatio *de Ecclesia* nunc prosequatur, exc.mus D. Franciscus Grimshaw, arch. Birminghamiensis, relationem faciet circa has duas novas emendationes; interea fieri potest suffragatio circa emendationes primi fasciculi. Velit igitur accedere iam ad microphonium exc.mus Grimshaw.

---

[1] Quorum tria sunt *placet iuxta modum.*

Sed lego nunc nomina eorum, qui petierunt loqui *de Ecclesia* in genere: em.mus D. Iacobus card. Lercaro, arch. Bononiensis in Italia; exc.mi DD. Henricus Compagnone, ep. Anagninus in Italia; Ioannes Hervás, prael. Cluniensis in Hispania; Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico; Villelmus Philbin, ep. Dunensis in Hibernia; Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia; Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Ioannes Velasco, ep. Sciiamenensis in Sinis; Paulus Barrachina, ep. Oriolensis in Hispania; Ioseph Buckley, sup. gen. Societatis Mariae; Constantinus Stella, arch. Aquilanus in Italia; Georgius Hakim, arch. Ptolemaidensis in Israël; Vincentius Reyes, ep. Boronganensis in Insulis Philippinis; Ludovicus de Bazelaire, arch. Chamberiensis in Gallia; Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia; Alfredus Silva, arch. Conceptionis in Chile; Eugenius D'Souza, arch. Nagpurensis in India; Hermannus Volk, ep. Moguntinus in Germania; Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.; Aloisius Aponte, aux. Poncensis in Portu Rico; Carolus Wojtyla, aux. Cracoviensis in Polonia; Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia; Ioseph Schoiswohl, ep. Secoviensis in Austria; Aloisius Rodriguez, ep. Sanctacrucensis in Bolivia; Iesus Alba, ep. Tehuantepecensis in Mexico; Philippus Hannan, aux. Vashingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ioseph Tawil, arch. vic. patr. Damascenus pro Melchitis.

Denique, audiant iterum omnes, Summus Pontifex concedit omnibus Patribus facultatem impertiendi apostolicam benedictionem, cum in proprias dioeceses redierint, servatis de iure servandis. Item Summus Pontifex largitur Patribus facultatem celebrandi missam quacumque hora diei vel noctis in die profectus ex Urbe, et in die adventus in propriam domum. Dixi. [*Plausus*].

[3] 1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

EMENDATIONES

A PATRIBUS CONCILIARIBUS POSTULATAE
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATAE ET PROPOSITAE

Caput I, nn. 32-36 Schematis

AD ART. 33

1 — Pag. 169, lineis 27-30, supprimantur verba: « *Quamobrem nonnisi ex causa rationabili Baptismata, Confirmationes, primae Communiones, Matrimonia, funeralia extra propriam paroeciam fieri permittantur* ».

AD ART. 34

2 — Pag. 170, lineis 6-15, articuli 34 nova haec redactio proponitur: « A COMPETENTI AUCTORITATE ECCLESIASTICA TERRITORIALI, DE QUA IN ART. 22 § 2 [textus emendati], EXPEDIT UT INSTITUATUR COMMISSIO LITURGICA, a viris in scientia liturgica, musica, arte sacra ac re pastorali peritis iuvanda. Cui *Commissioni,* in quantum fieri potest, opem ferat quoddam Institutum Liturgiae Pastoralis, constans sodalibus, non exclusis, si res ita ferat, laicis in hac materia praestantibus. Ipsius Commissionis erit, DUCTU AUCTORITATIS ECCLESIASTICAE TERRITORIALIS, DE QUA SUPRA, et actionem pastoralem liturgicam in SUA DICIONE moderari, et studia atque necessaria experimenta promovere, quoties agatur de aptationibus *Apostolicae* Sedi proponendis ».

2 – TEXTUS SCHEMATIS [5]

Caput I, nn. 32-36 Schematis

Textus in Schemate propositus

IV – DE VITA LITURGICA IN DIOECESI ET IN PAROECIA FOVENDA

32. [*Vita liturgica in dioecesi*]. Episcopus ut sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet.

Quare omnes vitam liturgicam dioeceseos circa Episcopum, praesertim in ecclesia cathedrali, maximi faciant oportet: sibi persuasum habentes praecipuam manifestationem Ecclesiae haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei in iisdem celebrationibus liturgicis, praesertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praeest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus.[53]

33. [*Vita liturgica in paroecia*]. Cum Episcopus in Ecclesia sua ipsemet nec semper nec universo gregi praeesse possit, necessario constituere debet fidelium coetus, inter quos paroeciae, localiter sub pastore vices gerente Episcopi ordinatae, eminent: nam in se perfectius repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam.

Quare vita liturgica paroeciae eiusque relatio ad Episcopum in mente et praxi fidelium et cleri fovenda est; et adlaborandum ut sensus

Textus a Commissione emendatus *

IV – DE VITA LITURGICA IN DIOECESI ET IN PAROECIA FOVENDA

41. Episcopus ut sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet.

Quare omnes vitam liturgicam dioeceseos circa Episcopum, praesertim in ecclesia cathedrali, maximi faciant oportet: sibi persuasum habentes praecipuam manifestationem Ecclesiae haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei in iisdem celebrationibus liturgicis, praesertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praeest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus.[56]

42. Cum Episcopus in Ecclesia sua ipsemet nec semper nec ubique universo gregi praeesse possit, necessario constituere debet fidelium coetus, inter quos paroeciae, localiter sub pastore vices gerente Episcopi ordinatae, eminent: nam *quodammodo* repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam.

Quare vita liturgica paroeciae eiusque relatio ad Episcopum in mente et praxi fidelium et cleri fovenda est; et adlaborandum ut sensus [6]

* Litteris italicis seu *cursivis* indicantur additiones aut emendationes formales vel minoris momenti; litteris autem grandioribus seu MAIUSCULIS emendationes maioris momenti, Patrum suffragationi proponendae.

[6] communitatis paroecialis, imprimis vero in communi celebratione Missae dominicalis, floreat. *Quamobrem nonnisi ex causa rationabili Baptismata, Confirmationes, primae Communiones, Matrimonia, funeralia extra propriam paroeciam fieri permittantur.*

communitatis paroecialis, imprimis vero in communi celebratione Missae dominicalis, floreat.

V – DE ACTIONE PASTORALI LITURGICA PROMOVENDA

Sacrae Liturgiae fovendae atque instaurandae studium merito habetur « veluti signum providentialium dispositionum Dei super nostra aetate, veluti transitus Spiritus Sancti in sua Ecclesia »;[54] et « vitam » ipsius « immo huius nostri temporis universam rationem religiose sentiendi et agendi, nota propria distinguit ».[55]

Quapropter, ad hanc actionem pastoralem liturgicam ulterius in Ecclesia fovendam, Sacrosanctum Concilium decernit:

34. [*Commissiones liturgicae nationales*]. In singulis Conferentiis Episcopalibus nationalibus instituatur Commissio liturgica nationalis, a viris in scientia liturgica, musica, arte sacra ac re pastorali peritis iuvanda, cui etiam, in quantum fieri potest, opem ferat quoddam Institutum Liturgiae Pastoralis, constans sodalibus, non exclusis, si res ita ferat, laicis in hac materia praestantibus. Ipsius Commissionis erit et actionem pastoralem liturgicam in universa natione moderari, et studia atque necessaria experimenta promovere, quoties agatur de aptationibus Sanctae Sedi proponendis.

35. [*Commissiones liturgicae dioecesanae*]. Eadem ratione, in singulis dioecesibus Commissio de sacra Liturgia habeatur, ad actionem liturgicam, moderante Episcopo, promovendam.[56]

V – DE ACTIONE PASTORALI LITURGICA PROMOVENDA

43. Sacrae Liturgiae fovendae atque instaurandae studium merito habetur veluti signum providentialium dispositionum Dei super nostra aetate, veluti transitus Spiritus Sancti in sua Ecclesia;[56] et vitam ipsius, immo huius nostri temporis universam rationem religiose sentiendi et agendi, nota propria distinguit.[57]

Quapropter, ad hanc actionem pastoralem liturgicam ulterius in Ecclesia fovendam, Sacrosanctum Concilium decernit:

44. A COMPETENTI AUCTORITATE ECCLESIASTICA TERRITORIALI, DE QUA IN ART. 22 § 2, EXPEDIT UT instituatur Commissio liturgica, a viris in scientia liturgica, musica sacra ac re pastorali peritis iuvanda. Cui *Commissioni*, in quantum fieri potest, opem ferat quoddam Institutum Liturgiae Pastoralis, constans sodalibus, non exclusis, si res ita ferat, laicis in hac materia praestantibus. Ipsius Commissionis erit, DUCTU AUCTORITATIS ECCLESIASTICAE TERRITORIALIS, DE QUA SUPRA, et actionem pastoralem liturgicam in SUA DICIONE moderari, et studia atque necessaria experimenta promovere, quoties agatur de aptationibus *Apostolicae* Sedi proponendis.

45. Eadem ratione, in singulis dioecesibus Commissio de sacra Liturgia habeatur, ad actionem liturgicam, moderante Episcopo, promovendam.[58]

Opportunum aliquando evadere potest ut plures dioeceses unam Commissionem constituant.

36. [*Commissiones de Musica sacra et de Arte sacra*]. Praeter Commissionem de sacra Liturgia, in quavis dioecesi constituantur, quantum fieri potest, etiam Commissiones de Musica sacra et de Arte sacra.[57]

Necessarium est ut hae tres Commissiones consociatis viribus adlaborent; immo non raro congruum erit ut in unam Commissionem coalescant.[58]

NOTAE

[53] Recolantur verba S. IGNATII ANTIOCHENI: « Omnes episcopum sequimini, ut Iesus Christus Patrem, et presbyterium et apostolos; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Nullus sine episcopo aliquid operetur eorum quae conveniunt in Ecclesiam. Illa firma gratiarum actio reputetur, quae sub episcopo est, vel quam utique ipse concesserit. Ubi utique apparet episcopus illic multitudo sit, quemadmodum utique ubi est Christus Iesus, illic catholica Ecclesia. Non licitum est sine episcopo baptizare neque agapen facere, sed quod ille probaverit, hoc est Deo beneplacitum, ut stabile sit et firmum omne quod agitur » (Smyrn. 8). « Quemadmodum ... Dominus sine Patre nihil fecit, unitus existens, neque per seipsum neque per apostolos, sic neque vos sine episcopo et presbyteris aliquid operemini; ... una oratio, una deprecatio, unus intellectus, una spes in caritate, in gaudio non inquinato, quod est Christus Iesus, quo melius nihil est. Omnes ut in unum templum concurrite Dei, ut in unum altare, in unum Iesum Christum, ab uno Patre exeuntem et in unum existentem et revertentem » (Magn. 7). « Studete igitur una gratiarum actione uti; una enim caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix in unionem sanguinis ipsius; unum altare et unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conservis meis; ut quod facitis, secundum Deum faciatis » (Phil. 4).

[54] Cf. PIUS XII, Allocutio diei 22 sept. 1956: AAS 48 (1956) p. 712.

[55] Ibidem, p. 724.

[56] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 562; S. RITUUM C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 118.

Opportunum aliquando evadere potest ut plures dioeceses unam Commissionem constituant, *quae, collatis consiliis, rem liturgicam provehat.* [7]

46. Praeter Commissionem de sacra Liturgia, in quavis dioecesi constituantur, quantum fieri potest, etiam Commissiones de Musica sacra et de Arte sacra.[59]

Necessarium est ut hae tres Commissiones consociatis viribus adlaborent; immo non raro congruum erit ut in unam Commissionem coalescant.[60]

NOTAE [8]

[55] Recolantur verba S. IGNATII ANTIOCHENI: « Omnes episcopum sequimini, ut Iesus Christus Patrem, et presbyterium et apostolos; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Nullus sine episcopo aliquid operetur eorum quae conveniunt in Ecclesiam. Illa firma gratiarum actio reputetur, quae sub episcopo est, vel quam utique ipse concesserit. Ubi utique apparet episcopus illic multitudo sit, quemadmodum utique ubi est Christus Iesus, illic catholica Ecclesia. Non licitum est sine episcopo baptizare neque agapen facere, sed quod ille probaverit, hoc est Deo beneplacitum, ut stabile sit et firmum omne quod agitur » (Smyrn. 8). « Quemadmodum ... Dominus sine Patre nihil fecit, unitus existens, neque per seipsum neque per apostolos, sic neque vos sine episcopo et presbyteris aliquid operemini; ... una oratio, una deprecatio, unus intellectus, una spes in caritate, in gaudio non inquinato, quod est Christus Iesus, quo melius nihil est. Omnes ut in unum templum concurrite Dei, ut in unum altare, in unum Iesum Christum, ab uno Patre exeuntem et in unum existentem et revertentem » (Magn. 7). « Studete igitur una gratiarum actione uti; una enim caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix in unionem sanguinis ipsius; unum altare et unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conservis meis; ut quod facitis, secundum Deum faciatis » (Phil. 4).

[56] Cf. PIUS XII, Allocutio diei 22 sept. 1956: AAS 48 (1956) p. 712.

[57] Ibidem, p. 724.

[58] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) p. 562; S. RITUUM C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 118.

[8] [57] Commissiones dioecesanae de Musica sacra constituendae sunt ad normam « Motu proprio » s. Pii X, diei 22 nov. 1903 (n. 24); Commissiones de Arte sacra pro Italia, per Litteras Circulares Secretariae Status, diei 1 sept. 1924 (Prot. 34215); Commissiones de sacra Liturgia per Litt. Encycl. *Mediator Dei* Pii XII, diei 20 nov. 1947 (AAS 39 [1947] pp. 561-562).

[58] Quo expeditius et securius labor perficiatur, *Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia* (n. 118), consulit ut « tres memoratae Commissiones non seorsim, sed una simul conveniant et, collatis consiliis, communia negotia pertractare et solvere satagant ».

[59] Commissiones dioecesanae de Musica sacra constituendae sunt ad normam « Motu proprio » s. Pii X, diei 22 nov. 1903 (n. 24); Commissiones de Arte sacra pro Italia, per Litteras Circulares Secretariae Status, diei 1 sept. 1924 (Prot. 34215); Commissiones de sacra Liturgia per Litt. Encycl. *Mediator Dei* Pii XII, diei 20 nov. 1947 (AAS 39 [1947] pp. 561-562).

[60] Quo expeditius et securius labor perficiatur, *Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia* (n. 118), consulit ut « tres memoratae Commissiones non seorsim, sed una simul conveniant et, collatis consiliis, communia negotia pertractare et solvere satagant ».

3 – RELATIO EXC.MI P. D. FRANCISCI GRIMSHAW
Archiepiscopi Birminghamiensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres Concilii,

In quattuor ex his quinque articulis, qui nunc proponuntur a Sacro Concilio approbandi, episcoporum explicita fit mentio. Patebit ergo multa quae suggeri poterant, et de facto sunt suggesta, accurate indicari non posse, nisi relatio habeatur ad ea quae in decursu Concilii de iisdem episcopis quoad eorum potestatem statuentur.

Emendationes ergo omnes commissio attente consideravit. Quae accipiendae videbantur, in textum insertae sunt. Quaedam vero, quamvis laude non carent, non accipiendae visae sunt quia potius ad ius canonicum pertinebant aut quia alibi in textu satis innuebantur. Meminisse enim iuvat textum schematis de generalibus principiis agere, nec nimis exceptionibus et rebus minimis particularibus gravari debere.

Ad primam emendationem ergo.[1] Quidam Patres dixerunt verba quae habentur in pag. 169 *primi schematis*[2] linn. 27-30: « *Quamobrem nonnisi ex causa rationabili...* » etc., praeceptum continere quod difficile esset in praxim deducere, praesertim cum verba « *nonnisi ex causa rationabili* » illa omni vi privarent. Ceterum, cum res ad alia schemata, utpote disciplinaris, pertineat, maluimus illa verba e nostro schemate delere.

Ad secundam emendationem.[3] Quod vero attinet ad commissiones liturgicas nationales a conferentiis episcopalibus instituendas, cum nondum constet quid Concilium de harum iuridica constitutione et potestate decernat, rem eodem modo enuntiavimus ac in superioribus articulis: scilicet verbis « *competens auctoritas ecclesiastica territorialis* ».

Cum demum commissiones interdioecesanae alius omnino formae

sint ac commissiones illae nationales a competenti auctoritate territoriali instituendae, in fine art. 35 haec verba addidimus: « *quae, collatis consiliis, rem liturgicam provehat* ».

Patet enim huiusmodi commissiones interdioecesanas nulla vi iuridica pollere, sed tantum collatis consiliis procedere posse.

Hae igitur sunt emendationes, quae horum articulorum substantiam attingunt, et vobis proponuntur ad approbandum. Ceterae vero ad ipsam sermonis formam tantum referuntur vel sunt omnino minoris momenti. Dixi.

In textu typis edito: [1] deest. [2] deest. [3] deest.

4 – PATRUM ORATIONES

De Ecclesia (prosequuntur)

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. LERCARO

Archiepiscopus Bononiensis

Venerabiles Patres,

1. Ante omnia, insisto in iis de quibus dixerunt em.mi DD. cardd. Suenens et Montini: de fine huius Concilii, de ordine et reductione thematum et praecipue de necessitate enucleandi doctrinam de Ecclesia.

Requiritur doctrina de Ecclesia, quae valeat funditus penetrare ultra ea ordinis iuridici lineamenta, quibus schemata plerumque adhaerere sunt visa.

Haec enim videtur possibilis conclusio huius sessionis Concilii nostri: duo menses laboris et investigationis vere humilis, liberae, fraternae, Spiritu Sancto adiuvante, eo nos perduxerunt, ut intellegamus, melius et omnes simul, quae Concilium Vaticanum II hominibus huius aetatis proponere debeat; id est: intimum Ecclesiae mysterium, quasi « magnum Sacramentum » Christi, Verbi Dei, se revelantis, inhabitantis, viventis et inter homines operantis.

2. Eo autem tendunt haec mea verba, ut intentiores nos faciant in adspectum huius mysterii Christi in Ecclesia, *adspectum* [1] non tantum perennem et essentialem, sed etiam maximae historicae actualitatis.

Hoc dicere volo: mysterium Christi in Ecclesia semper *fuit et* [2] est,

sed hodie praecipue est mysterium Christi in pauperibus; quatenus Ecclesia, prout ait Sanctus Pater Ioannes XXIII, Ecclesia quidem est omnium, at praesertim est « Ecclesia pauperum ».

Me autem perlegentem indicem omnium schematum heri nobis datum, aliqua admiratione affecit hic defectus: omnia themata nobis proposita vel proponenda non videntur considerare consulto, explicite et modo adiunctis historicis adaequato, hunc adspectum essentialem et primarium mysterii Christi: adspectum a Prophetis praeannuntiatum quasi authenticum signum consecrationis messianicae Christi; adspectum ab ipsa Salvatoris Matre magnificatum in incarnatione Verbi; adspectum promulgatum in Nativitate, infantia, vita abscondita et publico magisterio Iesus; adspectum qui est lex et fundamentum regni Dei; adspectum, a quo modum recipit tota gratiae effusio et Ecclesiae vita, inde a Communitate Apostolica, usque ad tempora potioris *et melioris* [3] renovationis interioris et exterioris *expansionis* [4] ipsius Ecclesiae; adspectum tandem, qui sancietur in aeternitatem, praemio aut poena, in secundo et glorioso adventu Filii Dei, in fine temporum.

3. Quapropter concludentes hanc primam phasim nostrae Synodi, nos oportet agnoscere et solemniter proclamare: muneri nostro non satisfaciemus neque consilium Dei et hominum exspectationem, aperto animo, recipiemus, nisi ponamus, quasi centrum et animum operis doctrinalis et legislativae huius Concilii, mysterium Christi in pauperibus et evangelizationem pauperum; hoc enim est officium manifestum, concretum, actuale, urgens aetatis nostrae. Quippe quae aetas est in qua, aliis aetatibus comparata, pauperes evangelizari minus videntur, et in qua corda eorum a mysterio Christi in Ecclesia abalienata et extranea apparent; aetas est in qua tamen animus hominum interpellat et investigat anxiis et fere dramaticis quaestionibus mysterium paupertatis, et sortem pauperum, singulorum hominum sed et populorum in miseria degentium, qui tamen iura propria noviter agnoscunt; aetas, in qua paupertas plurimorum (duarum tertiarum partium generis humani) iniuria afficitur comparatione immensarum divitiarum paucorum, et in qua, magis magisque in diem, multitudines paupertatem horrescunt et homo carnalis divitias sitit.

4. At revocans — prout et alii fecerunt — problema evangelizationis pauperum, longe est a me tantum aliud thema addere in indice iam nimis copioso thematum Concilii; sed hoc intendo affirmare: verioribus ac profundioribus exigentiis nostri temporis, inclusa summa nostra spe unitatis omnium christianorum ... [5], non satisfaciemus, sed ab illis evademus, si aggrediemur thema evangelizationis pauperum quasi unum ex tot thematibus Concilii.

Non enim de aliquo quocumque themate agitur sed, aliquomodo, de themate simpliciter Concilii nostri.

Revera, si Ecclesia — sicut pluries dictum est *in hac aula* [6] — thema est Concilii huius, plena cum conformitate aeternae veritati Evangelii ac simul cum adaequatione adiunctis huius temporis, affirmari potest thema huius Concilii esse Ecclesiam, quatenus praecipue « Ecclesiam pauperum ».

5. Hoc obiecto Concilii ita delineato, mihi liceat sequentes propositiones facere:

a) In sua futura opera Concilium non tantum aliquam partem, sed quasi primariam partem faciat enucleationi doctrinae evangelicae sanctae paupertatis Christi in Ecclesia; illustrando divinum consilium, paupertatem eligens quasi signum et modum — « Sacramentum magnum, dico, in Christo et in Ecclesia » — praesentiae et virtutis salvificae Verbi Incarnati inter homines.

b) Habeat pariter aequam prioritatem enucleatio doctrinae evangelicae eminentis pauperum dignitatis, quasi Ecclesiae membrorum electorum, quia membra sunt in quibus praeferentialiter Verbum Dei suam gloriam abscondit usque ad finem temporum.

c) Iuxta novam ordinationem schematum omnium doctrinalium, quae invocata est a pluribus, in omnibus thematibus praesens habeatur et in luce ponatur *connexio ontologica* inter praesentiam Christi in pauperibus et duas alias profundiores realitates mysterii Christi in Ecclesia, id est: praesentia Christi in actione eucharistica qua Ecclesia coadunatur ...[7], et praesentia Christi in sacra hierarchia quae Ecclesiam docet et regit.

d) Pariter in elaborandis schematibus de renovatione institutionum ecclesiasticarum et de methodis evangelizationis, praesens habeatur et in luce ponatur *connexio historica* inter sinceram et actuosam agnitionem eminentis dignitatis pauperum in regno Dei et Ecclesia ex una parte, et ex altera parte nostram sufficientiam in recognoscendis obstaculis, possibilitatibus et methodis adaequationis institutionum ecclesiasticarum.

6. His positis, ad modum conclusionis et practicae confirmationis, sufficiat aliquot exempla — *ad modum dico exemplorum* [8] — proponere thematum in quibus opus erit ut decreta nostra reformationis instent, cum sapientia quidem et moderatione, sed et absque ulla timiditate et absque compromissione.

a) Delimitatio usus mediorum materialium, praecipue illorum quae minus sanctae paupertatis speciem prae se ferunt, iuxta illud: « argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do ».

b) Delineatio novi styli et decoris Sacrorum Antistitum, quae sensus hominum huius temporis admiratione non afficiat, neque paupe-

ribus occasionem praebeat scandali; ne nos *etiam,*[9] qui saepe saepius pauperes vere sumus, divites videamur.

c) Fidelitas sanctae paupertati non tantum individuali, sed etiam communitariae, ex parte familiarum religiosarum.

d) Novus ordo de re oeconomica, qui deserat quasdam institutiones temporis acti, quae iam utilitate carent et impedimenta afferunt libero et generoso operi apostolico. *Et alia similiter.*[10]

7. Si dociles nos praebebimus consilio divinae Providentiae, in affirmando et persequendo primatu evangelizationis pauperum, difficile non erit, Spiritu Domini *afflante,*[11] et Maria Matre Dei *adiuvante,*[12] invenire pro omnibus problematibus, tam doctrinalibus quam practicis, authenticam methodum praesentandi integre, absque ulla reticentia aut attenuatione, aeternum et immutabile Evangelium Dei; ac simul, offerendi illud eo modo quo facilius totam familiam christianam in unum, sicut Pater et Christus sunt unum, coadunet et quo profundius corda tangat ac spes impleat hominum omnium huius temporis, pauperum praesertim in Ecclesia Christi, qui, cum esset dives factus est pauper, ut nos gratia et gloria sua ditaret. Dixi. [*Plausus*].

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] extensionis. [5] fovendae. [6] deest. [7] et constituitur. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] adiuvante. [12] protegente.

Praeses: Nunc exc.mus arch. a secretis leget *ordinem agendorum tempore quod inter conclusionem primae sessionis Concilii Oecumenici et initium secundae intercedit.*

Secretarius generalis: Quidam Patres petierunt an facultas, data a Summo Pontifice de celebrando Sacro quacumque hora, extenderetur ad omnes dies profectus, et ad omnes personas, quae comitantur episcopum. Respondetur ad utrumque: *Affirmative,* ex audientia concessa em.mo cardinali a publicis negotiis, die quinta decembris 1962.

Ut igitur, quemadmodum dicebam, labores Concilii prosequantur fructuose, etiam in intervallo temporis, Summus Pontifex, iuxta ea quae iam in diuturna industriosa praeparatione parta sunt, et usu pretiosissimo huius primae periodi didicimus, hunc *ordinem* statuere dignatus est et approbare in audientia concessa em.mo cardinali a secretis Status, pariter die quinta huius mensis... [*Cf. vol. I, pars I, pp. 96-98*].

[*Plausus*].

Praeses: Nunc resumitur disceptatio super schema *de Ecclesia.*

2

Exc.mus P. D. HENRICUS COMPAGNONE
Episcopus Anagninus

Venerabiles Patres,

A. Ex his quae in aula conciliari audivimus inde a primo die quo incepit disceptatio circa schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* iam satis apparet qua opinionum varietate Patres sentiant circa ipsum.

Hoc sane non inopinate occurrit eximiis illis viris, quorum plures sunt Patres huius Concilii, qui ut membra aut consultores commissionis praeparatoriae a Summo Pontifice delecti, ad textum schematis parandum diu et diligentissime adlaborarunt.

Perspectum habebant se *schemata, non textus decretorum aut constitutionum* [1] Patribus Concilii exhibituros esse: *schemata, inquam, quae ex disceptatione in aula praevidebantur emendanda, perficienda, in quibusdam resecanda aut reducenda, in aliis integranda aut amplianda.*[2]

Non mirum igitur quod de hoc schemate, sicut de quolibet alio, disceptetur, et ...[3] funditus disceptetur, et quod Patres in diversas abeant sententias aut quandoque emendationes alias aliis contrarias proponant.

Sed disceptetur animo sereno, cum debita, ex corde, aestimatione eorum quae ab eximiis viris diuturna meditatione praeparata fuerunt et quae, ut iure praesumitur, constituere debent basim laboris conciliaris.

Rigorose exigenda est observatio sapientissimae normae, quod non impugnetur textus nisi positive et concrete proponatur eius emendatio. Ita certo certius multae emendationes a singulis propositae et inter se non componibiles ...[4] elidentur. Manifestabitur etiam quantus sit consensus in positivis eorum qui consentiunt in negativis. In omnibus autem dominetur temperantia et praesertim caritas. Cessent quaeso illae tribuniciae et demagogicae allocutiones in quibus sub verborum et vocis concitatione animi concitatio manifestatur. Non sumus hic ut iudicemus de qualitate vocis, de dotibus oratoriis, de quantitate impetus in eloquio fundendo. Sumus hic *ad iudicandum* [5] de enunciationibus et de rationibus quibus nituntur. Quare non simplici et conciso eloquio illae et istae, scilicet enuntiationes et earum rationes, proponuntur? Quare, ut notatum est, adhuc considerari pergimus ut catechumeni, et nondum apti ut promoveamur ad gradum Patrum Concilii?

Venerabiles Patres, res de quibus agimus momentosae sunt; circa servitium nostri magisterii de hisce rebus praestitum animabus, rationem reddituri sumus. Indigemus omnino animi serenitate ad meditandum et

iudicandum. Sermonis, vocis et animi concitatio fastidium generant, et ad resistendum inclinant, etiam cum res quae dicuntur benevolam attentionem per se exigerent. Sit pondus, venerabiles Patres, non vocis concitatae, et verborum quae nonnumquam iurgia sapiunt, sed rerum.

Nunc,[6] venerabiles Patres, sinatis me aliqua verbotenus tantummodo dicere quia nos, ea quae sunt scripta, iam practica non habent momentum nunc, post declarationem, quae hodie facta est, Augustae mentis Summi Pontificis. Gaudeo tamen quod ea quae scripsi omnino consonant cum his quae hodie nobis communicata sunt.

Loquebar scilicet de hierarchia finium Concilii, quam hierarchiam ego nisus sum cognoscere pertingendo ad mentem Summi Pontificis, ex consideratione praesertim laboris praeparatorii, schematum, laboris praeparatorii totius Concilii.

Hoc notabam praesertim, quod Summus Pontifex, decem commissiones constituit, et unum secretariatum pro unione. Tituli harum decem commissionum explicite et directe referebant istas commissiones et materias earum ad vitam internam Ecclesiae promovendam et fovendam. Summus Pontifex cognoscebat laborem commissionum, ipsis commissionibus multas quaestiones personaliter proposuit, quae quaestiones omnes respiciebant praecise promotionem vitae ipsius Ecclesiae, ad intra. Etiam ipse personaliter quandoque fuit praesens sessionibus, et laudibus dignatus est afficere laborem commissariorum.

Exinde, mihi videbatur omnino dicendum esse quod scopus essentialis Concilii est vita interna Ecclesiae promovenda ut, sic renovata ista vita Ecclesiae, ipsamet efficacius suam praesentiam in mundo posset manifestare, et ipsi christiani, sic renovati, possent testimonium de Christo efficacius praesentare, sive in favorem fratrum baptizatorum separatorum, sive etiam in favorem eorum qui Christi fidem non habent.

Exinde, praecise, ista hierarchia finium sic stabilita, sequebatur pro me, ut mihi videtur, criterium methodicum pro labore ulterius perficiendum.

Gaudeo quod haec etiam dicta sint in communicatione quae data est.

Adiungebam quamdam allocutionem brevissimam ad carissimos et desideratissimos Observatores. Scilicet, volebam illis declarare: nullum in hoc Concilio, nullum ex his qui hic sunt praesentes, nolle, vel minus desiderare, vel non satis in corde suo habere desiderium illud ardens ut tandem illucescat dies quo in sinu unius Matris Ecclesiae invicem fraterne amplexari possimus. Et rogabam eos ut dicerent suis Communitatibus hunc esse unanimem sensum omnium nostrum, sicut supremus Pastor toties et tot modis ostendit, hoc esse ardens studium sui cordis paterni.

Praeses: Habe me excusatum, reverende Pater, tempus tibi concessum finitum est. Postulasti facultatem loquendi de schemate Ecclesiae, sed nihil audivimus a te super hoc: tantum examen conscientiae Concilii fecisti. Gratias tibi agimus!

In textu scripto tradito: [1] schema, non textum. [2] Schema, inquam, quod ex disceptatione in aula praevidebatur emendandum, perficiendum, in quibusdam resecandum aut reducendum, in aliis integrandum vel ampliandum. [3] quidem. [4] invicem. [5] ut iudicemus. [6] [*Quae sequuntur desunt in textu scripto, in quo haec habentur*]: B) obiectum est schema non esse pastorale ad mentem Summi Pontificis indicentis hoc Concilium.

Quis autem melius et verius quam ipse Summus Pontifex eius mentem novit? Quae quidem mens non uno tantum sermone manifestata est, aut una phrasi unius sermonis, sed innumerabilibus vicibus et multiplici sub aspectu.

In eius sermonibus inde a primo nuntio Concilii hoc praesentatur praeponderanter omnino ut medium internae renovationis vitae Ecclesiae. Ex hac renovatione volebat Summus Pontifex, ut Ecclesiae praesentia in mundo efficacior fieret et christianorum testimonium de Christo luce splendidiore claresceret. Simul autem pro suo paterno amore erga omnes baptizatos omne inceptum promovit ut fratres separati ad matris amplexum allicerentur.

Quae quidem *simul* Concilio commisit, sed ut bene dictum est in hac aula, servata hierarchia finium.

Hoc comprobatur ex modo quo Concilii praeparationem ipsemet ordinavit.

Decem commissiones constituit et unum secretariatum ad unionem fovendam. Ipsae denominationes illarum commissionum clare indicant illas ad vitam internam Ecclesiae renovandam et fovendam ordinatas fuisse. Non paucas quaestiones tractandas, quae omnes vitam internam Ecclesiae exclusive respiciebant, ipsemet Summus Pontifex indicavit.

Labores commissionum fere sub eius oculis procedebant; immo ipsemet personaliter dignatus est nonnullis sessionibus praeesse et verba approbationis et laudis proferre.

Quibus omnibus simul consideratis, *quantum ad nostrum schema* consentio illud posse integrari et ex hac integratione vere meliorari et efficacius reddi; sed non consentio his qui dicunt schema praesens non esse pastorale ad mentem Summi Pontificis.

Vobis autem, carissimi et desideratissimi Observatores, declarare velim haec minime significare in animo vel unius ex nobis deesse ardens desiderium ut tandem illucescat dies quo in sinu unius matris Ecclesiae invicem fraterne amplexari possimus. Dicite vestris Communitatibus hunc esse unanimem sensum omnium nostrum, sicut Supremus Pastor toties et tot modis ostendit hoc esse ardens studium sui cordis paterni.

C) Obiectum est etiam in schemate nimis adhiberi locutiones scholasticas, quas, dictum est, fideles et praesertim fratres separati, non intelligunt.

Quia, in praesenti, disceptatio est generaliter de schemate, non bene notum est ad quasnam schematis partes vel phrases haec obiectio in concreto et determinate referatur. Hoc tamen saltem acceptare non possum, quod scilicet labor

theologorum in schola consideretur quasi inutile et avulsum a munere pastorali Ecclesiae docendi fideles.

Quid, quaeso, faciunt theologi, quid fecerunt per saecula, nisi, ut verbis Vaticani I loquar, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam, eamque fructuosissimam, pro se et pro aliis inquirunt? nonne theologi sunt necessarii cooperatores ipsius magisterii hierarchici? nonne magisterium praedicationis, doctrina de vita spirituali, ipsa fidelium pietas, inniti omnino debet exactae formulationi veritatis, sive directe in revelatione contentae, sive serio studio theologico acquisitae, ne ex veritatibus approximativis pericula oriantur pro vita animarum.

Nil mirum igitur quod Concilium, ubi oporteat conceptum exactum exprimere, formulas adhibeat studio theologorum accurate expolitas.

Immo meo humili iudicio hoc est praecipuum munus Concilii et ad hoc tendere debent disceptationes: ut scilicet formulatio doctrinae sit omnibus numeris absoluta et praecisa, quantum fieri possit. Hoc est servitium magisterii quod a Concilio expectant sive qui intra sive qui foris sunt.

Concludo: Schema placet quantum ad munus pastorale Ecclesiae et quantum ad curam tradendi doctrinam clare et exacte expressam. Si autem integretur iuxta Patrum suggestiones, magis completum et efficacius erit.

3

Exc.mus P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, praelatus Cluniensis

Venerabiles Patres,

1. Omnes quotquot hic congregamur, procul dubio eodem vehementi studio movemur Evangelii efficacius praedicandi, ita ut omnes homines, meliore quo fieri possit modo, voluntatem Dei salvificam agnoscentes, salutem consequantur.

2. Pro certo etiam habeo omnes qui hactenus locuti sumus, eumdem firmissimum animum habere fidem catholicam integre inviolateque servandi. Hac de causa iudico non multum caritati indulgere qui tamquam suspectos haberet eos qui, legitimo progressui obsequentes, existimant in munere evangelizationis novos atque efficaciores modos esse adhibendos ut fides catholica intimius cognoscatur et ametur, etiam ab eis qui extra Ecclesiae septa versantur.

3. Opinionum vero diversitas, *uti iam dictum est,*[1] inter nos exoritur quando de fidei proponendae explicandaeque *modo* agitur, nam integritatem fidei simul tueri ac novas evangelizationis vias explorare contendimus.

4. Bene perspectam habeo atque plane intelligo eorum Patrum conciliarium diligentiam ac sollertiam, qui aptum proponendae veritatis

modum sollicite quaerunt ut in territorio missionum suaviter homines ad veram fidem adducantur.

Nec me latet anxia aliorum Patrum sollicitudo ut efficacior veritatis salvificae modus inveniatur, qui utiliter adhiberi possit erga eam hominum multitudinem qui, etiam baptizati, veritatis ac vitae christianae immemores, paganorum more, vitam degunt; atque etiam laude dignos existimo eos qui in visceribus Iesu Christi et eius caritate moti, de fratribus separatis cogitant eosque ardentissimo ac pastorali zelo prosequuntur...[2]

Eo vel magis eorum cogitandi ac loquendi modum plane intelligo, quia me etiam diuturna sollicitudo tenuit inveniendi methodum qua omnes homines, modo hodiernae mentalitati accommodato, ad veram fidem et sinceram vitam christianam allici possent.

Hac felici experientia innixus, vobis affirmare gaudeo nos posse invenire vias efficacioris progressus in proponenda veritate catholica sine transgressione limitum quos falsus irenismus suaderet, et sine despectu earum rationum quas Ecclesia, plurisaeculari sua experientia, in sua theologia nos edocuit. Ita facientes in praxim deducimus notos aphorismos: « Non nova, sed noviter »; « haec facere et illa non omittere ».

Ego ipse huiusmodi specimen ac methodum in mea dioecesi adhibeo, et in multis aliis ex diversis ac longinquis regionibus etiam cum fructu adhibetur. Ea nempe methodus traditionali theologia innixa, viam ac modum theologicum simul ac psychologicum sequitur, quo Christi mysterium et mysterium Ecclesiae vitali modo proponitur, salvifica Dei voluntas perspicue innotescit, investigabiles divitiae gratiae et caritatis supernaturalis patefiunt, neque tamen natura Ecclesiae iuridica, hierarchica et sacramentalis celatur...[3]

Hac de causa non mihi bene videtur totum schema reicere eo quod aliqui defectus maioris vel minoris momenti in eo existant. Schema est sua doctrina solidum, claritate perspicuum, et traditionali theologia innixum, et rationem saepe habet eorum quae hodierna adiuncta postulant.

Aliunde nihil mirum si schema, opus humanum cum sit, etiam si a doctissimis viris peractum, quibusdam defectibus laboret et correctiones admittat. Peragantur sane tales correctiones; quidquid opportunum aut congruentius visum fuerit addatur; sed limites humilitatis ne transgrediamur radicalismum extremum profitendo dum schema omnino reiciendum asseritur.

Existimant nonnulli Patres schema indolem magis pastoralem, positivam et oecumenicam prae se ferre debere; nonnullas dicendi formas minus opportunas esse corrigendas ut hominibus omnibus, dicendi forma

magis psychologica, Ecclesiae materna agendi ratio et Dei miserentis consilia omnes homines salvos faciendi, clarius appareant. Haec omnia fiant sane: vitentur tamen pericula de quibus Pius XII in Litteris Encyclicis *Humani generis* nos docuit. *Dicebat:*[4] « Hodie non desunt qui eo usque procedere audeant ut serio quaestionem moveant num theologia eiusque methodus, quales in scholis ecclesiastica approbante auctoritate vigent, non modo perficiendae, verum etiam omnino reformandae sint, ut regnum Christi ubique terrarum, inter homines cuiusvis culturae vel cuiusvis opinionis religiosae efficacius propagetur. Quodsi iidem nihil aliud intenderent quam ad disciplinam ecclesiasticam eiusque methodum hodiernis condicionibus ac necessitatibus, nova quadam inducta ratione, aptius accommodandas, nulla fere esset causa timendi; at vero imprudenti aestuantes « irenismo », nonnulli veluti obicem ad fraternam unitatem restaurandam ea putare videntur, quae ipsis legibus ac principiis a Christo datis innituntur... quibus collapsis, omnia quidem, sed solummodo in ruinam... »...[5]

Ratio quoque habenda est eorum quae ad terminologiam theologicam, saeculari usu in Ecclesia adhibitam, spectant. Dicebat Pius XII: « Negligere, vel reicere, vel suo valore privare tot ac tanta, quae pluries saeculari labore a viris non communis ingenii ac sanctitatis, invigilante sacro Magisterio, nec sine Sancti Spiritus ductu, ad accuratius in dies veritates fide exprimendas mente concepta, expressa ac perpolita sunt, ... non modo summa est imprudentia, verum etiam ipsum dogma facit quasi arundinem vento agitatam »...[6]

Certo duo extrema pariter sunt vitanda; caveamus nempe ne doctrinam, exactam quidem sed archaicis formulis inclusam proponamus, tali modo ut ea inutilis reddatur in hodiernis disceptationibus (quod quidem in seminariis et in domibus studiorum pro religiosis necnon in praedicatione fidelium non raro accidit); sed curemus quoque ne in novitates incidamus quae iuventuti quodammodo placent, doctrinam vero corrumpunt et veram intellectus illustrationem impediunt, sicut praemonuit *Pius XII*[7] in litteris ad episcopos brasilienses.

Ea, quae antecedunt, breviter absolvam.

In praesenti, non modo christiani sed etiam perplures, magno studio aut saltem curiositate permoti, huius de Ecclesia disceptationis exitum exspectant et avide eius conclusiones scire cupiunt, quos inter, sacerdotes imprimis, et sacrorum alumni in seminariis et religiosis studiorum domibus, sunt adnumerandi. Multi enim existimant nostram disceptationem versari circa ipsam theologiam classicam derogandam vel minus, atque circa ipsum traditionalem Ecclesiae concipiendae modum, ita ut, nisi Concilii mens in hac materia sine ambiguitate et obscuritate ex-

primatur, non pauci inde inferre possent, praefatam terminologiam, hucusque in Ecclesia usitatam, quasi iam inutilem nunc esse et traditionalem Ecclesiae conceptum omnino fuisse a nobis mutatum. Quod quidem quantum a nostra omnium mente et intentione alienum sit, vos omnes scitis.

Hac de causa omnino necessarium existimo ut clare atque perspicue manifestemus nullum, ne minimum quidem retrocessum esse admittendum in his omnibus quae Ecclesiae magisterium hactenus docuit ac determinavit in Conciliis praesertim Tridentino et Vaticano, et documentis pontificiis, praesertim in Encyclicis litteris *Pascendi, Divino afflante Spiritu* et *Humani generis.* Et ita explicite exprimamus ut nunquam possit praeberi ansa et locus falsis interpretationibus quando agatur de institutione alumnorum et de formatione cleri in seminariis et domibus religiosorum. Super haec solida fundamenta, de quibus omnes Patres sine dubio sunt mecum unanimes, inquiramus omnes quaenam sint formae magis psychologicae et pastorales et magis hodiernis hominum necessitatibus accommodatae. Unde:

1. Schema cum honore et in genere approbemus; ...[8] transeat ad commissiones Concilii et circa ipsum postea disceptationes et studia serio ineantur.

Potest exordium vel introductio generalis satis ampla redigi et in diversis capitibus correctiones, modificationes vel additiones peragi possunt, stylo magis pastorali, psychologico et oecumenico uti dicitur, ad mentem nonnullorum Patrum.

2. Vel si melius vobis placuerit, simul cum schemate actuali indolis praesertim theologicae, correctionibus et modificationibus additis, aliud schema parallelum efficiatur indolis praesertim pastoralis, sicut heri proposuit em.mus card. Ruffini.

Quaelibet ex his duabus solutionibus...

Praeses: Exc.me Domine, tempus tuum finitum est!

Orator: Concludo; duo verba. Quaelibet ex his duabus solutionibus a nobis si electa fuerit, iam non de victoribus et victis apud eos sermo esse poterit, qui exitum disceptationum expectant; omnes autem laudare et mirari deberent exemplarem Patrum conciliarium unanimitatem et inexhaustum Ecclesiae magisterium quod, absque detrimento haereditatis, ad nos usque integre conservatae, novas pro hodiernis necessitatibus evangelizationis formas et vias novit invenire.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] et maxime hodiernis in adiunctis cum magis in dies Christi mandatum de christianorum unione nos urget, et cum prae-

terea unio quoque magis necessaria in dies appareat ut, communi christianorum opera, civilizatio christiana contra irruentes materialismi atque atheismi impetus defendatur. [3] Cum plures homines ope huius methodi, etiam inter eos qui in atheismo practico vivebant, et praeconceptis ideis contra Ecclesiam eiusque ministros detinebantur, ad Christum redierint, multi hanc methodum, traditionalem quoad veritates, novam quoad modum, admirabilem appellant. [4] « Plures enim sunt (uti ait), qui humani generis discordiam ac mentium confusionem deplorantes, imprudenti animorum studio permoti, impetu quodam moventur, atque immenso desiderio flagrant infringendi septa, quibus probi honestique viri invicem disiunguntur, " irenismum " talem amplectentes ut, quaestionibus missis quae homines separant, non modo respiciant ad irruentem atheismum communibus viribus propulsandum, sed etiam ad opposita in rebus quoque dogmaticis reconcilianda (Denz. 3008) ». Et ulterius prosequitur idem Romanus Pontifex. [5] (Denz. 3008). [6] (Denz. 3002). Neminem praeterea fugit schema praestantissimis Ecclesiae documentis inniti et Encyclicis Litteris de quarum auctoritate in sollemni quadam occasione Pius XII affirmabat: « Neque putandum est ea quae in Encyclicis Litteris proponuntur, assensum per se non postulare, cum in iis Pontifices supremam sui magisterii potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario haec docentur, de quo illud etiam valet: " Qui vos audit, me audit " (*Lc.* 10, 16); ac plerumque quae in Encyclicis Litteris proponuntur et inculcantur, iam aliunde ad doctrinam catholicam pertinent. Quodsi Summi Pontifices in actis suis de re hactenus controversa, data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorundem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse » (Denz. 3031). [7] anno 1950 Congregatio de Seminariis. [8] ut.

4

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO

Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

Plures Patres conciliares de hoc schemate non sine magno fructu locuti sunt; qua in re toto corde assentio optimismo ...[1] in diiudicando pretioso emolumento huius primae periodi Concilii Vaticani II pro efformanda opinione Patrum communi in quaestionibus maximi momenti, uti sunt vita liturgica, reflexione theologica moderna, motu oecumenico, et nunc variis aspectibus mysterii Ecclesiae; quas quaestiones consideramus nunc non in libris et scholastico modo sed sub speciali et extraordinario ductu Spiritus Sancti in aula conciliari et extra *ipsam* [2] una cum fratribus nostris, testibus et iudicibus fidei suarum Ecclesiarum, ex toto orbe terrarum huc convenientibus et veritatem Evangelii pro nostro et futuro tempore apte proponendam laboriose et cum fiducia assequamur.

De hoc labore iam pluries in hebdomadariis litteris fidelibus et sacerdotibus meis rationem dedi et assensum eorum multimode expertus sum.

Meum humile iudicium de interna et profunda incohaerentia huius schematis locupletatum est plurimis observationibus hic auditis, ita ut etsi multa pretiosa doctrinae *hoc schema*[3] contineat, funditus et ante omnia evangelice redintegrari oporteat.

Ego inter alia notaveram quomodo cap. III, quod aspectum sacramentalem episcopatus exhibet, et aliquomodo explanat, corpus extraneum maneat in toto schemate potius imbutum aspectu iuridico-sociali episcopatus.

In hac praevalente Ecclesiae conceptione, cuius est persequi vestigia in magna illa purificatione a Gregorio VII perfecta, proh dolor! non sine inconscio detrimento, in cap. I una vice (n. 2, lin. 22) tantum episcopi memorantur et quidem nomine « praepositorum » et tamquam fulcrum totius aedificationis tantum designatur Petrus, de quo dicitur in ultima sententia, n. 7: « Petro et successoribus eius, qui sunt Romani Pontifices, *tradidit gubernandam* ».[4] Vera quidem sententia, quae tamen altissimo silentio ius divinum Collegii Apostolici premit. In cap. VII, de magisterio, pagg. 48 et 49 magisterium episcoporum et auctoritatem Ecclesiae potius definiuntur a magisterio et auctoritate Papae, cum rei veritas aliter concipienda sit et Patres Concilii Vaticani I una cum et sub Romano Pontifice ipsam concipiebant...,[5] nam Christus duodecim elegit inter quos caput designavit Petrum, cuius successores ideo quia ab aliis episcopis inter episcopos connumerantur consecratione episcopali primatum tenere possunt.

In schemate, synthesis harmonica non efformatur inter iuridicam, veram quidem, et sacramentalem conceptionem...[6]

Nunc vero maxime notandum est nos ad sacramentale mysterium Ecclesiae delineandum iure non denegato recurrere posse ad revelationem tantum, dum e contra in aspectu iuridico necessario et principia evangelica et realizationes practicas hodiernas consideranda simul venire immo nos assuefactos esse et pro signo filialis et reverentialis pietatis habere has practicas immutatas servare, cum conscientiam naturae episcopatus *aliqualiter*[7] amiserimus.

Sed evidens est historiam vel leviter consideranti institutiones in quibus primatus exprimitur, quibus imago ad intra et ad extra delineatur, ope quarum exercetur, ex dynamismo naturali magnopere decursu temporis excrevisse, non servato principio subsidiarietatis, ita ut primatus in hac naturali tensione, non evangelice, supra modum episcopatum diminueret.

Nemo est certissime qui non videat emolumenta maxima pro vita

Ecclesiae ex hac primatus exaltatione manantia, e. gr., pro independentia Ecclesiarum in singulis nationibus, pro incremento mirabili sanctimoniae sacerdotalis et religiosae, pro unitate mirifice nutrienda auctoritate, curis et amore Summorum Pontificum, pro fide per universum orbem propaganda.

Mirabilis est revera efficacia institutionum Primatus, sed aequilibrium a Domino nostro Iesu Christo institutum ex novo dynamismo renovationis Ecclesiae ad suam puriorem evangelicam originem restituendum est.

Magna quidem fide et maxima caritate, supremo spiritu evangelico, omnes, quibus interest, egemus ut una cum et sub Romano Pontifice modum et limites statuamus *ante omnia* [8] ut directe cum ipso et sub ipso ordinarie, *non tantum extraordinarie,*[9] adunatis consiliis, Collegium Apostolicum regat Ecclesiam...[10]

Pluries in hac aula dictum est, sicut in Concilio Vaticano I Primatum, sic in Concilio Vaticano II episcopatum, immo et naturam Ecclesiae totius, cardinem esse, quod quidem et cognitionem et conscientiam evangelicam, immo et fiduciam mutuam caritate suffultam inter membra episcopatus et Curiae exigit, quae in vertice Summi Pontificatus perlucide micat.

Ad hanc conscientiam fovendam sine dubio valde conferent quae pro laboribus prosequendis inter duas periodos sapienter *decreta sunt a Summo Pontifice.*[11]

Tandem, mea urgente conscientia, duas considerationes vestrae deliberationi submitto.

1. Frequenter in mente revolvo quaenam sit Ecclesiae imago pro filiis Abrahae patris nostri, qui in Iesum Christum nondum credunt. Scio quidem Romanos Pontifices hisce praesertim ultimis temporibus fiduciam populi hebraei consequutos esse, sed nescio utrum...[12] fideles, non obstantibus eorum actionibus adversis, si quae revera sint et rite comprobatae fuerint, amore prosequamur an inconscium antisemitismum habeamus.

2. Sunt praeterea et alii homines, inter quos non pauci domestici fidei, sive catholici sive christiani non catholici adnumerantur, quos inter et Ecclesiam historice fere tantum minae et acrimoniae iam a duobus saeculis viguerunt et vigent, francomuratores scilicet.

I. *Attendere debemus:* [13] catholici quidem nullo modo coetibus massonicis nomen dare possunt et poenae statutae sunt ut deterreantur. Sed cura pastoralis de his catholicis qui quacumque de causa francomuratores fiunt, non cessat.

II. Si vero consideremus fratres non catholicos et eorum ministros *plures,*[14] qui nomen massoneriae dederunt, attendere debemus ad duo

consectaria: *a*) ex una parte hi ministri et christiani non catholici impedimentum non parvum ad unionem communitariam cum Ecclesia in aggregatione fraternitati massonicae invenient; *b*) ex altera parte hi ministri et christiani non catholici fermentum validum essent ad eliminanda ex ipsa massoneria quaecumque antichristiana et anticatholica existant, si Ecclesiam catholicam melius cognoverint, intellexerint et dilexerint.

Origo ipsa massoneriae antichristiana non fuit et indicia quaedam, etsi minima, de possibilitate alicuius reconciliationis cum Ecclesia non desunt hinc inde. Bona fides ex utraque parte et magistra vitae quae est historia, valde conferent ad hoc deplorandum dissidium sanandum. Pia Mater Ecclesia viam, duce Spiritu Sancto, quaerere debet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] card. Léger. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] (Denz. 1839). [6] de qua praeclare egit heri ven. frater Michael Doumith. [7] deest. [8] 1). [9] deest. [10] 2) ut Ecclesias nostras tanquam veras Sponsas indissolubiliter foveamus, sine desiderio non evangelico promotionis; 3) ut facultates nostras divinitus concessas sine diminutione non necessaria exerceamus; 4) ut in conferentiis episcopalibus adaptationem missionis ad oves communes quaeramus ubi singuli ad ipsas pascendas revera non valemus; 5) ut nuntios Papae reverenter et peramanter inter nos recipientes, eorum opportune invigilantiae nos summittamus, eorum collaboratione cum gratitudine utamur, sed ministerium nostrum in caritate et pace servemus; 6) ut exemptio tunc temporis forte valde utilis non sit fons vitae contra episcopum. [11] proponuntur, humiliter recolo proportionalem, ut ita dicam, decimalem convocationem Patrum conciliarium pro mense maio. [12] nos omnes pastores et. [13] deest. [14] perplures.

5

Exc.mus P. D. VILLELMUS PHILBIN

Episcopus Dunensis et Connorensis

Em.me Praeses, venerabiles Fratres,

Omnis huius schematis consideratio ex hoc incipi debet quod inscribitur schema dogmaticum, non vero asceticum vel mysticum vel pastorale vel missionarium...,[1] quamvis non debet esse sine respectu ad has et alias scientias ecclesiasticas. Caveamus igitur, ne in ullum sensum et propter ullas rationes detorqueamur nostrum scopum per quem fundamentum praebetur omnibus activitatibus Ecclesiae. Alii fines alibi, in quantum necesse sit, curentur.

Maximus quo laborat defectus disceptatio nostra de hoc schemate

videtur esse huius indolis oblivio vel saltem abstractio a consequentiis quae ex ea sequuntur. Si tamquam constitutio theologica habetur, debet principiis gubernari claris et distinctis quorum acceptatio, ni fallor, multum conferret ad dirimendas controversias tum de hoc schemate tum de aliis.

Vellem, qua par est modestia, tria principia proponere, quorum luce diiudicari possent et ipsum schema et vota et emendationes quae de eo prolata sunt. Per haec principia, ut mihi videtur, applicatio et illustratio fieri potest, exemplis ex praesenti schemate allatis, instructionum ab Augustissimo Pontifice Ioanne XXIII hodie enuntiatarum.

Primum principium. Quod ad doctrinam spectat, munus nostrum principale est defendendi doctrinas quae nostris temporibus oppugnantur, vel contra fidem catholicam vel cum detrimento aut periculo fidei.

Exsistunt plures materiae ubi talis defensio *necesse est etiam in praesenti schemate. Tales sunt, exempli gratia,*[2] quando quaestio oritur de iuribus et auctoritate Ecclesiae. Oportet enim contra absolutismum et totalitarismum hodiernum publice et clare vindicare iura Ecclesiae, ne speciem supplicum geramus coram Statu civili, maximo cum nocumento Ecclesiae, in multis locis ubi talis abstinentia ut signum recessionis et abrogationis ex parte nostra haberetur. Ne nimis timidi simus de expressionibus quae rei militaris etiam triumphalis et iurismi sapiunt: tales enim frequenter habentur in Novo Testamento ad apte illustrandos aliquos aspectus vitae christianae sine detrimento indolis spiritualis.

Sine dispositionibus legalibus etiam societas bene se habere non potest. Totalitas figurarum litterariarum consideranda est et curandum tantum est ut expressiones spirituales praeponderent. Alia materia in qua defendenda est doctrina traditionalis in hoc schemate est distinctio quae habetur inter sacerdotium proprie dictum ordinis et sacerdotium lato sensu omnium fidelium, et spero retentum iri numerum, qui de hac re tractat.

Secundum principium. Ubi talis necessitas defendendi doctrinas non existit, non debemus in re theologica immorari nisi forte in quantum ordo logicus vel connexio rerum indigent brevi conspectu materiae hic vel illic interiacentis. Ex hoc principio accipienda non esse puto multa vota de includendo sectiones speciales novas, quarum vere numerus interminabilis proponi potest. Non scribendus est tractatus theologicus.

Speciatim ne interveniamus sollemni nostro iudicio in rebus hucusque libere disputatis inter theologos, sine praedicta vel alia simili necessitate. Si aliter agimus, praxim transgredimur satis generalem Ecclesiae, et, uti videtur, excedimus intentionem Summi Pontificis. Alia ratio abstinendi est, puto, mens plurimorum Patrum qui se non sentiunt paratos

sollemne iudicium promere de controversiis theologorum vel de rebus nondum sat discussis.

Sub hoc aspectu schema propositum videtur nonnunquam offendere. Notandum est, *obiectio mea non est* [3] contra doctrinas sed contra formalem earum propositionem. Habetur enim doctrina non tantum de infallibilitate Summi Pontificis, sed etiam de opportunitate exercitii huius praerogativae (pag. 48, lin. 14, quacum nota 15 etiam legi debet).

Quoad transmissionem iurisdictionis episcopalis duae existunt opiniones; quarum una hic *vel roboratur vel forsan etiam* [4] confirmatur (pag. 23, initio paginae). Quoad obligationem interni assensus, affirmatur obligatio talis assensus, nulla exceptione admissa, nequidem quoad peritos, tum doctrinae episcopi ex parte subiectorum (pag. 49 linea ultima), tum decisionibus sacrarum Congregationum ex parte omnium fidelium (pag. 50, lin. 17). E contra schema omni prudentia, ubi agitur de relationibus Ecclesiam inter et Statum, abstinet ab interventu in aspectibus de quibus controversia inter catholicos hucusque viget.

Tertium principium. Ubique curemus ne speciem quidem demus recedendi a doctrinis catholicis iam receptis. Laudandum est schema quod nullibi sic agit et vero quod explicitis verbis (pag. 47, lin. 9) talem mentem excludit. Miror et doleo, necesse esse tale principium hic enuntiare, sed videtur ubi agitur de hoc schemate sicut etiam de aliis super eo insistendum esse. Ex disceptationibus enim hic habitis, facile aliquis posset concludere nobis novum genus disciplinae secreti proponi quo nempe nihil dicemus de aliquibus partibus doctrinae nostrae ne a fratribus separatis aegre ferrentur, cum tamen aperto periculo decipiendi eos — et forsan multos ex nostris — de vero ambitu doctrinae catholicae.

Separati tamen non tantum omni caritate tractandi sunt sed etiam in materia fidei nihil quod non necessarium est eis imponendum. Forsan nonnunquam amplior expositio doctrinae nos aliquatenus benevolentiores ostenderet; exempli gratia in schemate proposito multis documentis stabilitur assertio ...[5] membra Corporis Christi esse tantum catholicos.

Tamen in hac materia difficultas multis cognita iam ab em.mo card. Liénart exposita est: nempe, quomodo sine incorporatione aliquo sensu in Corpore Christi, gratia et dona possint in bona fide separatis inesse.

Vellem suggerere possibilitatem distinctionis inter incorporationem plenam et propriam, incorporationem simpliciter dictam in qua verificarentur elementa tum externa tum interna ex una parte et ex altera adnexionem seu associationem minus perfectam ubi elementum externum ex parte deesset...[6]

Si his principiis schema iudicatur, mea opinione, secundum substan-

tiam placet, emendandum sane in nonnullis partibus secundum praedicta et in aliis — non exclusa interpretatione minus probabili dicti S. Patricii (pag. 18, notula 7) — de quibus notitias secretariatui tradam. Quoad praesentationem autem defectu laborat loquendi fusius et modo plus particulari et minusculari, ut ita dicam, quam decet et consonum esset dignitati Concilii Oecumenici.

Proponerem igitur schema dividendum esse in duas partes, quarum una de re doctrinali concise tractaret, raro vero si unquam definitive, altera autem tamquam documentum utilissimum et eruditissimum de multis quaestionibus actualibus cum approbatione Concilii ederetur. Sic procedendo eliminari possent repetitiones et incohaerentiae de quibus multi questi sunt et quae oriuntur, ni fallor, ex desiderio satisfaciendi omnibus votis ab episcopis propositis, cum defectu tamen unitatis totius documenti. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] vel oecumenicum. [2] necessaria est in schemate de fontibus, et quidem quoad S. Scripturam et Traditionem. Tales etiam adesse in praesenti schemate videntur. [3] obiectionem non proferri. [4] deest. [5] (pag. 16, lin. 16). [6] Talibus distinctionibus regulariter fit progressus theologicus.

Animadversiones additae:

Pag. 18, n. 7. Quoad citationem et versionem dicti S. Patricii: textus authenticus legitur « Ut Romani ita *ut* Romani [Christiani] sitis » (non « ita et Romani » prout, uti videtur, in versione supponitur) et in contextu significatio est — « ut christiani sitis sicut Romani (i. e. eodem modo et eodem usu ac Romani, in Gallia e. g. — nam Patricius loquitur de " Gallis Romanis ") curandum est ut habeatis in Eucharistia orationem Kyrie Eleison ». Ergo textus authenticus nihil ad rem dicit.

Pag. 11, lin. 35 ad pag. 12, lin. 1: Periodus obscura et nimis complex.

Pag. 36, linn. 25-27 et pag. 37, lin. 5 habetur repetitio.

6

EXC.MUS P. D. ALEXANDER RENARD

Episcopus Versaliensis

Venerabiles Fratres,

« Multa verba ut palea », aiebat Aquinas in extremis vitae suae annis. Hac sessione in finem vergente, post tanta verba prolata, forsitan paleam offeram! Aliquas animadversiones proponam de notabili defectu in schemate.

Schema latius de episcopis, de statibus perfectionis, de laicis loquitur, et merito. Pluries etiam quaedam verba dicuntur de sacerdotio secundi ordinis (in capp. III, VII, VIII). Sed haec pauca ita brevia et sparsa sunt, ut presbyteratus appareat veluti neglectus a Concilio, dum dantur capita de episcopis, de laicis, de religiosis. Talis defectus dolore afficiet multos presbyteros, multosque episcopos qui sese intime sentiunt cum presbyteris coniunctos. Nostris vero sacerdotibus populoque christiano non loquemur de hac quaestione ...[1] omissa, necnon de quibusdam aliis immaturis quaestionibus, quae nondum coram publico tractandae sunt.

Liceat mihi votum proponere: « Sensus Ecclesiae », mensibus proximis, in contentionibus non minuatur sed potius in ...[2] sereno studio doctrinae communis, magis ac magis in fide et caritate augeatur.

Presbyteri sunt Ecclesiae vivae vires ...[3]; inter omnes filios nostros ipsi sunt filii nostri dilectissimi. Notatur optime in art. 12 quod episcopus in sacramento plenitudinem recipit et de plenitudine hac in presbyteros transmittit. « Paternae plenitudinis abundantia transfunditur in presbyteros ».

Conclusiones quae ex his principiis evolvuntur prorsus insufficientes apparent capitulo cui titulus *de sacerdotio*. Deceret ut unio presbyteri cum episcopis strictius ac in articulo explicitiore exponatur.

1. Presbyter etenim episcopi sacerdotio participat; sacerdotalem gratiam una cum episcopo ad Dei regnum accepit; ordinatur non solum ad missam et sacramenta, sed etiam ad orationem et praedicationem, ut notatur in cap. VII. Iurisdictio autem hic et nunc, ad determinatum apostolatum exercendum, sacerdotalem gratiam applicat...[4]

2. Cum secundi ordinis presbyteri cooperatores sint ordinis episcopalis, una cum episcopo sacerdotale collegium quoddam — presbyterium antiquioris Ecclesiae — constituunt. Vinculum ontologicum, ...[5] a sacramento ordinis causatum, iurisdictionem antecedit. « Actio sacerdotalis ac pastoralis sequitur esse et verum ».

3. Ex ipsa natura sacerdotii patet quod, tam pro episcopis quam pro presbyteris, oratio, pastoralis actio, fraternus amor, labor sacerdotum, paterna episcopi dilectio necnon filialis presbyterorum oboedientia, « in persona Christi » *sed* [6] in corpore Ecclesiae fiant. Atque cap. VIII non distinguit inter oboedientiam a presbyteris et oboedientiam a laicis debitam. Oboedientia sacerdotalis non habet originem primo ex iure, sed ex ipso sacramento.

Verbum « promitto » quod presbyteri proferunt est generosum atque impraecisum; nonne est explicita omnium onerum sacerdotii acceptatio? Melius est ut hoc clara voce affirmetur.

4. Unde votum propono: addatur art. 12 paragraphus in qua plus minusve diceretur: « Sacerdotium secundi ordinis est episcopalis sacerdotii participatio; in illo et cum illo, fundamentaliter ordinatur ad ministerium regni Dei. Ergo dum episcopi gratiae et missioni participant, presbyteri, una cum episcopo proprio et fraterne uniti in unico presbyterio, vivere debent suum sacerdotium in Christo et in Ecclesia ».

Conclusio. Ad Ecclesiae renovationem, maximi momenti est ut in meliore luce ponatur relatio inter presbyteros et episcopos...[7] Utinam, Concilii istius labore, clarescat haec relatio ex fide in fidem! Necessariae enim iuridicae normae ad *doctrinam et*[8] vitam spiritualem ordinantur. Oportet igitur ut presbyteri nostri maximopere ad sancte vivendum sacerdotium auxilientur. « Vos estis sal terrae, quod si sal evanuerit in quo salietur? »...[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ab isto schemate. [2] patienti et. [3] laboriosiores in apostolatu. [4] sed gratia sacerdotalis iurisdictionem ab episcopo collatam antecedit. [5] vel « esse sacerdotale ». [6] et. [7] Nequit Concilium hanc vitalem quaestionem oblivisci. [8] deest. [9] (*Mt.* 5, 13).

7

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES
Archiepiscopus Catacensis-episcopus Squillacensis

Em.me Praeses, venerandi Patres,

Duo mihi tractanda vel indicanda videntur circa hoc schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* videlicet:

1. de rationibus *ob quas* in Concilio propositum est nobis disceptandum hoc schema;

2. de rationibus *secundum quas* paratum est schema, de quo, in genere, quid sentiendum sit, aperiendum est.

Ad primum. Quod in hoc Concilio Vaticano II tractetur *de Ecclesia,* rationes peculiares sunt, quae recte distingui possunt in: *a*) rationes ordinis intrinseci in Ecclesia, *b*) et rationes ordinis extrinseci, videlicet ex exigentiis quae alte persentiuntur in societate mundi praesentis.

A) Si ab his incipiamus, nemo est qui ignoret mundum hodiernum gravi crisi laborare, quae non sine ratione summa ipsius vitae humanae problemata attingit. Expressiones maximae huius crisis habentur in atheismo; ex quo vim accipit naturalismus, velut signum exaltationis hominis *sine* Deo vel *contra* Deum: sed homo qui tali modo conscendere

vult supra ipsum solium Altissimi, ad ima deprimitur per degradationem ipsius suae personalitatis *in massam societatis*. Spontanee in memoriam venit illud S. Augustini de « massa damnata » generis humani ob peccatum primum!

Contra haec omnia quae crisim universalem hodie in mundo determinant, quasi ex imo cordis ingemiscens, mundus hodiernus desiderat scire quid est Ecclesia, praesertim cum videat hodie hierarchiam Ecclesiae ad sepulchrum B. Petri congregatam, cum Summo Pontifice et sub auctoritate Summi Pontificis.

Mundus hodiernus desiderat *scire,* et *apte scire,* an et quomodo reapse Ecclesia Christi sit: societas *supernationalis,* licet inter omnes nationes diffusa; societas *supertemporalis,* licet in tempore existat; societas *supernaturalis,* qua reapse summa bona, nedum humana, sed et vere divina homines adipisci possint.

Hoc totum respondet intimis adspirationibus hominis, quae comprimi quidem possunt, sed nunquam exstingui. Spiritus enim hominis transcendit *corpus*; transcendit *corpus sociale,* transcendit *tempus vitae praesentis,* et tendit *in Deum,* ut in ipso sistat, non tantum intellectualiter, sed et realiter, in pace animae et suavitate vitae, in communione cum ipso Deo et cum omnibus fratribus. Et hoc non habetur nisi per Christum, qui est Filius Dei et via ad Deum, in corpore eius mystico quod est Ecclesia.

B) Si ad rationes ordinis intrinseci attendamus, per hoc schema *de Ecclesia* Concilium Oecumenicum: satisfacere vult plurimis postulatis episcoporum; idealiter uniri iis quae acta sunt in Concilio Oecumenico Vaticano I; adhibere ad servitium doctrinae fidei quam multa quae prodierunt in hoc fere saeculo documenta ecclesiastica et studia profundiora theologorum; quaestiones peculiares tractare circa quas determinationes Concilii multum prodesse possunt: vel ad ambiguitates tollendas: v. g. de sacerdotio laicorum; vel ad naturam potestatis ordinis in episcopatu et in presbyteratu, et ad iura — et potius dicerem ad officia — tuenda et observanda de magisterio ordinario etc.; vel ad errores praecavendos, qui in hac materia influxum maxime deleterium habere possunt: v. g. de oecumenismo.

Ad secundum. His rationibus sive internis sive externis consideratis, quid dicendum de schemate parato?

Schema in sua formulatione, tanto studio — uti audivimus —, et tanto labore paratum, *placet.*

Magis ac magis mihi placeret si, data opera, in ipso schemate de doctrina et de quaestionibus dogmaticis ac theologicis *tantum* tractaretur, remittendo ad instructionem quandam — ab ipso Concilio approban-

dam — omnia alia quae ad rationem praesentationis eiusdem doctrinae pertinent in ordine pastorali, missionario, oecumenico: et sic unitas doctrinae splendesceret et omnia in ordine practico ab ipsa una doctrina facillime vel deducta vel applicata demonstrarentur.

Itaque schema placet, et maximam considerationem meretur, et si in singulis partibus serenae et profundae discussioni ex parte Concilii et postea commissionis supponetur, certe respondere poterit desiderio et exspectationi de quibus iam mox dixi. Eo vel magis quod multi — uti evenit in multis nationibus post ultimum bellum — putant in Concilio revisionem quamdam faciendam esse Ecclesiae *in sua lege constitutionali* quam a divino fundatore ipsa accepit: non certe eo sensu ut modificationes fiant in iure divino, sed ut *clarius appareat* — sicut evenit in Vaticano I de persona publica Summi Pontificis in sua ratione essendi et in suis praerogativis — clarius appareat ratio colligationis omnium membrorum Ecclesiae ad hoc ut omnes stimulum accipiant ad tria: 1) ad finem Ecclesiae consequendum per propriam sanctificationem; 2) ad Ecclesiam ipsam ubique magis ac magis extendendam per praedicationem Evangelii; 3) ad unionem omnium qui christiano nomine gloriantur suaviter promovendam et efficaciter procurandam.

Si singula schematis capita considerantur, haec revera videtur esse idea fundamentalis structurae ipsius schematis.

Sed non esset abs re, mea quidem sententia, ipsis capitibus paratis praemittere prologum seu prooemium, in quo, breviter et concinne praesentato fundamento Ecclesiae a Christo ipso posito quod est Petrus, qui, iuxta Concilium Ephesinum, ...[1] « ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit, et iudicium exercet », omnia capita doctrinae in schemate parata ab ipsis verbis Domini in Matthaeo, 28, 18-20 versiculo...,[2] deriventur.

Et ita haberemus affirmationem Dei Patris, qui mittit Filium, affirmationem Christi qui mittit apostolos, affirmationem Ecclesiae quae est[3] Christus totus, Corpus Mysticum Christi, quod praecise sub hac analogia ad corpus praesentatur ut in lucem ponatur ratio Ecclesiae in aspectu visibili *et sociali*: ex quo auctoritas in Ecclesia, quae est verum *ministerium* seu *servitium,* seu actus maximae caritatis hierarchiae erga Christum ipsum et erga totam Ecclesiam, societatem christianorum viatorum ab ipso Christo fundatam...[4]

Per hoc prooemium, iam ab initio tractationis conciliaris « De Ecclesia », modo convenienti qui est proprius cuiuscumque constitutionis dogmaticae, patebit spiritus vere missionarius, *spiritus pastoralis, spiritus oecumenicus, spiritus*[5] catholicus, qui nunquam defuit Ecclesiae, sed qui hodie urgetur — et non sine causa — ad hoc ut membra Ecclesiae,

pastores et fideles, sacerdotes et laici, religiosi et simplices fideles, pro suo quisque munere, maximo zelo laborent pro Christo, impendant omnia et semetipsos superimpendant pro animabus omnibus, in quibus semper eluceat sigillum Christi redemptoris...[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (D.B. 112). [2] (cf. *Mc.* 16, 15 ss.). [3] V. g.: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra ». Pater omnia dedit in manus Filii: en affirmatio Dei, en affirmatio Christi, en etiam affirmatio Ecclesiae, quae derivat, ut sit. [4] « Euntes ergo »: ex potestate Christi originem habet potestas in Ecclesia quae legitime transmittitur per apostolos. Haec potestas quae transmittitur, *ad unum* data est: facite discipulas meas omnes gentes. Laborate ut mei discipuli fiant omnes homines omnium gentium. Et in hoc est finis laboris evangelizationis ex parte hierarchiae: legatione fungimur ut omnes veritate Christi imbuantur (cf. « qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, etc. »); veritate imbuti, per servitium et cultum Deo sacrentur: baptizantes etc.; Deo consecrati, per obedientiam omnibus mandatis Christi, ad finem vitae aeternae perveniant. Haec omnia apostoli praestabunt, non ex virtute propria, sed ex virtute Christi, semper praesentis mystice, iuridice et moraliter, in Ecclesia sua et in mundo, usque ad consummationem saeculi. [5] pastoralis, oecumenicus et vere. [6] Venerabiles Patres conciliares, nos ipsi hodie facti sumus spectaculum mundo in Concilio adunati. Nos sumus speculum Ecclesiae. Ostendamus in nobis quid sit Ecclesia, in unitate fidei, in sanctitate et caritate mutua, in catholicitate laboris, in apostolicitate sacrificii, in obedientia Petro: nam ubi Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi Christus; ubi Christus, ibi vita.

8

EXC.MUS P. D. IOANNES B. VELASCO
Episcopus Sciiamenensis

Venerabiles Patres,

Occasione disceptationis circa schema *de Ecclesia* saepe a Patribus continguntur veritates quae sunt dogmata iam definita, aut saltem cum iisdemmet necessitudinem habent. Certe, in potestate Concilii Oecumenici Patrum cum Romano Pontifice consentientium, est, quaedam ad pleniorem intelligentiam veritatis revelatae, suo infallibili magisterio, infallibiliter declarare atque definire. Si ita fit, quae sive in hoc *Concilio Oecumenico sive in aliis praeteritis Conciliis pronuntientur, vel pronuntiantur,*[1] ut divinitus revelata ideoque fideliter in posterum ab omnibus credenda, irreformabilia sunt, « nec unquam ab eo sensu... recedendum » est (cf. Denz., n. 1800, decreta I Concilii Vaticani), quin, e contra, « in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia » in perpetuum erunt intelligenda (ibidem sub eodem numero).

Quae cum ita sint, numquid nobis, venerabiles Patres, ius aliquod est aut ignorandi, aut praetereundi, aut emulciendi, aut contradicendi ea quae fuerunt a praeteritis Oecumenicis Conciliis sollemniter definita? Quo usque propero? Statim dicam:

Nuper audivimus in hac aula aliquem Patrem dicentem, *iis vel similibus verbis* [2]: « Romanum Pontificem, cum munere suo infallibilis magistri fungi velit, consilium quoddam inire debere cum episcoporum collegio ». Quae cum audivimus *magno* [3] stupore affecti sumus, candide fatemur. Nonne erat iam satis constitutum in I Concilio Vaticano « Romani Pontificis definitiones *ex sese,*[4] ex sese non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse? » (Denz. n. 1839). Nonne his praecise verbis adnectitur — ad abundantiam — canon ipsius Concilii dicens: « Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere (quod Deus avertat), praesumpserit: anathema sit? »...[5]

De cetero, quaestio haec, uti omnibus sat pernotum habetur, iam fuit a dicto Concilio Vaticano I profunde, diu atque undequaque disceptata. Patres quidam Concilii praxim hanc « praevii consilii pauciorum vel numerosiorum episcoporum, in casu quolibet infallibilis definitionis Romani Pontificis », sancire conati sunt. Inter hos quidem Patres meminisse iuvat Guidi, Bostani, Bsciai, Dubreil, Hindi, Berbadou, Riccio, De Mérode, Verrolles, Landriot, Barberi, Gallo, Amat, Besi et Pukalski.

Card. Guidi, e. g., autumabat Romanum Pontificem munere suo infallibilis magistri fungi non debere nisi « collato aliquando consilio cum pluribus vel paucioribus episcopis » (cf. Mansi, *Sacrorum Conciliorum Collectio,* vol. 52, 1128, n. 37). Emendatio vero proposita, hoc sensu, a dicto card. Guidi, fere unanimiter a Patribus conciliaribus reiiciebatur. Analogae aliae emendationes, a Patribus supra memoratis, suggestae, a longe maiore numero Patrum conciliarium fuerunt repulsae. Patres conciliares I Concilii Vaticani eo vel magis huic propositioni adhaerere renuerunt ne, istius praevii consilii episcoporum necessitate admissa, infallibilitas Romani Pontificis ex consensu episcoporum vel ipsius Ecclesiae dependens quomodocumque diceretur.

Velim itaque, humillime sed firmissime, votum meum proponere: ne umquam in dubium vel in disceptationem ullam revocentur ea omnia quae, sive in hac re tanti momenti sive in aliis, iam clarissime sancita fuerunt a solemni magisterio Ecclesiae. Agitur quippe de veritate sancte tenenda, quae nullo prorsus critico iudicio submitti potest. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] solemni consessu pronuntientur. [2] deest. [3] quadam angustia magnoque. [4] deest. [5] (cf. Denz. n. 1840).

9

Exc.mus P. D. PAULUS BARRACHINA ESTEVAN
Episcopus Oriolensis-Lucentinus

Venerabiles Patres et carissimi Observatores,

Saepe dictum fuit in hoc Concilio, et apud omnes est, schema de Ecclesia esse quidem principale. Et merito quidem. Sed hoc momentum non provenit de hoc capite vel illo, in concreto; sed de toto schemate in se, de conceptione vel visione generali vel totali Ecclesiae. Et duplici ratione praesertim. *Prima*: quia Ecclesia, ut opus Christi maximum, omnia comprehendit, et ubicata, ut ita dicam: in suis locis; et illa omnia vult instaurare in Christo. Et, *secunda ratio;* quia ratio minoris efficientiae sacerdotum et ministrorum, in suis ministeriis, tractu temporis, demonstratum est historice provenire ex illa fragmentaria visione Ecclesiae. Munus Ecclesiae est omnia sua luce splendescere in pristinum ordinem redigere et sanctificare, recreare nempe.

Unde primus scopus Concilii, in tractatione Ecclesiae, est: praestare illam visionem generalem Ecclesiae, modo arcto et systematico. Praebere structuram, lineamenta summa, ut omnes et omnia in ea locum habeant et vocationem propriam inveniant.

A) In qua visione, prima veritas generalis, omnes alias complectens, est haec: Ecclesia est mysterium. De qua re aliqua dicta sunt, sed inconnexe (et etiam aliquando minus convenienter). Sicut Christus est mysterium Dei, Ecclesia est mysterium Christi. Illa prima veritas, unionis hypostaticae, divini cum humano, invisibilis cum visibili, tam capitalis est in toto tractatu de Christo et in genere in tota oeconomia Novi Testamenti, ut oblivioni mandari non posset. Verbum assumens naturam humanam, est realitas maxima: exemplar omnis perfectionis et communicationis divinae.

Pari modo, Ecclesia gaudet duplici elemento essentiali: visibili, et mystico, *inter se tam arcta haec elementa,* ut mysterium sit. Sacramentum radicale, sacramentum sacramentorum. Ergo sicut in Christo mysterium est unio, ita in Ecclesia etiam in unione consistere dicendum est mysterium.

B) Quapropter necessarium est loqui de hoc duplici elemento: visibili et mystico. De quo, quia iam actum est, nihil amplius dicam.

Sed addo, quia non sufficienter dictum, schema agere deberet de omnibus et singulis partibus Ecclesiae, ut societas visibilis, scilicet: de Romano Pontifice, Christus visibilis; de episcopis ut collegium etc. Et ra-

tione corporis mystici, de omnibus essentialibus sine quibus corpus mysticum non intelligitur: de Christo capite, de membris, de gratia et caritate.

Et non tantum loqui de his elementis; sed ad invicem relatis seu copulatis, formando enim Ecclesiam. *Tantum hoc modo, visio erit realis utpote totalis.*

C) Nunc autem, quia elementum internum praevalet, ut dictum est saepe et erat valde oblitum ex circumstantiis historicis praesertim, debet considerari ut origo et cardo totius tractationis, sub qua luce omnia splendescere debent. Deus, Christus, Ecclesia: sunt mysteria fidei, et mysteria caritatis, ad quae omnia debemus ordinare et subordinare.

In schemate haec accentuatio et subordinatio rei mysticae non satis apparet, ad totum informandum...[1]

D) Diximus, ut rem finiamus, quod praeter elementa, tam sub aspectu sociali quam sub aspectu mystico, necessarium vinculum seu nexus inter ea, *interserendum est.*[2]

Ideo debemus considerare et nexum socialem seu iuridicum et nexum mysticum, seu gratiae et caritatis. Primus est externus; secundus ...[3] est internus. Primus est communis pro omni societate in genere; secundus est specialis et specificus. Primus, solus, facit servos; secundum, ...[4] liberos.

Ita locutus est S. Paulus, praesertim ad Romanos. Quamvis tota sua theologia in hac summa veritate fundatur. In sua conversione Damasci, enim, optime vidit omnes homines in Christo intime arctos; quam divinam visionem Spiritus Sanctus postea, pedetentim, amplius illi manifestavit in Arabia.

Nihil mirum ideo quod S. Thomas nobis dicat *de hac re multa et aptissima* [5] in q. 106, in I-II...[6]

Quae lex, vel qui nexus, gratiae, amoris et caritatis maxime recognoscendus est inter omnia haec membra. Sive agatur de Romano Pontifice et episcopis ad invicem; sive de episcopis et sacerdotibus inter se; sive de sacerdotibus et laicis coordinandis. Si tantum agamus de nexu sociali vel iuridico, potius, erimus membra opposita iuridice; imponitur ratio caritatis, relatio mystica.

Quod praesertim attendendum est, quando agitur de auctoritate et oboedientia. Superior et inferior debent sese uniri; sed haec unio non erit perfecta, *non erit ecclesiastica,*[7] nisi mystice: in gratia et sub caritate.

Necesse est ut totum schema, bonum in multis, etiam sub hoc toto aspectu informetur.

E) Quae principia enunciata, maxime clarescunt, verbi gratia, quando agitur de laicis. Historice constat laicos, ut nomen ipsum indicat,

existimari et fuisse populum electum, populum Dei, communitatem constitutam per fidem et caritatem Christi; quae communitas participabat in vita et actione Ecclesiae, ut posset dicere S. Leo Magnus...[8]: « qui praefecturus est omnibus, ab omnibus eligitur ».

Postea, rationibus historicis — e. g. religione Status, minoris instructionis laicorum (quia instructio reservabatur, *proh dolor!* [9] clericis), et haereseos — regnum Dei et Ecclesiae erat sicuti clausum, minus aptum omnibus non vocatis cleretiae et monasteriis. Et ita efformatum fuit: clericalismus et laicismus, ut denotaretur distinctio et separatio amborum.

Qua de causa, his prae mentem habitis, duo maxima principia theologica sunt omnino necessaria...[10]

1. *Sunt revera laici Ecclesia, non sunt christiani secundi ordinis.*

2. Sunt ubicati, constituti in mundo. *Amore ergo ardentes circa societatem* operam dent ipsae theologiae mundi et realitatum terrenarum.

Quae omnia debent esse fundamentum capitis laicorum.

Hae sunt lineae generales, structura schematis Ecclesiae, ad hoc ut sit revera cardo huius Concilii. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ut par est. [2] deest. [3] autem. [4] autem. [5] deest. [6] « id quod est potissimum in lege Novi Testamenti, et in quo tota virtus eius consistit, est gratia Spiritus Sancti ». Et postea: « Ideo principaliter lex nova est ipsa gratia Spiritus Sancti quae datur Christifidelibus ». Lex nova et lex antiqua; merum ius et amor. [7] nec ecclesialis. [8] (agendo de electione ministrorum). [9] deest. [10] pro laicis, ut constituantur tales et operam dent apostolatui.

10

REV.MUS P. D. IOSEPH BUCKLEY

Praepositus generalis S. M.

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

In praesenti disceptatione quoad schema *de Ecclesia* in genere adprobandum, videtur aliquid dicendum circa modum quo ibi exhibetur quaestio de auctoritate et oboedientia.

Materia haec tangitur in cap. V relate ad votum religiosum oboedientiae, innuitur in cap. VII, de Ecclesiae magisterio, suggeritur in cap. IX, de relationibus Ecclesiam inter et Statum, et constituit obiectum directum cap. VIII, de auctoritate et oboedientia in Ecclesia. Hoc postremum caput agit de recenti crisi auctoritatis, sed videtur totaliter praescindere

a conditionibus psychologicis necnon ab ipso fundamento huiusmodi crisis quae adhuc semper praesens est.

Auctoritas et oboedientia equidem sunt necessariae. Qua superior generalis, nolo certo certius imminuere auctoritatem sive ecclesiasticam sive quamlibet aliam legitimam, atque cum schematis auctoribus omnino reprobo errores relatos in pag. 60, necnon in pag. 62. Tamen, si schema relinquitur prout nunc est, scilicet ut asserat, absque adaequata distinctione et explanatione, quod auctoritati civili oboedientia debetur quia a Deo est et pariter auctoritati Ecclesiae oboedientia debetur quia est a Deo, plures Ecclesiae filii ac filiae deducent naturam ipsius crisis auctoritatis a Concilii Patribus haud intellectam esse.

Pro catholicis plurimis, inter quos multi religiosi, crisis auctoritatis non stat in oboediendo vel non oboediendo. Ipsi enim sicut et ceteri animum ad oboedientiam paratum habent. Pro iis crisis auctoritatis est quaestio spectans ad rationem et ad methodum.

1. *Quoad rationem.* Schema nobis propositum initium capit ab auctoritate sive civili sive religiosa, a Deo proveniente; sed aliis videtur initium sumendum esse potius a persona individua, cum sua libertate, obligationibus et consequentibus iuribus. Quia, *notate bene,*[1] omnia iura hominum profluunt ab obligationibus.

Libertas, quatenus est electio individua, effectiva inter plura vera bona, est perfectio pura, *perfectio simpliciter simplex,* ut aiunt theologi, quae potest qua talis etiam Deo tribui. Non sine causa homines, saeculorum decursu, certaverunt ac mortui sunt pro libertate, putantes nihil libertate pretiosius ac carius.

Oboedientia est virtus, revera necessaria, sed non est pura perfectio. Est enim perfectio tantum in creaturis. Deus est liber; non est oboediens. Christus fuit oboediens, sed in eius humana natura. Cum igitur oboedientia in seipsa sit perfectio inferior libertate, oboedientiae ac proinde auctoritatis incursiones in fines libertatis non absque proportionata causa fieri debent. Non teneo quodlibet praeceptum subditis exhibendum esse explicationibus fulcitum, sed puto doctrinam auctoritatis ac oboedientiae proponendam esse incipiendo a singulorum libertate non autem a Statu et ab Ecclesia, ut fit in schemate.

2. *Quoad methodum.* Etiam hic necesse est rectum ponere fundamentum. Auctoritas Ecclesiae eiusque hierarchiae profecto a Christo est. Sed permagni interest ut distinctio fiat inter differentes gradus auctoritatis et reciprocos gradus oboedientiae, e. g. inter solemnem fidei definitionem a Summo Pontifice factam et ex altera parte praeceptum a superiore religioso datum suis subditis. Haec distinctio aliquatenus perspicitur in schemate, sed in ipso magis apparet tendentia exhibendi haec

omnia asserendo voluntatem superioris esse voluntatem Dei. E contra voluntas superioris nullo necessario nexu in idem obiectum seu decisionem fertur ac voluntas Dei. Est equidem voluntas generalis Dei quod superiori oboediatur sed hac ratione oboedientia non omnino subtrahitur prudentiae seu conscientiae maturae.

In medio aevo imperatores ac reges suam auctoritatem nitebantur adaequare Summi Pontificis et episcoporum auctoritati, simpliciter declarando suam auctoritatem a Deo esse suamque voluntatem Dei voluntatem esse.

Auctoritas Ecclesiae revera est a Deo in Christo. Sed auctoritas Status est a Deo hoc sensu tantum quod Deus hominem creavit ut ens sociale et igitur ut socialiter agat. Quapropter auctoritas moderatorum Status e consensu populi provenit; illique errant quando asserunt se nullatenus coram populo sed coram Deo et historia tantum rationem reddere.

Veritas potius est quod non solum auctoritas civilis sed etiam ecclesiastica auctoritas, etsi haec ultima a Deo immediate proveniat, ab hominibus exercetur atque modo fallibili et humano, exceptis ut patet definitionibus ex cathedra et similibus. In utroque campo, ecclesiastico scilicet et civili, principio auctoritatis adsociari debet principium autonomiae a Papa Pio XI formulatum et a Ioanne XXIII feliciter regnante in Encyclicis Litteris *Mater et Magistra* approbatum, sub nomine principii « subsidiarii officii »: « ... quae a singularibus hominibus proprio marte et propria industria possunt perfici, nefas est eisdem eripere et communitati demandare »...[2]

Haec prioritas individuae personae et conscientiae personalis multis apparet clavis solutionis problematis de relationibus inter Ecclesiam et Statum in hodiernis societatibus pluralisticis.

Schema *de Ecclesia* quod sit pastorale et oecumenicum, debet in sua structura inserere ideam individuae personae eiusque libertatis...[3]

Praeses: Habe me excusatum, Pater: tempus tibi concessum finitum est!

Orator: Gratias!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (A.A.S. XXIII, 1931, 203; cf. A.A.S. LIII, 1961, 414). [3] officium et iurium. Fideles Ecclesiae, spiritu democratico praesentis aetatis ducti, aliud fundamentum praeter supradictum non magni aestimabunt in tractanda quaestione de auctoritate et oboedientia, necnon altera quaestione de relationibus Ecclesiae et Status. Insuper magnum etiam oecumenismo

impedimentum praebet timor ex parte orthodoxorum et protestantium quod in Ecclesia catholica libertas individuae personae non satis in aestimatione habetur. Votum igitur reverenter facio ut initium ac fundamentum tractationis de auctoritate et oboedientia, de voto oboedientiae necnon de relationibus Ecclesiam inter et Statum sit persona individua, a Deo libertate ornata.

11

Exc.mus P. D. CONSTANTINUS STELLA

Archiepiscopus Aquilanus

Em.mi Principes, venerabiles Patres, dilecti Observatores,

Liceat mihi haud sane polemice sed irenice, ut oportet, iis quae ...[1] admodum mirans audivi de tribus defectibus quibus dogmaticum schema *de Ecclesia* laboraret, breviter respondere.

Schema « triumphalismi » defectu laboraret: quippe, nonne Ecclesia ut confertum agmen describitur, cum, contra, ipsa pusillus grex a Christo dicatur?

Iam vero manifestum est ibi agminis conferti figuram effusae turbae antithesim esse, quo clarius insinuetur Ecclesiam societatem esse hierarchicam quae ex duobus fratrum ordinibus constat: ex iis qui Ecclesiam docentem et qui discentem constituunt. Nullus ergo « triumphalismi » defectus.

Quid si in ipsum schema ea quae S. Ignatius episcopus martyr in inscriptione epistolae ad Romanam Ecclesiam illata et inserta fuissent? En vere triumphalis inscriptio:

« Ignatius, qui et theophorus, Ecclesiae misericordiam consecutae in magnificentia Patris altissimi et Iesu Christi, Filii eius unici; Ecclesiae dilectae et illuminatae voluntate eius qui vult omnia quae sunt secundum caritatem Iesu Christi Dei nostri; quae etiam praesidet in loco regionis Romanorum, digna Deo, digna decore, digna quae beata praedicetur, digna laude, digna quae voti compos fiat, digne casta et universo caritatis coetui praesidens, Christi legem habens, Patris nomine insignita, quam et saluto in nomine Iesu Christi, Filii Patris ».

Piget ergo quod si quando schemata stylo scholastico describantur eadem non pastorali ratione sed pedestri conscripta esse dicuntur; si quando vero eadem lyrismo biblico atque patristico sunt composita de triumphalismo accusantur.

Nonne oportuit ut haec dogmatica *de Ecclesia* constitutio dogmaticae illi constitutioni Concilii Vaticani I quae *Pastor aeternus* exorditur, quoad fieri possit, solemnitate sermonis assimiletur?

Praeterea schema de clericalismi defectu accusatur. Cum autem in quo defectus iste consistat, nobis explicatum sit, non defectum clericalismi, sed germanam ipsius Ecclesiae constitutionem accusari animadvertimus.

Nonne Ecclesia ut societas hierarchico-monarchica a Christo et mente concepta et ad effectarum rerum ordinem deducta est? Quid vero est Ecclesiam talem esse, nisi ipsam ex duobus fratrum ordinibus constare, ex illis scilicet qui docentem et ex illis qui discentem Ecclesiam ad finem saeculorum constituunt? Omnes in structura Ecclesiae hierarchice collocantur: primum Christus et Petrus, quem paene regni sui socium ad se advocavit ut in eschatologica hac aetate visibiliter Ecclesiam suam gubernaret; deinde Apostolorum collegium quod Christus ut hierarchiam ordinis et constitutionis instituit quae in episcoporum corpore perseverat; deinde omnes illi quotquot Ecclesia ipsa ad utramque hierarchiam, divino de iure institutam, suo iure advocatos, adiecit; tandem in ultimo Ecclesiae ordine, plebs fidelium.

Verum quidem est haec ad Ecclesiam militantem pertinere quae ut aedificium aedificatur quod apte ad pyramidis instar describitur: Petrus quippe est rupes, episcopi sunt fundamentum, ceteri vero fideles, viventes lapides, et Christus angularis lapis quo contigui muri continentur: legimus ad Ephesios cap. 2, vers. 20: « superaedificatos fideles esse super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu ».

Ne ergo potestatem quam Christus instituit et modum quo ipsa est exercenda confunderimus: exercetur quippe ut servitium atque ministerium veritatis iustitiae et amoris. Quemadmodum ergo Christus qui venit non ministrari sed ministrare et ponere animam suam redemptionem pro multis, titulos tamen et attributa magistri et domini sibi vindicavit, ita Ecclesia sacrum suum principatum ministerium esse in bonum fidelium affirmat.

Tandem ad tertium defectum schematis quod attinet, qui « iuridismus » appellatur, constat ex cap. I schematis, par. 5, inde a lin. 30, Ecclesiam piam Matrem esse atque ut talem porro describi.

Ne ergo defectum vocaverimus quod Ecclesiae est ornamentum, neque foeditatem quod ipsius est pulchritudo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] in novissima congregatione (1-XII-1962).

Secretarius generalis: Rogantur Patres, qui extra versantur, velint ad sua loca redire!

12

Exc.mus P. D. GEORGIUS HAKIM
Episcopus Ptolemaidensis

Vénérables Frères, chers Observateurs,

Je voudrais, après une introduction d'ordre général, faire entendre une fois de plus une voix de l'Orient concernant le schéma que nous étudions, et enfin conclure.

Introduction.

Nous sommes tous venus à ce Concile, comme portés par l'espoir que de grandes choses allaient se faire en nous et par nous, malgré notre faiblesse et notre petitesse.

Cet espoir nous vient certainement de notre Pape bien-aimé Jean XXIII, à qui nous souhaitons prompt et complet rétablissement, qui, dans son appel *Ad Petri Cathedram,* dans sa convocation du Concile, et surtout dans le Discours d'ouverture du Concile, a tracé une ligne de conduite toute particulière.

Le Pape a certainement ouvert une voie nouvelle, qui répond aux aspirations du monde, ce monde dont Saint Paul nous dit qu'il souffre dans les douleurs de l'enfantement, ce monde qui attend de l'Eglise qu'elle soit pour lui comme la mère universelle, « l'Eglise de tous, et plus spécialement l'Eglise des Pauvres », comme l'a dit le Saint-Père le 11 septembre et comme vient de nous le rappeler, en termes émouvants, Son Em. le card. Lercaro.

Il est certain que les résultats réels de notre Concile ne se feront sentir que dans dix ou quinze ans. Que sera le monde, que sera l'Eglise alors? Qu'on le veuille ou non, un Concile de la fin du XXe siècle doit être le Concile du XXIe, au moment où l'humanité aura doublé, atteignant les six milliards, au moment où la faim, elle aussi, aura doublé... Où sera alors l'évangélisation du monde?

C'est pourquoi, nous aimerions retrouver dans le schéma de l'Eglise, non pas les textes de nos manuels classiques d'antan, si exacts puissent-ils être, mais bien ce que le monde de demain attend de nous. Nous demanderions que l'on parle le langage de notre siècle, que Vatican II fasse pour l'Episcopat ce que Vatican I a fait pour la Papauté, que, en bref, on nous parle comme Jean XXIII, comme l'Evangile. Il serait si réconfortant de parler de l'Eglise comme la « Mater amabilis », de la primauté papale ou du pouvoir épiscopal, comme service, comme réponse à la question d'amour du Seigneur: « Pierre, m'aimes-tu plus que ceux-là? ». Un tel langage serait compris de tous, chrétiens et même non chrétiens.

Pensées orientales.

Voici maintenant ma remarque du point de vue oriental — et nous sommes reconnaissants à Son Em. le card. Frings de l'avoir *déjà dit* [1] avec cette ferme clarté qui est sienne et une force inégalée. Comme le *de fontibus,* le *de Ecclesia* ne tient pas compte de la pensée orientale: il est conçu uniquement dans des catégories juridiques, et le Corps Mystique lui-même est réduit aux seules réalités visibles.

Simple détail indicatif: dans les quelque 300 notes et renvois de ce schéma, qui tiennent près de la moitié des pages, seuls 5 renvois font mention des Pères Grecs. Et pourtant, l'Eglise Catholique n'a-t-elle pas intérêt à s'enrichir de cette pensée, qui fait partie de son patrimoine, à être vraiment catholique et donc plus ouverte au dialogue œcuménique?

Or, que constatons-nous ici? Le *réalisme* de la théologie grecque est atrophié par le *juridisme* du schéma. En voici deux exemples:

1. D'abord, l'Eglise, selon les Pères Orientaux, est le « *mystirion* » du Christ continué. Cette réalité mystique, en laquelle on entre par une « initiation », et qui se nourrit des mystères liturgiques, prend sa consistance et son authenticité dans une société visible, avec ses pouvoirs et son magistère. Mais cette visibilité essentielle n'absorbe pas la substance mystérieuse du Corps ecclésial. Jamais Chrysostome, Basile, les deux Grégoire, dans leur catéchèse, ou Jean de Damas que nous *venons de fêter* [2] et qui est le premier auteur d'une somme théologique que l'on aurait tant avantage à consulter, jamais ces Pères n'ont réduit la doctrine de Saint Paul sur le Corps Mystique à un système où l'autorité d'une part, l'obéissance d'autre part, suffiraient à définir l'attitude du fidèle.

Ainsi lisons-nous avec une surprise douloureuse le chapitre sur l'évangélisation, qui est présenté seulement comme un *droit* irréfragable, et non d'abord comme l'annonce de la Bonne Nouvelle aux hommes de bonne volonté, comme l'identification du Christ aux pauvres, selon le mot de Jésus: « J'avais faim et vous m'avez donné à manger ».

Deuxièmement.[3] Selon la logique parfaite de ce mystère ecclésial, les évêques ne sont pas d'abord définis par leur juridiction autoritaire, mais par le mystère lui-même, dont ils sont, par leur consécration et comme successeurs des Apôtres, les architectes et les stratèges, comme le dit un hymne grec du troisième siècle.

Ainsi le Corps épiscopal émane-t-il du Christ, et la juridiction ne fait que localiser, selon le pouvoir pontifical, une fonction qui concerne, comme telle et collectivement, tout le Corps ecclésial.

Cette responsabilité collective s'exerce extraordinairement dans le

Concile; mais elle incombe à chaque évêque, en tant que, au delà de son diocèse approprié, il est solidaire de l'entière œuvre du salut, que le Christ a confiée au Collège apostolique avec Pierre à sa tête.

Il est grave de diminuer cette vérité! Nous l'affirmons avec la vigueur de la théologie orientale, qui a toujours exprimé, en doctrine et dans ses institutions synodales, cette vérité. L'Eglise est une communauté dans le mystère, et elle déborde ainsi l'appareil juridique.

Dans les textes de Jean XXIII, nous retrouverions ces idées; pourquoi pas dans le schéma?

Conclusion: Je suggère que ce schéma, comme celui du *de fontibus,* soit renvoyé à une commission comprenant des experts ès théologie orientale — et fort heureusement, ils sont nombreux chez nos frères latins mêmes, auprès desquels nous autres orientaux, nous avons puisé l'amour et l'estime de notre Tradition et de nos Pères.

Enfin, qu'il me soit permis de dire, pour tranquilliser l'un ou l'autre Père ici présent, que si nous faisons appel aux Pères de l'Orient, ce n'est pas par fanatisme local, mais plutôt pour revenir aux sources apostoliques.

Pas n'est besoin de dire que ces sources mêmes nous confirment dans notre attachement à Pierre et à son successeur, auquel nous vouons une obéissance dont nous avons l'occasion, dans les divers pays où les catholiques orientaux sont une infime minorité, de donner des preuves parfois sanglantes. C'est avec amour et joie que nous le faisons, nous surtout qui vivons près du beau lac de Galilée où retentissent encore les paroles du Seigneur: « Pais mes agneaux, pais mes brebis ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] insinué. [2] avons fêté ces jours-ci. [3] 2. L'Episcopat.

Praeses: Exc.mus D. arch. a secretis aliquid habet dicendum.

Secretarius generalis: Communico huic coetui amplissimo exitus suffragationum factarum hoc mane.

IX emendatio fasciculi primi:

Praesentes votantes	2.082
Dixerunt *placet*	2.054
non placet	22
Vota nulla	6

Approbata est emendatio.

X emendatio:

Praesentes votantes	2.078
Dixerunt *placet*	2.037
non placet	37
Vota nulla	4

Placuit X emendatio.

XI emendatio:

Praesentes votantes	2.058
Dixerunt *placet*	2.023
non placet	31
Suffragia nulla	4

Approbata est.

I emendatio fasciculi II:

Praesentes votantes	2.037
Dixerunt *placet*	1.916
non placet	115
Vota nulla	6

II emendatio fasciculi II:

Praesentes votantes	2.014
Dixerunt *placet*	1.981
non placet	22
Suffragia nulla	11

Ergo etiam haec emendatio placuit.

Nunc audiant omnes! De mandato em.mi praesidis: omnes emendationes sive prooemii sive cap. I constitutionis *de sacra Liturgia* approbatae sunt maioritate votorum longe gravi. Et ceterum omnes emendationes iam insertae sunt suo loco in prooemium et in cap. I. Omnes habent textus completos in variis fasciculis.

Rebus sic stantibus, quaerit em.mus praeses a congregatione generali: placetne crastina procedere ad suffragationem circa prooemium et cap. I, formula statuta: *placet, non placet, placet iuxta modum?* Qui autem suffragium dent (si forte fiat suffragatio) *placet iuxta modum,* possunt modum mittere ad secretariam generalem intra mensem decembrem. Ergo fit suffragatio super hanc quaestionem, de mandato praesidis: Placetne procedere crastina ad suffragationem prooemii et cap. I constitutionis

de sacra Liturgia, cum formula statuta: *placet, non placet, placet iuxta modum?* Illi, quibus haec propositio placet, velint surgere. [*Omnes surgunt*].

Assignatores locorum velint videre quaenam maioritas habeatur in singulis sectionibus... [*Intervallum*]. Velint sedere omnes.

Ergo crastina, in fine primae periodi huius Concilii, fiet haec suffragatio circa partem, summi momenti quidem, constitutionis *sacrae Liturgiae*. Repeto: formula erit: *placet, non placet, placet iuxta modum.* Velint omnes Patres videre prooemium et cap. I in singulis fasciculis iam impressum. Dixi. Gratias!

Praeses: Reponatur Sacrosanctum Evangelium! [*Intervallum*].

Secretarius generalis: Proxima et ultima congregatio: crastina, hora nona.

CONGREGATIO GENERALIS XXXVI
7 decembris 1962

CONGREGATIO GENERALIS XXXVI

7 decembris 1962

Exc.mus D. PERICLES FELICI, *Concilii secretarius generalis*:

Praesidet hodiernae et ultimae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Achilles Liénart, ep. Insulensis.

Hora meridiana, nostros coetus claudent sollemniter oratio *Angelus...*, pronuntiata a Summo Pontifice ope radiophonica, et eius augustissima verba.

Audiant omnes! Exc.mus praefectus caeremoniarum pontificiarum haec rogat communicari: Sabbato, die 8 decembris, in festo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, erit cappella papalis. Missa sollemnis celebrabitur ab em.mo D. card. Paulo Marella, archipresbytero Basilicae S. Petri, hora decima. Em.mi DD. cardinales, exc.mi patriarchae, archiepiscopi et episcopi, et Patres conciliares, sua subsellia in aula conciliari occupabunt. Em.mi cardinales vestes induent laneas, rubri coloris, cum cappa serica rubra cum pellibus armellineis. Reliqui Patres induent rochetum et mantellettam vel habitum choralem. Missa cantabitur cantu gregoriano, ita ut Patres, saltem in partibus communibus, possint concinere una cum fidelibus. [*Plausus*].

Dominica 9 decembris, pro canonizatione, quae erit hora nona, em.mi Patres cardinales in aula paramentorum, supra vestes laneas rubri coloris, induent cappam sericam rubram cum pellibus armellineis, et praesto sint pro sacra supplicatione. In aulis Borgianis exc.mi patriarchae et reliqui praelati, qui in cappella papali locum habent, proprias vestes assument. Reliqui omnes Patres conciliares directe Basilicam Vaticanam petant, induti mantelletta et rocheto, et servato ordine praecedentiae, id est: archiepiscopi et episcopi assistentes prius, et postea reliqui archiepiscopi et episcopi, loca designata occupabunt, in abside Basilicae, circa Confessionem et in aula conciliari.

Durante hac congregatione, distribuentur Patribus *Ordo servandus,* qui heri nuntiatus est; item libellus continens commissiones conciliares, redactus iuxta normas Annuarii Pontificii; denique parva imago S. Ioseph, Patroni Concilii, qui retro habet novum *Communicantes,* qui a crastina vigebit.

Nunc lego nomina eorum, qui petierunt loqui in hac ultima congre-

gatione primae periodi: em.mi DD. cardd. Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria; Ioseph Lefèbvre, arch. Bituricensis in Gallia; exc.mi DD. Vincentius Reyes, ep. Boronganensis in Ins. Philippinis; Ludovicus de Bazelaire, arch. Chamberiensis in Gallia; Isaac Ghattas, ep. Thebanus Coptorum in Aegypto; Alfredus Ancel, aux. Lugdunensis in Gallia; Alfredus Silva, arch. Conceptionis in Chile; Eugenius D'Souza, arch. Nagpurensis in India; Hermannus Volk, ep. Moguntinus in Germania; Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.; Aloisius Aponte, aux. Poncensis in Porto Rico; Carolus Wojtyla, aux. Cracoviensis in Polonia; Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia; Ioseph Schoiswohl, ep. Secoviensis in Austria; Aloisius Rodriguez, ep. Santacrucensis in Bolivia; Iesus Alba, ep. Tehuantepecensis in Mexico; Philippus Hannan, aux. Vashingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Elias Zoghbi, arch. tit. Nubiae; Ioseph Tawil, arch. vic. patr. Damascenus pro Melchitis; Pacificus Perantoni, arch. Lancianensis in Italia; Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio; Angelus Temiño, ep. Auriensis in Hispania; Hyacinthus Thiandoum, arch. Dakarensis in Senegal; Ioannes Petit, ep. Menevensis in Anglia; et ceteri; sunt enim quinquaginta quatuor. Hodie non omnes possunt audiri. Sed omnes, qui exaraverunt animadversiones circa principia generalia vel exarare volunt circa capita singula constitutionis *de Ecclesia,* possunt mittere ad secretariam generalem intra diem 28 februarii anni proximi.

Repeto: Qui vel non possunt loqui hodie, vel volunt exarare animadversiones circa capita singula constitutionis *de Ecclesia,* illas mittant, quam primum, ut patet, sed non ultra diem 28 februarii anni proximi.

Durante hac congregatione generali, iuxta votum datum ab amplissimo coetu heri, fiet suffragatio circa prooemium et cap. I constitutionis *de sacra Liturgia.* Uti heri dictum est, haec suffragatio fit per *placet, non placet,* et *placet iuxta modum.* Hoc votum, quod primo adhibetur in nostris congregationibus, nempe *placet iuxta modum,* est essentialiter votum affirmativum, tamen cum reservatione alicuius correctionis, emendationis, immutationis, quae est bene explicanda in folio quod tradendum est secretariae generali. Iamvero, uti dictum est pariter heri, hae emendationes, hae correctiones, quae debent esse praecisae, exactae, debent mitti ad secretariam generalem intra hunc mensem, ita ut nisi mittantur, votum datum *placet iuxta modum* habeatur tanquam votum affirmativum.

Repeto, deinde variis linguis hoc etiam dicetur. Votum *placet iuxta modum* est substantialiter votum affirmativum, attamen cum reserva-

tione alicuius immutationis, emendationis, correctionis, quae bene, distincte et clare explicanda est in folio, quod tradendum est postea secretariae generali. Hoc folium immutationis, correctionis, emendationis, tradendum est intra hunc mensem decembrem, vel directe vel per tabellarios, ita ut nisi tradatur, illud votum *placet iuxta modum* habeatur tamquam votum affirmativum, nempe *placet*.

Et hoc repetitur nunc variis linguis, ita ut intelligentia sit perfectissima.

Versio gallica

(Exc.mus P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

Un seul vote va avoir lieu ce matin sur le Prooemium et le chapitre I *De Sacra Liturgia.* Ce vote va se faire par *placet, non placet, placet iuxta modum.* Le vote *placet iuxta modum* est un vote essentiellement positif, sous réserve d'un ou de plusieurs changements que l'on désire voir apporter au texte qui est l'objet du vote. Par conséquent, le vote par *placet iuxta modum* ne devient un vote complet que lorsque le Père qui a ainsi voté exprime le changement qu'il désire voir apporter au texte. Pour le vote qui a lieu ce matin, la notification de ce changement devra être faite avant le 31 décembre au Secrétariat Général du Concile, qui le transmettra à la Commission compétente pour examen. A défaut de cette notification à la date du 31 décembre, un vote par *placet iuxta modum* serait considéré alors comme un vote par *placet* pur et simple.

Versio hispanica

(Exc.mus P. D. Casimirus Morcillo, subsecretarius)

El voto conjunto sobre el Proemio y el Capitulo I *De Sacra Liturgia* se debe expresar por las formulas *placet, non placet, placet iuxta modum.* El voto *placet iuxta modum* es un voto fundamentalmente positivo, con la reserva de una o varias correcciones que deben proponerse al exponer el voto. Este voto *placet iuxta modum* no se considerará como voto completo sino cuando el Padre que así haya votado exprese por escrito el cambio que desee introducir. Para expresarlo así, se concede a los Padres todo el mes de diciembre. Si no se envía a la Secretaría General del Concilio antes del 31 de diciembre, la corrección o correcciones que se deseen introducir, el voto *iuxta modum* se tendrá por voto afirmativo, equivalente por tanto al *placet.* La Secretaría General del Concilio enviará las correcciones que así se propongan a la Comisión Conciliar *de Sacra Liturgia.*

Versio anglica

(Exc.mus P. D. Ioannes Krol, subsecretarius)

May I have your attention, please!

As announced yesterday, there will be a single ballot vote on the revised text of both the Prooemium and Chapter I of the Sacred Liturgy. For the first time, the vote can be *placet, non placet,* or *placet iuxta modum.* It is to be remembered that the *placet iuxta modum* is essentially an affirmative vote of approval. To be complete, it must be accompanied, subsequently at least, and supported by a clear, precise and exact expression of the *iuxta modum* change which is desired. This expression of change *iuxta modum* must be submitted to the Office of the Secretary General by December the 31st, the end of this month. If the written expression does not reach the Office of the Secretary General by that date, December the 31st, the vote will simply be counted as a *placet,* a vote of approval.

Thank you!

Versio germanica

(Exc.mus P. D. Villelmus Kempf, subsecretarius)

In der heutigen Abstimmung über das Vorwort und das erste Kapittel des Liturgieschemas wird zum ersten Mal die Abstimmung in den drei Stellungnahmen vorgenommen: *placet, non placet,* und *placet iuxta modum.* Es wird darauf hingewiesen, dass die Stellungnahme *iuxta modum* grundsätzlich als Zustimmung angesehen wird. Für die Abstimmung *iuxta modum* müssen die Vorbehalte, Verbesserungen und Wünsche innerhalb des Monats Dezember an das General-Sekretariat eingesandt werden. Falls die Verbesserungsvorschläge bis zu diesem Termin nicht eingehen, wird die Abstimmung *iuxta modum* als Zustimmung angesehen.

Versio arabica

(Exc.mus P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

يطلب اليوم الى آباء المجمع ان يقترعوا اقتراعا واحدا وشاملا على مقدمة مشروع الليتورجيا والفصل الاول من المشروع ذاته ، اما الاقتراع فيتم اما بالموافقة اي بالاشارة على كلمة Placet ، واما بالرفض اي بالاشارة على كلمة Non placet ، او بالموافقة المقيدة بشرط اي بالاشارة على كلمات Placet iuxta modum. اما الموافقة المقيدة بشرط فمعناها القبول ولكن بشرط ، اي بادخال بعض التعديل على النص الموافق عليه ، وهذا التعديل الذي قد يرغب في ادخاله احد الاباء يجب ان يرسله الى امانة سر المجمع قبل آخر شهر كانون الاول والا يعتبر قبوله نافذا بلا شرط كما لو قال Placet .

Praeses card. LIÉNART:

Parte prima Concilii Oecumenici Vaticani II feliciter ad finem pertingente, liceat mihi, venerabiles Patres et Fratres carissimi, vobiscum pro omnibus donis iam receptis gratias agere Deo. Nobis episcopis in mundo dispersis, sed in nomine suo hic congregatis, gratiam donavit experiri, quod sumus alter alterius membra, in Ecclesia Dei collegialiter addicti una cum Summo Pontifice ad opus salutis in mundo praesenti perficiendum.

Quamvis omnimodo gente, aetate, ingenio et experienia diversi sumus, duplex amor Dei et hominum, quem Spiritus Sanctus in cordibus nostris diffusit, nos adunavit, ita ut ad sollicitudinem veritatis custodiendae et curae pastoralis aeque servandae inseparabiliter uniendam paulatim nos adduceret. Et sic diversitas nostra mutua conversatione nos ditavit et in profectum evenit. Nunc ad populos nostros redire possumus, nova spe roborati, scientes quod opus inceptum non cessabit, sed a commissionibus conciliaribus et a nobis ipsis continuabitur ad sequentem Concilii sessionem praeparandam.

Ideo gaudentes vota nostra natalitia ad invicem commutemus et corde mittamus fratribus nostris episcopis pro quacumque causa absentibus, ac preces effundamus ut Deus nos operarios suos sospites servare, labores nostros benedicere, et benignum regnum suum in aetate nostra magis ac magis extendere velit. Adeant praesertim omina nostra amantissimo Patri nostro Papae Ioanni XXIII, ut Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat in apostolico pontificatu suo. [*Plausus*].

Nunc disceptatio continuabitur.

1

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KOENIG

Archiepiscopus Vindobonensis

Em.me Praeses, Patres venerandi,

Hisce diebus, legi historiam Concilii Vaticani I ab auctore anglico abbate Butler conscriptam. Ibi narratur Patres Conciliares tribus mensibus ab initio Concilii elapsis, exclamasse « per totam noctem laborantes nihil cepimus », sine fine disceptantes, ob nimiam criticam nihil confecimus...[1] Sed Patribus Vaticani II non idem esse debet sermo. Etsi non omnia, quae ingenti praeparatione seminabantur, duobus hisce mensibus maturescere potuerant, tamen primos fructus colligimus et multa

alia pretiosa enumeranda sunt, quae colliguntur ex colloquio quotidiano et contactu privato episcoporum, imprimis *etiam* [2] in latere Concilii...[3]

Aliud addendum est: heri audivimus permagna cum gratitudine — et hoc laeto animo nomine episcoporum patriae meae et plurimorum aliorum praesulum exprimam — dico, audivimus quae de mandato Summi Pontificis annuntiata fuerunt de modo futuro procedendi in labore conciliari. Haec certo certius uberrimos fructus promittunt.

Insuper pericula, quae a quibusdam timentur, non vere adsunt; utique opiniones, sententiae, argumenta fuerunt diversa, immo interdum acriter opposita. Sed talia multo magis fuerunt in Vaticano I, et ceterum est signum vitae in magno illo corpore Ecclesiae. Interdum obliviscimur semper adfuisse et adesse in hac aula permagna in necessariis unitatem. Nulla quaestio disputata tangebat necessariam unitatem fidei et caritatis. Etiam disputando, unum in Domino fuimus et fuerimus.

De schemate autem in genere adhuc observare liceat:

1. Schema *de Ecclesia* sit quodammodo centrum in ordinandis reliquis schematibus; et hoc accedo iis quae alii Patres sapienter exposuerunt.

2. Doctrina de Ecclesia undequaque in luce posita, clare certe et intelligibiliter, Concilio ulterius procedendum est. Nam decreta pulcherrima vi carent, nisi actiones specificae huius magni corporis episcoporum considerantur. Ad exempla a Patribus allata, haec addam uti ponderanda:

De vi pacifica Ecclesiae et christianitatis, et quomodo Ecclesia sua missione pacifica influere potest in opinionem publicam totius mundi.

De adiutorio simultaneo totius episcopatus Europae et Americae Septemtrionalis, invitantes simul, eorum gubernia, pro terris missionum, *pro terris quae sunt in evolutione, uti dicunt* [4] (cf. actionem *Misereor*).

De expositione meliore iuris naturalis in luce revelationis, uti fundamenti communis et efficacis omnium nationum.

De meliore modo collaborandi episcopatus catholici in toto orbe.

De seligendis coenaculis sacerdotum pro missionibus specialibus ad excitandum fervorem catholicorum. Et alia... Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ita Patres in Vaticano I. [2] deest. [3] (quod Concilium a latere vocant). [4] deest.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. LEFÈBVRE
Archiepiscopus Bituricensis

Venerabiles Patres,

Schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* tamquam opus eximium apparet, et eius auctores, mea sententia, valde laudandi sunt. Attamen, si mihi in plurimis suis enuntiatis placet, et quidem maxime, deceptionem magnam mihi attulit, ex eo quod prorsus nihil dicit de *caritate Christi,* quae totam Ecclesiam vivificat, et eius notam certe essentialem constituit.

Ipsum vocabulum *caritas* solummodo raro in paginis istis invenitur, exceptione facta illarum in quibus de laicis agitur. Vix inveniri potest in textibus qui de natura Ecclesiae pertractant, et nullatenus in illis qui magisterio, Summo Pontifici et, cum una unica exceptione, episcopis dedicantur.

Nunc autem, mysterium Ecclesiae ante omnia mysterium est caritatis Christi, qui « Ecclesiam dilexit et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret...[1] ».

Haec autem dilectio Christi, quae per supplicium et mortem crucis sese manifestavit, « quia maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis »...,[2] provocat et stimulat et producit eamdem caritatem in toto corpore eius Ecclesiae, ex qua « totum corpus compactum et connexum per omnes iuncturas subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate »...[3]

Caritas illa Christi quam in cordibus diffundit per Spiritum Sanctum, omnes discipulos suos impellere debet, quisquis sit eorum gradus in corpore Christi, ad « carnem suam crucifigendam cum vitiis et concupiscentiis »...,[4] ita ut, ad nihilum redacti et sibimetipsis mortui, a Christo comprehendantur, qui in eis vivere vult per caritatem, quia « pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit »...[5]

Ex ea caritate Christi intimius vivere debent illi, qui peculiarem missionem obtinuerunt eam in animos infundendi. Et ideo Christus agnos suos et oves suas Petro concredidit, solummodo postquam apostolus triplicem declarationem sui amoris dederit. Propterea, etiam illos hortatur, qui primi sunt in Ecclesia, ut servi et ministri fiant fratrum suorum...[6]

Caritas Christi, ad quam unusquisque in Ecclesia vocatur, bonum est maximum cuique homini, quia eum in vita propria divinitus locupletat, ex suo egoismo liberat, necnon et *ab alienatione*[7] peccati et passionum et a seductione vanitatum; ita ut iam nunc in terris mystico modo illa vita divina vivit, quae in aeternitate gloria eius erit et felicitas.

Caritas illa Christi, quae numquam excidit...,[8] pro ipsa Ecclesia bonum est pretiosissimum, quia ex ea nata est, ex ea vivit et alios vivere facit; ex ea efficitur aedificatio Corporis Christi « donec omnes occurramus in unitatem fidei in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi »...[9]

Ex omnibus quae dixi, facile intelligitur quanta fuerit miratio...,[10] cum viderim quomodo in schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* locus tam exiguus concederetur caritati. Videtur nobis corpus prae oculis habere cuius membra bene describuntur, et eorum exercitium relate ad totum; sed corpus illud videtur anima carere, anima illa quae in Ecclesia Spiritus Sanctus est, per quem vivere debemus in divina caritate.

His dictis, votum meum esset ut in cap. I, *De natura Ecclesiae,* et in aliis partibus schematis, fortiter exprimatur caritas divina, quae vivificat et vivificare debet totum Corpus Mysticum Christi.

Eo ipso, in toto contextu non solum non minuitur valor doctrinalis, sed e contra profundius perspicietur, et vere pastoralis efficietur: id est, talis ut spiritus et corda imbuere possit. Similiter, eo ipso forsitan ad nihilum redigentur et ad felicem synthesim adducentur, varii aspectus qui aliquando oppositi apparebant, dum reapse complementarii erant.

In hac luce *caritatis Christi*[11] etenim, quid fit tandem aliquando de oppositionibus illis apparentibus inter veritatem et caritatem, auctoritatem et humilitatem, oboedientiam et libertatem, iuridismum et vitam? Nonne omnibus evidens est, quod constitutio divina Ecclesiae ad id solum effecta est, ut vitam supernaturalem in totum Corpus Mysticum effundat? Oboedientia voluntati divinae, quae per Ecclesiam exprimitur, et animas ab omni vinculo servitutis carnalis liberat, nonne modus est optimus ad libertatem illam interiorem acquirendam, sine qua vera libertas existere non potest? Et qualis auctoritas ex sua potentia superbiam haurire posset, quando id intellexerit, quod ad id solum concessa est, ut primo et primario Corpori Christi servire debeat, tamquam officium adimplendum et gravissima responsabilitas ferenda?

Et si de veritate et caritate agitur, quomodo inter illas vel levissima oppositio existere posset? Veritatem annuntiare, praesertim veritatem fidei, ex qua vivitur amor Dei, nonne id est exercitium maximae carita-

tis? Et id quaerere quomodo veritas ita exhibeatur, ut melius ab animis recipiatur, nonne id est modus optimus veritati serviendi?

Itaque, ex natura rei, id est, ratione habita naturae profundissimae Ecclesiae, et ex voluntate unionem intimiorem inter nos procurandi, ad quodcumque praeiudicium personale deponendum, et ad solam veritatem discernendam, cuius discipuli *omnes* [12] sumus, enixe opto ut ubique in hoc schemate *de Ecclesia,* appareat et exprimatur notio vivificans caritatis Christi.

« Ubi caritas et amor, Deus ibi est ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam sed ut sit sancta et immaculata » (*Eph.* 5, 15-27). [2] (*Io.* 15, 13). [3] (*Eph.* 4, 15-16). [4] (*Gal.* 5, 24). [5] (2 *Cor.* 5, 15). [6] (*Mt.* 20, 27). [7] a servitute. [8] (1 *Cor.* 13, 8). [9] (*Eph.* 4, 13). [10] et quanta tristitia mea. [11] deest. [12] deest.

3

Exc.mus P. D. VINCENTIUS REYES
Episcopus Boronganensis

Venerabiles Patres,

Post multas angustias exspectandi meum ius loquendi, gratias ago quia id iam capio, saltem antequam haec ultima congregatio generalis suum finem habeat [1]!

Omni laude, *meo humili iudicio,*[2] a nobis prosequendum est propositum schema *de Ecclesia,* licet quaedam...[3] in illud animadvertenda sint. Nec minuenda illi laus, propterea quod triumphantis Ecclesiae contra regni tenebrarum insidias victoriam celebret.

Militia etenim est vita hominum super terram, atque ideo Ecclesia militans vocatur societas fidelium adhuc in terris peregrinantium ad patriam. Quicumque autem miles triumphum adversus inimicos ut exoptet ac persequatur et decet, *immo* [4] et debet.

Nec mirum ergo si, cum de militanti Ecclesia sermo est, illius celebretur super inimicos victoria. Praeit in hos Ecclesiae ipse dux eius Christus, qui etsi pastorem bonum seipsum dixerit, sitque pastorum forma, et mansuetudinis exemplar a quo discamus, etiam in pascendo grege, ut simus mites et humiles corde, nihilominus mundi potestatibus aperte dixit se regem esse, suosque discipulos ad proelia fortiter sustinenda exhortavit dicens: Confidite, ego vici mundum.

Ipse Dominus Iesus Christus Ecclesiam vult, quam ipse promeruit, victoriam permanenter usque ad consummationem saeculi, cum coronam

accipient qui legitime certaverint, servare eamque novis augere triumphis. Unde et ducem visibilem, qui ipsius Christi vices gereret, constituit in persona Petri eiusque successorum, cui dixit: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Unde et ad proelia Christi sustinenda acies sub Petro ordinavit, per diversos gradus ordinem ducum statuens, qui fideles vexillum Christi ferentes in pugna dirigerent. Quibus imperium suum commisit, dum dixit: Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. Quibus et mandatum dedit ut praedicatione suum toto mundo regnum inferrent, ut qui crediderint et baptizati fuerint salvi essent, qui vero non crediderint condemnationis iamiam statutam sententiam reciperent.

Iure igitur schema Ecclesiae triumphos extollit, quam Christus ad proelium misit ut victorias referret, ideo illam hierarchice ordinans, gradus potestatis sub visibili capite Petro determinans.

Quaedam autem...,[5] ut dixi, in schema observari possunt, *sed cum adhuc discussio sit de principiis generalibus, meas animadversiones particulares ad secretariatum generalem mittam.*[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] levioris momenti. [4] deest. [5] minora. [6] Et ipse de aliquibus dicam: 1) in pag. 9, linn. 23-24, loco legendi « sub Petro exercendis », propono ut ad maiorem claritatem legatur: « sub Petro *eiusque successoribus* exercendis »; 2) in pag. 10, lin. 19, ubi legitur « eam ipse sive per se sive per Apostolos », propono ut legatur: « eam *ipsemet Christus* sive per se sive per apostolos »: ratio: subiectum orationis grammaticalis, nempe Christus, longe distat in praecedentibus, et insertione facta clarius apparebit doctrina; 3) in pag. 11, lin. 4, propono ut verbo « virtute » substituatur verbum « potestate »: ratio: verbum « virtute » ambigui sensus esse potest, ut intelligatur et de habitibus bonis, qui sub « perfectione » tunc venirent, et de « potestate », quod apertius exprimit intentionem textus.

4

Exc.mus P. D. LUDOVICUS DE BAZELAIRE DE RUPPIERRE
Archiepiscopus Chamberiensis

Venerabiles Patres,

Schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* pluries in textu cum claritate et firmitate auctoritatem Ecclesiae, tam in docendo quam in praecipiendo, merito affirmat. Cum S. Paulo, in prima epistola ad Timotheum, Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis instanter proclamat. In tempore nostro in quo crisis auctoritatis, tum ex erroneis

doctrinis tum ex defectu disciplinae exorta, ab omnibus agnoscitur, haec affirmatio valde necessaria videtur. Nullus est christianus qui auctoritatem et iura Ecclesiae negare aut minuere audeat.

Attamen alia est auctoritas ipsa, aliud est exercitium huius auctoritatis. Auctoritatem Ecclesiae et eius iura asserere non sufficit. Caput est etiam modum definire quo exerceri debet, ut suum effectum salutarem plene attingat et a fidelibus libenter admittatur. Atqui in nostro schemate dicendi vis, saltem in aliquibus locis, nimis dura videtur et minus hominum hodiernorum capacitati adaptata. Sive agatur de magisterio, sive de potestate episcoporum, quorum est « coercere, cogere atque punire », vel de erroribus contra oboedientiam Ecclesiae debitam, quaedam asperitas verborum animam hominum bonae voluntatis offendit et vultum maternum Ecclesiae paululum occultat.

Ecclesia est *magistra.* Nemo est qui de eius munere dubitet. Sed in quo sensu magistra sit? Ni fallor, in duplici sensu:

Primum et essentialiter, est magistra quia officio evangelicum nuntium omnibus gentibus fideliter praedicandi fungitur et per Spiritum Sanctum charismate indefectibilis veritatis ditatur.

Sed secundo, ut magistra, educatrix fidei christianorum vocari debet. Atqui educatio non fit mere per enuntiationem veritatis quasi vi impositae et ad quam admittendam sine mora cogantur homines. Eos sumit sicut sunt, ut eveniant id quod esse debent, et hoc sine labore et amore fieri nequit. Multi sunt hodie vero, saltem inter christianos, qui, a modernis ideologiis decepti et lumen veritatis certae exspectantes, ad audiendam Ecclesiae vocem parati sunt. Verbum authenticum Dei et Ecclesiae credendum non respuunt, sed actum vere humanum efficere volunt et fidem profiteri cuius veritatem probaverunt et quam libere acceperunt. Quod non fiet, quin Ecclesia, nedum fidem imperative imponat, cum moderamine verborum ad fidem materne alliciat.

Iamvero Ecclesia non est tantum magistra; est etiam *mater.* Sicut mater filios suos intime cognoscit, defectus eorum non ignorat et fiduciam eorum libenter obtinet, ita Ecclesia mater causas quae fidei ex parte hominum obsunt, cognoscere debet, et mediis quibus haec impedimenta tolli possunt diligenter uti.

Quia Ecclesia mater est, filios suos diligit et eius auctoritas est signum caritatis. Non vult nisi homines ad vitam divinam participandam et ad salutem aeternam consequendam trahere. Unde auctoritas Ecclesiae non est solum ius ad docendum, sed servitium amoris, ad exemplum Iesu Christi qui non venit ministrari sed ministrare. Eodem modo Ecclesia fidelibus inservit, quando eis veritates et praecepta proponit, quae ad finem ultimum attingendum eos conducunt.

Sine dubio, quando fideles propter lenitatem verborum et inflexum vocis amorem Ecclesiae intellexerint, et Ecclesiam simul magistram et matrem esse cognoverint, libenter doctrinam eius accipient et ad praecepta eius consequenda cum gaudio et gratitudine parati erunt.

Nos vero, episcopi, simul doctores et pastores, qui partem aliquam Ecclesiae auctoritatis in manibus tenemus, eam exercere debemus eo modo quo Christus et Ecclesia eam exercent. Erga presbyteros et erga fideles, nostra auctoritas, quamvis firma, debet esse signum caritatis, testimonium servitii, argumentum animi devoti, ita ut, sincere et humiliter, nos quoque cum Christo dicere possimus: « Non veni ministrari, sed ministrare ». Dixi.

5

EXC.MUS P. D. ISAAC GHATTAS
Episcopus Thebanus

Vénérables Pères, chers Observateurs,

Le schéma sur la constitution *de Ecclesia* a suscité dans mon âme de pasteur appartenant à l'Eglise d'Alexandrie les trois remarques suivantes, que j'ose vous représenter.

1. Le schéma, désireux de définir les limites de l'Eglise visible, réduit progressivement le « Corps Mystique du Christ », d'abord à l'Eglise militante, puis aux membres soumis à la juridiction de la hiérarchie, puis à la seule Eglise Romaine. Cela a une saveur trop rétrécissante. On ne peut séparer dans l'Eglise-Corps Mystique, le visible et l'invisible. On aboutirait à dire que ni la Vierge Marie, ni les saints n'appartiennent à l'Eglise parce qu'ils ne sont pas de l'Eglise militante. Il n'y a pas de rupture dans la continuité entre l'Eglise triomphante et l'Eglise militante. Si, de par notre baptême, nous sommes morts avec le Christ, nous sommes également ressuscités en lui. Il y a donc une problématique fausse au départ: le Corps Mystique du Christ ne se réduit pas aux dimensions de l'Eglise militante. Je veux dire qu'on ne peut sans doute pas définir les limites de l'Eglise visible sans détruire le mystère de l'Eglise.

2. Le schéma semble oublier que durant de nombreux siècles, l'expression « Corps Mystique du Christ » a désigné la Sainte Eucharistie. Cela indique indubitablement que la voie par laquelle s'opère notre union à l'Eglise n'est pas le seul baptême et la soumission à la juridiction de Pierre. Nous vivons en Egypte parmi nos frères les Coptes Orthodoxes qui, s'ils ne participent pas à l'unité totale au Corps Mystique

par l'union à Rome, communient pourtant au même Pain Eucharistique que nous, après avoir reçu le même baptême, professent sur les points les plus importants le même dogme que nous. Comment peut-on les situer — comme le fait, discrètement il est vrai, le deuxième chapitre du schéma — sur le même plan que les païens: « extra Ecclesiam »? Cette constatation doit nous inviter à considérer le concept d'appartenance à l'Eglise, non pas sous un mode univoque, comme le fait le schéma, mais sous un mode analogue. Nous sommes tous — croyants en Jésus-Christ — plus ou moins unis au Corps Mystique du Christ.

3. La finale du premier chapitre, enfin, qui définit l'Eglise, objet de foi, comme seule Eglise Romaine, marque le dernier pas de l'esprit rétrécissant de ce schéma. Je m'explique: La tradition de nos Eglises d'Orient a toujours parlé *des Eglises*: Eglise de Rome, Eglise de Constantinople, d'Alexandrie, d'Antioche, de la Jérusalem mère. De nos jours, nous continuons à utiliser les mêmes formules: les Eglises d'Orient, les Eglises d'Afrique, du Japon, de la Chine, etc. Cette formulation traditionnelle a le grand mérite de tenir compte de la collégialité de la constitution de l'Eglise du Christ. Il serait donc plus juste de dire que l'Eglise est constituée, de droit et de fait, par toutes les Eglises en union avec l'Eglise de Rome. Et même cette formule n'embrasserait pas encore l'universalité du Corps Mystique du Christ. En soi, la formule du schéma n'est pas fausse dogmatiquement, mais elle est retrécissante, et surtout, elle n'est pas traditionnelle dans le donné dogmatique. Le dogme est une chose sacrée dont nous ne devons rien abandonner. En matière de dogme, on n'a pas le droit d'être novateur, et la devise du schéma devrait être « semper idem »: elle ne l'est pas.

C'est pourquoi je propose que ce schéma soit au moins profondément remanié dans un esprit plus réellement traditionnel, en soulignant:

1) L'unité et l'indivisibilité dans le Corps Mystique du Christ, de l'Eglise triomphante, souffrante et militante.

2) Que la notion d'appartenance à ce Corps Mystique du Christ soit conçue sous un mode analogue et non plus univoque. Le désir de définir avec précision ne doit pas faire perdre le respect pour le mystère de l'Eglise.

3) Enfin que l'aspect collégial de l'Eglise soit nettement marqué dans cette constitution des Eglises unies autour du siège de Pierre. Béni soit son nom!

Animadversiones additae:
Marie dans l'Eglise d'Alexandrie.
La Vierge Marie nourrit indubitablement la Théologie, la Liturgie et la dévo

tion privée de l'Eglise d'Alexandrie. C'est pourquoi nous devons mettre en Elle tout notre espoir pour aboutir à la paix et l'union avec nos frères séparés. C'est ce que je veux essayer de développer ici.

1. *La Maternité de la Vierge Marie.* Il est évident que c'est sa Maternité divine qui constitue la Majesté de la Vierge Marie. L'Eglise d'Alexandrie a porté cette vérité à sa pleine lumière pour deux raisons: la première, qui est commune aux autres Eglises parce que cette vérité découle de la révélation; la seconde, qui lui est propre, car c'est St Cyrille qui en a maintenu l'affirmation devant Nestorius au 5e siècle. Et il faut noter que ce n'est pas St Cyrille en tant qu'individu, mais en tant que Patriarche d'Alexandrie qui est ici le défenseur de la vérité, car il n'a fait que transmettre aux générations postérieures ce que lui-même avait reçu de la foi et la tradition locale. Avant lui, Origène d'Alexandrie, le premier et peut-être le plus grand des théologiens, semble avoir été le premier à employer le terme technique de « Theotoxos ». En outre il est prouvé que la liturgie alexandrine fut la première à proposer à la vénération de ses fidèles la Maternité divine sous ce vocable; la prière du « Sub tuum praesidium confugimus Sancta Dei Genitrix... » a été retrouvée en Egypte sur un Papyrus du 3e-4e siècle, avec ce terme de la « Théotoxos ». Dans la suite le terme a été traduit en copte « ⲙⲁⲥⲡⲟⲩⲧ » puis en arabe « والدة الإله » et a ainsi maintenu et répandu la foi et la dévotion de la Maternité divine jusqu'à nos jours.

2. *Les autres privilèges mariaux.* C'est plus par la dévotion liturgique que par des spéculations théologiques qu'ils ont été mis en valeur, comme ornements à la Maternité divine: sa Sainteté parfaite, sa virginité perpétuelle, et son Assomption. *Sa Sainteté parfaite*: C'est l'exclusion absolue de tout péché dès qu'il est question de la Vierge Marie; positivement: c'est l'attribution de toutes les vertues au point le plus haut. En ce qui concerne le début de cette Sainteté, sa Conception, elle est fêtée chez nous le 9 décembre. *Sa virginité perpétuelle*: Aucune ombre de doute ne voile sur ce point la piété des Coptes: Avant, pendant et après la naissance de Jésus, Elle est toujours demeurée Vierge. C'est souvent la vision d'Ezechiel qui est ici prise à titre d'illustration: cette porte par laquelle le roi entre et sort, tout en demeurant close, c'est Marie qui, concevant et enfantant Jésus, demeure toujours intacte. L'*Assomption*: C'est le couronnement des vertues de la Sainte Vierge. C'est encore en Egypte qu'on trouve les plus anciens documents de ce privilège marial. Les homélies sur la mort et l'Assomption de la Vierge, attribuées à Théophile, Patriarche d'Alexandrie, sont vraisemblablement du 5e siècle. Le Calendrier d'Oxirynque, retrouvé ces dernières années, et établi pour les années 535-536, possède déjà au 21 Kihak la commémoration de la mort de la Vierge. Enfin, ce qui est propre à l'Eglise d'Alexandrie, c'est le temps entre la mort et l'assomption de la Vierge; 204 jours séparent ces deux fêtes. De nos jours sa mort est célébrée le 21 de Tûbâh (en Janvier), et son Assomption le 16 de Misr (en Août).

3. *La Médiation de la Vierge Marie.* Parmi les autres titres attribués à la Vierge Marie par l'Eglise d'Alexandrie, celui de sa Médiation entre son fils et nous, domine indubitablement. La raison en est claire: Il est le plus utile pour les hommes. La tradition rapporte, que déjà au temps de son exil en Egypte, passant de lieu en lieu, la Mère de Dieu priait son petit enfant de bénir abondamment toutes ces contrées. De fait, l'abondance des martyrs et des moines en Egypte les siècles suivants, fut le fruit de ces bénédictions. Une autre tradition rapporte que la Vierge, après la résurrection de son Fils, le priat, de la faire retourner, elle et

les apôtres, au mont Koskam (Deir Muharraq), où ils avaient passé leurs sept années d'exil, en signe de reconnaissance et de bénédiction. Là, elle obtint de son Fils *que tous ceux, qui, dans l'avenir, viendraient prier avec componction dans ce lieu, obtiendraient la rémission de leurs péchés et de leurs peines.* Quoiqu'il en soit de l'historicité de cette tradition, il est certain que la piété et la liturgie des Coptes invoquent la médiation de la Vierge Marie: dans la maladie, la faim, la guerre, le péché, pour les inondations du Nil, les moines, les prêtres, les évêques, le Patriarche. Par tous et partout, le secours de Marie est imploré. La Mère des miséricordes est universelle.

4. *Le culte de la Bienheureuse Vierge Marie.* C'est la conséquence de ce qui précède. Chaque jour le nom de Marie est invoqué par les fidèles. Dans la liturgie le nombre de ses fêtes et commémoraisons s'élève à environ 35. Parmi toutes ces fêtes, c'est l'Assomption qui domine, précédée par 15 jours de jeûne. Les fidèles vont en pélerinage au sanctuaire de l'Assomption de la Vierge, en foule, de toutes les parties de l'Egypte, avec une foi admirable; les musulmans eux-mêmes se joignent à nos fidèles non seulement pour le pélerinage mais pour le jeûne. En sus de cela, la liturgie copte a en particulier, son « mois de Marie » durant tout le mois de Kihak. La raison théologique en est profonde. Le mois de Kihak précède de près en effet la Nativité du Seigneur. Au moment où Marie est si près de donner son Rédempteur au Monde, il est nécessaire que les hommes prient et suivent la mère du Rédempteur pour trouver plus sûrement leur Sauveur. Le mois tout entier est donc divisé en semaines, jours et heures liturgiques, qui par leurs divisions font monter par la bouche des fidèles, prières, louanges, cantiques, et hymnes vers la Vierge Marie et en son honneur.

5. *Marie: « Mater unionis » et « Regina Pacis ».* Toute l'Egypte est divisée en trois groupes: Catholiques, Orthodoxes et Musulmans. Tous, pour des raisons, la plupart du temps religieuses, sont souvent agités et opposés par des querelles. Tous sont d'accord seulement sur un seul point: la reconnaissance de la dignité, de la médiation et l'amour de la Vierge Marie. Cette remarque nous suggère que Marie soit l'auteur principal de l'union et de la paix. Elle est celle, qui, la première, a porté le Christ à l'Egypte, et c'est elle seule qui peut maintenant le faire revenir dans le cœur des Egyptiens. Elle est en effet aimée de tous, qu'elle soit donc la Mère de l'union « Mater unionis ». Par tous, elle est vénérée, qu'elle soit donc pour tous, la reine de la paix.

6

Exc.mus P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres,

Pluries, in disceptationibus nostris, quasi oppositio facta est sive inter characterem iuridicum et characterem spiritualem Ecclesiae, sive inter aspectum potestatis et aspectum servitii auctoritatis hierarchicae, sive inter auctoritatem collegialem episcoporum et primatum Summi Pontificis.

Neque sufficit dicere hanc oppositionem esse mere apparentem, sed eam solvere debemus.

Solutio autem sat difficilis evadit, si in campo mere conceptuali manemus; e contra, oppositio quasi evanescit, si magis directe ad ipsum Evangelium recurrimus.

Vellem ergo de solutione harum oppositionum per recursum ad Evangelium aliqua disserere.

A) De Ecclesia, in Evangelio quid legimus?

1. Ex una parte, Evangelium nobis ostendit Christum verum regem esse, atque verum in hoc mundo condidisse regnum. Insuper potestatem, quam a Patre accepit, apostolis suis eorumque successoribus concessit.

Sed ex alia parte, Evangelium characterem vere spiritualem huius regni clare manifestat. Regnum enim Christi non vi constituitur neque defenditur, sed verbo Dei; neque pecuniis innititur, sed paupertatis beatitudine locupletatur; neque subsidiis potentium huius mundi fulcitur, sed virtute Spiritus Sancti; neque divitibus aut doctis reservatur, sed, ut pulcherrime aiebat em.mus card. Lercaro, evangelizatione pauperum quasi signatur.

Unde nulla est oppositio inter characterem iuridicum et characterem spiritualem regni Christi, sed ipsa eius organizatio iuridica subordinatur vitae spirituali, quam Christus omnibus in se credentibus attulit, atque manifestat characterem spiritualem huius regni.

2. Quae autem a Christo dicta et facta sunt, ad amussim servare debemus. Non tantum loquor de ipsa organizatione divinitus instituta, de qua nulla potest esse disceptatio, sed etiam de organizatione ecclesiastica, pro qua etiam valent principia quae in Evangelio leguntur.

Quando ergo agitur de natura Ecclesiae, nullo modo debemus opponere, ut iam dicebat Pius XII, societati iuridicae communitatem amoris; sed haec debemus statuere, non tamquam exhortationem spiritualem, sed tamquam principia doctrinalia:

a) Ecclesia debet ita ordinari, ut eius organizatio iuridica totaliter subiiciatur fini quem Christus praestitit Ecclesiae suae, id est fini spirituali.

b) Organizatio iuridica Ecclesiae spoliari debet ex omnibus quae sive fidelibus, sive infidelibus scandalum praestant, et ita renovari, ut clare manifestet mysterium quod repraesentat. Tunc enim vultum Christi mundo ostendit.

B) Simili modo, si Evangelium attente legimus, clare videmus nullam esse oppositionem inter aspectum potestatis et aspectum servitii in auctoritate Christi et apostolorum, quorum successores sumus...[1]

Certe, auctoritas apostolorum summa est, sed in exercitio huius

auctoritatis semper sese gerere debent tamquam Christi ministros et hominum servos. Haec autem, iterum dico, non ad spiritualitatem pertinent, sed ad ipsam doctrinam de auctoritate hierarchica.

C) Tandem, Evangelium clare nos docet Petrum non separatum a collegio Apostolorum exstitisse, sed in ipso apostolorum collegio primatu donatum esse.

Quae dixi breviora sunt et certe non sunt sufficientia, sed viam aperiunt ad profundiorem inquisitionem.

Conclusio. Mihi non solum conveniens, sed omnino necessarium videtur, quod in recognitione textus, quae a plurimis petitur, maior pars studio ipsius Evangelii detur.

Non enim frustra Sanctum Evangelium in aula Concilii sollemniter quotidie exponitur, neque sufficit illud tamquam librum spiritualitatis considerare, neque tamquam meram illustrationem thesium dogmaticarum; sed, sicut vere est, tamquam doctrinae fontem debemus illud recipere.

Non solum ergo mores cleri populique christiani, sed ipsa organizatio iuridica Ecclesiae et ipse modus praesentandi Ecclesiae doctrinam secundum Evangelium renovanda sunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ut ab exc.mo de Bazelaire dictum est.

7

Exc.mus P. D. ALFREDUS SILVA SANTIAGO

Archiepiscopus Conceptionis

Em.me Praeses, em.mi ac exc.mi Patres,

Solummodo aliquas partes meae interventionis legam, ut alii Patres, ut desiderant, in hac ultima congregatione generali loqui possint.[1]

Maxima cum attentione ac reverentia Patres in praeteritis congregationibus generalibus audivi contra constitutionem dogmaticam *de Ecclesia* criticam opponentes. Nonnulla, et optime quidem, ad emendationem perfectionemque schematis dicta fuerunt, quae absque dubio perpendenda sunt a commissione theologica. Sic sincerissime censeo.

Nihilominus schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* in Concilio discutiendum ut nobis propositum est, in eius complexu generali ac particulari mihi placet, in eodem sensu quo em.mis cardd. v. g. Ruffini, Siri, Bacci, Browne, et aliis Patribus placuit.

His dictis, ad aliud transire mihi liceat; ad aliud nempe ad rem pertinens et profunde, iuxta meam humilem sententiam.

Saepe saepius hac in aula, praesertim die sabbato, magis quam de iuribus Ecclesiae sermonem, quasi unice, debere esse de beneficiis socialibus Ecclesiae assertum fuit. Cur? Quia Concilium Oecumenicum Vaticanum II est ante omnia et super omnia Concilium pastorale.

Concilium praesens pastorale est. Certissime. Sed, ad hoc recte intelligendum, apprime distinguenda sunt *officium* pastoris et *modus* quo officium hoc pastoris sit obeundum.

1. *Officium* quidem pastoris tria ista complectitur, potissimum, ut ex cap. X Ioannis et ex parabola de ove perdita liquet; pastor oves gubernat, easdem docet, et si quam perdiderit, relinquit nonaginta et novem in deserto et vadit ad illam quae perierat donec eam inveniat.

Itaque pastoris est: gubernare fideles, eos docere et, si qui misere aberrant, invenire ut eos ad gregem reducat; et qui de grege non sunt, adducere ut fiat unus grex et unus pastor.

Cum prorsus haud pacifica sit vita gregis, necesse est ut pastor non modo prudens sit atque vigilans, sed vere gubernans, quod ad officium regendi docendique equidem pertinet.

Unde pastoralis officii est potissimum doctrinam sanam docere et disciplinam fidelium in sincera Dei caritate fovere, secundum illud Domini: « Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit ».

2. De *modo* vero quo pastor officio suo fungi teneatur, ipse multiplex est ut a S. Gregorio Magno in regula pastorali illustratur.

Quid porro Paulus Corinthiis scribit? Ipse qui mirabilis suarum ecclesiarum pastor fuit, quarum sollicitudine agebatur, nihil omnino Veritatis dicendae reliquit, nihil silentio contexit, immo ipse negavit se persuasibilibus humanae sapientiae verbis usum fuisse, sed Christum praedicasse et hunc crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.

Quam ob rem oecumenica pastoralisque ratio spiritualem habitum mentis insinuat: ut pastor virtutibus emineat; ut forma factus gregis, cum illis gaudeat si gaudeant, fleat si flent, semperque veritati, iustitiae, et caritati ita cohaereat ut pro ovibus mori, sicut Christus, paratus omnino sit.

Pastoralis ergo et oecumenica ratio non est illa tantummodo quae in schematum textu describitur, sed potius quae in vita pastorum exemplo illustratur. Haec una quippe pastoralis ratio fideles et infideles, adiuvante Dei gratia, attrahere probatur.

3. Unde concludo. Numquam, ut hodie, gravis et urgens necessitas apparet ut doctrina catholica fidei et morum sub omnibus eius aspecti-

bus essentialibus et fundamentalibus, praesertim dogmatibus, praecise, ac firmiter exponatur. Etiamque modo positivo per nitidam affirmationem principiorum ac normarum huius doctrinae et quoque, maxima quidem cum caritate et vera quidem prudentia, *non solummodo naturali sed*[2] supernaturali, errores damnando, si opus fuerit.

Ita, modo vero obiectivo, sine ambiguitate et absque subiectivismo doctrina Ecclesiae effulget, *id est*[3] verba nempe Verbi Dei: « Ego sum lux mundi ».

Ita omnia Concilia fecerunt, Tridentinum praesertim et Vaticanum I. Nostris in temporibus a fortiori, nam crisis hodierna non est tantummodo crisis politica, oeconomica aut socialis, nec pure culturalis, ideologica et metaphysica. Fundamentaliter est *crisis religiosa,* ut apparet, exempli gratia, in ipsis mediis communicationis socialis singillatim consideratis, de quibus sermo fuit hac in aula conciliari, et proh dolor! in ipsa actuali iuventute universitatum, ubi in unaquaque natione ac ubique terrarum praecipui duces societatis efformantur.

Urget ergo ut, hoc in Concilio, doctrina fidei et morum eiusdemque necessitas ad salutem sub luce et calore nitide exponatur, ut in schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* fit, in servitium totius Corporis Mystici Christi, et ita Ecclesia vere et absque haesitatione apparebit coram omnibus uti realiter est: Mater et Magistra.

Modus *vel methodus*[4] hic procedendi nullo pacto obstaculum seu difficultas esset, ut actio pastoralis Ecclesiae, ut apparet in schematibus constitutionum et decretorum Concilii, plene ostendatur; e contra ita eiusdem origo divina omnibus magis effulget.

Sic, vota Ss.mi Domini nostri Papae Ioannis XXIII, feliciter regnantis, in Motu Proprio *Appropinquante Concilio* proposita adimplerentur, scilicet:

« Tria profecto munera spectant ad episcopos, apostolorum successores, hoc in Concilio, nempe, docendi, sanctificandi et regendi, ad quae rite exsequenda, Christus Iesus se ipsis affuturum usque ad saeculorum consummationem benigne promisit.

« Instituendi vero homines sunt de iis quae ad rectam fidem et ad castos mores attinent; atque magis magisque recolere oportet, quae sit intima Ecclesiae natura, quaenam eius munera et fines *et officia.*[5]

« Etenim, quo magis radians Ecclesiae matris vultus innotescit, eo impensiore amore homines illam diligunt, procliviore animo ipsius salutis instrumenta adhibent ac disciplinam observant ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

Secretarius generalis: Laetissimum nuntium communico omnibus Patribus. Sanctissimus Dominus ipse in hanc aulam adveniet, hora meridiana [*plausus*], ut recitet *Angelus* et alloquatur Patres. [*Patres iterum plaudunt*].

Nunc communico exitus suffragationis peractae:

Praesentes votantes	2.118
Dixerunt *placet*	1.922
non placet	11
placet iuxta modum	180
Vota nulla	5

Itaque cap. I cum prooemio ab amplissimo coetu approbatum est. [*Plausus*]. Cum approbatus sit textus, non est necesse ut mittantur modi.

Velint Patres ad sua loca redire tempore opportuno, ut Beatissimum Dominum excipiant.

8

EXC.MUS P. D. EUGENIUS D'SOUZA

Archiepiscopus Nagpurensis

Venerabiles Patres,

In re tam magni momenti cuius consequentiae totum mundum afficere possunt, mihi necessarium videtur ut etiam vox e Missionibus a Patribus audiatur.

Iterum ac iterum schema perlegens, quaerebam: quid revera fuit obiectum auctorum huius schematis? Pro quibusnam intenditur? Evidenter non voluerunt conficere documentum quod ut pretiosam margaritam recondi volunt. Nonne enim Christus vult ut thesaurum nostrum cum aliis communicemus? Nonne intendi debet ut pars « boni nuntii », quem ubique praedicare et proclamare debemus ut invitationem ad *omnes homines* ad salutem in Ecclesia quaerendam?

Quod si ita sit, cur res tam iuridice et scholari modo proponitur?

Omnino non sufficit doctrinam Ecclesiae esse in seipsa pulcherrimam et sublimem. In propositione alicuius doctrinae, ut est doctrina de Ecclesia, oportet ut concrete agamus, modo intelligibili non tantum pro theologis, sed pro omnibus fidelibus, pro omnibus christianis, immo et pro iis qui « foris » sunt. Non agitur enim de novis doctrinis proponendis sed de doctrina in Ecclesia firma toti mundo exponenda, ut omnes

clare videre possint quid revera sit Ecclesia, quid eius finis, natura, opus, responsabilitas.

Aliquis ex Patribus Concilii recenter quaerebat cur, dum schemata conscribuntur, semper illos « qui foris sunt » coram oculis habere debeamus. Sed nonne Ecclesia illis visibilis fieri debet ut lumen in vertice montium? Utinam semel nosmetipsos videre possemus modo quo apparemus illis qui « foris sunt »! Fere omnibus illorum Ecclesia apparet ut societas autocratica et rigida, non uti mater quae revera est. An ex schemate benignitas matris nostrae Ecclesiae illis lucescens apparere potest? Nonne modo iuridico quo Ecclesia eis proponitur potius confirmentur in sua falsa opinione circa veram naturam Ecclesiae? Tali modo loqui et agere debemus ut omnino appareat Ecclesiam magistram etiam esse matrem benignam, pro qua plus valet « caritas quam potestas », et quae materno modo filios adiuvare cupit.

Error quidem per se non habet iura propria, sed ex hoc non sequitur errantes tali modo damnandos et proscribendos esse perinde ac si ipsa porta salutis pro eis claudatur. Num talis impressio removeri poterit per ea quae hic illic in schemate dicuntur, imprimis in capite de membris Ecclesiae?

Distinctiones iuridicas et rigidas pervolvens, uti in hoc capite proponuntur, nonne apparet divisio quasi irreparabilis in Ecclesia, in Corpore Mystico Christi? Esto hanc doctrinam non esse omnino claram et adhuc inter eminentes theologos disputatam. Sed tunc ad quid haec obscura proponere volumus? Quodsi doctrina includenda esse videatur, suaviter et clare elucidetur et quidem hoc modo ut Ecclesiae elucescat caritas potius quam potestas.

In diversis articulis schematis nimis partialiter tractatur auctoritas et potestas in Ecclesia, ita ut via aperiatur et praeparetur multis difficultatibus et dubiis. Oportet ut, ubicumque agitur de auctoritate et potestate in Ecclesia, clare et sine ambiguitate loquamur, potestati tum Summi Pontificis tum episcoporum locum suum tribuentes. Pro opere missionali maximi momenti erit, ut mihi videtur, modus quo Concilium nostrum solvet hanc quaestionem de statu et potestate episcoporum in Ecclesia, in hoc schemate propositam.

Praecipuus fons omnium difficultatum nostrarum est falsa notio et nimis restricta visio Ecclesiae uti nunc in realitate existit et vivit. Proh dolor!, sunt qui adhuc ratiocinantur quasi essemus in saeculo decimo quinto vel sexto. Timorosi, censere videntur Ecclesiam etiam hodie mundo proponendam esse tamquam arcem inexpugnabilem ad hostes repellendos. Sed quaero: ubinam gentium sunt hodie hostes? Nos omnes sumus fratres, et circa nos in orbe universo videmus tantum animas immor-

tales ad salutem et sanctificationem in Christo attrahendas. Cur proponeremus Ecclesiam perinde ac si esset corpus quoddam rigidum, imprimis iuridicum? Ecclesiam nostram exhibere possumus et debemus ut vivum organismum variarum communitatum fidelium, vita vigorosa pulsantem, in toto orbe diffusam. Varii sunt populi, variae sunt eorum culturae. Si haec ad Ecclesiam attrahere volumus, omnino requiritur ut potestas episcopis variarum regionum agnoscatur. Non agitur de minuenda potestate Summi Pontificis. E contra, quo magis relinquatur episcopis per orbem dispersis potestas, facili et apto modo bona et pulchra populorum sibi commissorum carissima in thesaurum Ecclesiae adunandi, eo magis elucescet sollicitudo capitis corporis episcoporum. Successus corporis nostri est successus capitis nostri!

Propter illas datas rationes, venerabiles Patres, censeo magnam partem schematis revisioni fundamentali subiici debere. *Dolendum est in pluribus commissionibus magni momenti, deesse repraesentationem adaequatam e missionibus. Igitur* [1] insistenter rogo, ut in illa revisione facienda, *et imprimis in praeparatione ipsa schematum,*[2] vox missionum non remaneat vox clamans in deserto. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Atque. [2] deest.

9

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK

Episcopus Moguntinus

Em.me Praeses, dilecti Patres Conciliares, venerabiles Observatores,

Proponere doctrinam de Ecclesia propterea est sat difficile, quod realitas Ecclesiae complectitur diversa elementa nec minus mysterium est quam salus supernaturalis ipsa. Qua de causa, rev.mi Patres, non mirari debemus, quod haec doctrina nobis parat magnum laborem...[1]

Concilii doctrina de Ecclesia omnia complecti debet, quae pertinent ad plenitudinem Ecclesiae. Quod quidem non vult dicere illa omnia debere iam nunc definitivo modo pronuntiari. Debet autem doctrina, quam de Ecclesia propositiri sumus, spatium relinquere omnibus quae a nobis de Ecclesia dicenda sunt, vel quae a posterioribus temporibus fortasse melius dici poterunt. Vivam et vere evangelicam doctrinam de Ecclesia exspectant a nobis fideles nostri, christiani separati, et aliquomodo mundus.

Ut huic fini inserviatur, iam ipsum fundamentum biblicum, quo descriptio naturae Ecclesiae nititur, maiorem habere debet latitudinem. Schema propositum enumerat quidem varias figuras, quibus Sacra Scriptura de Ecclesia loquitur. Tamen sola figura corporis Christi utitur ad describenda vel potius deducenda ea quae de Ecclesia dicenda sint. Haec autem imago corporis, etsi multum valet nec ullo modo negligi debet, non omnia elementa essentialia Ecclesiae aeque bene ostendit, sed ope aliarum figurarum suppleri debet. Ecclesiam Christo intime coniunctam esse ostendit quidem bene imago corporis Christi; eam simul a Christo distingui eique confrontari melius ostenditur imaginibus sponsae et populi Dei. Ecclesiam Novi Testamenti esse Ecclesiae Veteris Testamenti consummationem ostenditur figura populi Dei. Qua figura populi Dei etiam melius elucet in Ecclesia laicis et hierarchis multa esse communia: omnes sunt fideles, omnes sunt per Christi gratiam salvati, etc. Statim ab initio, ni fallor, hae omnes figurae, quibus Sacra Scriptura de Ecclesia loquens utitur, adhiberi necessarium est. Secus enim, fundamentum expositionis nimis angustum ponitur, quo postea alia elementa aeque essentialia superstrui nimis artificiosum videri debet, nisi omnino obliviscantur.

Attendi insuper debet Ecclesiam non solummodo esse Ecclesiam hierarchicam seu institutionale *medium* salutis, sed etiam *fructum* salutis, scilicet communitatem redemptorum in gratia Christi. Et sub hoc aspectu, Ecclesia habet intimum connexum cum regno Dei, in quantum permanet etiam post consummationem saeculi. Simul cum Ecclesia, quatenus est sacramentum, prae oculis habeatur oportet Ecclesia, quatenus in ea latet res sacramenti. Sacra Scriptura rationem membri Ecclesiae petit etiam a gratia sanctificante. Uterque aspectus, medium simul et fructus salutis, attendi debet, si sermo est de Ecclesia eiusque membris.

Fortasse sint inter vos, Fratres carissimi, qui desiderant maiorem simplicitatem, si duabus vel tribus propositionibus describitur, quod una tantum est res. Tamen talis labor non est superfluus, nec simplicitas false concipi debet. Ipsa Sacra Scriptura est, quae nobis exemplum dat. In mysteriis fidei simplicitas et claritas non inde resultat, quod omittuntur quaedam elementa. Per longum in his rebus solum totum est vere simplex. Etiam alibi in doctrina fidei invenitur necessitas, unam rem pluribus enuntiationibus proponere, quarum una dicit quae altera omittit. Omnia, quae modo analogiae — entis vel fidei — dicenda et cogitanda sunt, eo ipso duplicem phrasim postulant, ut una veritas recte exprimatur. E. g. describitur gratia imagine vitis et amicitiae et filiationis. Quam periculosum esset gratiae essentiam et proprietates ex sola imagine vitis explicare! Diversis enuntiationibus Sacra Scriptura utitur

ad describendum regnum Dei. Iam in describendo ipso Christo eiusque humanitate simile valet. Sermo, exempli gratia, de unctione Christi continet fundamentum et pro elementis iuridicis Ecclesiae (quatenus participat missionem Christi regis, magistri, pastoris), sed simul etiam pro mysterio pneumatico Ecclesiae participantis sanctificationem ipsius Christi hominis. Utrumque elementum ergo simul continetur, tamen variis enuntiationibus explicandum erit. Inde debet descriptio Ecclesiae non una tantum figura biblica niti, sed omnibus, vel saltem iis, quae praebent nova elementa necessaria.

Etiam sub aliis respectibus modus loquendi schematis nostri valde differt a modo loquendi Sacrae Scripturae...[2] Cur verbum « ministerium », quo Sacra Scriptura munus hierarchicum denominat, tam raro adhibetur, sed sermo est de munere regis et de gubernio? Cur in una pagina (scilicet in pag. 60, lin. 22 usque ad lin. 21 sequentis paginae) undecies invenitur verbum « subditi », vinculum fraternitatis autem, quod etiam inter ecclesiasticam auctoritatem et fideles obtinet, non aequaliter memoratur?

Etsi schema continet multa bona, tamen non satis sapit Evangelium pro fidelibus catholicis, pro a nobis separatis et pro universo mundo. Doctrina autem dogmatica ipsa de Ecclesia proponi potest et debet a Concilio tamquam evangelium, id est euanggelion, et sic est ut dogmatica doctrina in se sit vere pastoralis. Virtutem salutarem quam doctrina ex seipsa non habet, neque exercitium pastorale addere potest. Propterea utrumque separari non debet. Simul talis evangelica doctrina inserviet indigentiis oecumenicis. Tales enim non adimplentur concessionibus, nequaquam, sed eo, quod fides quam Ecclesia de seipsa profitetur, tam dives ostenditur quam apparet in Sacra Scriptura pronuntiante ipsam Ecclesiam ut partem essentialem operis salutaris Dei.

Haeresi, partem tantum veritatis revelatae retinenti opponere alteram partem sufficere non potest. Solummodo totum demonstrare potest partem esse partem. Officium ergo nobilissimum, etiamsi non semper facillimum, theologiae catholicae est, de aliqua re fidei in ipsa doctrina semper totam rem saltem in principiis proponere.

Quibus de causis videtur mihi, totum schema denuo profunde elaborandum esse, quia non sufficit partes corrigere ad conceptionem catholicam Ecclesiae *integre* exponendam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] nec schema nobis propositum omnia desideria adimplet. [2] Cur statim ab initio Ecclesia nominatur « militans »?

10

Rev.mus P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congregationis Anglicae O.S.B.

Venerabiles Patres,

Omnino assentior sententiae rev.mi ep. aux. Barcinonensis, nuper expressae, iuxta quam Concilium debeat in rebus *doctrinalibus* [1] summa uti cautela. Nemo *negaret* [2] quod definire aliquod dogma esset res gravissima; et spero nos nullum dogma definituros esse. Sed etiam *conciliariter* [3] novis modis exprimere quod iam communiter docetur, est *satis* [4] grave; quippe quia valde difficile, ne dicam impossibile, evenit postmodum theologis aut ipsi magisterio se extricare...[5] locutionibus, etiam non infallibilibus, supremi magisterii. Hinc concludo Concilium, etiamsi non definit sed solum declarat aut damnat, magnam responsabilitatem *assumpturum esse.*[6]

Iam quae est causa cur adversum hoc schema, tam sedulo a peritissimis viris praeparatum, usque adhuc tot et tantae obiectiones suscitentur, ita ut aliqui, non leves homines, suaserint ut penitus, vel funditus, recognoscatur, si non — quod ego ipse pro mea quantulacumque parte proponere vellem — ut materia de Ecclesia in novum quoddam schema fundatur? Qui talia sentiunt sunt plerumque sana mente, sana orthodoxia. Quis ex eis negaret Ecclesiam a Christo fundatam esse unicam sacramentorum communionem, et ideo institutionem iuridicam? Quis ex eis negaret *Ecclesias in communione cum Vicario Christi, successore Petri,*[7] esse illam Ecclesiam a Christo fundatam? Sed, *opinor,*[8] efformatur hodie visio Ecclesiae omnino *quidem* [9] consentiens his veritatibus *et ipsas continens,*[10] sed latior, forsan pulchrior; theologia de Ecclesia aliquo modo renascitur.

Equidem assentior alteri sententiae rev.mi aux. Barcinonensis, quod nos debeamus evitare in Concilio quaestiones disputatas, in hoc sequentes prudentiam Concilii Tridentini. Sed quis non videt, sicut dixit exc.mus arch. Durbanianus, hodie in theologia fieri maximam fermentationem idearum, quae se extendit ad prope omnes partes theologiae speculativae? Haec fermentatio nonne est opus Sancti Spiritus? Est quidem signum vitae et vitalitatis Ecclesiae. Criterium vitae est adaptatio ad circumstantias. Cum autem circumstantiae sunt effectus divinae Providentiae, talis Ecclesiae adaptatio est responsum verbo Dei in circumstantiis et latenti et patenti.

Humanum genus hodie in eo est ut gressum novum faciat, gressum qualis nunquam in recentioribus saeculis factus est. Est progressus in novam visionem mundi *historicam.* Talis visio, quis neget, est omnino conveniens religioni incarnationis historicae Verbi Dei in mundo temporali. Sed est aliquid novi in vita intellectuali hominum. Hinc ista ...[11] fermentatio...[12]

Sive igitur de Ecclesia agitur, sive de aliis materiis theologicis, opinionem meam vellem *humiliter* [13] commendare, vobis, Patres, quod opus nostrum doctrinale in his duobus punctis fere maxime consistere deberet:

a) In affirmatione sollemni nos omnibus doctrinis definitis, necnon toti traditioni divinae ab Ecclesia praedicatae, toto animo adhaerere et omnes vocare ad similem fidelem adhaesionem.

b) In laeta, *spero,*[14] et generosa salutatione hodiernae renascentiae theologicae in genere *et iuxta modum,*[15] una cum affectuosa admonitione ad theologos directa, ne limites divinae traditionis praetergrediantur.

Et si dicitur [16] quod nullum Concilium Oecumenicum hoc modo se gesserit, respondendum censeo nullum praevium Concilium se in nostra situatione invenisse.

Unum adderem. Est aliquid positivum quod mundo toto debemus dicere.[17] Mundus oculos suos ad hoc Concilium *instanter* [18] convertit, exspectans quid dicturi sumus. Et quid *aliud possumus dicere,*[19] nisi quod mundi necessitates et anxietates et compertas habemus et profunde eis compatimur; sed quod habemus, non ex nobis sed ex Deo creatore et amatore, bonum nuntium salutis divinae in Christo Iesu, humili, miti, amantissimo redemptore; quod Ecclesia laetanter quidem accipit omnem veritatem, sive antiquam sive novam, et omnem bonum progressum in rebus humanis salutat; sed quod missio doctrinalis Ecclesiae non est nisi bonum nuntium Dei proclamare et docere, cum omnibus veritatibus quas sive actu, sive potentia continet, et simul cum veritatibus necessario coniunctis.

Ut planius dicam, *et in conclusione,*[20] quod sentio, occasionem habere mihi quidem videmur, venerabiles Patres — et arripere eam debemus — exhibendi oculis totius prope mundi in nos intentis novam visionem immutabilis Christi, salutaris luminis et dilectionis divinae, in vultu et voce Ecclesiae, humilis ancillae Domini, amantissimae hominum ministrae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] doctrinae. [2] neget. [3] deest. [4] deest. [5] a. [6] assumere. Non debemus tentare Deum. [7] hanc catholicam romanam Ecclesiam. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] non lacrymae theolo-

gicae, sed. [12] Et hinc evenit quod prope omnes partes theologiae, non exclusa theologia de Ecclesia ipsa, multis quaestionibus disputatis hodie implicantur. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] Si autem dicatur. [17] Sunt quidem multa extra campum doctrinalem quae utiliter vel facimus vel facere possimus. Sed forsan unum alterum perutile omittere non debemus. [18] deest. [19] possumus mundo dicere? Quid aliud. [20] deest.

Praeses: Nunc Sacrosanctum Evangelium reponatur et coetus suspendatur ad Summum Pontificem exspectandum et laetanter excipiendum.

Secretarius generalis: Velint Patres omnes ad sua loca redire!

Post intervallum, Summus Pontifex in aulam ingressus est, dum Patres stantes plaudunt.

Summus Pontifex recitavit preces: *Angelus Domini..., Gloria Patri...* (ter), *Angele Dei..., Requiem aeternam...* Deinde Patres allocutus est.

SUMMI PONTIFICIS ALLOCUTIO

Venerabiles Fratres,

Singulari prorsus laetitia afficimur quod, sub exitum primae sessionis Concilii Oecumenici Vaticani II, licet Nobis hodie salutare vos in hac Petriana Basilica congregatos.

Etenim modo recitata marialis precatio *Angelus Domini,* quae Nobis suavissima est, vestras congregationes generales conclusit, quibus quidem, horum duorum mensium spatio, opus molis sane amplissimae est demandatum.

Perplacet nunc palam asseverare, Nos toto hoc temporis decursu vobiscum coniunctissimos fuisse; precibus in primis, quas fidentes ad omnipotentem Deum, bonorum omnium largitorem, pro vobis effudimus; deinde sedula animi attentione, qua collatam a vobis operam suavi cum gaudio prosecuti sumus.

Quare hodiernam oblatam occasionem libenter nanciscimur, ut vobis omnibus gratam profiteamur voluntatem Nostram. Per vos, enim, qui sive dirigendo sive scribendo sive loquendo sive consilia dando, praeclarum in modum pastorales sollicitudines vestras ostendistis, a Nobis vox catholicorum omnium quodammodo audita est, qui undique terrarum hoc tempore ad vestros coetus tanta spe atque exspectatione oculos converterunt.

Praeterea meritae vestrae laudi etiam tribuimus, quod in vestris coetibus caritas in veritate profecto principem obtinuit locum; idque causa est cur Deo plurimas gratias persolvamus.

Congruens rei videtur gratulari de spectaculo, quod amplissimo hoc consessu Ecclesia una, sancta, catholica, et apostolica orbi terrarum praebuit.

A die undecimo mensis octobris, quo sacrorum Antistites catholici nominis Nobiscum sollemni pompa processerunt, suae dignitatis insignibus exornati, usque ad crastinum ritum, conspiciendam se praestitit Ecclesia docens, quae, singularibus hisce in rerum adiunctis congregata, incepit incumbere in studia, ac formulas ad fidem et mores quod spectat concipere, ad eum finem assequendum, propter quem Oecumenicum Concilium coactum est.

Quid autem dicendum de spectaculo, quod elapsa feria quarta contigit? Penitus commoto animo oculi Nostri complexi sunt perinsigne agmen vestrum, quod in Petriano foro flammae instar elucebat. Occursus fuit pius atque festivus, qui adstantibus christifidelibus praeclarum religionis exemplum comparavit.

Fulgenti illo coetu Patrem vidistis cum filiis suis; vosque omnes in episcopatu fratres cum Ipso congregati estis coram beatorum Caelitum aula, ut cum Ipso ingeminaretis preces, Ipsi animorum vestrorum vota et omina significaretis; qua data occasione gratiarum hymnum Christo Iesu eiusque suavissimae Matri una simul commoto animo fudimus.

Qua de vestrae caritatis significatione liceat Nobis animum perquam gratum iterum iterumque vobis profiteri.

Suaviter commoto animi affectu nunc crastinam diem praestolamur, qua, apud fulgens Apostolorum Principis sepulcrum, vos, peractis huius sessionis laboribus, ad vestras profecturos sedes consalutabimus. In qua sollemni caerimonia, ad quam christianorum hominum universitas mentem attento studio iam convertit, impensa filiorum pietate Immaculatam Virginem, Matrem Dei et nostram, venerabimur, ut, benigna praestita ope, nobis provida continenter adsit: illa cum Sanctis Caelitibus adiuvante, ministerio nostro omni cum honore et fructu fungi pergemus, quod nil aliud spectat, nil antiquius habet, quam ut Christi Evangelium a nostri temporis hominibus magis magisque cognoscatur, in rem libenter deducatur, atque in omnes civilis cultus provinciam securo gressu pervadat.

In unum fuit Concilii indicendi consilium, id magna cum exspectatione et fiducia nos omnes cupimus, quotquot in Ecclesia Sancta pastoris partes gerimus.

Venerabiles Fratres,

Haec sunt omina et vota, quae ex imo pectore coram vobis hodie fundere tantopere exoptavimus, ut illo iterum iterumque frueremur gau-

dio, quod sacri Psaltae vocibus praedicatur: « Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum! » (*Ps*. 132, 1).

Precibus a pluribus Episcopis porrectis libenter annuentes, suetas indulgentias apostolicas annectimus obiectis pietatis seu Rosariis, sacris numismatibus, quae Patres Conciliares secum heic deferunt, vel domum suam deferent.

Dum ergo paterno animo laetamur, quod crastina die vos denuo videbimus, supernae benevolentiae munera vobis praesentissima invocantes, apostolicam benedictionem vobis peramanter dilargimur.

Patres Summo Pontifici plauserunt. Deinde Summus Pontifex illis apostolicam benedictionem impertivit, et ex aula discessit, Patribus iterum plaudentibus.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA *

1

EM.MUS P. D. PETRUS CARD. TATSUO DOI
Archiepiscopus Tokiensis

Desiderata pro schemate de Ecclesia proposita a Petro T. card. Doi, arch. Tokiensi; Paulo A. Yamaguchi, arch. Nagasakiensi; Dominico S. Fukahori, ep. Fukuokaensi; Paulo Y. Furuya, ep. Kyotoensi; Luca K. Arai, ep. Yokohamaensi; Benedicto T. Tomizawa, ep. Sapporoensi; Petro A. Kobayashi, ep. Sendaiensi; Dominico Y. Noguchi, ep. Hiroshimaensi; Petro S. Hirata, ep. Oitaensi; Iohanne S. Itô, ep. Niigataensi.

Desideratur nova redactio schematis *de Ecclesia,* quae melius respondeat normis a Summo Pontifice in sermone diei 11 octobris 1962 datis et votis multorum Patrum in Concilio expressis. Pro hac nova redactione sequentia proponuntur:

In introductione, Concilium statuat suam intentionem tractandi de Ecclesia, ut haec in nostra aetate ab universis recte agnoscatur suumque opus beneficum pro genere humano iuvante Deo efficaciter explere valeat. Ostendatur hanc tractationem habere indolem praecipue pastoralem et Concilium per eam non velle imponere novas definitiones dogmaticas.

I. *De natura Ecclesiae.* (Omittatur terminus « militantis »: nam ab acatholicis male sumitur, v. g. Buddhistis, qui accusant Ecclesiam catholicam intolerantiae).

Exordium sumatur a consilio divino salvationis generis humani per Christum, Filium Dei Incarnatum, ut totum genus humanum, a peccato liberatum, cum Deo supernaturaliter uniatur et populus Dei sanctus constituatur. Ostendatur ergo Christum instituisse Ecclesiam, ut in ipsa omnes homines Evangelium credentes in unum populum Dei congregentur et donorum salutis participes fiant: Ecclesiamque esse sacramentum fundamentale a Christo institutum eiusque missionem se extendere ad omnes gentes et usque ad consummationem saeculi.

Bene et adaequate exponantur imagines seu figurae sub quibus Ecclesia in S. Scriptura exhibetur ut:

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio propter finem primae Concilii periodi clausa est. Cf. p. 366.

Figura populi Dei (*Tit.* 2, 14; 1 *Petr.* 2, 9-10; *Apoc.* 1, 5-6), qua connexio V. T. cum N. T. indicatur et vera dignitas omnium christianorum illustratur;

Figura Corporis Christi (*Io.* 15, 5 seq.; *Rom.* 6, 3 seq.; 12, 4 seq.; 1 *Cor.* 10, 17; 12, 12 seq., *Eph.* 1, 10, 23; 4, 10 seq.; *Col.* 1, 18 seq.; 2, 19), qua unio intima, supernaturalis, omnium baptizatorum cum Christo Capite et eorum mutua coniunctio exhibentur;

Figura Sponsae Christi (*Eph.* 5, 22 seq.; *Gal.* 4, 22 seq.; *Apoc.* 22, 17), qua relatio amoris personalis inter Christum et Ecclesiam ostenditur; praeterea figurae *domus* et *templi Dei* (*Mat.* 16, 18; 1 *Cor.* 3, 16 seq.; 2 *Cor.* 6, 16; 1 *Tim.* 3, 15; 1 *Petr.* 2, 5 seq.), *columnae veritatis* (1 *Tim.* 3, 15), *gregis* et *ovilis* (*Io.* 10, 16; 21, 15 seq.; *Act.* 20, 28; 1 *Petr.* 5, 2 seq.).

Hae imagines seinvicem complent ideoque *simul* considerandae sunt, neque obliviscendum est agi de *imaginibus* seu *figuris* biblicis et non de definitionibus stricte dictis scientificis. Hic deficere videtur schema commissionis praeparatoriae, cum solum agat de Ecclesia ut corpore et hoc corpus primarie sub conceptu logico alicuius organismi visibilis intelligat (pag. 10, 36 seq.).

Doctrina S. Scripturae adaequate exponatur, ita ut et catholici eam recte intelligant et christiani acatholici, bene dispositi, eam agnoscere valeant, quod ultimum desiderandum est ad finem oecumenicum Concilii, a Summo Pontifice indicatum, obtinendum.

Simul ostendatur breviter, sobrie et exacte ex S. Scriptura Ecclesiam institutam esse a Christo ut *societatem visibilem et hierarchicam* sub auctoritate Petri et ceterorum apostolorum eamque permansuram esse usque ad finem mundi unam, sanctam, catholicam et apostolicam sub regimine Romani Pontificis et episcoporum cum eo unitorum.

II. *De necessitate Ecclesiae ad salutem.* Ex ipsa natura Ecclesiae elucet eius necessitas ad salutem. Quae apte illustrari potest verbis S. Scripturae de necessitate Baptismi, qui est ianua ad Ecclesiam (*Marc.* 16, 16; *Io.* 3, 5; *Act.* 2, 41) pariterque testimoniis traditionis firmiter asserentis quod « extra Ecclesiam non est salus » (Cyprian., *ep. ad Iubaianum*).

Omnes homines ergo ad Ecclesiam pertinere debent ut salventur etsi de facto non omnes, qui salvantur, eodem modo ad eam pertineant.

Difficilis quidem est adaequata et exacta classificatio relate ad varios modos vel gradus pertinendi ad Ecclesiam. Si vero talis expositio facienda sit, fiat sequenti modo:

Sensu pleno et perfecto ad Ecclesiam pertinent catholici qui veram et integram fidem profitentur mediisque salutis Ecclesiae utuntur eiusque auctoritati legitimae subiecti sunt: ita ut triplici vinculo fidei, sacramentorum et regiminis cum ea coniuncti sint.

Latiori modo et minus perfecte ad Ecclesiam pertinent baptizati acatholici bonae fidei, qui vinculis fidei christianae (etsi inculpabiliter non integrae) et sacramentorum (aut omnium, ut orientales, aut saltem baptismi) cum ea coniunguntur.

Certo demum modo ad Ecclesiam pertinent etiam homines non baptizati illi, qui voto vel explicito vel implicito ad eam referuntur.

Declaretur hic etiam desiderium Matris Ecclesiae *imprimis* ut omnes, qui christiano nomine gloriantur, cum ipsa perfecte uniantur (cf. *Io.* 17, 20 s.). *Deinde* asseratur sincerus animus apostolicus Ecclesiae erga homines non-christianos, annuntiandi nempe ipsis « Evangelium gratiae Dei » (*Act.* 20, 24) et inserviendi voluntati Dei salvificae erga eos (cf. *Tim.* 2, 4).

Evitetur terminus « membrum Ecclesiae », cum de eo disputent theologi et ipse sub diversis aspectibus considerari possit.

Neque ponantur baptizati acatholici in eodem gradu cum non-christianis, qui voto mere implicito ad Ecclesiam referuntur (ut fieri videtur in schemate pag. 15, 30 seq.).

Exhibeatur potius *positive* vera unio supernaturalis, etsi imperfecta, baptizatorum acatholicorum bonae fidei cum Christo Capite eiusque Corpore Mystico, quae *quoad rem* ab omnibus auctoribus catholicis agnoscitur (cf. quae praeclare exponit S. Thomas in III, q. 8, a. 3 et a. 6, et q. 69, a. 5); et evitentur modi loquendi duriores (ut in schemate l. c. et in pag. 16, 15-19); quibus christiani acatholici offenderentur et finis oecumenicus Concilii impossibilis redderetur.

Certe affirmandum est quod plenitudo revelationis in sola Ecclesia catholica vere et pure tenetur. Simul autem agnoscantur libenter dona supernaturalia extra Ecclesiam catholicam a Deo animabus ferventibus Christumque amantibus collata (ut viris sanctis qui etiam recenti aetate floruerunt in Ecclesiis orientalibus separatis, atque hominibus eximiae pietatis apud protestantes; apud utrosque recenter fuerunt etiam martyres Christi). Agnoscendo sincere dona Dei apud fratres christianos separatos, quae dona sunt apud ipsos vestigia verae Ecclesiae et ligamina ad ipsam, Concilium iuvabit illam appropinquationem, quae secundum vota S. Pontificis erit via ad unionem perfectam.

Res magni momenti est etiam in *Iaponia,* ubi omnes christiani simul sumpti sunt adhuc pusillissimus grex in tam numeroso populo, et divisiones inter eos sunt scandalum magnum coram non-christianis et una ex causis praecipuis pro lento progressu fidei christianae. Inveniuntur hic multi christiani acatholici bonae fidei, qui solum ob rationes externas hic vigentes (ut v. g. maiorem numerum scholarum protestantium et sim.) fidem christianam extra Ecclesiam catholicam didicerunt sincereque Christum sequi conantur.

III. *De sacra hierarchia et peculiariter de episcopis.* Apud catholicos et apud multos etiam christianos acatholicos magna habetur exspectatio, quod Concilium Vaticanum II completurum sit doctrinam Concilii Vaticani I circa sacram hierarchiam per ampliorem tractationem de munere episcoporum, quam nempe tractationem Concilium Vaticanum I ob suam suspensionem perficere non potuit. Et revera constitutio dogmatica *Pastor aeternus* Concilii Vaticani I tale complementum postulare videtur.

Expositio initium sumat ab institutione *collegii 12 apostolorum,* cui Chri-

stus sacras potestates contulit et cuius *caput Petrum* constituit, prout refertur in Evangeliis et in Actibus Apostolorum (*Mat.* 10, 2 seq.; *Marc.* 3, 13 seq.; *Luc.* 6, 12 seq.; *Mat.* 16, 18 seq.; 18, 18; 26, 20 seq.; 28, 18 seq.; *Marc.* 16, 14 seq.; *Luc.* 22, 14 seq.; 24, 44 seq., *Io.* 17, 18; 20, 21; 21, 15 seq.; *Act.* 1, 13 seq.; 2, 14, 42, etc.).

Cui collegio apostolorum successit *collegium episcoporum* unitorum cum suo capite *Romano Pontifice,* successore Petri. Cum de munere Romani Pontificis peculiariter actum sit in Concilio Vaticano I, nunc de illo episcoporum fusius agendum est.

Ostendatur ergo quod sacrae potestates, a Christo collegio apostolorum collatae, in collegio episcoporum perseverant, debita distinctione facta inter potestatem ordinis et illam iurisdictionis; et quomodo per consecrationem episcopalem legitime acceptam habetur insertio fundamentalis, sacramentalis, in istud collegium.

Ostendatur ulterius, quomodo episcopi ut successores Apostolorum (et quidem non singulorum certorum apostolorum, sed membrorum collegii apostolici) exercent triplicem sacram potestatem docendi, sanctificandi et regendi erga portionem gregis Christi *singulis ut veris pastoribus* commissam (cf. Denz. 1828): et quomodo *collegialiter* et uniti cum capite collegii habent munus doctrinale-pastorale pro universa Ecclesia, quod munus maxime apparet in Concilio Oecumenico, etsi non unice ad hoc limitetur.

Haec positive et lucide exponantur, ita ut in plena luce appareat figura episcopi catholici: et ut summi sacerdotis, veri doctoris ac pastoris populi sui, et ut membri totius collegii episcoporum contribuentis ad aedificationem universalis Ecclesiae. Ostendatur etiam quomodo munus Summi Pontificis et munus collegii episcoporum inter se intime et organice connectantur.

Denique fiat sermo *de presbyteris* ut adiutoribus episcoporum. Etiam haec expositio sit positiva et illustrans sublimitatem ordinis sacerdotalis, in quo etiam presbyteri sunt « ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei » (1 *Cor.* 4, 1) pro salute populi christiani ita ut sacerdotes catholici in toto orbe, hanc declarationem Concilii legentes, in amore sanctae vocationis roborentur. Utiliter addi potest quod presbyteri, secundum antiquam traditionem Ecclesiae (cf. Ignatius Antioch., *ad Trallianos*) constituunt quasi senatum episcopi et quod hoc modo vinculis intimis sunt uniti cum episcopo et inter se in bonum Ecclesiae.

Si quid ulterius dicendum videtur de *magisterio Ecclesiae,* hic addi potest; sed declaratio sit brevis et concinna, ne constitutio fiat nimis longa et diffusa et ut evitentur repetitiones rerum, quae iam omnibus sufficienter notae sunt.

Similiter, si sermo faciendus sit de *auctoritate et oboedientia* in Ecclesia, hic breviter adiungatur. Neque exordiatur negative a crisi auctoritatis in mundo vel ab elencho errorum (ut in schemate pag. 59-60) neque finiatur cum condemnationibus (ibid., pag. 62). Sed Concilium, sequens normas a Summo Pontifice datas, animo vere pastorali ostendat positive naturam propriam auctoritatis a Deo institutae in Ecclesia in ministerium populi christiani,

simulque verum sensum et dignitatem oboedientiae erga pastores Ecclesiae: ita ut iuvenes nostrae aetatis, qui quasi ubique dignitatem personae humanae eiusque libertatem et sinceritatem magni facere docentur, oboedientiam in Ecclesia vigentem recte aestimare et libenter praestare discant.

IV. *De populo christiano.* Post tractationem de sacra hierarchia statim sermo fiat de populo christiano. Non videtur hic locus esse tractandi de statibus perfectionis (sicut fit in schemate pag. 32 seq.), quia status perfectionis non est aliquis gradus intermedius, divinitus constitutus, inter clerum et laicos (sicut dicitur in schemate pag. 33, 34).

Evitetur etiam in *titulo* terminus « *laici* » et alibi solum adhibeatur, si claritatis causa requiritur neque commode circumscribi potest. Potius adhibeatur expressio « *populus christianus* » quae melius exhibet dignitatem omnium christianorum eorumque animos gratius afficit.

Ne fiat definitio laicorum imprimis negative (ut in schemate pag. 37, 25 seq.), sed magis positive ostendatur eorum status et dignitas ut *populi Dei N. T.* Quae dignitas peculiari modo resplendet in *sacerdotio universali* (1 *Petr.* 2, 9; *Apoc.* 1, 6; 5, 10), quo omnes baptizati active participant in cultu N. T. et in opere sanctificationis mundi. Certo indicanda est distinctio vigens inter hoc sacerdotium universale omnium baptizatorum et sacerdotium ministeriale per sacramentum Ordinis collatum, sed simul ostendatur hoc ultimum institutum esse a Domino in ministerium populi sui.

Praeterea demonstretur quomodo laici, Confirmationis sacramento consecrati, deputentur ad fidem defendendam et expandendam et ad cooperandum ad continuum augmentum Corporis Mystici Christi; et quod ipsis peculiari modo competit permeare spiritu christiano sphaeras amplissimas mundi hodierni eiusque progressus multiplices in scientiis et in cultura ad gloriam Dei et veram felicitatem hominum dirigere, ideoque etiam adlaborare pro constituendo ordine sociali, qui regatur legibus iustitiae et caritatis christianae. Ita apte demonstretur vocatio specifica laicorum in Ecclesia et in mundo.

V. *De perfectione evangelica ab omnibus christianis appetenda, et de statibus peculiaribus ad eam obtinendam.* Antequam tractetur de statibus perfectionis, sermo sit de ipsa perfectione christiana et de munere essentiali et universali Ecclesiae ducendi filios suos ad sanctitatem; in quo munere Ecclesia deficere non potest, etsi usque ad finem mundi sancti cum peccatoribus permixti maneant.

His expositis ostendatur *peculiaris valor statuum perfectionis* ut viarum ab Ecclesia approbatarum perveniendi ad perfectionem evangelicam.

Iste peculiaris valor fundatur in observatione consiliorum evangelicorum et in oblatione totius vitae Deo facta per vota publica ab Ecclesia Dei nomine acceptata, quae oblatio dicitur a S. Thoma « quoddam holocaustum per quod aliquis totaliter se et sua offert Deo » (II-II, q. 186, a. 7 et 8).

Cui donationi totali erga Deum correspondere debet testimonium totale

pro Evangelio Christi coram Ecclesia et coram mundo, et peculiare servitium erga populum Dei.

Utiliter mentio fieri potest etiam eorum qui vota privata emittunt et vitam suam pro operibus Evangelii et Ecclesiae impendunt.

VI. *De relationibus inter Ecclesiam et Statum.* Si Concilium de hac materia agere velit, respicere debet Status praesentes, quales in concreto de facto sunt; secus tractatio tota manet in ordine ideali et abstracto et sine valore pastorali pro nostra aetate. Non solum enim in Statibus Asiae, excepta Republica Insularum Philippinarum, maxima pars civium neque sunt catholici neque christiani (v. g. in Iaponia habentur: 300.000 catholici, 450.000 christiani acatholici in populatione 95 millionum), sed etiam in pluribus maioribus Statibus christianis, prout dicuntur, maior numerus civium non pertinet ad Ecclesiam catholicam (ut in U.S.A., Anglia, Germania, Russia, etc.). Relate ad alios, iuvat recolere ea quae inveniuntur in Constitutione 5 Reipublicae Galliae de charactere laico istius Status et de eius voluntate admittendi quamlibet religionem.

Patet ergo inutile esse loqui istis Statibus de officiis religiosis Potestatis civilis (ut fit in schemate, pag. 65 et 66). Si Concilium ad eos sermonem intelligibilem et utilem facere vult, incipiat loqui de *libertate conscientiae* eiusque summo valore pro prosperitate vera societatis civilis, de *libertate cultus et apostolatus* eiusque fructibus, de obligatione promptaque voluntate catholicorum *cooperandi ad bonum commune* et ad verum progressum societatis civilis, de *protectione* libertatis et activitatis religiosae per Statum, etc. Talem sermonem Status hodierni intelligent et his suppositis ad fructuosam cooperationem cum Ecclesia facilius moveri poterunt.

VII. *De obligatione Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum.* Vix necessarium videtur addere hic aliquid de obligatione Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum; hoc iam patet ex dictis de natura Ecclesiae et de eius necessitate ad salutem; quae necessitas non minuitur eo quod dantur viae extraordinariae salutis pro hominibus bonae fidei, veram Ecclesiam ignorantibus (in cap. I et II; si desideratur, ibi breviter mentio explicita fieri potest huius obligationis).

Si vero alicubi tractetur explicite de hac re, *Concilium alio omnino modo loqui debet, quam fit in schemate cap. X, pagg. 74-76.* Nam expositio in schemate est valde unilateralis, immo sub certo respectu iniusta et necessario offendet animum populorum et guberniorum non-christianorum. Unice enim procedit sub respectu iurium Ecclesiae, quae asserenda et defendenda supponuntur contra potestatem saecularem populorum non-christianorum. Hoc imprimis non valet pro populis et Statibus, in quibus — sicut hic in Iaponia — missionarii omni libertate gaudent et religio catholica sicut aliae religiones, variis privilegiis legalibus fruitur. Modus autem loquendi in schemate adhibitus est talis ut animos omnium populorum et guberniorum non-christianorum ab Ecclesia catholica alienare debeat; timendum est etiam ne gubernia

Statuum non-christianorum habentia relationes diplomaticas cum S. Sede, eas rumpant post talem declarationem Concilii.

Rationes enim dogmaticas allatas homines non-christiani non intelligunt; insuper in istis Statibus, democratice nunc constitutis, cives quidam activitatem missionariorum exterorum ut aliquid suo populo alienum, inutile vel nocivum considerant. In schemate l. c. nihil dicitur de obligationibus missionariorum erga societatem civilem eiusque legitimas leges et consuetudines; immo aliqua asserta schematis ita sonant, ac si Ecclesia se consideret exemptam a legibus civilibus (pag. 74, 27 seq.), immo quod in casu alicuius impedimenti (cuiusvis generis) ex parte auctoritatis civilis praedicet revolutionem (pag. 75, 28 seq.).

Non-christiani talia legentes graves suspiciones habebunt; solemnisque admonitio in pag. 75, 35 seq. uti provocatio a guberniis considerabitur.

Si sermo ergo fiat de obligatione annuntiandi Evangelium omnibus gentibus, aliter omnino procedendum est. *Imprimis* exhibeatur nobile munus Ecclesiae portandi Evangelium Christi cum multiplicibus suis beneficiis ad omnes gentes; *alia ex parte* extollatur magnum bonum libertatis religiosae, quam omnes gentes excultae hodiernae agnoscere et tueri profitentur; *simulque* declaretur sincera aestimatio Ecclesiae erga populos non-christianos, eorum auctoritates et leges et traditiones, voluntasque contribuendi ad eorum progressum et felicitatem.

VIII. *De oecumenismo.* De hoc argumento iam sermo factus est in cap. II, ubi agitur de necessitate Ecclesiae ad salutem et fundamentum dogmaticum Oecumenismi ponendum est (cf. exposita in pag. 2). Si Concilium vult addere specialem explicationem et exhortationem, hanc ita componat ut efficaciter foveat progressum motionis oecumenicae, a Summo Pontifice tantopere desideratum et unum ex finibus praecipuis Concilii indicatum; qui progressus peculiare momentum habet pro re christiana in populis non-christianis promovenda (cf. exposita in cap. 2).

Etsi Concilium etiam hac in re totam debeat declarare veritatem, cum pastorali prudentia id facere debet et summopere curare, ne animi christianorum separatorum offendantur magisque ab Ecclesia catholica abalienentur. Cum satis notae sint causae separationum, potius ostendendum est, magna cum observantia et caritate, quaenam christiani ab Ecclesia catholica separati nobiscum habeant communia et sub quibusnam lineis progressiva illa mutua appropinquatio et cooperatio, a Summo Pontifice auspicata, promoveri possit.

Cap. XI schematis non videtur satisfacere sub hoc respectu. Nam agendo de vinculis existentibus, tono potius negativo loquitur, orientales et protestantes inter se opponere videtur, de communi usu et veneratione S. Scripturae quam protestantes maximi faciunt, omnino silet. Praeterea longa dissertatio de communione in sacris liturgicis (pagg. 83-85) non videtur apta pro declaratione Concilii (pagg. 83-85) neque correspondens intentionibus oecumenicis Summi Pontificis relate ad Concilium, cum contineat quaedam quibus fratres separati certo offenderentur, ut de receptione intrinsece mala (pag. 84,

20 seq.), de periculo perversionis fidei (ibid. 37 seq.). Non intelligitur necessitas haec omnia hoc modo dicendi.

Redactio huius capitis committatur secretariatui pro fovenda unitate christianorum.

IX. *De Beata Maria Virgine.* Si Concilio placet addere quaedam de B. Virgine Maria, hic poterit sermo fieri de Ea uti typo Ecclesiae eiusque membro praeeminenti, utpote Matre Dei et hominum, singularibus privilegiis a Deo exornata. Desideratur vero ut totum praesentetur quasi complementum tractationis de Ecclesia et sine intentione pronuntiandi nova dogmata. Haec intentio Concilii seu respectiva *qualificatio* theologica clare manifestetur, ne postea inutiles dubitationes et discussiones oriantur.

(In schemate commissionis praeparatoriae haec intentio Concilii affirmatur quidem in praenotandis, pag. 100, 5, sed non sufficienter apparet in ipso textu constitutionis).

Concilium clare et breviter exhibeat *doctrinam certam et traditionalem Ecclesiae* de B. Virgine Maria, eius munere et privilegiis, et — secundum morem receptum Conciliorum — abstineat ab ingrediendo in res quae adhuc discutiuntur inter theologos.

Suadendum videtur ut non tantopere insistatur in titulo et munere *Mediatricis omnium gratiarum,* sicut fit in schemate pag. 95, praesertim quia explicatio positiva ibi data non satis clara videtur. Asseritur quidem diversitas a mediatione Christi, sed non clare ostenditur in quo consistat illa diversitas, neque explicatur diversitas a mediatione ministrorum Christi in sacerdotio Ecclesiae.

Immo quaedam effata sonant ita ac si B. Virgo particeps fuisset in oblatione sacerdotali Christi sensu stricto et in eius munere Mediatoris sensu stricto et proprio, ut cum dicitur « pretium redemptionis cum Ipso et per Ipsum magno animo obtulit » (pag. 94, 13 seq), « sociata fuit Christo in gratiis acquirendis » (pag. 95, 32).

Cavendum est ne catholici minus culti, subtilioribus distinctionibus theologorum non assueti, mediationem B. Virginis Mariae cum illa Christi, Mediatoris unici (1 *Tim.* 2, 5), confundant et christiani acatholici haec videntes offendantur. Pariter cavendum est ne catechismus noster pro hominibus ordinariis nimis complicatus et difficilis fiat.

Praeterea omittatur potius mentio de B. Virginis *integritate corporali in partu incorrupta et illibata* servata (schema pag. 96, 39-97, 1), tum propter recentes disputationes de hoc argumento, tum propter difficultatem clarae explicationis, tum propter ipsam materiam, circa quam prudentia pastoralis summam discretionem et cautionem in publicis declarationibus commendat. Haud pauci forsan catholici inutilibus quaestionibus turbarentur et increduli, ad hoc argumentum attenti facti, facile ederent commentaria sub specie inquisitionis scientificae, quae laederent dignitatem Matris Dei et nomen Ecclesiae.

Denique, si invocatur B. Virgo Maria ut *fautrix unitatis christianae,* id fiat talibus verbis quae separati christiani omnes libenter audiant; evitetur

etiam impressio, quod hac occasione sibi inter se opponere velimus orientales et protestantes (cf. schema pag. 98, 6-13).

Nota finalis. A pluribus Patribus Concilii propositum est, ut Concilium, postquam tractavit de Ecclesia ipsa, manifestet etiam mentem Ecclesiae circa *problemata maiora,* quae in praesenti *in toto mundo homines anxios tenent*: ut v. g. circa dignitatem personae humanae eiusque iura inviolabilia, circa iustitiam socialem, circa pacem et iustitiam inter gentes, circa iuvamina gentibus minus evolutis et miseria oppressis praebenda, circa abolenda arma atomica destructionem humani generis minantia. (Etiam problema superpopulationis, peculiari modo populos Asiae afficiens, ulteriora studia et investigationes requirit).

Concilium Oecumenicum vix praetermittere poterit gravissima ista problemata, quae animos movent tot hominum bonae voluntatis in quavis mundi plaga.

2

Em.mus P. D. MAURITIUS card. FELTIN
Archiepiscopus Parisiensis

Em.mus D. card. Feltin, arch. Parisiensis et omnes episcopi « Regionis apostolicae Parisiensis » in Gallia: EE. DD. Veuillot, arch. coadiutor; Blanchet, arch. tit., rector Instituti Catholici; Courbe, Leclerc, Brot, Le Cordier, auxiliares; Renard, ep. Versaliensis, Malbois, Rousset, auxil.; Ménager, ep. Meldensis: unanimes peroptamus ut, in schemate recognito *de Ecclesia,* haec maioris momenti magis eluceant:

1. *Collegialitas episcopatus.* Cf. n. 16 (pag. 24) « collegium episcoporum ». Includitur *emendatio* paulum amplificata « De collegio episcoporum » « cum Petri Successore unito ». Em.mis ac rev.mis Patribus commissionis doctrinalis illam proponimus.

2. Generalis *de episcopatu* doctrina, in unum colligendo notas per capita dispersas (v. g. de magisterio, de evangelizatione) et illas referendo ad *sacramentalem* cuiusque episcopi, vel residentialis vel titularis, ordinationem. Cf. n. 11 (pag. 20) « Episcopatus ut sacramentum ».

3. *Sacerdotium* ministeriale, cum mutuis intimisque nexibus sive inter episcopum et presbyterium, sive inter ipsos presbyteros, tam in pastoralibus quam in spiritualibus. Cf. n. 12 (pag. 20) « De presbyteris ».

4. Proprium *laicorum* munus, non solum cum « sacerdotes adiuvant in rebus mere religiosis », sed cum ipsi evangelisantes, ad modum vocationis suae, i. e. ut laici, apostolatum hierarchicum Ecclesiae participant, v. g. in « Actione Catholica ». Cf. n. 25 (pag. 40) « De collaboratione laicorum ».

Circa tria ultima, mentionem facimus de *animadversionibus,* quas in prima sessione praebuerunt DD. Blanchet, rector Instituti Catholici Parisiensis

(4 dec.) « de episcopis »; Renard, ep. Versaliensis (6 dec.) « de sacerdotio »; Ménager, ep. Meldensis (6 dec. apud secr. gen.) « de laicis ».

Scriptis annexis plenum afferimus *consensum.*

Em.mus D. card. Feltin, arch. Parisiensis et omnes episcopi regionis apostolicae: EE. DD. Veuillot, arch. coad.; Blanchet, arch., rector Instituti Catholici; Renard, ep. Versaliensis; Ménager, ep. Meldensis et Courbe, Leclerc, Brot, Le Cordier, Malbois, Rousset, aux.: *de collegio episcoporum cum Petri Successore unito.* (Emendatio *de Ecclesia,* n. 16, pag. 24).

I. - *De collegio Apostolorum.* Apostoli collegialiter a Domino sunt electi, cum Petro apostolo et sub eius auctoritate in ministerium missi aptaque potestate instructi, ut Evangelium praecones in universum orbem simul omnes fierent et, sollicitudinem omnium ecclesiarum (cf. 2 *Cor.* 11, 28) unanimiter communicantes, Salvatoris nostri missionem eiusdemque doctrinam et leges in solidum testarentur hominesque « lavacro aquae » (*Eph.* 5, 26) mundatos sanctitate ditarent.

Christus enim Dominus Salvator, Ecclesiae suae regimen instituens, « fecit ut essent duodecim cum illo » (*Marc.* 3, 14); durante vita sua publica, primam missionem salvificam inaugurans, « vocavit duodecim: et coepit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum » (*Marc.* 6, 7); tandem post resurrectionem, convocatis undecim in Galilaea, « locutus est eis dicens: data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi » (*Mat.* 28, 18-20).

II. - *De collegio episcoporum cum Petri successore unito.* Collegium universorum episcoporum collegio apostolorum iure divino succedit; immo in eo collegium apostolorum continuo perseverat. Quod collegium vere constituitur nonnisi cum capite suo Romano Pontifice et sub eius suprema auctoritate; sic constitutum, totius Ecclesiae curam in solidum gerit.

Ad hoc episcoporum collegium aggregatio efficitur per sacram ordinationem summi gradus sacerdotii quae, cum verum sit sacramentum, tria munera confert sanctificationis, magisterii et regiminis (cf. praefatio in consecratione episcopi) ad utilitatem totius Ecclesiae.

Ecclesiam enim, secundum verba S. Cypriani, Sacrosancta Synodus fatetur connexam esse et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulatam (cf. *Epist.* LXVI, 8, 3; cf. DZ. 1821), « cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa » (*Epist.* LV, 24, 2) itemque « episcopatus unus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus » (ibid.).

Quod collegium permanenter idem exstare Sacrosancta Synodus declarat: universis enim episcopis constat una cum Romano Pontifice sive in Concilio Oecumenico coadunatis, sive per mundum dispersis.

Cum autem plures episcopi, iuxta ordinem ab Ecclesia determinatum,

in peculiaribus coetibus congregantur, ipsomet habitu collegiali, qui proprie episcopatui inhaeret, praediti esse dicuntur, dummodo coetus ipsi cum Romano Pontifice coniungantur et ab illo sanciantur.

III. - *De potestate regiminis collegii episcoporum.* Secundum catholicam fidem, in collegio universorum episcoporum cum Petri successore unito inest suprema et plena potestas regiminis in Ecclesiam universalem (cf. Mansi 52, 1109). Exinde perspicuum est unumquemque episcoporum, qua huius collegii membrum, eiusdem potestatis permanenter participem fieri.

Eamdem tamen potestatem collegialiter universi episcopi una cum Summo Pontifice aliter atque aliter exercent, sive dispersi, sive in Concilio Oecumenico coadunati, ubi solemniter iudicant atque determinant in regimine pro universa Ecclesia.

Plures autem episcopi alicuius regionis, cum in peculiaribus coetibus, iuxta ordinem ab Ecclesia determinatum, congregantur, in christifideles eiusdem regionis collegialiter potestatem exercere valent.

Periculum nullum est ne haec episcoporum collegii potestas officiat illi potestati qua pollere Summus Pontifex concreditur. « Nam cum vere plena et suprema potestas non sit in corpore separato a capite » (Mansi, 52, 1110), nullo modo sine capite vere plenam et supremam potestatem collegialiter episcopi exercere posse creduntur (cf. ibid.): immo potestas collegii episcopalis cum « a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur » (DZ. 1828), eiusdem potestatem fulcire neque usquam detrectare videtur.

IV. - *De doctrinali auctoritate collegii episcoporum.* Catholicam fidem, secundum illud S. Irenaei, « Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans; et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens, et unum cor, et consonanter haec praedicat, et docet, et tradit, quasi unum possidens os » (*Adv. haer.* I, 10, 2).

Quam auctoritatem doctrinalem, universae Ecclesiae affixam, Sacrosancta Synodus declarat collegio episcoporum proprie inhaerere, cum ipsum « tamquam divinitus revelata credenda » (DZ. 1792) proponere « quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur » (ibid.), aut quae cum eadem revelatione necessario coniunguntur ad fidem pertinere docere valeat.

Exinde collegium episcoporum, « sive solemni iudicio » (ibid.) in fide definienda, « sive ordinario et universali magisterio » (ibid.) de rebus ad fidem pertinentibus, suprema et infallibili auctoritate in universam Ecclesiam vigere creditur.

Collegium autem universorum episcoporum cum Petri successore unitum eadem auctoritate gaudet qua ipse Romanus Pontifex, ut caput huius collegii, eodem iure divino donatur: quae auctoritas ea infallibilitas esse concreditur « qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit » (DZ 1839).

3

Em.mus P. D. PAULUS M. card. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Caput I. 1. Insufficiens est iste prologus, quanquam opportune excipit divinum Consilium de salute. Sed melius est proponere, simul vel antea, verum prooemium de Mysterio Ecclesiae ad mentes introducendas in vitam intimam ac spiritualem quae dirigit structuram ecclesiasticam. Citius videtur in n. 2 affirmatio auctoritatis hierarchicae.

2. Insuper optarem ut, in fine istius n. 2, manifestentur explicite atque uberrime maxima pars atque indubia praestantia caritatis in conceptu ac fundatione Ecclesiae.

3. Iam apparerent necessaria notio expressa et etiam denominatio « Populi Dei », qui, populus Dei est tam significans ad praefigurationem et dispositionem historicam Ecclesiae ab Israël. Quae notio instillatur tantummodo, in cap. VI, n. 20, pag. 36, lin. 8, relate ad laicos. Sed tota Ecclesia, clerici et laici, consistit ut populus Dei.

4. Ideo, humili meo sensu, potius tractandum est de populo Dei in genere, antequam de episcopis et de laicis; immo forsan de laicis antequam de clericis, de sacerdotibus, et de episcopis. Nam omnes clerici sunt primum laici, et omnes sacerdotes et episcopi sunt ad populum Dei. Attamen fateor quod in cap. 2 tractatur de omnibus membris Ecclesiae.

5. Notio caritatis logice deveniret in lin. 12, pag. 11, post textum Ioannis, tunc accurate inculcata.

6. Haec dissertatio optima est, sed tardior, ad sanationem explanationis nimis iuridicae de Ecclesia. Melius esset ut fit in prooemio.

Caput II. Cur de Ecclesia militanti tantum? Num conspectus Ecclesiae etiam caelestis non sit etiam opportunus?

In n. 10 mihi placet valde quod dicitur de unione cum separatis. Sed ista vox « separati » semper me dolet. Libentius dico « alii christiani ».

Caput III. Optime declaratur manifeste character sacramentalis episcopatus. Sed cur non definiretur in constitutione aliqua dogmatica? Sane bonum est paucas definitiones in Concilio statuendas esse, praesertim nullam damnationem. Sed de aliquibus punctis numerice paululis, attamen maximi momenti, quaedam praecisio de fide declarata utilis esset, modo positivo.

Gravatim desiderio teneor quod quaestio de episcopatu sit tali modo tractata in cap. 3, n. 4.

Nihil de episcopis titularibus, nisi per parvam allusionem pag. 24, lin. 36, quae videtur etiam quodammodo iniuriosa.

Caput IV. Titulus deberet esse simpliciter *de episcopis*. Ceterum denominatio « episcopi residentiales » parum significat, tantummodo situm et non aliquam iurisdictionem vel potestatem. Cur non dicere simpliciter: « episcopi dioecesani »?

Ista molesta omissio titularium episcoporum videtur forsan commissa ut quaestio maximi momenti de collegialitate episcoporum plus minusve praetermittatur. Nam n. 16 de collegio episcoporum est valde insufficiens.

In pag. 24, lin. 6, haec formula quae praebet episcopalem potestatem ut simplex participatio potestatis supremae Summi Pontificis praecisionem requirit aliquam. Si haec vox « participatio » significat quod episcopus partem habet in spirituali potestate, a Domino collata simul S. Petro et aliis apostolis, sicut manifeste dicunt textus Evangelii in plurali enuntiati, amplius concedo, retinendo tamen formulam in singulari prolatam a Christo pro S. Petro, ut Petrus eiusque successores gaudeant suprema et universali potestate in Ecclesia.

Sed si vox « participatio » significat quod potestas episcopi fluit e potestate personali Summi Pontificis, tunc principium collegialitatis episcoporum evertitur.

Nam fons episcopatus tota sistit in consecratione, non in iurisdictione. Omnis episcopus, etiam titularis, est successor collegii apostolorum, non talis Apostoli. Sane episcopus titularis non potest in actu iurisdictionem exercere in quadam dioecesi particulari. Sed a sua consecratione episcopali, radicalem potestatem habet pro regendo Corpore Mystico, in unitate cum aliis episcopis, etiam titularibus episcopis, et in submissione erga Summum Pontificem. Num in ritu consecrationis episcopalis etiam titularis episcopus non sit intronisatus?

Potestas iurisdictionis erga Corpus Mysticum pertinet ad episcopos e sua connexione cum potestate magis plena et completa qua gaudent in Corpus Eucharisticum, cuius soli episcopi possunt perpetuitatem confirmare per ordinationem sacerdotum.

Certum est, ut dicit schema in fine par. 16, pag. 24, quod nullus non potest ad collegium episcopale nisi a consensu, saltem tacito, assumptus sit a successore Petri.

Sed dato isto assensu ut aliquis in collegium episcoporum introducatur, extra iurisdictionem specialiter datam ad particularem Ecclesiam, aliqua iurisdictio generalis ad bonum Ecclesiae commune datur ab ipsa consecratione quae antecedit iurisdictionem particularem et se habet ut fons potestatis episcopalis.

Secus, episcopi non possunt dici aliquam responsabilitatem erga bonum totius Ecclesiae, ut solemniter declaravit Littera Encyclica *Fidei donum,* post multa alia documenta pontificalia? Nulla responsabilitas si non aliqua potestas.

Non ergo sufficit dicere ut schema pag. 24, lin. 30, quod collegium episcopale, exercet suam potestatem « modo extraordinario » in Concilio Oecumenico. Ceterum, in linea praecedenti, ista potestas collegialitatis declaratur expresse « ordinaria ». Contradictio patet.

Quomodo ordinaria? Episcopi, non singulariter, sed collective, etiam extra Concilium, agunt ut collegium ab eorum doctrina, documentis ac decretis, quando coadunant in eodem sensu et in communione submissa cum Summo Pontifice.

Generatim ista dissertatio de episcopatu mihi non placet, quia non satis accurata. Est principalis quaestio de qua exspectat mundus catholicus et non catholicus explanationem plenam, profundam, disertam. Huius schematis expositio de hac re non est digna Concilii Vaticani I quod se parabat ad longam et solidam dissertationem de episcopatu post sua decreta de Primatu Summi Pontificis.

Tandem gravior erit certo frustratio omnium sacerdotum quando considerabunt, post Concilium, quod vix decem lineae tractant de presbyteris. Sane iustum est ostendere connexionem sacerdotii secundi ordinis cum episcopatu, et in hoc puncto schema laudem obtinet.

Sed videtur unum speciale caput de sacerdotio esse utile, non circa practicas quaestiones de cura animarum, sicut tractabitur in schemate XV iam praeviso, sed de fundamentis presbyteratus et de eius cognatione cum episcopatu dioecesano, quam cognationem essentialem religiosi non facile animadvertunt, quia proximam et stabilem hanc connexionem non possunt sentire.

Caput V. Spero quod valde praestans quaestio de statibus perfectionis in schemate XI denuo tractabitur latius ac profundius. Non desunt enim multae animadversiones circa religiosos quae sunt in mente Patrum.

Sed valde dolendus est hic locus tributus ad status perfectionis, inter episcopatum ac sacerdotium ex una parte, et laicos ex alia parte. Non pauci religiosi sunt laici. Est plena confusio inter status et functiones. Reiiciendum est hoc cap. V in loco eo cap. VI.

Immo, textus, pag. 32, lin. 24, videtur dicere quod ordines religiosi sunt e iure divino. Revera sunt iuris ecclesiastici, si ipsa consilia evangelica, quorum executionem fovent utiliter, sunt reapse originis divinae in Evangelio.

Opportunum et plene verum est revocare ad memoriam quod, in Evangelio, consilia a Domino non tantummodo pro religiosis prolata fuerunt. Clerici non religiosi et laici, quanquam non gaudent statu exteriori et beneficiis votorum, sunt etiam divinitus vocati ad praxim consiliorum. Lin. 34, pag. 33 non videtur sufficiens.

Nam sunt alia consilia evangelica quam paupertatis, castitatis et oboedientiae: nempe, humilitatis, mortificationis, temperantiae in usu bonorum materialium, abnegationis, eleemosynae, et praesertim iniuriarum condonationis. Observamus enim quod Christus declaravit: « Estote ergo vos perfecti sicut et Pater caelestis vester perfectus est » (*Mat.* 5, 48) in oratione montana apud turbam allata, praecise in conclusione suae hortationis ad amorem inimicorum, consilium quod valet pro omnibus quia in Oratione Dominica iteratum.

In decursu temporum, num immoderate inter praecepta et consilia distinctio prolata sit? Num in tali abysso non sit excessus iuridicus qui reapse contra spiritum Evangelii et contra facta vadit. Mandatum primum de caritate et de perfectione est revera quoddam praeceptum et non simplex consilium. Non confundatur ergo status iuridicus cum realitate. Quot sunt laici

in mundo qui oboedientiam, castitatem, paupertatem colunt severiori modo quam plures religiosi!

In ista distinctione nimis prolata sistit dolendus habitus, apud multos christianos etiamque presbyteros, qui minuit singulariter eorum conformitatem cum Evangelio, et inde eorum apostolatus efficaciam.

Caput VI de laicis. Optime schema in par. 20 se refert ad notionem « populi Dei », unde conatur exponere aspectum positivum et activum laicatus in Ecclesia. Sic relinquitur notio iuridica Decreti Gratiani, quod definitionem mere negativam laicorum tradebat, si pro determinatione, in facto et nominali, non dico pro definitione essentiali, oportet revocare ad distinctionem laicorum erga presbyteros.

Sed de collaboratione laicorum quaedam notanda sunt.

Humili meo sensu, vera missio canonica non adest nisi in officiis instructionis religiosae.

Praeterea, mihi videtur repartitio non plene vera inter res in quibus laici adiuvant sacerdotes. Non apparet « Actio Catholica », saltem in Gallia, esse typum proprium alicuius adiumenti in rebus mere religiosis. Nam de facto dat operam ad res temporales et sociales. Immo non est sola quae hoc auxilium clero affert in rebus spiritualibus. Lineae sequentes in schemate hoc probant.

Non sine illogismo se tenet articulus de rebus misericordiae (linn. 21-25). Mentio expressa adest de rebus misericordiae spiritualis. Ergo saltem tale adiumentum spectat ad res religiosas. Sed praesertim notandum est quod omnia opera misericordiae opera sunt sub inspiratione authenticae caritatis. Caritas est essentia obligatio sacerdotum erga fideles, et obligatio vere religiosa. Sic haec distinctio plus minusve claudicat.

Animadvertendum est quod istae quaestiones de activitate laicorum, in suo vero loco, potius in hoc capite, debent venire in schemate XII.

Caput VII de magisterio. Cur hoc caput non venit immediate post caput de episcopis. Non satis significatur quod theologi nil accipiunt de magisterio, sicut expresse dixit Pius XII.

Monitum prolatum, pag. 50, lin. 31, et pag. 51, linn. 11-15, potest esse adhuc firmius. Non desunt, inter eos qui docent in Universitate vel in Seminario aut qui scribunt in periodicis foliis ecclesiasticis, qui propositiones aliquando audaces aut erga hierarchiam partim irreverentes denuntiant. Oportet ut Concilium eos exhortetur ad accuratam caritatem et meliorem reverentiam.

Optime, par. 33, lin. 34, pag. 51, a schemate observatur quod ipsi laici possunt venire ad auxilium magisterii, praesertim quando agitur de quodam iudicio concreto proferendo in materia medicali, iuridica, sociali, oeconomica, cuius applicationes ultimae supponunt specialem competentiam.

Caput VIII. Hoc caput « de auctoritate et oboedientia in Ecclesia » multa optima consilia continet. Sed non debent exponi forma nimis imperativa. Est locus revocandi notionem paternitatis in auctoritate ecclesiastica.

Pag. 60, lin. 12 et 18 iteratur vox « errant ». Huic locutioni posset utile succedere aliquod verbum magis serenum: « se illudunt ».

Caput IX. Hoc caput non deberet talem titulum habere, sed potius: « De relationibus Ecclesiae et diversos Status », vel potius: « de relationibus Ecclesiae cum societate civili, praesertim in tempore moderno ».

Iam aliquod notum est de hac re in par. 26, pag. 41. Sed non sufficit.

Animadvertendum est quod non sumus, in plerisque nationibus, coram statu authentice et exterius christiano. Ista dissertatio se habet ut mere idealis et theoretica pro temporibus lapsis. Ergo principia, certe vera, quae sunt hic allata, sese habentur ut incommoda vel odiosa a plerisque, aut forsan minime intelligibilia. Num Christus non reliquit possibilitatem inter quasdam optiones de facto in rebus praesertim politicis? Non ethicam situationis propono. Sed, dum relationes ideales evocantur, nonne de aliqua tolerantia in hoc schemate, tractabitur, in rebus temporalibus, cum indicatione praecautionum utilium ac limitum necessariorum.

Concilium, ut pluries dixit SS. Ioannes XXIII, spectat ad societatem modernam et actualem. Sed hoc schema, quod se habet a « termino a quo » sine consideratione sufficienti « termini ad quem », non bene respondet ad intentionem Concilii Vaticani II.

Caput X de necessitate evangelisationis universalis. Certa sunt principia in hoc capite allata. Sed optarem etiam consilia vel notiones normativas ad evangelisationem vere adaptatam ad hodiernum tempus. Forsan talis directio debet venire in schemate XII de apostolatu laicorum. Attamen haec quaestio primum pertinet ad sacerdotes et ad episcopos.

Non mihi videtur esse tam necessarium pronuntiare Ecclesiae iura evangelisationis universalis quam dicere eius officia annuntiandi Evangelii. Immo eius obligatio diffundendae doctrinae Christi non valet tantummodo ad non christianos, sed quoque ad catholicos etiam vitam religiosam profitentes. Non desunt fideles, apparenter ferventes, qui non se praebent in vita familiari, professionali ac sociali, sicut veri discipuli doctrinae evangelicae.

Ecclesia tota missionaria debet intelligi. Episcopi, sacerdotes omnes non sunt solum missi ad infideles, sed etiam « ad sanctos ».

Infeliciter nihil invenimus in hoc capite de innumeris documentis pontificalibus erga evangelisationem in modernis temporibus, nisi in quibusdam notulis.

Caput XI de oecumenismo. Est caput quod me praesertim fefellit. Multum proficeret si sequeretur optimum schema a card. Bea coram commissione centrali de eadem re propositum.

Melius est in principio exponere puncta alicuius coniunctionis cum aliis christianis. Tum labor est positivus et efficax. E contra hoc caput incipit per quamdam instantiam de separationibus cum aliis christianis.

Attamen ista puncta communia citantur in par. 49, pag. 80, sed heu! in lin. 25 statim declaratur quod ista vincula coniunctionis non valent ad unitatem in Christo!

Insuper in ista par. 49, lin. 19, distinctio allata inter schismaticos orientales et protestantes, qui in multis casibus se tenent in loco magis vicino Ecclesiae catholicae quam orthodoxi orientales, est satis indecorum pro protestantibus.

Agnoscendum est quod hortationes practicae hic propositae sunt potius in ordine negativo et enuntiatae contra pericula indifferentismi atque interconfessionalismi. Admitto tamen, et libenter, quod in hac difficili materia semper vigilantia utilis est.

Laudo normas quae maiorem comprehensionem ac latitudinem aliquantulum ostendunt in communione cum separatis.

Humillimo meo sensu, cur non admittere quod, in caeremoniis nuptialibus, coniux catholicus possit se ferre mere passivus, in alia ecclesia vel in aliquo sacello non catholico, post sacramentum unice sumptum coram catholicum sacerdotem, et ita coniux non catholicus posset in sua religione propria preces fundere, exclusis tamen ullis ritibus nuptialibus. Haec indulgentia sponsi catholici et Ecclesiae catholicae magnam caritatem praeberet, obligationibus antea consignatis de libertate coniugis catholici in sua religione et de puerorum educatione secundum catholicam doctrinam.

Tandem maximus desiderio teneor, sicut Summus Pontifex ipse non reformidavit illud exprimere, quod, in ista occasione, publice et solemni modo, declaretur et recognoscatur excessus multorum catholicorum, in factis, in polemicis, in controversiis et in aliquibus doctrinae expositionibus, erga protestantes et schismaticos orientales. Tale testimonium fidelitatis ad veritatem obiectivam et historicam multo commoveret mundum christianum ad promovendam unitatem Christi discipulorum.

In eadem linea, si res non venit in aliis schematibus, velim ut, quodam modo, de Iudaeis agatur, sicut in speciali schemate in commissione centrali proposito. Immo, cur nihil erga omnes infideles, mahumetanos et tam multos totaliter incredulos?

Hoc schema de Ecclesia Christi non potest remittere occasionem praebendi animum suum apertum ad universas animas sine ulla exceptione. In capite praecedenti vel in fine huius capitis talis dispositio late declaranda est.

4

Exc.mus P. D. IOSEPH A IESU ALBA PALÁCIOS

Episcopus Tehuantepecensis

Bona multa habet schema de quo nunc disceptatur; attamen, haec bona et optima nobis apparent sicut in visione prophetica ossa illa arida apparebant Ezechieli prophetae: disiecta, separata, arida, deest vita et anima, unde dicendum esset sicut dictum est: Veni spiritus, et insuffla in ossa ista, ut fiat exercitus Christi et populus Dei.

In schemate revera visio synthetica et unitaria deest, visio quasi panoramica quae nobis ostenderet mysterium Ecclesiae in eius plenitudine vitae et fecunditatis.

Ratio autem praecipua mihi videtur reponenda in gravissima lacuna in schemate, scilicet: De Spiritu Sancto, qui est anima Ecclesiae eiusque principium unitatis et varietatis, nonnisi per transennam et data occasione loquitur.

Porro, in expressione primitiva fidei christianae, sicut creatio ut opus Patris, Redemptio ut opus Filii, fidelibus proponebatur credendum in Ecclesiam ut opus Spiritus Sancti, eisque dabat profundum fecundumque sensum Ecclesiae: Credo in Spiritum Sanctum, qui est in Ecclesia, communione sanctorum per remissionem peccatorum et resurrectionem carnis, in vitam aeternam.

Spiritus enim Sanctus est qui revera Ecclesiae tribuit unitatem: Nam Ecclesiam facit hierarchicam, simulque spiritualem et charismaticam. Charismatibus enim propriis hierarchiae eam firmat; sive iurisdictione, nam « ipse posuit episcopos regere ecclesiam Dei », sive magisterio infallibili, cum in capite collegii episcopalis, cui assistit, tum in collegio episcopali cui praeest: « Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis »; « Visum est Spiritui Sancto et nobis ». Nec tantum hierarchiae charismata tribuit, sed « dividens singulis prout vult », et sacerdotibus et laicis et populo Dei, unicuique secundum propriam virtutem.

Ecclesiam etiam facit spiritualem, Spiritus enim Sanctus, qui supra hierarchiam Ecclesiae est eamque transcendit, hierarchiam ducit ut sanctitati inserviat, servosque servorum Dei ministros spiritus facit ad caritatem et sanctitatem.

Huius rei optimum exemplar nobis a SS.mo Patre Ioanne XXIII datum est, qui supremus in hierarchia, coram pauperrimo et humillimo Francisco pro Concilio oravit.

Spiritus etiam Ecclesiam visibilem animat et vivificat; eamque supra societatem mere hierarchicam ad modum gubernii civilis, aedificat in communionem sanctorum et in Corpus Christi mysticum, ipse enim est qui universos qui sunt Christi per totum mundum dispersos in unum coalescere facit.

Spiritu Sancto, haec Ecclesia terrena et perfectibilis, plurimis subiecta miseriis, fit eschatologica; Ipse enim Spiritus actuans perfectibilitatem eius, per saeculorum cursum eam ducit in perfectionem et in consummationem vitae aeternae, per Christum ad Patrem et in sinum Trinitatis.

Concilium hoc, Concilium in unitatem ducens dicendum est, quia unitatem cupimus, desideramus, totisque viribus in eam tendimus. Porro Spiritus est vinculum unitatis in mysterio aeternae Trinitatis, est vinculum unitatis etiam in oeconomia salvifica Dei, participatio aeterni mysterii.

Spiritus adhuc Ecclesiam vere oecumenicam facit. Nam quidquid boni salutaris est sive in episcopis sive in laicis, sive in catholicis sive in fratribus non catholicis, quidquid sanctum et rectum, a Spiritu Sancto est. Hic etiam ratio invenitur diversorum modorum seu graduum vel intensitatis quibus quis

ad Ecclesiam pertinere eique insertus esse possit, scilicet per diversos modos et gradus influxus Spiritus Sancti et plenitudinis unitatis.

Ad unionem in caritate faciendam, non obliviscamur, quod « caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis ».

In multis aliis hac de re abundare possemus, multaque dicenda essent, tamen propter defatigationem non possent portari modo. Proinde concludo: Votum est: in schemate funditus redigendo, non tantum caput speciale Spiritui Sancto tribuendum est, sed omnia in unitatem redigenda sunt sub luce operis Spiritus Sancti, qui Ecclesiam facit simul hierarchicam et charismaticam ac spiritualem, iuris et caritatis, vivam, visibilem et invisibilem, communionem sanctorum et Corpus Christi, terrenam atque eschatologicam, eamque vere et plene oecumenicam.

5

Exc.mus P. D. CAROLUS IOSEPH ALTER

Archiepiscopus Cincinnatensis

Multa in schemate *de Ecclesia* mihi placent; sunt tamen alia quae mihi videntur defectu laborare. Cap. IX schematis, e. g. « De relationibus inter Ecclesiam et Statum », quamvis multo amelioratum sit intuitu disceptationis in commissione centrali habitae, in multis aspectibus mihi hucusque videtur non esse sufficiens nec adaequatum ad problemata moderna solvenda. In elucidando principia iuridica de habitudine inter Ecclesiam et Statum, schema videtur, mea humili sententia, elaborare thesim quamdam quasi in vacuo; proficiscitur enim modo theoretico et speculativo, longe quidem alieno ab ordine practico. Est autem praecise in ordine practico in quo problemata hodierna multoties inveniuntur et in quo solvi debent. Societas civilis moderna est fere omnino saecularis in sua indole, et ordinarie iura et obligationes Ecclesiae vel ignorat vel reiicit.

In his adiunctis quaeritur imprimis quomodo Ecclesia poterit invenire modum vivendi in Statu saeculari ita ut libertatem adaequatam possideret suam missionem divinam adimplendi. Deinde quaeritur apud acatholicos utrum Ecclesia catholica agnoscat plenam libertatem pro omnibus civibus in ordine civili et politico; an agnoscat talem libertatem tantum pro catholicis et libertatem plus minusve restrictam pro acatholicis? Haec est quaestio cuius solutio hodie nos maxime urget et cui responsum sincerum et clarum a nobis dare debemus.

I. Requisita minima ad modum vivendi acceptabilem stabiliendum inter Ecclesiam et Statum praesertim in societatibus civilibus saecularibus vel mixtae religionis hic sequuntur:

1. Ecclesia omne suum ius et munus accepit a Domino nostro Iesu Christo immediate et nullo modo pendet ab auctoritate civili quoad ius nativum existendi et munus suum adimplendi.

2. Ecclesia debet esse libera in seligendo ministros suos cuiuscumque ordinis et quidem sine ullo impedimento a potestate civili interiecto.

3. Ecclesia debet esse libera in adhibendo omnem qui par est modum communicandi cum ministris et fidelibus suis sine licentia Status.

4. Ecclesia iuribus adaequatis praedita esse debet possidendi et utendi bona temporalia quae sunt propria ad suum munus implendum.

II. Libertas religiosa:

1. In ordine civili seu politico plena libertas religiosa pro omnibus civibus videtur esse approbanda.

2. Correspondet exigentiis conscientiae personalis etiamsi conscientia sit erronea in sua formatione.

3. Axioma quod « error nullum habet ius » est verum in ordine speculativo sed caret validitate in ordine practico quia ius et obligatio praedicari poterit tantum de personis et non habet validitatem tamquam norma actionis moralis in adiunctis.

4. Finis ordinis temporalis et actuositas potestatis civilis subordinantur quidem ordini et fini supernaturali tamquam inferior superiori. Attamen non sequitur quod libertas religiosa restringi debet a legibus civilibus sed subicitur tantum iudicio conscientiae personalis. Libertas conscientiae in suum finem ultimum prosequendum est praestantissimum donum Dei.

5. Libertas religiosa videtur esse magis consentanea legi canonicae quae demandat nemo ad religionem catholicam converti poterit nisi voluntarie.

6. Adicitur argumento etiam verba Domini Nostri Iesu Christi: « Reddite Caesari quae sunt Caesaris, et Deo quae sunt Dei ». Insuper Supremus Pontifex Pius XII declaravit non esse necessarium ut potestas civilis amoveret vel impediret omnia mala et omnes errores doctrinales religiosos (cf. *A.A.S.*, vol. 45, 1953, pp. 794-802).

In mea humili opinione necessarium est, antequam aliquid decernatur in hac quaestione, ut distinctio clara et praecisa facienda sit inter duas diversas notiones, scilicet, inter *potestatem* civilem ex una parte et *societatem* civilem ex altera parte. Non sunt eaedem, nec una cum altera confundenda est. Societas civilis est multo magis comprehensiva in suo ambitu quam potestas civilis quae aequiparatur gubernio stricte dicto in ordine politico. Societas enim civilis comprehendit multas associationes, incepta et activitates quae habent suam autonomiam propriam et sunt quidem vere independentes a potestate civili. Gubernium statale seu potestas civilis e contra, hodiernis temporibus, ratione earum constitutionum iuridicarum, saepe saepius restringuntur in proprio munere, et vires proprie ei adscriptas excedere prohibentur. Membra societatis civilis insuper praedita sunt iuribus et obligationibus quae originem et radicem inveniunt in ipsa natura hominis, sicut a Deo creata est. Potestas civilis seu status ea nec dare nec retrahere potest, exempli gratia, ius ad vitam, ius vocationem personalem seligendi, ius cuiuscumque suum finem ultimum secundum conscientiam propriam prosequendi. Iura et obligationes

igitur non praedicari possunt eodem modo de statu seu de potestate civili ac de societate civili.

Status vel gubernia hisce diebus maxime differunt in suis constitutionibus ab illis qui floruerunt tempore praeterito, exempli gratia, medio aevo. Minime gaudent hodie potestate vel auctoritate absoluta. In nonnullis societatibus civilibus membra societatis vel cives ipsi determinant constitutionem fundamentalem iuridicam potestatis civilis, et frequenter denegant quodcumque ius civitati civili seu gubernio sese immiscere in rebus religionis. Membra societatis civilis, e contra, sibi reservant omne ius et obligationem huiusmodi. Immo valde periculosum esset si gubernium seu potestas civilis tale ius in rebus religionis sibi arrogaret, nam saltem approximaret praxim dolorosam priorum temporum quae viguit aliquibus locis, nempe « cuius regio illius religio ».

Si nunc declararetur a Sancta Synodo Oecumenica quod potestas civilis ipsa oneretur iuribus et obligationibus veram religionem decernendi, defendendi et promovendi, exinde magnum periculum eveniret tum pro religione ipsa tum pro civibus, praesertim catholicis, in quibusdam nationibus. In iis nationibus ubi potestas civilis exercetur ab acatholicis et saecularistis, religio falsa vel irreligio ipsa civibus imponi poterit. Quid boni ergo inserviretur si iterum declarandum esset quod potestas civilis deberet providere ut cultus publicus Deo praebendus sit?

Liceat mihi etiam aliquid particulare dicere de conditionibus religionis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis. Constitutio nostra fundamentalis iuridica severe prohibet ne ulla auctoritas vel potestas in rebus religionis exerceretur a gubernio vel foederali vel statali. Prohibitio haec non dirigitur ad religionem denegandam vel supprimendam, sed potius ad eam defendendam et protegendam. Reapse religio floret apud nos et crescit die in diem. Notandum est etiam quod Supremum Tribunal Iustitiae nostrum iterum et iterum declaravit solemni modo et in ipsissimis verbis: « Nos sumus populus religiosus ». Ecclesia, e. g., exempta est a vectigalibus; preces publice dicuntur unoquoque die in aula Congressus nationalis; capellani inserviunt militibus tum tempore belli tum tempore pacis et quidem cum congrua sustentatione; sacerdotes et seminaristae exempti sunt a servitio militari; unoquoque anno etiam proclamatur a Praesidente nationis dies festivus ab omnibus civibus celebrandus ut Deo gratiae agantur pro beneficiis eius. Obligatio ergo socialis Deum colendi agnoscitur. Pro civibus catholicis igitur in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis degentibus valde periculosum esset si in ordine politico et civili libertas plena religiosa denegaretur, nam adversarii conclamabunt quod catholici non possunt esse cives fideles et leales in quantum reicere debent, intuitu doctrinae catholicae, legem fundamentalem constitutionis de libertate religiosa agnoscenda. Sufficeret, mihi videtur, si aliquid diceretur in Synodo de obligatione sociali hominum Deo cultum praebendi. In nostris circumstantiis non valet affirmatio in textu contenta, quae dicit potestatem civilem gerere personam moralem pro societate civili in rebus religionis.

Mihi suadetur melius sit et doctrinae Christianae magis consentaneum si in ordine politico et civili libertas religiosa agnoscatur et defendatur. Est etiam alia ratio practica cur nihil dici deberet in Synodo hac in re. Notandum est enim quod in statibus modernis nullibi existit subiectum sufficienter determinatum in ordine politico illa iura vel obligationes possidendi vel exercendi. Potestas civilis hodie in modernis statibus non deponitur in una persona, nec individuali nec morali, sed distribuitur inter varias agentias gubernii, nempe legislativam, iudicialem et exsecutivam. Cuiquam ex eis enim imponi poterit responsabilitas effectiva? Adversarii etiam dicere poterunt quod doctrina catholica aliquam ambiguitatem, immo duplicitatem foveat in quantum demandat libertatem religiosam plenam pro catholicis quando constituunt minoritatem, sed eam aliis denegat quando catholici maioritatem constituunt. Ius Canonicum insuper videtur favere argumentum in quantum declarat nemo ad fidem venit nisi voluntarie. Conscientia personalis est suprema lex actionis moralis. Standum est igitur pro plena libertate religiosa in ordine politico.

6

Exc.mus P. D. IOSEPH BATTAGLIA

Episcopus Faventinus

Schema nobis propositum *de Ecclesia* a priori humiliter accepto et approbo. Ipse bonus sensus communis id mihi suggerit. Cum enim considero istud schema, praeparatum a commissione composita ex septuaginta viris peritis, ex omni natione et lingua et schola electis, qui per tot temporis laboraverunt, nisi humiliter acciperem, mererem vituperationem Divini Poetae:

E chi sei tu che vuoi sedere a scranna
Per giudicar da lunge mille miglia
Colla vista corta di una spanna?

Hos versus reddam ad sensum sermone latino:

Quis es tu qui vis sedere in cathedra
ut iudices quae a te distant mille millia
cum habeas visum longum unum palmum?

Quapropter schema accipio, postquam utique examinavi, quia ad hoc nobis exhibitum est. Et accipio et probo ob eius aequilibrium inter expositionem dogmaticam et charismaticam, ut aiunt, et ob afflatum pastoralem, et quia profert de thesauro Ecclesiae nova, praesertim circa Corpus Mystici Christi, et vetera; schema hoc mihi valde placet, ac meas facio omnes laudes quae schemati ab aliis oratoribus merito tributae sunt. Anceps sum circa opportunitatem transferendi aliquod caput in alia schemata, quia in nostro agitur solum de principiis, ut optime relator exposuit, eorumque visio unitaria opportuna videtur; neque video necessitatem alicuius capitis de S. Pontifice,

cum iam in Vaticano I omnia pertractata sint. Sed minime video quomodo hoc schema possit laborare « triumphalismo, militarismo, clericalismo, iurisdictionalismo ». Praetermitto accusationes triumphalismi et militarismi: expressiones, quae his accusationibus dant locum, valde usitatae inveniuntur in libris Veteris et Novi Testamenti; qui textus tamen non sunt separandi a contextu, iuxta rectam normam hermeneuticam. Diversimode evenire potest id quod quidam dixit: date mihi duas vel tres lineas cuiusvis hominis honesti — ex contextu separatas —, et ego faciam ut ille laqueo suspendatur. Praetermitto quoque modum quo isti textus lecti sunt, quia modus evidenter sapit — sit venia verbis — demagogiam et theatralitatem. Sed praetermittere non possum accusationem clericalismi. Auctor clericalismi, nobis expositi, Christus est. Ipse dixit: « Tu es Petrus... tibi dabo claves... quodcumque solveris... Ego rogavi pro te... confirma fratres tuos... pasce agnos, pasce oves meas ». Ipse dixit: « Euntes docete... qui vos audit, me audit ». Ipse instituit sacerdotium, utique in servitium Ecclesiae, sed etiam ad eam regendam, docendam, sanctificandam; quae munera fidelibus non commisit. Iuxta hanc accusationem certo S. Pontifex erravit cum nos episcopos ad hoc Concilium advocavit: ad locum nostrum debebat vocare fideles, et nos, ad summum, ostiarios vel adsignatores locorum constituere...

Parcite mihi, patientissimi Patres, sed hac ratione loquendi, amittitur sensus communis. Dixit quidam poeta noster saeculi elapsi: Il buon senso che già fu caposcuola etc. Latine reddam litteraliter:

Bonus sensus qui iam dux fuit in scholis
Nunc in multis scholis prorsus mortuus est;
Scientia, eius filia, eum occidit
Ut videret quomodo compositus esset.

Quid dicam de iis qui nolunt enunciationem principiorum doctrinalium, ob praetextum quod eorum simplex et clara expositio, esset iuridica, auctoritaria?

Ad satisfaciendum istis, nihil restat quam ut aboleamus fidem, quae, potiusquam vinculum unionis, ut deberet esse, est veluti pomum discordiae inter nos...

Sed sine fundamentis quale aedificium solidum aedificabimus? Postremo, quidam ex nobis vocabulum « Romanus vel Romanitas » horrescunt, tamquam esset usurpatio iniusta, dum e contra, sit velut compendium notarum quibus Christus exornatam Ecclesiam suam voluit... Et hoc consequitur ex eo quod S. Petrus Romam venit, Romae sedem suam posuit, Romae mortuus est... Gloriemur potius omnes de nostra Romanitate, quae nostram intimam unionem significat cum Petri Cathedra; de illa, inquam, Romanitate, ut dixit maximus poeta noster, qua Christus est Romanus; et caveamus ne S. Petrus, audiens quosdam sermones, erigens e suo sepulcro caput in hac Basilica, quibusdam nostrum dicat, fortasse et mihi, non bene locuti estis de mea cathedra. Utique, sedentem in cathedra magnis laudibus prosecuti estis, sed eius organa quibus utitur in gubernio Ecclesiae, ut Congregationes et commissio-

nes Concilii, vestrorum telorum acerbarumque criticarum metam fecistis! Quapropter bene faciemus si semper attenderimus Romanae Ecclesiae custodi veritatis quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus nostris.

Haec lucerna, e Roma elucens toti terrarum orbi, unica et sola est Cathedra Petri.

7

Exc.mus P. D. GEORGIUS ANDREAS BECK
Episcopus Salfordiensis

Iam dictum est hoc schema, praesertim in capp. I et II, nimis exclusive tractare de Ecclesia militante, de eius natura, iuribus et membris. Liceat mihi censere, melius forsan fuisse, si in ipso exordio schematis aliquid dictum fuisset de aspectu eschatologico Ecclesiae, de consummatione Corporis Mystici in caelis, secundum doctrinam claram S. Pauli.

Nam nemo ad caelum perveniet nisi sit membrum perfectum Corporis Christi. Ut hoc reapse sit, necesse est non solum ut baptizetur sed etiam ut credatur. « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur » (*Marc.* 15, 16).

In cap. II, ubi agitur de unione cum separatis, mea humili sententia, haec necessitas credendi magis in textu exponenda est, et eodem modo explicari debet, quomodo talis fides est fides catholica — ut dicitur in nota 15, pag. 19: « fides catholica subiectiva supponit magisterium Ecclesiae ut normam fidei et motivum credibilitatis. Baptismum non facit membrum, nisi accedat fides catholica subiectiva ».

Notavi vero quod parum dicitur in schemate de Litteris Encyclicis *Mortalium Animae,* a Papa Pio XI anno 1928 editis. In memoriam revocare velim aliqua verba ex eis desumpta quae connexionem habent cum nostra quaestione:

« Praeterea », dicit Summus Pontifex, « quod ad res credendas attinet, discrimine illo uti nequaquam licet quod inter capita fidei fundamentalia et non fundamentalia, quae vocant, induci placuit, quasi altera recipi ab omnibus debeant, libera, contra, fidelium assensioni permitti altera queant; supernaturalis enim virtus fidei causam formalem habet, Dei revelantis auctoritatem, quae nullam distinctionem eiusmodi patitur. Quapropter quotquot vere sunt Christi, quam, exempli gratia, Augustae Trinitatis mysterio fidem praestant, eandem dogmati Deiparae sine labe originis Conceptae adhibent, pariterque Incarnationi Dominicae non aliam atque Infallibili Romani Pontificis magisterio, eo quidem sensu quo Oecumenica Vaticana definitum est. Neque enim quod eiusmodi veritates alias alias aetatibus vel proxime superioribus, sollemni Ecclesia decreto sanxit ac definivit, eaedem idcirco non aeque certae, non aeque credendae: nonne Deus illas omnes revelavit? ».

Numquam immemores simus quod animae salventur et aeternam beatitudinem consequantur nonnisi per fidem catholicam: minime sufficit fides bona.

Exinde oritur quaestio sat gravis pro episcopis, quorum sedes locum habent in terris ubi multi existunt acatholici, et praesertim in illis regionibus in quibus commorantur fratres nostri separati valide baptizati. Haec quaestio conscientiam valde exagitat omnium quibus tradita est cura animarum.

Etenim, in mea dioecesi, immo, in ipsa patria, quomodo, quaeso, me gerere oportet erga acatholicos? Utique, omnibus praestanda est caritas et summa suavitas: in nullo deficere mihi licet ut promoveantur necessitates spirituales, morales et sociales totius communitatis. Sed, si mei amici acatholici validum baptismum acceperint, si Christo et eius revelationi crediderint, si vero censeant se esse membra Ecclesiae, quisquis sit modus, pertinet ad me eos in bona fide relinquere? An potius oportet omnia facere, sine ulla hostilitate vel acerbitate, ut de vero eorum statu et fide dubitare incipiant? Nonne requiritur a me ut aliqualiter in fidem malam eos inducere studeam? A vero zelo apostolico ad animas salvandas permotus, immo, compulsus, omnia forsan perficere debeo ut fratres mei separati de validitate obiectiva eorum status dubitent. Nonne talis est mens propria Apostoli Gentium, sicut illustratur, verbi gratia, in epistola ad Galatas? Certo, longe fuit a mente sua ut in bona fide manserint illi qui erroribus subiecti essent. « Vae enim mihi, — alibi scripsit — si non evangelizavero » (1 *Cor.* 9, 16).

In mea vero dioecesi, circa quingenti conversi sunt ad fidem catholicam in unoquoque anno, seu, quod idem est, circa decem in singulis hebdomadibus. Per totas dioeceses Angliae et Cambriae, numerus totus conversorum censetur esse circa duodecim milia, seu, ducentum et quadraginta in unaquaque hebdomade. Iamvero, conscientia mea perturbatur ne, motione oecumenica nimis aestimata, numerus singulorum qui ad fidem catholicam convertuntur, diminutionem patiatur propter spem — utique fundamento carentem obiectivo sed praesertim anglicanis adeo caram — ut in futuro ex motione oecumenica evolveretur aliqua unio corporativa vel aliquis modus vivendi inter catholicos et communionem anglicanam.

Officium meum, in quantum sum pastor et episcopus, non consistit in fovenda aliqua — ut ita dicam — motione, quasi pro aliqua abstractione adlaborando. Sed magis definiri debet: illud opus apostolicum in quo et per quod singulae animae adiuvantur ad plenitudinem divitiarum fidei catholicae consequendam, ad refectionem spiritualem ex fontibus gratiae in Corpore Mystico Christi hauriendam — « fons aquae salientis in vitam aeternam » (*Io.* 4, 14). Sollicitus enim sum ut illae in sacrificio laudis, gratiarum actionis et expiationis Patri oblato a toto Christo, Corpore et Capite, partem habeant. Ut notavit Summus Pontifex Pius XII: « tot tamen tantisque caelestibus muneribus adiumentisque carent, quibus in catholica solummodo Ecclesia frui licet ». Et prosecutus est: « Ingrediantur igitur catholicam unitatem, et Nobiscum omnes in una Iesu Christi Corporis compagine coniuncti,

ad unum Caput in gloriosissimae dilectionis societate concurrant » (Encycl. *Mystici Corporis, A.A.S.* XXXV, 1943, pag. 243).

Si ergo, ex eo quod motioni oecumenicae male intellectae nomen dederim, sequatur unam solam animam impeditam fuisse quin sese Ecclesiae catholicae submiserit, conscientia mea gravissime onerata erit, et coram Deo pro ea erit respondendum. Quando lego in pag. 81, par. 50: « Christiani autem separati incitamenta inveniunt ut ad Ecclesiae unitatem accedant, non modo singuli in seipsis, verum etiam inter se, uniti in suis propriis communitatibus »: dubito an haec verba, nisi sint accuratissime curata, detrimentum potius quam profectum singulis animabus praebeant.

Alumni mei in seminariis degentes, sicut omnes qui in Anglia ad sacerdotium aspirant, lectionibus pastoralibus intersunt de modo doctrinam tradendi illis qui Ecclesiam catholicam amplectere cupiunt. Magna quoque pars cleri paroecialis in instructione catechumenorum horas vespertinas habitualiter insumit. Hoc munus tam arduum generatim per dimidium annum protrahitur pro singulis catechumenis, sed magnas consolationes prae se fert. Omnes sacerdotes in hoc munere assueti, testimonium perhibebunt de aspectu essentialiter personali huius operis conversionis. Fundamentum conversionis remanet quid personale, et est ipsa persona, sub influxu gratiae a Deo largitae, quae decernit in Corpus Christi Mysticum ingredi. Motio quidem — etiam motio oecumenica — nullo modo est persona. Qua talis, non superat naturam abstractam alicuius corporationis quae ceteroquin denominatur persona ficta. Ubinam in ea inveniri potest cor cui alloqui valeamus? Habetne corpus quod flagellationibus pati possit, vel animam damnationis periculo perterritam?

Quapropter valde exopto ne in hoc schemate quid definitive appareat quod hoc factum obscurare valeat, scilicet: gratiam Dei dari non motionibus nec communitatibus nec cuilibet aliae abstractioni, sed personis humanis.

Personae humanae et illae solae liberi arbitrii privilegio gaudent; et ipsis personis humanis unice datur, per virtutem salvificam sanguinis Christi, incorporatio perfecta in Corpore eius Mystico.

8

Exc.mus P. D. MARINUS BERGONZINI

Episcopus Volterranus

1. *Animadversiones generales.* Schema *de Ecclesia,* quamvis in prima conciliari sessione vix degustatum sit, oculis tamen omnium velut centrum totius Concilii Vaticani II apparuit. Centralis igitur locus, huic schemati assignatus, expostulare videtur ut cetera schemata ex hoc profluant tamquam ex communi fonte. Inde colligi potest specimen illud, iam pridem apparatum Patribusque in prima sessione propositum, esse recognoscendum, ita ut *maiorem unitatem, maioremque plenitudinem acquirat.*

a) *Maiorem unitatem dixi*:

Descriptio enim Ecclesiae in illo schemate tradita intimum nexum inter varias partes minime ostendit, quod vitium, ut mea fert opinio, certo removeri potest ubi initium totius sermonis sumatur ex verbis S. Pauli, quibus Ecclesia definitur « Corpus Christi ». Quam ob rem suadere non dubito ut definitio apostoli magis magisque prae oculis et prae manibus habeatur in doctrina de Ecclesia tradenda.

Habere prae manibus definitionem apostoli non significat tamen eamdem continuo iterare, sed potius eam eligere unicam totius dogmaticae constitutionis formam. Illa igitur S. Pauli verba in novo « de Ecclesia » schemate eundem locum teneant oportet quem anima in corpore tenet, scilicet: sit tota in toto et tota in qualibet parte, etiamsi non conspicienda oculis.

Tali modo intimus nexus inter varias schematis partes manifestus evadere potest. Nam, ubi agitur de ecclesiasticis ordinibus, idem est ac agere de multiplicibus membris in Corpore Christi; ubi agitur de Ecclesiae magisterio, Christus est qui docet (vel Christus est qui Christum praedicat, ut Augustinus ait); ubi agitur de Ecclesiae ministerio, Christus est qui sanctificat; ubi agitur de relationibus inter Ecclesiam et Statum, Christus est qui sanat nationes; ubi agitur de Oecumenismo, Christus est qui membra sui Corporis sibi arctissime coniungere satagit.

b) *Maiorem plenitudinem dixi esse exquirendam.*

In schemate Patribus propositum plane ignorantur nonnulli Ecclesiae aspectus qui non modo magni sunt momenti, sed et ceterorum schematum semina continent. Verbi gratia: de familia, quae, Ioanne Chrysostomo teste, est « Ecclesia domestica » (PG 55, 158) prope nihil in schemate legitur. Huic omissioni providere congruit aliquid addendo ubi schema loquitur de muneribus et officiis laicorum in Ecclesia.

Neque de sacra Liturgia, prout est actio Christi Ecclesiae capitis, vel actio Ecclesiae sponsae Christi, loquitur schema nostrum: quae omissio omnino cavenda videtur. Nemo sane postulat ut schema illud *de sacra Liturgia* in istud de Ecclesia inseratur; tamen ad munera et officia Ecclesiae plene significanda, summa de sacra Liturgia principia attingere necesse est. Liturgia enim vitam Ecclesiae condit et alit, simulque est actio qua Christus, in Ecclesia vivens, Patrem honorat et homines sanctificat.

2. *Animadversiones particulares.* a) *De Mystico Christi Corpore cum Ecclesia Romana identificando* (pag. 10 n. 4; pag. 12 n. 7).

Doctrina in hac schematis parte contenta optima quidem est et vera: tamen, si pontem praebere cupimus quo fratres ab Ecclesia separati facilius ad nos redeant, oportet veritatem offerre sine ulla contentionis specie; quinimmo oportet interdum commemorare quot et quibus vinculis fratres separati cum Mystico Christi Corpore adhuc coniungantur. Sacrosancta enim Synodus unioni christianorum optime adlaborat quando vincula inter christianos adhuc exstantia naviter subnotat, separationis vero fontes candide dolenterque commemorat.

b) *Primatus et episcopatus* (pag. 23, n. 14).

Quae hic habentur de relationibus inter Romani Pontificis et episcoporum potestatem, more nimis iuridico dicta videntur; biblicus mos anteponendus erat. Poterant enim hic praesertim referri documena in Evangeliis Sancti Matthaei et Sancti Lucae comprehensa, ubi Dominus *primum et singulariter* Petrum adloquitur, cui dicit: « Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis » (*Mat.* 16, 19)... « Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos » (*Lc.* 22, 32): *deinde* apostolos coniuncte adloquitur, quibus dicit: « Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo » (*Mat.* 18, 18).

Ex his evangelicis locis relationes inter Romanum Pontificem et episcopos optime illustrantur.

c) *De magisterio Ecclesiae.*

1) De obiecto magisterii authentici (pag. 47, n. 29, linn. 11-12). Textus schematis habet: « Ecclesiae authenticum magisterium... in verbo Dei scriptum vel traditum praedicando, custodiendo et interpretando versatur ». Melius fortasse est dicere: « Ecclesiae magisterium versatur in *verbo Dei* praedicando, custodiendo, interpretando. Ita enim integra perhibetur veritas catholica; biblistis vero et theologis relinquitur libertas inquirendi quae sint relationes inter Sacram Scripturam et Traditionem; quae relationes, istis diebus, attente investigantur, sed conclusiones haud concordes sunt.

2) De subiecto magisterii authentici (pag. 47, n. 30). Inde a Concilio Vaticano I protrahitur vexata quaestio utrum Romanus Pontifex infallibilis sit in magisterio ordinario excercendo. Complures theologi affirmant, freti verbis Vaticani I « fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni iudicio sive *ordinario magisterio,* tamquam divinitus revelata credenda proponuntur » (Constitutio dogmatica de fide catholica *Dei Filius*).

Schema Concilii Vaticani II, cum de magisterio ordinario Romani Pontificis loquitur, verba Vaticani I nec resumit nec clariora reddit, quod probandum non puto, quia optima amittitur occasio ad repellendas et praecavendas exaggeratas opiniones quae saepe saepius in lucem prodeunt circa interpretationem Litterarum Encyclicarum necnon aliorum magisterii ordinarii actuum.

d) *De relationibus inter Ecclesiam et Statum* (pag. 64, cap. X, nn. 40-44). Grassantur his temporibus errores perniciosi circa societatis civilis constitutionem, quos christianus populus damnari, vel saltem refelli, cupit a Sancta Synodo. Inter huiusmodi errores eminent qui pervulgantur sub « nationalismi », « imperialismi » et « totalitarismi » nomine. Contra errores istos, Encyclicis Litteris *Mater et Magistra* iam damnatos, Oecumenicum Concilium aliquid, solemni oraculo, dicere oportet, suadendo simul opportuna remedia.

At si errores de quibus nunc agitur in schemate « De ordine sociali et de communitate gentium » refelluntur, quae nuper dicta sunt tamquam non adiecta habeantur.

e) *De Oecumenismo* (pag. 80, cap. XI, nn. 48-55). Quae hic de Oecumenismo dicuntur ad Orientales tantum spectant: de protestantibus vero schema nostrum plane silet. Optandum sane est ut schema emendatum aliquid speciatim addat de regula cum istis acatholicis servanda.

f) *De communione in sacris cum acatholicis* (pag. 83, n. 54). Hic sermo nimis prolixus est et nimis durus videtur. Contrahere, aptius disponere, et temperare verba valde opportunum apparet.

3. *Animadversiones minimae.* Pag. 9, lin. 5: Hanc propono lectionem: « Pater... cum statuisset genus humanum in *regnum suum* transferre... ».

Pag. 15, cap. II titulus: Ordo argumentorum immutandus videtur. Primum oportet loqui « De necessitate Ecclesiae ad salutem » deinde « De membris Ecclesiae militantis ».

Pag. 20, n. 12: Antequam tractatio de episcopis absoluta sit, sermo de presbyteris introducitur, sed magis congruum apparet loqui de presbyteris postquam completus est de episcopis sermo.

9

Exc.mus P. D. VITALIS BONIFATIUS BERTOLI

Episcopus tit. Attaeatanus, vic. ap. Tripolitanus

Exc.me Domine, patientiam habe in me, loquor uti essem in aula conciliari.

Pax et bonum! Sed non est pax et non erit nisi pro hominibus bonae voluntatis operantibus non autem loquentibus. Et bonum non est et non erit nisi pro hominibus qui revera gloriam dant Deo.

His praemissis, aliqua paucissima dicam relate ad schema constitutionis *de Ecclesia.*

Schema pro me est: I. Completum. - II. Pastorale. - III. Dogmaticum. - IV. Oecumenicum. - V. Scholasticum.

Debitum solvam. Gratias toto corde ago illis, qui patienter, competenter ac technice laboraverunt pro schemate et illud tam accurate confecerunt.

Schema est:

I. *Completum*: ratio: etsi proprie perfectum non sit, tamen totam materiam necessariam et plusquam necessariam quod de Ecclesia dicere potest, dictum est in schemate. Ergo...

II. *Pastorale est,* quia totam exponit veritatem quae de Ecclesia in se est et in relationibus cum aliis quacumque aetate et conditione pertinentibus.

Veritas ad fideles, qui in aula conciliari memorati sunt, tanta benignitate et anxietate, non a libris directe, sed a nobis, repeto — non a libris directe

sed a nobis — hic et ubique, exponenda est, modo quo, fracta tanquam panis buccellae, sumitur. Ergo...

III. *Dogmaticum est.* Dogma est veritas a Deo revelata et a Summo Pontifice conclamata. Ergo dogmaticum est quod veritatem ut talem respicit. Ita veritas, quae in schemate continetur, clara, satis clara, dicam, nimis clara est, et omnia elementa quae veritatem a Deo revelatam elucidant, clara sunt. Ergo...

IV. *Oecumenicum est,* quia respicit non tantum electos filios sed et peccatores, qua tales, omnes homines sunt. Non solum filios oboedientia praeditos respicit, sed etiam, in caritate non ficta, omnes filios qui, libero arbitrio, liberoque examine, magis elegerunt caelum apertum relinquendo domum securitatis in veritate sub Ecclesiae magisterio. Ergo...

V. *Scholasticum est* et hoc est verum, et hoc est iustum. Scholastico modo instruendi est ille modus practicus, quo magis magisque fidelibus convenit. Ergo...

Concludo: Exc.me Domine, mihi videtur quod aliqui in causa vocati, proh dolor! sunt in evidentissima contradictione.

Ex his rationibus simplicibus, elementaribus quoque, dico corde aperto, quod schema constitutionis *de Ecclesia* flagellis caesum ac spinea corona ornatum mihi placet!

Exc.me Domine, labore onustus, habe me excusatum si ausus sum mentem meam aperire tibi circa schema constitutionis *de Ecclesia.*

10

Exc.mus P. D. PETRUS BOILLON

Episcopus tit. Mainensis, coad. c.i.s. Virodunensis

Hac figura, a S. Paulo proposita, utitur schema ad Ecclesiam proponendam et quidem egregie quia ditissima est, sed non sine periculis quae nostro iudicio non vitantur.

1. Non hac sola utuntur figura et Paulus et Evangelium, ad diversos Ecclesiae proponendos aspectus, ut fatetur et ipsum schema. Quae, etsi omnes enucleari non possunt, tamen in mente habere oportet ut recte et totaliter intelligi possit corporis figura.

2. Quae corporis figura praecipue secundum S. Bellarminum proponitur. Atqui illam explanavit theologiam adversus reformatos qui Ecclesiam recusabant ut societatem visibilem. Quae explanatio fidelis quidem et opportuna fuit. Attamen, propter controversiam, alterum aspectum, i. e. invisibilem, non tam magno illustrabat lumine. Unde periculosum videtur, in Ecclesia proponenda, theologiam praecipue sequi quae, quamvis recta, est bellicosa. Censemus, ut corporis Christi figura in sua plenitudine intelligatur, ad totam traditionem redeundum esse.

Apud Patres enim, et adhuc apud S. Thomam, proponitur Corpus Christi

sub aspectu relationis omnium membrorum ad Christum Salvatorem, sub aspectu omnium unitatis in Christo, sub aspectu « rei », ut aiunt, potiusquam « sacramenti ». Ita in Corpore Christi, et electi, et ipsi V. T. Patriarchae adnumerantur.

Demum, ut breviter apud Patres, Corporis Christi illustratio potius christologica et soteriologica apparet, apud Bellarminum, potius ecclesiastica et sociologica, sicut et in schemate.

Quid vero apud Paulum?

Primo, in ep. I ad Cor. cap. 6, Christus manifestatur ut fons sanctitatis: « corpus Christiani est membrum Christi ».

In eadem ep. capp. X et XI, manifestatur Christus ut vinculum unitatis christianorum omnium, etsi diversorum, quia membra sunt corporis. Omnes enim sunt corpus Christi: σῶμα Χριστοῦ. In qua locutione, ex duobus verbis, secundum praestantius: Χριστοῦ. Omnes unus in Christo.

In ep. ad Rom. cap. XII, eidem manifestantur, modo tamen minuto: « unum corpus in Christo ».

Tandem ad Ephesios et Colossenses, invenit Paulus ultimam locutionis formam: « Ipse est caput corporis quod est Ecclesia » et manifestatur Christus ut caput, et plenitudo divinitatis, quam in omne corpus diffundit.

Ergo, apud Paulum, manifestatio corporis Christi, etsi vere sociologica et visibilis, tamen praecipue et primario, ut christologica et soteriologica proponitur.

Unde proponitur fundamentalis schematis renovatio secundum ea quae sequuntur:

Christus, ut Caput Ecclesiae, est Christus Redemptor et Salvator, quo membra vitam totius Trinitatis participant per gratiam, secundum hoc Ioannis in cap. 17: « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint... ». Unde necesse est ut in Ecclesiae propositione sub figura Corporis Christi, proponatur hoc corpus ut instrumentum salutis erga omnes homines. Ita non apparebit munus Evangelium annuntiandi in cap. X, tamquam adiunctum ad extraneos. Omnes enim qui ad salutem vocantur, in Christi corpus vocantur.

Deinde proponatur corpus Christi ut fons gratiae erga omnes qui Christo uniuntur. Quae relatio est essentialis, universalis, et usque in saecula saeculorum perdurabit, atque ad omnes pertinet qui gratia iustificantur: non est gratia nisi a Christi corpore.

Denique appareat, Christum ut hoc corpus aedificetur, illam societatem instituisse visibilem et hierarchicam in qua dedit ipse « quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*ad Eph.* c. IV, 11-18). In qua plenitudine apparebit tandem identificatio completa et societatis visibilis Ecclesiae et Corporis Christi.

Ita, et illi qui Christo uniuntur, in caelo et in terra, per corpus Christi uniuntur, nec sine aliqua, saltem implicita, cum ecclesiastica societate catholica relatione.

Et ipsa Ecclesia catholica, ut Sacramentum Christi Salvatoris omnibus hominibus proponitur, et non tantum ut oppidum in seipso ordinatum et ad seipsum tantum praecipue instructum.

Et voluntas Christi in hoc manifestatur quod omnes qui Illius discipuli esse intendunt, in societatem visibilem quae est Ecclesia catholica, intrare debent.

11

EXC.MUS P. D. PLACIDUS M. CAMBIAGHI
Episcopus Cremensis

I. Ad constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* cap. I generaliores adnotationes.

Valde placet connexio, quae aliqualiter adumbratur, inter Ecclesiam Christi et populum electum, seu Ecclesiam Dei, Veteris Testamenti.

Haec enim connexio cum sit verissima et in Sacris Litteris insinuata, uberiori doctrina illustrat naturam Ecclesiae Novi Testamenti.

Placet etiam, generatim loquendo, sobria expositio doctrinae paulinae de Corpore Mystico, quae valde illustrat mysterium de natura visibili simul et invisibili, charismatica etiamsi iuridica Ecclesiae Christi. Etenim illa locutio et doctrina S. Pauli de « Corpore Christi » ad Ecclesiam terrestrem tantummodo videtur aptata esse. Quamobrem Corpus Christi Mysticum esse solam Ecclesiam peregrinantem in terris bene statuitur.

II. Notanda particularia.

1. Ad n. 1 huius capitis:

a) Pag. 9, linn. 4-5 dicitur: « Per Incarnati Filii sui *mortem* redimere ».

In Sacris Litteris redemptio non tribuitur tantummodo passioni et morti Salvatoris, sed quodammodo etiam aliis mysteriis terrestribus Salvatoris, verbi gratia eius resurrectioni et ad caelos ascensioni iuxta verba S. Petri: « Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam poenitentiam Israëli et remissionem peccatorum » (*Act.* 5, 31; cf. 1 *Pet.* 1, 3-5) et iuxta verba S. Pauli: « Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris » (*Rom.* 10, 9; cf. ibid. 4, 25). Ceterum Ecclesia in festo Sacratissimi Rosarii B. Mariae Virginis hoc modo precatur: « Deus cuius Unigenitus per vitam, mortem et resurrectionem suam nobis salutis aeternae praemia comparavit etc. ».

Ergo melior elocutio esset: *Per Incarnati Filii sui mysteria redimere*, vel etiam: *Per Incarnationem Filii sui redimere.*

b) Eadem pagina, linn. 8-9: clausula illa: « maxime in novo et aeterno Testamento » necessaria non videtur ad textus intelligentiam; immo pos-

set falso haberi veluti iudicium ad implexam quaestionem de modo redemptionis et salutis in Veteri Testamento.

c) Eadem pagina, lin. 14: dicitur: « in opere salutifero Christi perpetuando redemptores ».

Accuratior locutio forsan est: « in opere salutifero Christi *ad finem saeculorum protrahendo* redemptores ». Etenim Ecclesia terrestris qua socia Christi in opere redemptionis adimplendo, munus suum deducet non in perpetuum, sed tantum usque ad finem saeculi et ad parusiam Domini cum, post iudicium totius creaturae, Deus erit omnia in omnibus.

2. Ad n. 2 huius capitis:

a) Pag. 9, lin. 23 dicitur: « muneribus *praeconis,* sacerdotis, regis ».

Qua ratione non iteratur vox « magister » ita ut dicatur « muneribus *magistri,* sacerdotis, regis »? Quamvis enim Dominus docuit unum esse magistrum (καθηγητὴν) nostrum, nempe Christum, attamen idem Dominus iussit nos abire docentes (διδάσκοντες) omnes, ut in ipso textu constitutionis continuo recolitur. Ergo apostoli eorumque successores διδάσκαλοι seu magistri recte dicuntur et sunt.

Eadem valent pro pag. 12, lin. 9.

b) Pag. 10, linn. 1-7, metaphora bellica proponitur Ecclesiae. Imago Ecclesiae ut « confertum agmen » « adversus » hostes non videtur in Sacris Litteris per se fundata.

Etenim S. Paulus (*Gal.* 6, 16) loquitur de « populo » Dei; at populus non est exercitus vel agmen confertum, etiamsi non sit « effusa turba », sed organice, ut dicitur, cohaeret.

Dominus autem Iesus (*Mt.* 16, 18) Ecclesiae suae promisit divinam assistentiam ita ut portae inferi adversus eam non praevaleant victores et Paulus iussit nos armaturam Dei induere (*Eph.* 6, 11) ut possimus « resistere in die malo » (ibid. 13). Ergo iuxta Sacra Eloquia Ecclesia Sancta videtur armis munita ut sese defendat, non autem ut procedat agmen confertum ad victoriam.

Ceterum nostris temporibus cum in omnibus populis infinitum pacis desiderium fovetur, satis male sonaret et falso interpretaretur haec doctrina militantis Ecclesiae.

Quamobrem vox « militantis » in titulo optime mutatur cum voce « terrestris », vel etiam plane deleatur.

3. Ad n. 5 huius capitis.

a) Pag. 11, lin. 3, dicitur: « Christus caput et *loco* etc. ».

Emendandam puto vocem « loco » cum alia voce « excellentia ». Etenim in Sacra Scriptura et in scriptis SS. Patrum excellentia Christi, ut caput est Corporis Ecclesiae, innuitur cum de Christo dicitur desursum esse vel in loco sublimi esse. Sed locutiones scripturisticae et patristicae sapiunt aliquomodo conceptionem cosmologicam antiquorum, quae hodie amplius non intelligitur.

b) Eadem pagina, linn. 7-8, velim post singulas voces « augmento »,

« actibus », « passione » in textu ponatur citatio propria scripturistica, ut clarior doctrina eluceat.

c) Eadem pagina, lin. 8, optarem luculentius exprimatur « naturae conformitatem » inter Caput et membra Corporis Ecclesiae non esse omnino adaequatam intelligendam.

d) Pag. 11, lin. 14. Spiritus Sanctus dicitur *anima* Corporis Ecclesiae. Haec metaphora in textu dogmatico minus placet, quatenus in Sacris Litteris, nullibi invenitur, ni fallor, Spiritum Sanctum esse animam Corporis Christi, quod est Ecclesia.

Immo Corpus Christi quod est Ecclesia ea ratione est « corpus », nempe realitas quaedam « organica », quatenus idem Spiritus sanctificat, operatur, charismata distribuit, salutem operatur. Ergo ratio corporeitatis sive organicitatis est Spiritus, quamobrem perperam anima a corpore distinguitur.

Ceterum distinctio Spiritus veluti anima a Corpore Christi, quodammodo excusaret illam improbandam distinctionem inter Ecclesiam charismaticam seu amoris et Ecclesiam iuris seu visibilem.

Denique Spiritus inhabitat utique in cordibus christifidelium, sed non necessario concipienda est anima inhabitare in corpore veluti in domo quadam. S. Thomas exempli gratia docet animam esse formam corporis.

4. Ad n. 7 huius capitis, pag. 12. Puto optimam rem esse totum hunc numerum deleri hoc loco ut rectius ponatur in unica constitutione *de unitate Ecclesiae*.

Attamen singillatim adnotare velim sequentia:

a) Lin. 17, loco « non esse nisi » melius forsan dicitur « non dari nisi », ita ut bene intelligatur non solum unicam esse de facto Ecclesiam, sed etiam unicam posse et debere esse Ecclesiam ex voluntate Divini Fundatoris.

b) Linn. 23 et 24, illa clausula: « ideoque sola iure catholica romana nuncupatur Ecclesia » videtur magis ampla ac praemissae sunt. Etenim posset quis putare ab Ecclesia catholica romana omnino nihil inveniri in « Ecclesiis » fratrum separatorum quod nomine christiano nuncupari possit. E contra inter theologos communis est doctrina « vestigiorum Ecclesiae », quae habentur et fideliter custodiuntur a fratribus separatis.

Ipse Summus Pontifex Pius XI immortalis memoriae aliquando « vestigia Ecclesiae » apud fratres separatos existentia dixit veluti moles auriferas esse quae ab excelso monte aurifero qui est Ecclesia desectae sunt. Nec iuvat distinctio inter quaestionem iuris et quaestionem facti, quia non est disputatio de verbis sed agitur de re maxime gravi.

12

Exc.mus P. D. CARMELUS CANZONIERI
Episcopus Caesariensis in Mauritania, aux. Messanensis

Hodie melius quam heri huius Concilii Vaticani II finem cognoscimus. Nobis non sunt veritates definiendae, sed catholicae fidei oecumenicitas et pastoralitas explanandae sunt, ita ut nostrae propositiones possint catholicos in fidem confirmare, fratres seiunctos ad unitatem revocare et infideles ad fidem allicere. Omnes nos studiosissime hoc volumus et ad hunc finem obtinendum etiam vitam nostram impendere volumus.

Mihi liceat aliqua pericula revocare, ut ea vitemus, et aliquid de ipsa doctrina Ecclesiae exponere:

1. Omnes scimus plures exstare Ecclesias orientales seiunctas, innumerasque denominationes protestantes. Fere impossibile videtur invenire aliquam expositionem unius veritatis quae sit oecumenica et pastoralis pro omnibus his coetibus hominum, neque, ut evidens est, poterit hoc Concilium plures exarare propositiones eiusdem veritatis, quae aptatae sint cuique coetui; haec enim multiplicitas non tantum afficeret propositiones, sed tandem et ipsam veritatem. Praeterea quod nostris temporibus pastorale videtur, brevi tempore, mutatis hominibus et circumstantiis, non amplius pastorale evaderet; hoc modo certissime veritas amitteret characterem immutabilitatis et aeternitatis, quem certe habere debet, sicut veritatem decet.

Oecumenicitas enim et pastoralitas alicuius propositionis notae sunt subiectivae, ideoque mutationi obnoxiae. Ad haec igitur pericula vitanda, magna cum caritate veritates exponendas propono, quae certo fundamenta erunt pastoralitatis et oecumenicitatis, clara et univoca significatione, ita ut ex ipsa claritate appareat oecumenicitas et pastoralitas ipsius veritatis. Fundamento veritatis posito, Concilium ipsum per quandam suam commissionem, Patres in suis dioecesibus, decursu temporis, magis ac magis oecumenicitatem et pastoralitatem evolvendas curabunt. Evidens est methodum pastoralem in schemate *de sacra Liturgia* a Concilio habitam, ex diversa natura rei, in tota sua extensione, nos sequi non posse, *de Ecclesia* aut *de fontibus revelationis* agentes. Ad finem vero praecipuum obtinendum huius Concilii, pastoralitas et oecumenicitas sint semper menti nostrae praesentes in exponenda veritate, ita ut *negative* nihil in veritatis expositione contineatur quod sit contra pastoralitatem, et *positive* maxima, qua fieri potest, sit pastoralitas, usque ad limitem periculi vitandi et veritatis mortificandae.

2. De ipsa materia huius schematis plura et optima dicta esse puto, mihi tamen concedatis, quaeso, haec proponere:

a) Non deest in schemate sic dicta idea centralis, quae est doctrina de Corpore mystico, in cap. I proposita. Nobis opus non est totum de Ecclesia tractatum exarare, tantum vero aliquas iuxta temporis et pastoralitatis exigentias veritates proponere.

b) Quidam in schemate aspectus iuridici praevalentiam inspexerunt, non adprobantes; potest haec pars breviori via tractari, tamen prae oculis habere debemus quod aspectus iuridicus et socialis externus est tamquam species seu accidens huius sacramenti, quod est Ecclesia; et qui volunt ipsum mysterium attingere, debent aliquo modo, etsi differenti, species primo attingere. Pro infidelibus tandem est unica via haec ad mysterium attingendum.

c) Doctrina de Primatu deberet in hoc Concilio melius explicari, etenim modus illum exercendi non fuit a Christo Domino revelatus, ideoque mutari potest, et historice constat diversimode diversis temporibus exercitatum esse; inveniri potest aliquis modus Primatum exercendi, magis acceptus fratribus seiunctis et protestantibus.

d) Opportuna ultimo videtur explicita tractatio in hoc Concilio de relationibus inter Ecclesiam et Statum, ut in schemate capp. IX et X. Haec tractatio, quae de personae humanae dignitate maximi momenti sunt, attingit.

Hoc modo, hoc Concilium vere et optime mundi expectationi satisfaciet.

13

Exc.mus P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis

A tempore Concilii Vaticani I, praesertim a tempore S. Pii X, vita Ecclesiae eventibus motibusque variis sollicitatur ut omnia in Christo instaurentur utque fideles pressius in Christo vivant, in maiori fidelitate, in maiori caritate, in maiori fervore apostolico. Cogitemus de motu eucharistico et liturgico, de motu biblico, de motu pastorali, de motu missionario, de Actione catholica ac generatim de laicorum apostolatu, de impulsu etiam pro unione christianorum. Haec et alia, sub incitamento Romanorum Pontificum omniumque episcoporum, ita profecerunt et proficiunt ut dubitare non possimus ea ex profunda Ecclesiae conscientia emergere ac proinde ipsius Spiritus Sancti actionem manifestare. Quando in oratione omnia consideramus quae hodie nos undique urgent, Christo Domino gratias agimus et in signum nostrae assentionis nostrum facimus dictum quod olim card. Faulhaber in suis episcopalibus stemmatibus inscripserat: « Vox temporis, vox Dei ».

Vox temporis, vox Dei, ni fallor, in inspirato successu motus biblici, generalius in invicta appellatione ad evangelicos et apostolicos fontes. Se falleret qui putaret cultum Bibliae solummodo ex oecumenica praeoccupatione procedere, aut ex aliqua puerili libidine quae, sicut aliae libidines, mox obsoletura esset. Tam fideles quam pastores plus minusve, sed magis ac magis praesentiunt Christi nuntium esse, ut pluries dixit Ioannes XXIII, in Calice et in Libro, seu, iuxta verba Imitationis, in duabus mensis proponi hominibus, in mensa Eucharistiae et in mensa Sacrae Scripturae. Restauratio eucharistica restaurationem biblicam appellat.

Scholaris expositio — consulto non dico scholastica, ne videar aliquo

modo parvi aestimare, quod a me alienum est, theologiam scholasticam —, scholaris expositio, inquam, est quidem opportuna, necessaria, sed non sufficit, etiam in scholis. Quare? Simpliciter quia Mysterium Christi, i. e. obiectum ipsum apostolici et ecclesiastici praeconii, in formulis et scholaribus argumentis concludi nequit. Et praecise, ut Ecclesiam in eius intimo ac vitali mysterio annuntiare possimus, indigemus imaginibus, parabolis, allegoriis, repraesentationibus, approximationibus Librorum sacrorum, indigemus, inquam, sermone quo usi sunt Christus ipse atque apostoli Christi in primigena praedicatione.

Gaudeo quod in schemate de Ecclesia, momentum agnoscatur figurarum atque imaginum quibus auctores sacri indolem naturamque Ecclesiae patefacere solent. Infeliciter autem offenditur duplici modo. Primo modo, quia solum evolvitur imago, ceterum valde suggestiva, corporis, ut aiunt, mystici. Sicuti dicitur timendum esse hominem unius libri, etiam timeo schema unius imaginis. Secundo modo offenditur in paginis nostris quia statim, ab initio, quasi sub pondere scholaris habitudinis, fit transitus ad rigorosam, technicam, et mox canonicam expositionem ecclesiasticae societatis. Ut dixi, talis scholaris expositio est necessaria, sed suo loco veniat oportet.

Aliis verbis, optio requiritur: vel sermo biblicus fit de Ecclesia vel de ea fit sermo scholaris, cum thesibus, argumentis et aliis explanationibus quae in scholis evolvi solent. In quo altero sensu, si dicatur maiorem claritatem sic obtineri, respondeo hoc non fieri sine detrimento nostrae spiritualis educationis, sine detrimento pastoralis revelationis consilii seu mysterii Dei. Utique evolvi possunt argumenta scripturistica in consueta expositione theologica, sed genuina et plene efficax theologia biblica tali mixtione succedere non potest. Hoc intelligebant pro suo tempore magni scholastici, in quorum operibus secumducuntur, quin confundantur, summae theologicae et commentarii Scripturarum. Ita faciamus: servare debemus consuetam expositionem scholarem, sed quando doctrinalem Librorum sacrorum expositionem quaerimus, modo biblico procedamus.

Quomodo ergo procedere in casu? Primo revocetur summa figurarum quibus Ecclesia in Novo Testamento repraesentatur. Saltem ex parte, hoc fit in nostro schemate, pag. 10. Tunc autem accurate evolvantur principaliores imagines: utique imago corporis, sed etiam imagines populi Dei, familiae Dei, templi et domus Dei, novae Ierusalem, sponsae Christi, gregis Domini: imagines principaliores quae in pulcherrimis textibus S. Pauli, S. Petri et S. Ioannis coniunguntur et compenetrantur. Sic obtinebitur synthesis in qua apparebit Ecclesiam esse Mysterium seu Sacramentum illius Christi gloriosi, qui charismatice simul et organice vivit, operatur, regit et vivificat in Ecclesia. Revera, Ecclesia est domus familiae Dei, in qua cum Christo et in Spiritu clamamus Abba, Pater. Ecclesia est templum spirituale, in quo plebs sancta est genus electum, regale sacerdotium. Mystica unio Christi cum Ecclesia talis est ut efformetur unum corpus et ut vita Christi in membris sicut in capite diffundatur, ferveat et fructum in aeternum afferat. Haec est illa caelestis

Ierusalem, quae est Sponsa Christi, sanctorum civitas quae fit in terris tabernaculum Dei cum hominibus. Haec est Sponsa Agni gloriosi, signum in Gentibus elevatum, quae inter omnimodas vexationes et seductiones tuta invictaque pergit. Haec est Mater Ecclesia, mater nostra, quae in Virgine Maria singulariter fulget sicuti in suo praecellenti membro, in sua Regina, in sua imagine seu icôn. Haec est de qua S. Paulus, admiratione raptus, clamabat: « Ipsi (Patri) gloria in Ecclesia est in Christo Iesu ».

Quibus positis, firmiter et lucide ostendatur quomodo illud Mysterium charismaticum Christi et Ecclesiae in terris vergi debeat in societatem visibilem et hierarchicam. Christus, qui promisit se mansurum cum suis usque in finem saeculorum, elegit duodecim discipulos, quos apostolos appellavit et quos praedicare et baptizare misit in universam terram. Ecclesia Christi concredita est apostolis, in quibus Agnus Apocalypseos novam Ierusalem fundare voluit. In medio autem apostolorum, Dominus Iesus instituit summam Petri auctoritatem, ita ut Petrus sit vere Ecclesiae caput et fundamentum, columna veritatis atque pastor omnium.

Haec est perspectiva in qua iuxta me tractandum est hodie de Ecclesia. De schemate, quod nobis propositum est, generatim dicam in eo multa esse bona, sed etiam multa esse supprimenda, aut corrigenda, aut alibi tractanda. In specie aliter exponatur admirabile Mysterium Ecclesiae.

Adnotationes ad schema de Ecclesia.

Liceat mihi ad secretariatum S. Concilii praesentare:

1. Notam quae pro aula conciliari scripta est, sed quae, defectu temporis, legi non potuit;

2. Litteras quadragesimales huius anni, in quibus argumentum de Mysterio Ecclesiae iuxta biblicas figuras pastoraliter exponere conatus sum;

3. alias considerationes circa schema. Prius exponam iudicium generale de schemate atque generalia vota. Deinde, proponam novam schematis structuram.

I. *Iudicium generale.* Schema *de Ecclesia* multa optima continet, de quibus sane auctores nostras gratulationes merentur. In specie, gaudeo de his quae dicuntur circa sacramentalitatem episcopatus et circa statum et vocationem laicorum in Ecclesia.

Attamen, multa emendanda videntur et totum schema ad simpliciorem et melius ordinatam, melius « aequilibratam » formam reducatur oportet.

Ad spiritum quod attinet, magis attendatur ad theologorum recentiorum opera, necnon ad quaestiones quae animos nostrae aetatis sollicitant. Caveatur ne nimis spiritui iuridico indulgeatur ubi problemata in primis theologice tractanda sunt.

In genere, salvis quibusdam necessariis mutationibus, sincere adhaereo innovatae schematis redactioni quae a rev.mo D. G. Philips redacta est, et quidem, ut scitur, postulantibus multis cardinalibus et episcopis, ea intentione ut media via inter admissionem et reiectionem schematis inveniretur. Ille

textus multum proderit iis qui a schemate commissionis praeconciliaris ordiri intendunt.

II. *Quaedam generalia vota.* Omnium credo votum esse ut constitutio conciliaris *de Ecclesia* principalem, centralem locum obtineat in Concilio Vaticano II. Revera omnibus patet quaestiones de Ecclesia, notanter quaestiones de episcopatu, esse fere semper centrum in quo hodie concurrunt maiora problemata relate ad apostolatum: sive agatur de unione Ecclesiarum, sive de missionibus in longinquis regionibus sive de Actione catholica, sive de motu liturgico. Ut dictum est, hora est hodie hora episcoporum. Et in hoc videtur haberi impulsus qui e profunda conscientia Ecclesiae prodit, qui, sub motione ipsius Spiritus Sancti, ad meliorem aestimationem episcopatus, ad eius revalorisationem, ut aiunt, tendit. Unde, quod iam in animo erat Patrum Vaticani I, nunc a nobis fieri debet, ita ut post necessariam proclamationem Primatus et Infallibilitatis Romani Pontificis, veniat authentica et solemnis declaratio circa gratiam, missionem et officia episcoporum.

Propterea, ut mihi videtur, schema de Ecclesia ad essentialia reduci debet et omnibus alleviari, etiam alicuius momenti, quae alibi tractari possunt, ut v. g. quae ad oecumenismum, ad missiones, forsan ad status perfectionis pertinent.

Propter etiam momentum argumenti, quaeri debet perfectum aequilibrium inter notiones et doctrinas quae in quaestione veniunt:

a) inter ea quae ad Primatum Romani Pontificis et ea quae ad collegium episcoporum pertinent;

b) inter ea quae episcopos collegialiter sumptos et ea quae singulos episcopos spectant;

c) inter ea quae episcopis residentialibus propria sunt et ea quae omnibus episcopis, etiam titularibus, communia sunt;

d) inter charisma et activam potestatem quae episcopis e sua consecratione episcopali veniunt et, ex altera parte, ea quae solum ex iuridica concessione habentur. Aliis verbis, inter ea quae ontologicam episcoporum potestatem constituunt et ea quae non sunt nisi istius potestatis exercitium;

e) inter ea quae omnibus fidelibus Ecclesiae communia sunt, uti notanter sic dictum sacerdotium fidelium, et ea quae ipsis laicis qua talibus propria sunt;

f) inter relationes hierarchicas in Ecclesia et ea quae sunt ordinis charismatici: in specie quae spectant observationem aut professionem consiliorum evangelicorum, status perfectionis, etc.

Vigilandum est ut, omnino integra manente fide catholica, modus loquendi vitentur, qui sine necessitate relationibus cum fratribus separatis et causae sic dicti oecumenismi nocere possent.

Proinde, abstineatur a quaestionibus inter theologos controversis, v. g. quaestione de membris Ecclesiae. Item, quando agitur de necessitate Ecclesiae ad salutem, asperus sermo amoveatur.

Ceterum in his et in similibus, auctores schematis nobis propositi nobis-

cum consentiunt quoad principia, ut apparet, v. g., pag. 15, lin. 30 ad pag. 16, lin. 3. Manet autem quod expressio melior fieri posset.

Maxime oportet ut mens Concilii eiusque intentio circa qualificationem doctrinalium declarationum clarissime pateat. In schemate de Beata Virgine Maria, pag. 100, expresse dicitur novum dogma non haberi in textu proposito. Nihil simile apparet in schemate tam gravi de Ecclesia.

III. *Proponitur nova structura schematis.* Solummodo tria capita, ad summum quatuor capita haberentur, nempe:

1. de Mysterio Ecclesiae;
2. de s. hierarchia, in specie, de episcopatu;
3. de populo fideli, in specie de laicis.
4. *forsan,* de charismatibus et de specialibus vocationibus in Ecclesia.

1. De Mysterio Ecclesiae. Quoad generalem rationem, adoptetur schema rev.mi D. G. Philips.

a) Per modum introductionis, exponatur breviter aeterni Patris consilium de universali Ecclesia.

b) Describatur Mysterium Ecclesiae figuris, omnibus maioribus figuris S. Scripturae: cf. textus adiuncti, i. e. sermo pro aula conciliari praeparatus atque litterae quadragesimales.

c) De necessitate Ecclesiae ad salutem, iuxta Philips.

2. De s. hierarchia, in specie de episcopatu. Specialiter in hac sectione, desiderantur maior cohaerentia aequaque indagatio sub luce tum perantiquae traditionis tum etiam recentiorum operum theologorum. Sic procedatur:

a) Exponatur institutio collegii apostolorum a Christo, utique sub Petro, duce, capite, fundamentoque huius collegii.

b) Doceatur successio apostolica.

Clare dicatur de fide esse episcopos successores esse apostolorum Christi, Romanum Pontificem de cetero esse successorem S. Petri.

Nunc iam notetur, quod ulterius evolvere oportebit, collegio apostolorum succedere collegium episcoporum, i. e. episcopos collegialiter sumptos. Unde iam patet momentum sic dictae collegialitatis episcopatus.

c) Definiatur sacramentalitas episcopalis consecrationis, quae est supremus gradus sacramenti Ordinis.

Exponatur 1) per consecrationem episcopalem electum collegio universali, sub ductu Romani Pontificis, aggregari; 2) in consecratione episcopali conferri characterem et gratiam cum summo gradu sacerdotii; 3) proinde episcopos esse ceteris ministris, etiam presbyteris superiores vi ipsius consecrationis, i. e. in ipsa linea Ordinis.

d) Explicetur, iuxta praefationem episcopalis consecrationis, sacram ordinationem episcopis conferre triplex munus magisterii, ministerii seu sanctificationis et regiminis in Ecclesia, — vel, ut ait Pius XII in sua celebri oratione post canonisationem S. Pii X habita, anno 1954, collegio episcoporum concredi Ecclesiam cum triplici praerogativa ac triplici missione magisterii, sacerdotii et regiminis. Cf. *A.A.S.,* XLVI, pagg. 313-317.

e) Hic tractandum est de magisterio. Utique alibi tractari posset de iurisdictione ad muneris exercitium, sed attendatur docendi potestatem ontologice existere in omni episcopo consecrato, cui in ipsa episcopali consecratione sacramentaliter tribuitur. Feliciter citatur in notis schematis allocutio S. S. Ioannis XXIII, diei 8 maii 1960, pro consecratione quatuordecim episcoporum: in ipsa consecratione iteratum videt evangelicum spectaculum, quando Christus duodecim apostolos praedicare misit in universum mundum: *A.A.S.*, LII, pag. 466.

f) Ut dixit Pius XII, cum deposito fidei episcopis concreditur « Depositum gratiae » (Allocutio iis qui Assisii pro congressu liturgico convenerant, die 22 sept. 1956: *A.A.S.*, XLVIII, pag. 713). Quo intelligitur episcopum esse in populo Dei Pontificem, qui iure proprio plenitudinem habeat sacerdotii. Unde etiam intelligitur sacerdotium aliis non communicari nisi ut participationem episcopalis sacerdotii et in adiutorium episcopalis ministerii. Idcirco S. S. Ioannes XXIII dicit diem in Coena Domini, qui communiter dies sacerdotalis vocatur, magis adhuc esse *diem episcopalem*: Epistula paschalis ad singulos catholicae Ecclesiae episcopos, diei 15 aprilis 1962, pag. 16.

g) Etiam munus regiminis aut pastoralis auctoritatis in sacra consecratione confertur, aliquo modo saltem. Ut iam diximus, distinguendum est enim inter potestatem in consecratione receptam et potestatis exercitium. Evidenter etiam distinguendum est inter regimen universalis Ecclesiae et regimen alicuius portionis, ut est dioecesis.

h) Unde sermo fiat de episcopis titularibus, quibus proprius grex non tribuitur, sed qui, sicuti ceteri episcopi, muneribus praerogativisque fruuntur quae in ipsa episcopali consecratione conferuntur.

In quaestione ponitur ratio cur episcopi titulares non iure participent conciliis oecumenicis. Revera praesens dispositio iuris canonici argumentum decisivum non videtur esse.

i) Tandem tractetur quaestio tanti hodie momenti collegialitatis episcopatus, quacum implicatur utique alia quaestio de relationibus inter papatum et collegium episcoporum. Omnia ceterum hodie ita disponuntur in theologia ut sine ullo periculo proclamari possit divina origo atque universale munus collegii episcoporum, qui, utpote successores Apostolorum, cum et sub Romano Pontifice, eorum Capite iuris divini, munus habent docendi pascendique Ecclesiam Christi. Explicetur quomodo non tantum Ecclesia in Concilio adunata, sed etiam Ecclesia dispersa, ut aiunt, collegio episcoporum in communione cum collegii Capite commissa sit.

Ad hoc revocentur textus Romanorum Pontificum, qui episcopos docent eorum obligationes relate ad Missiones et generatim ad universales causas Ecclesiae. Atqui legitima videtur tendentia, quae hodie observatur, ut cum problemata in universa terra tam diversa implicataque sint, conferentiis episcoporum diversarum regionum iura communia collegialiterque exercenda a suprema auctoritate vel agnoscantur vel tribuantur. Hoc videtur esse in linea et spiritu divinae institutionis, modo semper Supremo Pastori ius re-

maneat universale et supremum, quod a nemine inter catholicos nostris temporibus in dubio ponitur.

3. De populo fideli et in specie de laicis. Servari in genere potest schema commissionis. Attamen, melius distribueretur materia in duo capita:

a) ea quae ad omnes fideles spectant, sive sint clerici, sive sint laici: principalia citantur in schemate sub n. 20, sub n. 21, partim sub n. 23;

b) ea quae sunt laicis propria: hic exponeretur apostolatus laicorum, id quod vocatum est consecratio mundi, etc.

4. De charismatibus et de specialibus vocationibus in Ecclesia. Praenota: Ut dixi supra, pag. 2, sub littera II *f*, sub respectu hierarchico non habentur nisi clerici et laici. Qui evangelica consilia observant aut etiam profitentur, qui religiosam vitam ducunt, qui ad quemdam statum perfectionis pertinent, illi omnes clerici aut laici esse possunt. Genera non confundantur, i. e. in casu, ordo hierarchicus et ordo qui charismaticus appellari potest.

Talis confusio errores non raro gignit. Ex una parte, errores sparguntur facile circa notionem et vias perfectionis, ut coram me agnoscebat Pius XII, qui hac occasione ad me misit pretiosam Notam, diei 13 iulii 1952, ut responsum daretur iis qui allocutionem Pontificis diei 8 decembris 1950, ad religiosos factam intemperanter interpretabantur.

Ex altera parte, confusio etiam in quaestionibus de s. hierarchia serpit. Recenter scriptum est superiores maiores Ordinum et Congregationum, quia sunt Ordinarii, annumerari in universali episcopatu (« font partie de l'épiscopat mondial »). Sic P. Vermeer, O. Cist., *De plaats van de exempte priester in het hierarchisch apostolaat,* dans Tijdschrift voor theologie, 1961, pp. 318-350. Utique admitto sub infelici modo loquendi mentem auctoris explicari posse, sed, ut dicitur, quae clare concipiuntur clare etiam exprimuntur! Factum autem sufficit ut, in tam gravi schemate, omnem confusionem vitemus.

Unde, meo iudicio, aut quaestiones de perfectione ac de vita religiosa non in nostro schemate, sed alibi tractentur, aut, si melius existimetur, argumentum amplietur ad privilegiatas vocationes in Ecclesia. Secundum talem modum agendi, proponerem sequentem structuram:

a) primo solemniter doceretur perfectionem christianam esse in caritate. Deinde explicaretur quomodo illa perfectio caritatis in contemplatione et, ex altera parte, in apostolatu specialiter florescat, quomodo insuper consilia evangelica sint optima media ad perfectionem acquirendam. Ad haec exponenda mihi liceat indicare recens opus exc.mi ac rev.mi D. P. Philippe, *Les fins de la vie religieuse selon saint Thomas,* Athènes-Rome, 1962.

b) Tunc ostenderetur statum et missionem episcoporum in traditione dari ut summum exemplum vitae ad perfectionem caritatis consecratae. Ita praecise, sermo factus est olim de statu perfectionis acquisitae, sed talis modus loquendi etiam ad confusiones ducere posset. Id quod interest est ipsa doctrina, non modus loquendi.

Statui et gratiae episcopatus participant omnes qui cum episcopis coope-

rantur. Veniat in primis verbum de presbyteris, episcoporum cooperatoribus, quibus sic Concilium spiritualitatem, ut aiunt, aperiret in veritate.

Sermo fiat etiam de laicis qui, ut dicit schema commissionis, pro Regno Dei omnibus renuntiantibus, vires suas operi apostolico impendunt: pag. 39, linn. 6-7.

c) Quibus praehabitis, tractaretur de vita religiosa et de statibus perfectionis.

Ad hoc autem noto quaestionem poni, cuius Pius XII coram me momentum agnoscebat, i. e. eorum qui extra omnem organisationem, individualiter coram Ecclesia profiterentur consilia evangelica. Mihi permittatur referre ad ea quae scripsi in libro cui titulus *Le clergé diocésain,* Tournai, 1960, pp. 128-132; in editione italica, Edizioni Paoline, pp. 181-186; in editione hispanica, Vitoria, pp. 123-126; in editione neerlandica, Tournai, pp. 135-138. Editiones mox edentur in lingua germanica et in lingua anglica.

Cetera omnia vel supprimantur, vel in aliis schematibus tractentur, vel pro parte in secundo aut in tertio capite introducantur, ut v. g. quae ad magisterium pertinent.

14

Beat.mus P. D. PAULUS II CHEIKHO

Patriarcha Babylonensis Chaldaeorum

Schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* attente lecto, mihi videtur non esse impugnabile quoad doctrinam. Quare tenendum est in singulis suis partibus.

Quoad observationes, factas in nostris reunionibus, sive pro sive contra, prae oculis habere debemus ea quae sequuntur:

a) Natura Ecclesiae non invenitur in Vetere Testamento. Ea quae a Patribus referuntur de Vetere Testamento relate ad Ecclesiam non possunt ostendere verum characterem Ecclesiae. Ea quae considerantur ab ipsis Patribus tamquam figurae Ecclesiae, eodem modo intelligi debent ac aliae figurae (ita arbor vitae in Paradiso, consideratur ut figura Crucis Domini Nostri Iesu Christi).

b) Incipit Ecclesia in Novo Testamento; fundatur ab ipso Domino Nostro Iesu Christo.

c) Dominus Noster fundavit Ecclesiam suam super Petrum. Dixit enim Petro: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam (*Mat.* 16, 18). Pasce agnos meos. Pasce oves meas (*Ioan.* 21, 15 et seq.). Textus enim allati clare ostendunt Petrum solum institutum fuisse fundamentum seu Caput Ecclesiae ab ipso Domino Nostro Iesu Christo.

d) Primatus Petri independens est a collegio apostolorum et quidquid dicitur de collegialitate apostolorum non potest minuere, in quocumque modo, Primatum Petri.

e) Et quae S. Paulus dixit in epistola sua ad Ephesios: cap. 2, vv. 19-20 de apostolis non contradicunt verbis Domini Nostri supra citatis. Idem dico de verbis S. Ioannis in Apocalypsi cap. 21, v. 14.

15

EXC.MUS P. D. UBALDUS EVARISTUS CIBRIÁN FERNÁNDEZ

Episcopus tit. Bidensis, prael. null. Corocorensis

Liceat mihi magno cum plausu schemata constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* recipere, ea praesertim subsignando quae de Ecclesia ut Mysticum Christi Corpus dicuntur.

Indubium quidem est elementum internum, invisibile et charismaticum Ecclesiae, non fuisse, saeculis proximioribus, sufficienter excultum a theologis, cum revera maximi momenti sit tum ad comprehensionem adaequatam et genuinam essentiae ipsius Ecclesiae tum ad oecumenicam et pastoralem laborem fructuosius exercendam.

Velim tamen non inde contemptum vel minorem aestimationem sequi circa elementum alterum, visibile nempe, externum et iuridicum quod etiam essentiale est in Ecclesia Dei et quam maxime convenit modernis temporibus exhibere et dogmatice stabilire.

En argumenta:

Sunt hodie qui multa de caritate loquuntur, valores charismatici et invisibiles Ecclesiae panduntur et efferuntur, silentur vero vel in deterius proiciuntur, cum non aperte impugnantur, elementa iuridica et visibilia, quae ut quidam dicunt, praestantiam improbatam et iniuriosam intra Ecclesiam Romanam habent. Et hoc faciunt putantes sic melius pro causa pastorali et oecumenica adlaborari.

Iam talem habitudinem liceat mihi dicere neque pastoralem neque oecumenicam esse, quia obnubilat veritatem et damnum infert fratribus separatis. Quoad disgregatos enim, nihil melius fieri potest, praesertim a Concilio, quam eis caritate sed etiam claritate et veritate adloqui, quid nos eis consonet et quid ab eis nos alienet indicando. Proponere enim christianis omnibus ea quae sunt divinitus revelata ad Ecclesiae pastores maxime spectat, maxime quando in Concilio adunantur.

Quod attinet ad Ecclesiae constitutionem, haec sunt nobis clare et praecise statuenda:

1. Ecclesiam Corpus Christi Mysticum esse, stadio suo terreno et militante, societati visibili assimulatam supra Petrum ut fundamentum et super ceteros apostolos eorumque successores sub Christi Vicario constitutam.

2. Hoc esse mysticum et mysteriosum Ecclesiae, sacramentum magnum est perpetuationis et applicationis operis salvifici ipsius Christi, super paradigma Divinitatis et Humanitatis eiusdem structum, ideoque est unitas rei

visibilis et invisibilis, charismatici et iuridici, interioris et exterioris nec ullum horum duorum elementorum negari potest, quin ipsa Ecclesia negetur, neque dissociari, quin depravetur.

Hoc periculum subitur cum Ecclesia caritatis Ecclesiae iuris opponitur, illam extollendo cum huius detractione vel viceversa. Quia iuridicum et visibile Ecclesiae, charismatici et invisibilis vacuum umquam licet cogitari. Nam etiam externum et iuridicum, divinum et supernaturale est et ab ipso Spiritu Sancto vita afficitur, anima ipsius corporis in omnibus sensibus, et ipse Christus voluit coetum christianum quid unum sociale, organicum, visibile atque hierarchice constitutum esse, immo et unius auctoritati subiectum, illud vinculis exterioribus socialibus, praeter ea quae interiora sunt, conglutinando.

3. Nemo ergo minore reverentia loquatur de elemento iuridico Ecclesiae, de *iuridicismo,* ut dicitur, quia hoc elementum a Christo institutum ab ipso Spiritu Sancto est animatum. Haud infitiamur elementum internum Ecclesiae, seorsim sumptum, ontologice praevalere exteriori, sed duo attente consideranda et retinenda sunt: *a*) istam seclusionem non exstare revera in Ecclesia, quia elementum externum est etiam a Spiritu Sancto informatum; et, *b*) in ordine gnoseologico et quoad nos praestantius et maioris momenti esse conditioni sociali et visibili Ecclesiae elementum iuridicum et hierarchicum utpote eam constituens ut ens sociale vinculis socialibus determinatum.

Consentaneum et proprium igitur est, cum loquimur de Ecclesia militante, ut primas tribuamus partes conformationi exteriori et iuridicae, quia nobis facilior et, ex voluntate Dei, necessaria, sive voto sive re, ut interiora potiamur.

4. Nemo praeterea queratur pluris haberi hierarchiam aut clerum, quam populum, « clericalismum » personando, quia, ut est apud Canum, sententiam Divi Thomae et Aristotelis sequentem, verum atque praeclarum est illud dictum: civitatem id maxime esse, quod est in ea principale. Inde enim, quae principes ac gubernatores civitatis faciunt et sentiunt, ea civitas facere sentireque dicitur. Non est igitur cur in hac significatione Ecclesiae, supponendo pro hierarchia, vocabulum fideles perhorrescant; quod haeretici facere solent in odium ecclesiasticae potestatis, quam Christus non penes populares, sed penes Ecclesiae pastores ac sacerdotes esse voluit.

Probetur igitur schema summatim sumptum, quamvis, cum de singulis capitulis agendum sit, nonnullae innovationes immo et additiones fieri oporteat, maxime quod attinet ad Petri Primatum, de quo fere nihil dicitur.

16

EXC.MUS P. D. THOMAS COORAY
Archiepiscopus Colombensis

Ne tempus disceptandi nimis protrahatur observationes meas super schema *de Ecclesia* in genere in scriptis secretariatui generali trado.

Hoc tamen punctum velim sublineare. Optandum est ut in schemate clarius enucleetur doctrina de membris Corporis Christi Mystici quod est Ecclesia.

Quaestio est maximi momenti praesertim relate ad Oecumenismum. Nam, ex una parte fratres separati seu seiuncti sunt membra Corporis Christi Mystici, cum in Christo credunt et baptizati sunt. Ex quo oritur nova quaestio: ad quid tunc haec magna praeoccupatio de unione?

Ex altera parte, isti fratres separati non admittunt Primatum iurisdictionis Petri eiusque Successoris. Quomodo possunt esse membra corporis vivi, nempe Corporis Christi Mystici, si sint a capite separati?

Valde optandum est ut, his difficultatibus et emendationibus a diversis Patribus propositis bene perpensis, nova redactio schematis fiat antequam disceptatio habeatur hoc de schemate in proxima sessione, ita ut quam maxima unanimitas suffragiorum haberi potest in re tam magni momenti.

Suggestiones meas, sicut iam dixi, in scriptis trado.

I. *De Ecclesia*:

Introductio. Ecclesia si sit consideranda ut quid vivum et non mere iuridicum, certe agi debet de Ecclesia prout est Corpus Christi Mysticum.

Qua de re humiliter propono sequentem modum procedendi.

Membra Corporis Christi Mystici sunt omnes qui in Christo credunt et baptizati sunt:

1. Ex una parte, fides sine baptismo non sufficit; nam tantum qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Mc.* 16, 16).

2. Ex altera parte, nec baptismum sine fide supernaturali sufficit; secus baptizati qui damnantur essent membra Corporis Christi. Unde baptizati qui fidem negant vel perdunt, sunt membra non mere mortua, sed ab ipso Corpore Christi Mystico separata.

Unde membra Corporis Christi Mystici sunt: *a*) electi qui in caelo Deum vident: Ecclesia triumphans; *b*) animae in purgatorio patientes: Ecclesia patiens; *c*) fideles hoc in mundo certantes: Ecclesia militans vel peregrinans.

Quaestio nunc est tantum de Ecclesia militanti vel in hoc mundo degenti seu de Ecclesia visibili cuius membra sunt *omnes* baptizati in Christo credentes et adhuc in mundo viventes. (Sic loquendo evitatur iste clericalismus, iuridicismus ne dicam triumphalismus de qua quidam ex Patribus valde indignatus est, quia primo et non ultimo in loco loquimur de omnibus fidelibus in genere).

Sed statim oritur difficultas: si omnes baptizati et in Christo credentes ad Corpus Christi Mysticum pertinent — et ergo sunt in via ad salutem — ad quid ista magna quaestio et praeoccupatio de unione, de oecumenismo etc. Nonne possumus in pace relinquere fratres nostros separatos et simul nos ipsi in tranquillitate mentis vitam gerere?

Ad hanc difficultatem, sic censeo respondendum esse. Ecclesia visibilis prout a Christo condita, est societas organizata et quidem perfecta. Logice sequeretur tractatio

I. *De ipsa Ecclesia,* prout est societas visibilis;

II. *De hierarchia,* seu de Capite Corporis Christi Mystici;

III. *a*) *De Petro,* eius Primatu, eius Successore seu Romano Pontifice qui est Vicarius Christi,

b) *De Apostolis,* eorum successoribus seu episcopis;

IV. *De fidelibus,* seu alia membra Corporis Christi Mystici.

Sed quid tunc dicendum de fratribus separatis qui Primatum iurisdictionis Petri et eius successoris non admittunt. Quomodo possunt esse membra corporis vivi si a capite separentur?

Possumus respondere quod isti fratres separati qui bona fide vivunt, quamvis forsan de facto vel explicite Primatum Petri non admittunt, in voto vel implicite tamen id acceptant — aliis verbis, si scirent ita ordinatum esse a Domino id admitterent —. Conditio eorum erga Primatum esset sicut conditio erga baptismum ethnicorum qui secundum conscientiam recte vivunt.

Ergo propter ignorantiam excusantur, et per unionem in voto cum capite vicario habetur unionem de facto cum capite proprio seu Christo de cuius plenitudine tantum omnes accipimus, et gratiam pro gratia (*Io.* 1. 16). Sed, si scienter Primatum Petri non admittunt, vel eveniunt membra mortua ob peccatum mortale vel etiam possunt esse membra a corpore separata ob negationem fidei — nam, cum tantum credendo propter auctoritatem Dei revelantis habeatur vera fides, credendum est in omnibus a Deo revelatis et non in quibusdam tantum. Unde summopere certandum est pro unione omnium sub uno eodemque capite baptizatorum in Christo credentium ut fiat unum ovile sub uno Pastore, eodem modo ac summopere certandum est de conversione ethnicorum (qui aliter salvari possunt).

II. *De Relatione inter Ecclesiam et Statum.* Nodum difficultatis humiliter opinor, modo sequenti posse resolvere. Status ut societas naturalis, ex ipsa lege naturae tenetur Auctorem naturae colere secundum voluntatem ipsius Auctoris. Cultus autem Auctoris naturae seu Dei veri secundum voluntatem ipsius, docetur ab Ecclesia quam ipsemet fundavit. Unde obligatio Status ad colendum Deum secundum doctrinam Ecclesiae, et ad tuendam ipsam Ecclesiam in ordine temporali. Sic per se et obiective loquendo.

Sed per accidens et subiective loquendo sicut in casu hominis privati, ita etiam in casu Status, propter ignorantiam vel totalem vel partialem ipsius membrorum Status excusari potest a talibus obligationibus. Immo propter periculum dominationis Status super Ecclesiam — sicut saepe saepius in prae-

terito accidit — valde periculosum est pro Ecclesia esse sub tutela Status civilis, etiam in rebus temporalibus.

Unde cautissime est procedendum in casu, et modus agendi in praxi theologis relinquatur evolvendus sub ductu tamen prudenti magisterii Ecclesiae, ita ut ne quid detrimenti bonum commune totius Ecclesiae patiatur.

Unde votum meum humillimum est ut secundum ordinem et modum supra dictum schema recognoscatur, ante disceptationem in proxima sessione.

17

Exc.mus P. D. IACOBUS CORBOY

Episcopus Monzensis

Schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* certe magna cum cura fuit elaboratum et revera perplura egregie dicta continet. In aliquibus tamen deficit et quidem non tam in eis quae dicuntur quam potius in eis quae omittuntur aut nonnisi obiter tanguntur.

Missis reliquis, quae ceteroquin iam a pluribus Patribus fuerunt indicata, ipse de omissione expositionis systematicae illius qualitatis et notae Ecclesiae agere velim, quae tamen quam intime cum interna finalitate et ipsa essentia Ecclesiae cohaeret, de qualitate nempe sanctitatis.

Revera aliquomodo mirum est in hoc schemate *de Ecclesia* et in pluribus aliis schematibus affinibus valde explicite agi de unitate, de catholicitate, de apostolicitate Ecclesiae, nihil autem vel fere nihil, e contrario, hic inveniri de Ecclesiae Christi eximia sanctitate. Si talis omissio in quacumque expositione systematica ecclesiologica iam sat mirabunda esset, in hac nostra expositione conciliari certe admitti nequit, cum finis Concilii in eo quoque consistat ut hominibus nostrorum temporum pulchritudinem Ecclesiae proponamus et eos auctoritate Christi ad maiorem intelligentiam et amorem sui Corporis Mystici excitemus. De sanctitate Ecclesiae ergo sine dubio agendum nobis erit et quidem in specie de sanctitate personali ad quam singuli homines in Ecclesia vocati sunt, et quam perplura quoque membra Ecclesiae praecise qua talia in matura plenitudine possiderunt ac possident.

Varias quidem ob rationes Ecclesia Christi sancta dicenda est: ob institutionem divinam, ob finem, ob doctrinam, ob cultum, ob media salutifera, sacramenta imprimis, *ast ultimatim sanctitas Ecclesiae in sanctitate membrorum eius consistit* cui reliqua omnia tamquam media ad finem subordinantur.

Ecclesia enim qua societas supernaturalis hominum intantum sancta dicitur et est inquantum homines in ipsa Christo reapse aduniantur et eius Spiritu vivificati libere et personaliter Deo, sicut oportet, adhaereant.

Hinc autem intelligitur curnam Christus omni in loco et quovis tempore viros ac mulieres cuiusvis status ac conditionis in Ecclesia sua suscitaverit, quae modo revera praeclaro ac eximio hanc sui Mystici Corporis sanctitatem

non solum constituerent sed, accedentibus signis miraculosis, ipsam quoque coram humanitate integra authentice repraesentarent.

Cui intentioni Christi obsecundantes, profecto in hac constitutione de Corpore eius Mystico non solum de illius sanctitate sed etiam de hisce praeeminentibus Corporis Mystici membris data opera agere debebimus, quae in Ecclesia iam ab immemorabilibus temporibus nomine « Sanctorum » honorantur.

Ideo non solum propono ut huic constitutioni dogmaticae *de Ecclesia* addatur speciale caput de Ecclesiae sanctitate, sed etiam ut in hac expositione ecclesiologica systematice exponantur quaenam sint functiones sanctorum in Ecclesia Dei, quaenam sint mutuae relationes inter membra Ecclesiae terrestria et caelestia et quibusnam de causis cultus quoque noster christocentricus et theocentricus omni debita plenitudine pollere nequeat nisi harum relationum nostrarum cum sanctis Dei non solum in commemorationibus sed et in ipsorum invocationibus publicis ac privatis rationem habeamus.

18

Exc.mus P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI

Episcopus Suessanus

I. Circa schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* haec animadvertenda censeo:

1. Quoad doctrinam expositam schema bonum est: praecipua enim quae de Ecclesia dicenda sunt, recte revocat vel sat clare determinat.

2. Placet quod in constitutione dogmatica principia ponantur quae determinant divinam et immutabilem institutionem episcopatus a Christo factam, quod episcopi iure divino collegio apostolico succedunt, quod quidem collegium in universum — una cum capite Petro — suprema pollet potestate doctrinali et regiminis in Ecclesia, et infallibilitate qua tale gaudet in rebus fidei et moribus.

3. Ad caput tamen, de episcopatu agens, perutile erit immo necessarium clarius quid dicere non solum de episcoporum potestate, sed etiam de structuris ab ipsa Ecclesia promanantibus, sive venerabili quadam traditione, sive utilitate ipsius Ecclesiae decursu temporis id exigente, ex. gr. de cardinalatu, de patriarchis, de archiepiscopis, metropolitis, etc.; in hac parte optimum erit desideria episcoporum rituum orientalium quam maximi facere.

4. Placet insuper quod claro sermone *de statibus perfectionis acquirendae,* tandem solemni hoc documento agatur, divino fundamento ex verbis Domini deprompto. Etenim cum intentio Concilii sit vultum Ecclesiae integrum et genuinum mundo praesentare, et sat multa de laicis eorumque activa functione in Ecclesia dicantur, absonum esset de statu religioso nihil dicere qui quidem in Ecclesiae vita tantam partem habet eo vel magis quia religiosi

cuiusvis Instituti, de facto verum Oecumenismum professi sunt, atque conspicuum pastorale opus expleverunt et explent, praesertim per missiones inter infideles, quarum magna pars ab ipsis sustinetur.

Circa doctrinam de episcopatu deque eiusdem collegiali infallibilitate, in nova schematis emendatione, componantur quaeso, quae de re in cap. IV constitutionis habentur cum his quae in cap. VII, fol. 46, n. 28, et fol. 49, nn. 25-35 leguntur.

Hoc valde necessarium est ne qui, ut audivimus, putent doctrinam theologorum et episcoporum Ecclesiae, ritus latini, non admittere infallibilitatem episcoporum collegii in exercitio magisterii ordinarii Ecclesiae.

Dum e contra apud omnes viget doctrina asserens: episcopos, cum unanimiter — idest in sua generalitate — docent aliquid fidem vel mores attingens, de infallibilitate Ecclesiae participare, ideo Spiritus Sancti lumine et adsistentia regi, ita ut, in doctrina fidelibus ab eis proposita una simul cum episcopo romano, error inesse nequeat.

Infallibilitas tamen personalis singulis episcopis, singillatim sumptis, non competit, uno excepto episcopo romano, Petri in episcopatu successore.

Clare denique pateat et clarius adfirmetur infallibilitatem minime esse in commoditatem eorum qui ea pollent (Romani Pontif. et episcopor.), verum *in servitium totius Ecclesiae,* immo et totius humanitatis a Christo redemptae, ut, in indefectibili veritate, viam salutis ab ipso Domino Iesu Christo signatam, securo pede percurrere valeant.

II. Ut autem quaedam dissentiones possint componi haec proponere audeo:

1. Schema magis syntheticum sit, et etiam citationes ex S. Scriptura magis sobriae et aptae sint.

2. Quaedam locutiones praesertim figuratae, etsi e Scriptura desumptae, quae hodie parum placent, commode omitti poterunt. Bene autem adhiberi possunt multae aliae expressiones et figurae S. Scripturae quae ad multiplices aspectus Ecclesiae illustrandos pulchrae et aptae sunt: ut *convivium* in quo exigitur vestis nuptialis caritatis; *nuptialis comitatus* ad Christum, ad quem omnes homines invitantur at admittuntur dummodo lucernas, *oleo caritatis ardentes,* deferant; *efficax fermentum quod,* calore caritatis accedente, *totam mundi massam* movere debet; vel *virentissima arbor* supra cuius ramos solamen et pax ab hominibus haberi potest, etc.

3. Clare disponatur tractatio doctrinalis *seiunctim ab expositione pastorali,* ita ut in unoquoque capite *duae sectiones habeantur*: doctrinalis prima, oecumenico-pastoralis altera. Fatendum enim recentiora studia tam proficua ac fecunda de Corpore mystico, maximum momentum et calorem oecumenicum praeseferunt, dum maior claritas et maior connexio inter varia capita haberetur et omnis fundatus timor de extenuatione revelati veri evanesceret.

Tali modo habebimus prospectum adaequatum de Ecclesia, supremis principiis fidei innixum, et apostolicae activitati ipsius Ecclesiae bene apertum.

III. Claritatis ergo causa quaedam recolere breviter necesse esset.

1. Finis supremus omnium rerum, hinc et hominum, gloria Dei est per Christum.

2. Hominum salvatio tantum per gratiam Christi haberi potest. In hoc ergo divino Providentiae ordine, necessaria est, et quidem necessitate medii, coniunctio cum Christo.

3. Talis coniunctio pro omnibus exigitur et pro his qui in fide Christi venturi salvi facti sunt, et pro iis qui post eius adventum fuerunt, sunt, et erunt.

4. Attamen in hoc actuali ordine Providentiae, cum non agatur de re naturali, sed de positiva voluntate divina, sedulo attendendum est ad positivam Christi dispositionem, scilicet quid Christus voluit, quid Christus statuit.

Si quis vero etiam hodie, post 20 saecula a fundatione, Ecclesiam interrogare vult « quid de seipsa sentiat » et forsan respondere debet: « Philippe, tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me? », — responsum aliud nequit esse nisi: « Sum Christi sponsa, talibus ornamentis et characteribus induta, quibus ipse et ipse solus me ornatam et constitutam voluit ». — Non ergo videndum est quaenam Ecclesiae constitutio placeat hominibus hodierni temporis, verum quomodo ab eius divino Fundatore et Auctore compaginata sit.

5. Patet vero evidentissime Ecclesiam volitam esse a Christo *societatem veri nominis, visibilem in sua structura sociali*: auctoritate et multitudine (apostoli, et turbae, inter apostolos caput Petrus).

Visibilem in mediis sanctificationis quae sunt Sacramenta: signa sensibilia et visibilia invisibilis gratiae.

Sacrificium visibilibus signis et actionibus mystice Christi sacrificium in Cruce iugiter renovans.

Visibilem in mediis propagationis: quae sunt praedicatio, et sub aliquo aspectu ipsae actiones liturgicae, documenta et monumenta quae de Ecclesia testimonium reddunt.

6. Verum est quod iste apparatus socialis est tantum pro phase terrestri Ecclesiae; in phase enim caelesti haec omnia non amplius erunt; sed nobis directe munus incumbit de terrestri phase Ecclesiae loqui. Ceterum nec Sacramenta, nec ipsa fides et spes necessaria erunt in caelesti regno, dum in hac vita sine ipsis placere Deo nequaquam possumus. Insuper pastoralis nostra cura *non caelites beatos respicit,* sed homines qui sunt in mundo, quos oportet ad patriam recte et secure perducere.

7. Hinc structura Ecclesiae peregrinantis in mundo revocata et in tuto posita, clara explicatio descendit de elementis constitutivis ipsius societatis (auctoritas et multitudo), quae elementa *ambo* sunt necessaria, quia vera societas « regnum Christi » sicut nequit exstare sine auctoritate, ita *nequit existere sine multitudine* seu populo Dei.

Hinc logice agendum est in constitutione *de Ecclesia* de iuribus et officiis auctoritatis (De suprema auctoritate scilicet de Romano Pontifice, de quo

egit Concil. Vat. I, et de episcopis) quae Ecclesiae auctoritas ab ipso Christo habet determinata munera: *docendi* (cum praerogativa infallibilitatis); *sanctificandi,* per potestatem Ordinis (cuius summus gradus unice episcopatus est); *regendi* per Petrum et collegium apostolorum eidem coniunctum.

8. Certissime auctoritas in Ecclesia constituta est tantum ad finem ipsius Ecclesiae consequendum, ut scilicet ipsa auctoritas *inserviat,* pascat, dirigat populum christianum, ut voluntates omnium fere in unum reducat, ut adhaereant Christo eidem, amore permotae, inserviant, ut credentes, caritatis vinculo coniuncti, Christo testimonium reddant, ut adlaborent et ipsi, caritate permoti, ad integrum corpus mysticum Christi efformandum, ut illa plenitudo Christi mysterium Ecclesiae quam citius in mundo habeatur.

9. Ista puncta, summario modo revocata (quae ceterum substantialiter immo fuse sunt in constitutione dogmatica *de Ecclesia*) mihi videntur omnibus nobis communiter recipienda et profitenda expresse.

10. *Conclusio*: In constitutione, synthetice maneant omnia quae agunt de auctoritate Ecclesiae, de magisterio infallibili, de primatu, de divina potestate episcoporum sub Petri ductu exercenda, quae in concreto *unam partem essentialem Ecclesiae* respiciunt; item et de *altera essentiali parte* agatur: de populo sancto Dei, cum hoc magis requiratur a temporum nostrorum condicionibus. Ita clare patebit quomodo omnes et omnia, et potentialiter vel iam, ex parte, actualiter ad Christum pertineant, Christus autem Deo, iuxta S. Pauli verba.

Hoc modo, tuta, integra, et immutabiliter servata veritate de Ecclesiae structura, magisterio, infallibilitate, auctoritate, laeto et securo pede, possumus ulterius progredi, sine timore, ad nova theologiae pastoralis studia amplectenda, quae studia clariorem lucem de illa mirabili et necessaria coniunctione hominum omnium cum Christo proferunt, ut in omnes et in omnibus ipse Christus sit. Idcirco schema propositum emendetur iuxta plurimas animadversiones quae a PP. factae sunt, ita emendatum quamprimum universis episcopis et Patribus mittatur ut ipsi, ante novam sessionem illud commode examinare valeant.

Tali modo, rebus compositis, nulla videtur ratio novum schema condendi, de quo rursus essent disceptationes sine fine noviter instituendae.

Hinc toto Concilio in pace composito in hac prima sessione pergaudiose celebrabimus cum plebe sancta Dei solemnia Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, sicut omnibus venerabilibus Patribus et dilectis Observatoribus liceat et mihi ominari.

19

Exc.mus P. D. IULIUS VICTOR DAEM

Episcopus Antverpiensis

1. Scopus huius pertractationis.

Concedere velitis alicui confratri qui per triginta annos de studiis et de rebus paedagogicis et didacticis cogitavit, quaedam utilia proponere in ordine ad textuum redactionem.

Oportet semper prae oculis habeamus in laboribus nostris, nempe in textibus ordinandis, eos ad quos resolutiones nostrae destinantur et praesertim mentem eorum. Critica inquisitio et reiectio schematis ad propositum nostrum nihil conferunt nisi adiiciatur positiva propositio et sane emendetur.

Ad acta conciliaria quod attinet, ni fallor, his praesertim duabus exigentiis satisfacere debent: 1) tota veritas, etiam aeterna, integre in lucem ponenda est; 2) problemata ad Concilium allata sub eorum aspectu hodierno tractanda sunt.

Nostrum igitur est doctrinam modo organico et adaptato praesentare ita ut nostrates, mente sua specifica imbuti, eam plane intellegere possint. Ad hunc fructum laboris devenire poterimus si materiae synthesim ita exponimus ut omnes eius aspectus fundamentales clare et nitide exponantur et si in disceptatione et redactione semper memores sumus quaestionum quas ipsi nostrates ponunt relate ad ipsum mysterium Ecclesiae.

Iam plurimi ex Patribus professi sunt sibi esse curae Concilium illis exigentiis invigilare. Liceat et mihi in hoc punctum fundamentale de necessitate alicuius didacticae religiosae insistere. Prae oculis semper teneatur paedagogiam non tantum in verbis sed in rebus praeponendis consistere. Res synthetice et complete proponantur. Verba sint mentibus adaptata et facile intellecta.

Cum cap. I nostri schematis ad meliorem synthesim magis vividam et magis completam et quasi novam reduci possit, propono vobis ut mentis meae illustrationem, has sequentes explanationes quae latius evolvi possent. Insistam in aspectum quem nostrates in mente habent, scilicet ipsam vitam, mysterium. Nullo modo aspectum « signi inter Gentes erectum » neglegere volo.

2. Nova synthesis cap. I.

A) Christus semper vivus et operatio Spiritus Sancti. Ecclesia a Christo instituta ab apostolis diffusa est. Ecclesia post resurrectionem et ex resurrectione Christi orta est. Ut testatur in primis capitibus Actuum Apostolorum, statim post ascensionem Iesu, apostoli et discipuli Ierosolymis in unum conversantur. Apostolis Christus resuscitatus « praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei » (*Act.* 1, 3). Petrus a prima sua praedicatione coram

Iudaeis resurrectionem ut punctum saliens novae oeconomiae extollit: « Hunc Iesum resuscitavit Deus cuius omnes testes sumus » (*Act.* 2, 32). Illa vero exaltatio ad dexteram Dei secum ferebat effusionem Spiritus Sancti ita ut elementum primum et constitutivum novae societatis sit donum Spiritus Sancti a Christo promissum et die Pentecostis datum. Praesentia et actio Spiritus Sancti multoties apparent in Actibus Apostolorum et in litteris S. Pauli atque ita cum vita Ecclesiae primitivae connectuntur ut communitatis doctrina, vita et munera nullam aliam fontem habere possint quam Spiritum Sanctum qui eam sanctificantem constituit.

Hoc elementum singulare ac fundamentale characterem confert unicum et proprium ipsi Ecclesiae. Constituitur enim Ecclesia ex hominibus et ab hominibus gubernatur, sed eius origo et natura sunt divinae atque eius munus est servitium humanum in favorem divinisationis vitae humanae.

B) Indoles humana et divina Ecclesiae. Hoc mysterio profundo ac specifico Ecclesiae prae oculis habito, realitas sub diversis eius aspectibus ut factum nitide perspici potest cum eius consectariis in efformanda nova communitate.

Est Ecclesia terrestris sed est praesertim caelestis eo quod vitam divinam transmittit, quod huius vitae sustentationem et incrementum per sacramenta tuetur et ad vitam beatam homines adducit.

Vivit Ecclesia in historia sed ex historia emergit eo quod plenitudo eius facta hominis transcendit et ad revelationem completam gloriae Dei in Parousia adducet.

Ex his notis Ecclesiae apparet quanta sit una et unificans. Omnes homines per ipsam participes efficiuntur donorum Spiritus Sancti, liberalitatum Dei ineffabilis, Redemptionis Iesu Christi ac promotionis personae humanae quae per elevationem ad vitam supernaturalem efficitur.

Et ideo Ecclesia universalis nullam distinctionem facit inter homines quacumque oriantur tribu et natione, et remanebit missionaria usque ad acceptationem ab omnibus hominibus boni nuntii a Christo praedicati.

C) Symbola Ecclesiae. Ut vero hae realitates plenam efficaciam apud populos attingere possint, virtute alicuius paedagogiae omnibus gentibus et temporibus adaptatae, Auctores sacri sub motione Spiritus Sancti aliqua symbola nobis tradiderunt. Haec vero non tantum sunt imagines, sed sub symbolis veritas sic latet ut tantum decursu saeculorum et investigatione magisterii plane elucescat.

Haec symbola lumine Sacrae Scripturae retineantur: Ecclesia est populus Dei, populus novus fundatus in sanguine Christi; est aedificium novum, templum Spiritus Sancti cuius faber omnes sua vita implet. Est corpus mysticum Christi, cuius membra functionibus diversificantur sed eandem vitam a capite profluentem possident. Est ovile ad quod omnes homines vocantur, cuius bonus pastor est ipse Christus.

D) Factum eschatologicum et hierarchicum. Essentia, qualitates, symbola Ecclesiae Christi hoc patefaciunt quod fundatio et institutio Ecclesiae unici-

tati et sublimitati facti singularis et fundamentalis Incarnationis Filii Dei participant, « in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum » (*Col.* 1, 14).

Plenariae revelationes mysteriorum divinorum actuationem praebent ita ut actus definitivos historiae Dei inter homines efforment. Et ita apparet Ecclesia ut locus adimpletionis promissionum Dei hominibus pro ultima et definitiva phasi historiae humanae, et sic constituitur illa nova eschatologia cuius initium in Christo cognoscimus cuiusque finem speramus. Hic eventus cuius dimensiones sunt immensae, societati hierarchicae concreditus est, id est Ecclesiae, nempe collegio apostolorum sub primatu S. Petri eiusque successoribus. Illis munus docendi, sanctificandi et regendi ita collatum est, ut doctrina integra servetur et ut vita divina efficax permaneat.

3. Nota paedagogica.

Optare audeo ut in textibus conciliaribus componendis semper prae oculis habeamus bonum spirituale illorum quibus destinantur, id est omnibus Ecclesiae membris. Oportet simplices fideles sicuti docti theologi in his lumen et virtutem pro sua vita invenire possint. Hic vero finis, ni fallor, attingi potest si omnia elementa syntheseos sine artificio rhetoricae clare exponuntur. Oportet synthesis sit completa ita ut homines originalitatem et novum characterem facti christiani et ecclesiastici percipiant, et ita in hac docrina vim supernaturalem vitae et actionis inveniant.

Postremo, et sic concludo, oportet nostri textus sic conficiantur ut constituant testimonium et bonum nuntium in quibus doctrinarum nostrarum veritas et certitudo cum aspirationibus hodiernis uniantur.

Post lectionem definitivi schematis *de Ecclesia* omnis homo bonae voluntatis, qui sine praeiudicio est, seipsum interrogare deberet, et a se postulare an vita sua efficacior, pulchrior, felicior non evaderet si, nuntio et voluntati Christi sese subiiciens, ad thesauros ineffabiles accessum haberet per unam, sanctam, apostolicam, catholicam Ecclesiam.

20

EXC.MUS P. D. MICHAEL DARMANCIER

Episcopus tit. Auguritensis, vic. ap. Insularum Vallis et Futuna

De capite « de Magisterio » schematis decreti de Ecclesia.

De Ecclesia, eius munere doctrinali praetermisso, disseri non potest; unde reperiens in hoc schemate ecclesiologico caput de magisterio tractans gavisus sum. Quod tamen gaudium breve fuit: in huius enim capitis textu duos saltem graves defectus reperi.

1. Huic capitulo insunt graves confusiones. Sic, pag. 46, linn. 15-23, indistincte tribuitur infallibilitas apostolis eorumque successoribus, eodem modo ac titulo, unde sequeretur quemvis episcopum esse « in docendo in-

fallibilem » perinde ac Summum Pontificem. Inadvertentia quaedam imputari debet vel mihi legenti vel auctori scribenti.

Sed gravior et profundior videtur defectus distinctionis inter theologorum asserta dogmatica et mentis habitus, vulgatas phaenomenorum explicationes, systematicas scientiarum aut philosophiae expositiones mundi, aliaque contingentia elementa quorum ope fides, pro mente hominum in diversis aevis et terris viventium, exponitur ac evolvitur.

De illis enim contingentibus elementis sicut in fide et theologia proprie dicta consentire possunt theologi per saecula et per totum orbem catholicum, illa intimius coniungentes cum dogmatibus, quin exinde oriatur quaevis certitudo de illorum veritate, etsi concludi potest fidem ex illis detrimentum non timere. Sic, usque ad saeculum XVI, unanimiter docuerunt theologi terram centrum universorum esse, unde Galileus quidam satis notas difficultates cum sancta Inquisitione expertus est.

Alia tandem confusio ecclesiologicum, ut ita dicam, monophysismum sapit. Legimus enim, pag. 46, linn. 26 et 27: « Magisterium qui audit, non homines, sed Christum docentem audit ». Omnino quidem assentio Christo in Evangelio affirmanti: « Qui vos audit, me audit ». Non tamen dixit Dominus: « Qui vos audit, non vos audit ». Qui audit magisterium, Christum per os hominum loquentem audit, qui homines liberi sunt et mente iam multis informata accipiunt ac transmittunt Verbum Dei. Non potest humanum instrumentum doctrinae Christi de suo nihil admiscere, cum, in quavis instrumentali operatione, instrumenti natura et qualitas non possint mutari quin effectus mutetur. Idem scriptor duabus diversis machinis dactylographicis utens paginas diversae formae scribet; et quo magis vivens et conscium est instrumentum, eo magis operi proprium characterem imprimet.

2. Ubi duo saltem rerum aspectus considerandi essent, eorum uni tantum aliquando attenditur.

Sic, pag. 50, ubi agitur de assensu interno decisionibus doctrinalibus Sacrarum Congregationum praestando, iuribus veritatis aliunde cognitae nihil conceditur. Licetne talem veritatem humanam abnegare ad assentiendum contrariae doctrinae magisterii, quando haec doctrina infallibilitate non pollet?

Verbi gratia, quomodo exegeta in critica textus versatus potuisset interne assentire illi S. Officii decreto de Commate Ioanneo cui postea Commissio Biblica novam et evidentiae textuali non repugnantem interpretationem imponere debuit?

Necessarium ergo videtur huic legi de interno assensu Sacrarum Congregationum decretis praestando quoddam « nisi » apponere, sicut in permultis Iuris canonibus apponitur, scilicet « nisi obstent rationes proportionate graves » vel saltem « nisi obstent gravissimae rationes ». Non enim expedit ut fides catholica videatur quasi necessario intellectuali improbitati seu, ut aiunt, « malae fidei » connexa. Nec prodesse potest Ecclesiae docenti quod philosophi, historici, diversarumque scientiarum periti saepius cogantur eligere inter negationem alicuius certitudinis propriae intellectualis disciplinae et ne-

gationem oboedientiae ecclesiastico magisterio *fallibili* debitae. Tales conscientiae conflictus, quantum fieri potest, sedulo praecavendi sunt.

Quomodo autem illos praecavebit Magisterium nisi summam et constantem curam habeat *audiendi* et intellegendi laicos peritos, praesertim christianos, ac etiam illos christifideles qui vitae publicae intersunt et difficultates, obiectiones, interrogationes, necessitates circumstantis mundi exprimere possunt? Aliis verbis, ut possit veriora et aptiora dicere, magisterium debet laicos, praesertim peritos publicisve negotiis quovis modo incumbentes *audire*.

De hoc tamen gravi officio praesens schematis caput tacet, etiam datis loquendi occasionibus, ut bis dantur, scilicet in pag. 51, linn. 28-31 et § 34.

Conclusio. In hoc « de magisterio » capite, doctrina catholica modo non satis recto et enucleato exponitur, unde multae contentiones et difficultates intra Ecclesiam assurgere praevidendae essent. Quid autem dicam de obstaculis quae talis textus poneret in via unionis omnium christianorum, non tantum refellendo errores, quod est omnino legitimum ac etiam necessarium, sed etiam legitima desideria offendendo et spem optimam exstirpando? Talem textum Concilium sua auctoritate sancire non posset, quin deinceps Ecclesia videatur intra muros inclusa, antiquorum thesaurorum avara et aspera custos, nulloque modo sollicita de aliis hominibus, etiam in Christo credentibus. Non utique firmitatem in fide doleo, sed rigidiorem loricam, in aevo quidem atomico antiquatam, ab eius pectore avelli rogo, memor victoriae quam olim reportavit quasi inermis David de Goliath loricato armisque onusto.

Quapropter propono hoc caput penitus recognosci.

21

Exc.mus P. D. EUGENIUS DE ARAÚJO SALES

Episcopus tit. Thibicensis, adm. ap. Natalensis

Ad schema *de Ecclesia,* reverenter sequentia propono:

I. Extraordinarium est momentum opinionis publicae quae pondus quasi tyrannicum habet in agendi ratione individuorum et societatum. Schema *de Ecclesia,* in cap. VIII, n. 39, pag. 62, de hac materia tractat potius negative, ad Ecclesiam tuendam. Propono opinionem publicam, ut efficiens et bene ordinatum medium ad veritatis et Evangelii diffusionem, in schema evidentius apparere. Propositio poni posset inter linn. 22 et 24.

Ratio huius propositionis comprobari potest in multis allocutionibus SS. P. Pii XII.

II. Saepe veritas de charactere communitario Ecclesiae in mente manet, in iuridicis adspectibus tecta. Vivere in communitario animo essentiale est aetate nostra magis quam praeteritis temporibus, ob mundi moderni naturam.

a) Sine vera communicatione bonorum inter hierarchias, nationes et continentes, difficilius poterit militans Ecclesia rapide et iuste quaedam pro-

blemata solvere. Civilium gubernatorum exemplum premere debuerat quamdam animi mutationem apud ecclesiasticos moderatores. Ecclesiae bona circulari debent. In dioecesium tabula, scandalosae inaequalitates sunt. Dum in quadam dioecesi ad consuetudines et humanas traditiones curandas, sacerdotes sunt multi in plane secundariis locis, aliis in partibus, idem Mysticum Christi Corpus fame deficit quia sacerdotes non sunt ad vitalem Evangelii cibum distribuendum. Exempla quae inter se aliquae dioeceses incipiunt Concilium laudare et incitare deberet ut caritatis et iustitiae officium intra Mysticum Christi Corpus.

b) In militanti Ecclesia, multi labores perduntur quia ordinatio secundum eorum momentum non est. Sine ordine inter conatus ad fines essentiales obtinendos, conamina multa amittuntur sine essentialibus effectibus. Momenti apostolici aestimatio ordinarie iudicio personali et haud raro subiectivo subiicitur. Exempli gratia, temporibus nostris consumitur pecunia multa in ecclesiis, aliquando sumptuosis, exstruendis, sed alia media ad Evangelii traditionem sunt quae priorem locum exigerent. Debuerat Concilium monitionem facere ut in laboribus apostolicis obiectiva in finibus ordinatio observaretur.

c) In Ecclesia difficultates maiores in animo leges observandi inveniuntur. Exsecutio conclusionum Concilii valde adiuvabitur si, in Mystici Christi Corporis doctrina, firmentur hae notiones de finium ordinatione, de intercommunicatione bonorum intra Mysticum Christi Corpus, in animo communitario vivendi et non simpliciter credendi. Propono ut explicetur in cap. I, n. 6, pag. 11, obligatio ut in vita apostolica totius Ecclesiae servetur: 1) intercommunicatio bonorum, 2) ordinatio finium in laboribus (lusitana lingua: Hierarquização de metas apostolicas), 3) sensus boni communis supra propriam commoditatem.

Doctrina, sic explicitior effecta, Ecclesiae dabit immensas possibilitates ut multa hodierna problemata solvantur.

22

Rev.mus P. D. OMER DEGRIJSE

Superior generalis C.I.C.M.

1. Primo considerationem quandam generalem praemittimus.

Patres Conciliares pro certo habent finem Concilii Oecumenici Vaticani II, ad mentem Summi Pontificis, esse indolis pastoralis: revirescentiam nempe Ecclesiae eiusque adaptationem quod attinet formulationem doctrinae et methodos apostolatus, ita ut plenius missionem suam adimpleri possit in mundo hodierno, uno verbo Ecclesiam praesentem sistere mundo actuali. Porro, aliquid huiusmodi videtur deesse coetui conciliario.

Etenim, ut sciatur quaenam ab Ecclesia danda sit responsio mundo actuali

quibusnamque methodis, coetus conciliarius cognoscere debet qualis sit status Ecclesiae in mundo hodierno, quaenam problemata, multa ac magna, ei ponantur, quidnamque mundus expectet ab Ecclesia. Pauci tantum Patres satis esse conscii videntur istarum quaestionum. Quare desiderium promere vellem ut nonnulli periti in campo sociologico-religioso et pastorali conficiant atque Patribus conciliaribus proponerent conspectum generalem problematum sequentium:

Ecclesia in occidente christiano et in America Latina;

Ecclesia et mundus communisticus qui involvit tertiam partem generis humani;

Ecclesia et christianitates non-catholicae;

Ecclesia et religiones non-christianae. Maximi momenti enim est evolutio demographica nostri temporis: numerus generis humani nunc fere 3.000.000.000, saeculo exeunte erit 6.000.000.000 quorum longe maior pars erunt pagani. Ecclesia rationem habere debet huius evolutionis demographicae.

2. Patres conciliares omnes consentiunt schema principale tractandum in sessionibus esse schema *de Ecclesia,* quod praecipue agit de natura et missione Ecclesiae. Multi Patres aestimant thema principale huius schematis, et inde problema capitale, esse quaestionem de episcopatu. Dogmatice loquendo, hoc negari non potest. At, pastoraliter loquendo, ut opinor, res ita non se habet. Etenim, si Concilium Oecumenicum Vaticanum II ante omnia est concilium pastorale, tunc arbitror thema principale esse quaestionem de laicis. Concilium Vaticanum II ante omnia notum sit ut Concilium laicatus in Ecclesia.

Aliquibus animadversionibus ideam meam patefacere conabor:

a) Situatio concreta Ecclesiae ita exigit.

Status Ecclesiae in multis regionibus iamdiu christianis Europae vel Americae Latinae nobis angorem iniicere debet propter processum dechristianizationis, propter laicismum, materialismum, humanismum paganum ibi grassantes. Mundus mere naturalis, tam in ambitu nationali quam internationali, est in fieri. Unde Ecclesia magis magisque fit pars minor.

Nec minor difficultas videtur esse status Ecclesiae adversus periculum communismi mundialis qui iam tertiam partem generis humani suo imperio subiugavit.

Magnum problema deinde invenitur in evolutione vel potius explosione demographica generis humani: nunc adsunt 3.000.000.000 hominum, quorum tantum 17 p. c. sunt catholici. Hoc saeculo exeunte aderunt 6.000.000.000 quorum probabiliter tantum 14 p. c. erunt catholici. Numerus acatholicorum in dies crescit, dum Ecclesia semper retrogreditur et minus minusque adimplet munus a Divino Redemptore ei collatum.

Exinde patet conclusio: Si Ecclesia missionem suam adimplere vult in mundo hodierno, tunc haberi necesse est conversionem radicalem in methodis, rationibus viisque apostolatus quam quasi « revolutionem » dicam. Circumstantiis enim historicis foventibus, in Ecclesia orta est conditio qua re-

sponsabilitas missionis Ecclesiae de facto et effective a minore parte suorum membrorum portatur: hierarchia, sacerdotibus, religiosis, membris Actionis Catholicae. Large maior pars membrorum Ecclesiae passive se habet, apostolice inefficiens est, ignorans suam corresponsabilitatem. Si nostris diebus Ecclesia munus suum adimplere vult, una sola solutio praesto esse videtur: ut omnes Christi fideles, vi sacramenti baptismatis, active cooperentur apostolatui Ecclesiae, ut hi omnes reminiscantur muneris sui apostolici. Tota Ecclesia, in omnibus suis membris, vocata est ad prosequendam triplicem missionem Salvatoris. Ad Ecclesiam « in statu missionis », in omnibus suis membris, totis viribus tendere debemus.

b) Theologia hodierna bene inspexit hanc esse S. Scripturae Sanctorumque Patrum doctrinam, quam cap. VI schematis *de Ecclesia* feliciter edocet. Sed schema lucidius adhuc posse explicitare, opinor, hic agi de quaestione maximi momenti. Declarari oportet insuper hanc doctrinam, serie acceptatam, necessario ducere ad revisionem totius theologiae pastoralis, utputa paroecias, scholas, catechesim, liturgiam, instituta apostolatus laicorum et profundiorem formationem religiosam: haec omnia sine dubio adaptanda sunt huic doctrinae fundamentali. Quae insuper supponit immutationem methodi sacrae praedicationis necnon habitus cleri versus laicos, adaptationem formationis in seminariis, apostolatus religiosorum utriusque sexus.

3. Nonnulli Patres Conciliares votum emiserunt ut cap. VI remittatur ad schema *de laicis* (XII). Quod mihi tamen incongruum videtur:

agitur nempe de aliqua fundamentali Ecclesiae proprietate, quae proinde tractanda est in schemate *de Ecclesia*;

munus apostolatus et activitates apostolicae laicorum nituntur doctrina dogmatica sacerdotii universalis fidelium. Quae, si tractaretur extra decretum *de Ecclesia,* in mente legentium sine ullo dubio maximum suum valorem amitteret. Munus autem apostolatus omnium baptizatorum proponendum est ut corollarium doctrinae de Ecclesia.

4. Quaedam puncta particularia adiungere liceat:

Formulatio pag. 37, lin. 9: « proprii quoque nominis sacerdotii sunt » videtur supponere universale sacerdotium fidelium improprium esse tantum et metaphoricum.

Ad n. 23: Nimis innititur iuribus et privilegiis laicorum, dum parum agitur de eorum officiis in Ecclesia. Quaestionem ponere vellem an hic non sit locus loquendi de omnium baptizatorum vocatione ad apostolatum necnon de gratia omnibus collata ut recte huic vocationi respondere possint. Ista verba utilissimam adhortationem omnibus sacerdotibus afferrent ut hi missionem laicorum in Ecclesia facilius admittant et ut melius intelligant missionem proprie sacerdotalem esse laicorum apostolicam animationem.

Ad n. 24: Valde gavisus sum de facto quod hic diserte declaratur primum et primordiale officium laicorum esse officium evangelizandi, i. e. officium exercendi alicuius apostolatus directe vel indirecte religiosi! Necessarium

est enim hoc aperte affirmari quia a nonnullis in Ecclesia aspectus mere socialis et mere humanus apostolatus laicorum nimis accentuatur.

Ad n. 27: Votum emitto ut hic sollemniter declaretur totam Ecclesiam, in omnibus suis membris, ponendam esse « in statu missionis »; hanc esse quaestionem summi momenti, et tantummodo, hac transformatione peracta, Ecclesiam fore aptam ad adimplendum munus suum evangelizationis in mundo hodierno.

Animadversiones ad schema de Ecclesia: *Cap. X.*

Hoc caput minus placet: caret enim sufficienti spiritu apostolico, caret sensu vere ecclesiali, immo non concordat cum doctrina cap. VI.

1. Dogmatice loquendo, minus rectum videtur solummodo in fine decreti *de Ecclesia* agere de munere evangelizandi, quod est primum et primordiale officium Ecclesiae. Etenim natura Ecclesiae definitur a missione et fine a Divino suo Fundatore acceptis. Unde magis logicum esse videtur cap. I huius decreti agere de missione a Christo concredita Ecclesiae, quia haec missio ratio est institutionis Ecclesiae eiusque structurae. Ita etiam rectius intelligetur quidquid deinde dicetur de natura, structura, membris et iuribus Ecclesiae. Ita denique pleno suo valore lucebit supremum mandatum Domini: « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

2. In toto Novo Testamento manifesto apparet maxime fundamentale munus Ecclesiae esse annuntiationem Evangelii, diffusionem fidei, conditionem salutis. Disertis verbis hoc indicandum est. Dilucide agendum est de voluntate salvifica universali Dei necnon de Sacrificio Christi, pro salute omnium hominum oblato.

3. Ut omnes Patres Concilii plene sentiant maximum illud munus evangelizandi, necesse est illos Ecclesiam videre confrontatam cum mundo hodierno et crastino. Ita sollicitudine prementur et animo percipient imaginem nimis optimisticam, quam schema faciliter supponit esse realem statum Ecclesiae, non esse veracem, nec evangelicam, nec periculis carentem. Agitur nempe de Ecclesia, non solum sicut theoretice definiri possit vel describi in documentis ecclesiasticis, sed speciatim de munere Ecclesiae in mundo hodierno, concreto et reali:

a) Ante oculos ponamus imprimis statum Ecclesiae in regionibus iam diu christianis. Non possumus ignorare continuum processum dechristianizationis, crescentem defectionem a fide, laicismum et materialismum. In his regionibus Ecclesia magis magisque arcetur a vita sociali, politica, technica, oeconomica, scientifica, tam in ambitu nationali quam internationali. Insuper numerus fidelium semper declinat. Nec praetermittendum est mundum occidentalem cum suo neo-paganismo maximum influxum habere in ceteras civilizationes.

b) Deinde, imminens manet periculum communismi mundialis, qui fere tertiam partem humanitatis suo imperio subiugavit.

c) In fine neque oblivisci possumus genus humanum semper numero

cresci: nunc iam adsunt 3.000.000.000 hominum, quorum tantum 17 p. c. sunt catholici. Hoc saeculo exeunte aderunt 6.000.000.000 quorum probabiliter tantum 14 p. c. erunt catholici. Nunc iam adsunt plus quam 2.000.000.000 non-christianorum, quorum numerus saeculo exeunte erit 4.000.000.000. Unde concedere debemus Ecclesiam, relative loquendo, semper retrogredi, et semper minus realizare mandatum Domini portandi gratiam redemptionis omnibus hominibus.

Periti in quaestionibus sociologicis, oeconomicis et politicis, rationem habent huius numeri crescentis hominum in aedificandis suis systematibus. Patres Concilii, qui agere debent de munere Ecclesiae in iis quae attinent ad mundum hodiernum, eodem modo rationem habere debent demographiae mundialis. Proprium est Concilii magnas et novas directivas apostolicas edicere, unde necesse est illum augustum coetum aperte declarare et sollemniter manifestare fundamentum dogmaticum huius renovationis apostolicae. Doctrina evolvenda est et propaganda toti Ecclesiae, qua omnia eius membra animari possint spiritu vero apostolico et missionali. Omnibus fidelibus plane constet Ecclesiam, quae in se clausa sit, nec spiritu et corde sollicita sit de totius mundi salute, nec in omnibus membris suis, laicis aeque ac clericis, urat zelo apostolico expandendi nuntium et gratiam Christi, non plene respondere voluntati divini sui Salvatoris.

4. Cap. X caret hoc spiritu evangelico et hac visione apostolica. Nimis innititur iuribus et privilegiis Ecclesiae, parum munere Ecclesiae. Certe non opportuna videntur sequentia verba in n. 46, lin. 27 usque 31: « Civilibus ergo... quam hominibus ». Nimis accentuatur hierarchia, quae insuper quasi exclusive proponitur ut potestas, non satis ut diaconia, ut servitium Ecclesiae.

In hoc capite clare dicendum esset quod totus populus Dei, totum corpus sacerdotale Ecclesiae in omnibus suis membris, a Salvatore missionem accepit opus divinum redemptionis continuandi et Evangelium propagandi: Omnes episcopi collegialiter cum Summo Pontifice hanc missionem acceperunt, sed insuper omnes fideles collegialiter cum hierarchia. Concilium Vaticanum II hanc fidei veritatem omnes laicos perspicue docere deberet et illos vocare ad implendum suum munus missionale, ita ut omnes vires apostolicae mobilizentur in Ecclesia. Omnes Christi fideles hanc quasi anxietatem cordis sentire deberent propter parvum numerum catholicorum in mundo.

23

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Animadversiones episcoporum provinciarum Aquensis et Avenionensis et dioecesium Massiliensis et Monoecensis: de Provenchères, arch. Aquensis; Remond, arch.-ep. Nicensis; Urtasun, arch. Avenionensis; Lallier, arch.

Massiliensis; Girbeau, arch.-ep. Nemausensis; Couderc, ep. Vivariensis; Llosa, ep. Adiacensis; Collin, ep. Diniensis; Verdet, aux. Nicensis; Barthe, ep. Foroiuliensis-Tolonensis; Rupp, ep. Monoecensis; Tourel, ep. Montis Pessulani; Vignancour, ep. Valentinensis; Jacquot, ep. Vapincensis; Rouge, coad. Nemausensis; Mouisset, coad. Nicensis; Collini, coad. Adiacensis.

I. *Praesentatur mundo verus vultus Ecclesiae.*

Ioannes Papa XXIII, non una vice, nos adhortatus est ut sedulo inquiramus modum quo, salva veritate revelata, doctrina de Ecclesia ita praesentaretur, prout exigit institutio praesertim pastoralis.

Quod videtur, cum agitur de praesenti schemate, momenti esse eo maioris quod obiectum eiusdem schematis, i. e. Ecclesia, apparet, ipsis fatentibus Patribus Conciliaribus, ut eiusdem Concilii centrale praecipuum subiectum, « cardo Concilii ».

Cum enim sermonem ad « fideles » dirigat, necnon ad christianos non catholicos, immo ad universos homines, Ecclesia respondere debet omnium exspectationi et quaestioni: « Quid dicis de te ipsa? ».

Non neglectis autem, qui Ecclesiam pertinaciter reiiciunt, necesse habemus ostendere in ea « Signum in nationes » (*Is.* 11, 12) eisdem a Christo datum.

In aliquo prooemio haec intentio Concilii Vaticani II, praesentari posset, ostendendi omnibus hominibus authenticum vultum Ecclesiae: « Ecclesia Christi, Lumen Gentium ».

II. *Praefinire valorem dogmaticum praesentis constitutionis.*

Vera natura huius schematis? doctrinale? disciplinare? exhortativum?

Optandum ut sit magis doctrinale, indolesque illa dogmatica magis eluceat in omnibus capitibus?

a) Si hic agatur de actu magisterii extraordinarii et universalis, curandum esset ut quaecumque removeatur doctrina, quae certitudinis sufficienti gradu non gaudet.

b) Si autem agatur de aliqua simplici expositione generali magisterii ordinarii, textu huius declarationis in claram lucem proferatur, quid in doctrina sic exposita, ut dogma fidei infallibilis et irreformabilis declaratur (e. g. sacramentalitas episcopatus).

De quaestionibus apud theologos adhuc sub lite (e. g. definitio Ecclesiae et membrorum eius, origo episcopalis iurisdictionis, relationes inter Ecclesiam et Statum, etc.), melius esset si Concilium modo decretorio non iudicaret.

III. *Praesentatio magis biblica, pastoralis et oecumenica.*

Praesentatio huius schematis nimis scholastica est et iuridica.

a) Ope et opera enititur ut textus citationibus e Scripturis ornetur et referentiis ad Scripturas. Non tamen sufficit: siquidem Scriptura non tantum adhibenda est ad illustrandas propositiones doctrinales, sed etiam, ut fons talis doctrinae. Doctrinae enim revelatae brevis quidem sed seria in Sacris Scripturis inquisitio, fundamentum esse debet doctrinalis explicationis.

1. Et ita cognoscerentur praecipuae revelationis divitiae, de Mysterio

Ecclesiae, de Mysterio Christi, divina institutione collegii episcopalis cum Papa et sub Papa, de sacerdotio ministeriali, de valore magisterii, etc.

2. A facto isto praesentaretur doctrina secundum rationem magis evangelicam et ideo magis pastoralem, procedentem ex notione « servitii » in Ecclesia, spiritus paupertatis evangelicae, primatus caritatis.

3. Et inde virtus sequeretur vere oecumenica. Christiani enim non catholici veram stabilitatem facilius agnoscent doctrinae quae eis sese ostendet uti seriam et fidelem « dati revelati » scrutationem.

b) 1. In exponenda doctrina sedulissime attendendum erit statui reali mundi praesentis, qui non est spernendus in decisionibus, cuius necessitatibus et quaestionibus secundum Evangelium est respondendum.

Honor personae humanae eiusque libertatis, aequa consideratio omnium quae valent in civilisationibus etiam non christianis, in inquisitione scientifica, et sanae libertatis eorum qui cum cura sincera veritatis, inquisitionibus dant operam.

2. Attendendum etiam erit ad omne quod in aliis ecclesiis christianis inveniri potest vitae fidei et caritatis, recognitis vinculis quibus connectuntur Christo et Ecclesiae. Praesentetur etiam illis infallibilitas Papae et ea qua gaudet collegium episcopale Papae unitum, uti coniuncta infallibilitati Ecclesiae.

3. Ostendatur universalitas missionis salutaris Ecclesiae, uti principium virtutis eius apostolicae et missionalis.

Et sic, in tali indispensabili complemento, doctrina Ecclesiae plenarium inveniet fundamentum et aequilibrium.

IV. *Ordo et animadversiones litterariae.*

a) Occasione cuiusque capitis, faciemus animadversiones nostras, de loco ei in hoc schemate attributo, et de eiusdem relationibus cum ceteris schematibus.

b) Sermo latinus istius schematis gravis est. Non una vice captu difficilis.

V. *Ordinatio schematis.*

a) Schema unitate indiget. Capita inter se non cohaerent, et praecipua uniuscuiusque doctrinalis ideo non satis praecise notatur.

b) Hae sunt praecipuae notiones quas optamus in lucem poni:

1) Ecclesia, medium salutis, sed imprimis « domicilium » gratiae, inhabitatio trium Personarum Divinarum.

2) Hoc titulo, Corpus est Christi Mysticum et ita quaecumque participatio gratiae Christi, Ecclesiae Christi nos adunat.

3) Hierarchia servitium est quo gratia communicatur. Ecclesia, in sua completa forma ibi est ubi gratia communicatur, et exercentur Sacerdotium et Regia Potestas Christi.

4) Quod summe valet in Ecclesia sanctitas est, et ideo Virgo Maria est in corde Ecclesiae.

5) Ecclesiae missio, sicut missio Christi, a caritate ut a fonte dimanat; et ideo hierarchia et laicatus debent esse in apostolatu, caritatis servi.

6) Character sacramentalis episcopatus, cui participant presbyteratus et diaconatus.

7) Collegialitas: episcopi, cum Papa et sub Papa, iurisdictionem exercent universalem: sunt insuper pastores unius ecclesiae particularis.

8) Magisterium (Papa cum episcopis) est in certis casibus infallibile: Charisma autem assistentiae quo gaudet latius extenditur.

9) Ecclesia in honore habet societates temporales et civilisationes humanas: ordo autem temporalis illuminatur et roboratur per Ecclesiae gratias.

10) Ecclesia eo magis sua missione fungitur, si eamdem implet in spiritu servitii, sacrificii, paupertatis et pauperum amoris.

CAPUT I: *De Ecclesiae militantis natura.*

A) *Admonitiones generales*:

I. *Titulum et obiectum istius capitis.*

1. Suppressio verbi « militantis » ab omnibus expresse requiritur. Nimis enim est coarctans, minime permittens ut detur de natura Ecclesiae conceptus plenus et exacte elaboratus. Non mirum ergo si caput hoc nimis iuridice praesentatur.

Novum consequenter proponimus titulum, scilicet: *De Ecclesiae natura,* vel potius *De Ecclesiae Christi natura.*

2. Cum autem de hoc capite omnia alia schematis *de Ecclesia* capita pendent, defectus qui in eo inveniuntur, ceterorum capitulorum deficientiarum causa sunt. Urget ergo ut de novo elucubretur in quodam prospectu omnibus suis partibus, pro viribus, expleto, etiamsi omnia dici nequeant.

II. *Animadversiones doctrinales.*

1. Requiritur mysterii Ecclesiae conspectus magis completus.

a) Ecclesia terrestris (militans Ecclesia) comprehendi nequit nisi sit illustrata revelatione huius mysterii. Exponi ergo debet Consilium divinum: creatio mundi et ratio salutis; historia populi Dei; Ecclesia V. et N. Testamenti; Ecclesia caelestis.

b) Hoc Ecclesiae mysterium, et mysterium divinae caritatis tum in suo principio, tum in sua historica evolutione et caelesti manifestatione. Quod non invenitur positum in lumine, neque hic in isto capite neque in sequentibus.

2. Non satis exacte exponuntur partes maximi momenti Christi in Ecclesia, et cum perstetur in quadam interpretatione saepe unice iuridica Ecclesiae Corporis Christi, siletur *gratia Capitis Christi,* in qua essentialiter consistunt relationes Caput-Corpus.

Item ad relationes reducuntur mere iuridicas et ad ministerium pertinentes, illae relationes quae vigent inter naturam humanam Christi eiusque divinitatem, vel inter Christum et Ecclesiam, vel inter hierarchiam eiusque membra (pag. 12, 7; pag. 10, 25-36; pag. 11, 4). Et ita in sequentibus

capitibus. Neque locutum est de actione personali Christi in Ecclesia, neque de futura unione Ecclesiae cum Christo in gloria.

3. Ne dicatur de Spiritu Sancto quod est « Anima Ecclesiae ». Modus siquidem loquendi scholasticus, minime vero theologicus.

4. Semel et iterum textus loquitur de solo Petro et solis eius successoribus. Ecclesia enim fundatur supra Petrum et apostolos et concreditur ipsorum successoribus.

5. De pluribus Ecclesiae characteribus omnino tacetur:

a) Ne alluditur quidem Sanctae Matri Ecclesiae, etsi tamen Ioannes Papa XXIII non una vice institit ut a Concilio mundo manifestetur vultus maternus Ecclesiae.

b) Missio sanctificationis universalis Ecclesiae, ad suam pertinet propriam naturam universalitas in tempore et in toto orbe terrarum.

c) De aliis propriis notis Ecclesiae: Unitas, Sanctitas, Apostolicitas, altum tenetur silentium.

d) Nihil omnino dicitur de significatione ecclesiali ecclesiarum particularium: de hac re aliquid dicendum esset, ut melius deinceps intelligatur quae exponenda sunt de episcopis residentialibus. Item pretii esset definire notas proprias Ecclesiae cum agitur de ecclesiis particularibus.

e) Nihil dicitur de modo quo indoles hierarchica Ecclesiae et indoles eiusdem charismatica se invicem complent.

f) Et item indoles eius visibilis et invisibilis, etc.

III. *Expositio magis biblica ideoque magis pastoralis et oecumenica.*

Verus aspectus mysterii Ecclesiae et mysterii Christi in Ecclesia praesentari nequit, quin referatur semper biblicis « datis ».

Re enim vera, plures Ecclesiae figurae ex Bibliis decerptae in hoc capite memoriae revocantur.

1. Plures tamen et magni momenti omittuntur: e. g. Ecclesia Populus Dei, Sponsa Christi, etc.

2. Non autem sufficit istarum figurarum catalogum componere exhaustivum: notandum est etiam quid nobis conferunt de mysterio Ecclesiae.

3. Deploretur solas illas citatas esse in hoc capite figuras, quae respiciunt Ecclesiam prout est Corpus Christi Mysticum. Sed tamen hoc faciendo, natura Paulinae doctrinae immutata est ad hunc scopum ut ex ea sola concluderentur quae ad Institutionem pertinent.

Expositis argumentis modo magis biblico, logice sequeretur expositio Ecclesiae magis pastoralis et oecumenica.

IV. *Ratio.*

1. Mysterium Ecclesiae, secundum Dei consilium.

2. Ecclesia, societas visibilis, per suam missionem et suas notas definita.

B) *Animadversiones circa ordinem et textum huius capitis.*

N. 1: pag. 9, linn. 1-15: Prologus: Dei Patris consilium.

1. Imprimis citare *Eph.* 1, 4-10, ubi exponitur consilium Dei: Creatio,

Incarnatio, Redemptio, Gloria caelestis. Ecclesia apparet ut recapitulatio per Christum et in Christo universorum hominum et totius creationis.

2. Causa istius divini Consilii de salute mundi *caritas est*; et unio huic caritati consilium hoc divinum evolvit eiusque finis est.

3. Universalitas salutis apparet ut fundamentum actionis missionalis Ecclesiae.

4. Consilium divinum nequit intelligi, si non referatur ad Ecclesiam caelestem.

Nn. 2-3: pag. 9, lin. 16 ad pag. 10, lin. 24. Invertendus est ordo istorum duorum numerorum, ad hoc ut repraesententur breviter, sicut in pariete depicta, diversae manifestationes realisationis Consilii divini, quae sunt et ipsae manifestationes revelationis mysterii Ecclesiae.

Revelationes mysterii Ecclesiae:

1. *Praeparatio Ecclesiae.*

a) *Creatio*: Ecclesia non solum incipit eodem tempore cum divino consilio redemptionis mundi (*Eph.* 1, 14 seq.), sed cum creatione, quae est revelatio amoris Dei.

b) *Populus Dei*: Promissiones a Deo, Abrahae et Patriarchis factae. Constitutio populi Dei in deserto. Revelatio prophetica populi Dei (Israël Sponsa Dei). Deus, pastor populi sui. Vinea Domini. Pauperes Yahveh. Regnum Dei eschatologicum.

2. *Ecclesia.*

a) Christus: Incarnatio, Redemptio.

b) Ecclesia: « Iesus Christus, permanens et permanans ».

Figurae Ecclesiae in N. T.:

1. *Populus Dei,* populus sanctus. Vita socialis Ecclesiae, evolutio historica, vita liturgica, vitalitas oecumenica.

2. *Familia Dei* (*Eph.* 2, 19). Intimitas cum SS. Trinitate, unitas, sanctitas.

3. *Regnum Dei,* cf. parabolas *Mat.* 5. Quomodo Ecclesia crescet in angustiis et persecutionibus, coexistentibus simul et bonis et malis usque ad ultima tempora.

4. *Gens sacerdotalis, Domus Dei, Templum Dei, Inhabitatio S. Spiritus.* Ecclesia simul sacramentalis et ministerialis; locus sanctitatis, in quo homines sanctificantur; significatio socialis vitae sacramentalis in unione cum Deo.

5. « Sponsa Christi », cf. V. T. *Os.* et *Ez.* Intima coniunctio cum Christo sponso, qui eam sanctificat. Ecclesiae foecunditas.

6. « Grex Christi »: functio pastoralis eorum qui praesunt in Ecclesia. Incrementum Ecclesiae eiusque unitas.

7. « Vinea »: Ecclesia a Christo vivificatur, producetque fructus sanctitatis in membris suis.

8. « Ecclesia quae est... »: Significatio ecclesialis communitatum localium (cf. S. Paulus).

9. « Ierusalem nova »: origo caelestis Ecclesiae (*Apoc.* 21, 2). Virtus eschatologica Ecclesiae.

De his praedictis figuris deduci potest:

1. Complexitas naturae Ecclesiae, quae completur realitatibus visibilibus et invisibilibus.

2. Missio Ecclesiae ad salutem procurandam. Ecclesiae dialogus cum societate moderna ut integretur et consecretur. Dialogus oecumenicus cum omni homine qui credit in I. C.

Dialogi in quibus sedulo servandus est respectus, et etiam comprehensio, sensus universalis missionis Ecclesiae et fraterna caritas.

Specialia:

N. 2: pag. 9, linn. 19-25: Melius servabitur ordo « Sacerdotis, Regis, Sancti munera » et afferatur hic citatio pag. 12, lin. 9.

Pag. 10, linn. 5-7: textus obscurus: non videtur de qua fide hic loquitur, explicita vel implicita? De qua communione? an caritatis?

N. 3: pag. 10, linn. 15-16: Papae adiungantur episcopi.

Ibid., lin. 20: loco « Socialis et Mystica », potius dicere « Visibilis et Mystica », nam Ecclesia utpote societas, etiam mystica est.

Pag. 10, lin. 22: loco « Principem locum » dicere « Insignem locum ».

Ibid., lin. 23: Series incompleta et praesertim non commentariis comitata, quae tamen locupletissimam ex figuris biblicis continet doctrinam. Emendare « Grex seu ovile », imagines siquidem diversae.

Nn. 4, 5, 6: pag. 10, lin. 25 ad pag. 12, lin. 15: textus ille abbreviari potest, respectu ad conclusiones numeri praecedentis.

Etiamsi retinetur exclusive figura Ecclesiae « Corporis Christi », vigilandum est:

a) ne istius doctrinae explicatio a doctrina discrepet a S. Paulo tradita;

b) doctrina in ceteris figuris inclusa ne taceatur.

Specialia:

N. 4: pag. 10, lin. 27: « Christi instinctu » non exacte reddit quae in Actibus Apostolorum de hac re traduntur.

N. 5: pag. 10, lin. 16; pag. 11, lin. 34: Textus non satis clarus; loquitur de hierarchia modo nimis exclusivo. Nihil de mysterio gratiae.

Aliquae expressiones non bene sonant.

N. 7: pag. 12, linn. 16-24. Numerus ille evolvendus esset ut introduci possent sequentia capita.

a) Declaratio triumphans si opportuna hic videatur, melius certe ad mentem revocaretur maternus vultus Ecclesiae: « Sancta Mater Ecclesia ».

b) Ad mentem opportune revocaretur Missio salutaris Ecclesiae in mundo, et propter hoc necessitas characteris visibilis et constitutionis socialis Ecclesiae, in eo quod a Christo instituta est.

c) Opportune diceretur quae sint notae propriae Ecclesiae Christi, quid significant, eorumque momentum.

CAPUT II: *De membris Ecclesiae militantis eiusdemque necessitate ad salutem.*

I. *Animadversiones generales.*

Patet hoc capitulum simul cum primo totius schematis significationem determinare.

1. Capitulum iuridismo laborat. Sic *gratia et Ecclesia separari* videntur.

2. In titulo, verbum: *militantis* deleatur, quia est restrictivum.

3. Ecclesia videtur hoc in capitulo tantum *ut medium salutis* definiri. Ex hoc non apparet qualis sit eius *unitas.*

4. Ex consideratione iuridica provenit quod fratres separati ut alieni ab Ecclesia appareant. Item textus videtur admittere vera sacramenta extra Ecclesiam esse.

5. Sed gravior consequentia haec est. Ex una parte, affirmatur Ecclesiam ad salutem necessariam esse. Quod firmiter tenendum est ex doctrina saepe in Conciliis et actis magisterii proposita (cf. v. g. IV Conc. Later., Denz. 430; Conc. Flor., Denz. 740 etc.).

At quandoque contextus contrarium insinuat: sic v. g. pag. 15, n. 8, lin. 9: *ad eandem ordinetur...*; lin. 11: *insuper...*

6. Sic in idem redit esse membrum Christi, Corporis eius mystici, Ecclesiae. Attamen *diversimode,* secundum diversos Ecclesiae aspectus consideratos, homines possunt esse membra Ecclesiae, atque *secundum diversos gradus.* Sic v. g. distingui potest inter inchoative et plene, visibiliter et invisibiliter, etc.

7. Notandum est quod S. Paulus sub diversis aspectibus de Corpore mystico loquitur, dum sive charismata et munera sive unionem, ut ita dicam, ontologicam cum Christo consideret. Gratis capitulum aspectum hierarchicum tantum retinet.

8. Quoad *munus pastorale* Concilii, notandum est Ecclesiam hodie a multis non intelligi, immo obstaculum pro fide praebere. Rationes sunt: a) *ignorantia* quoad eius mysterium etiam apud catholicos. Et sic multi tantum defectus membrorum considerant; b) *universalitas,* scilicet catholicitas, Ecclesiae non apparet, cum Ecclesia sit recens relate ad historiam humanam, et limitata in spatio, multis non-christianis religionibus grassantibus. Unde *syncretismus* valde diffusus.

Unde Ecclesiam praesentare oportet in tota sua amplitudine, in splendore scilicet Domini Regis saeculorum (cf. *Eph.* 1; *Col.* 1).

II. *Animadversiones quoad particularia.*

Pag. 15, n. 8, linn. 1-5. Ratio vera est quod idem est esse membrum Christi et membrum Ecclesiae. Littera uti sonat videtur potius loqui de conditione sine qua non, cuius ratio fugit. Insuper: verba: *qui sciens,* etc., inutiliter offendent. Melius esset pulchra caritateque plena verba Pii IX citare, qui scripsit: « Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut huiusmodi ignorantiae designare limites queat, etc. » (*Singulari quadam,* Denz. 1647).

Linn. 9-13 non sunt clarae. *Voto ad eandem ordinetur*: utrum pertineat

ad eam *ontologice?* Videtur quod non secundum litteram, quae membra definit tantum ex elementis extrinsecis.

Ex contextu videtur Ecclesiam esse necessariam sed non sufficientem, dum *status gratiae, coniunctioque cum Deo per fidem, spem et caritatem,* quae sunt elementa salutifera, *extra Ecclesiam* ponantur. Haec formulatio reiicienda est. Nam si supponatur hominem in statu gratiae extra Ecclesiam, secundum theoriam huius paragraphi salvaretur sine Ecclesia, quod patet esse falsum.

Similia dicenda sunt de nn. 9 et 10. Linn. 20-21: quo sensu sumitur « vere et proprie »?

Lin. 26: *ordinantur*: quo sensu? Vel ordinantur *ontologice* et sic sunt membra Ecclesiae suo modo, vel haec ordinatio est extrinseca. Et sic nihil habent de Ecclesia neque Ecclesia egent. Quod insinuare videtur quod sine Ecclesia salvari possunt.

S. Robertus Bellarminus, *De Ecclesia militante,* c. III, animadvertit, post Augustinum, Ecclesiam corpus vivens esse, ex anima et corpore scilicet compositum. Anima sunt dona interiora Spiritus Sancti, fides, spes, caritas, etc. Corpus sunt professio externa fidei et sacramentorum communicatio. Textus « animam » ignorare videtur.

Pag. 16, lin. 14: *saltem* deleatur.

Linn. 15-19: Suntne gratiae extra Ecclesiam? Ergo Ecclesia non est necessaria nec idem est esse membrum Christi et membrum Ecclesiae. Quod contradicit iis quae supra et in cap. I dicta sunt. Sed si, mediante gratia, quis potest Christo incorporari, quin simul Ecclesiae incorporetur, non videtur ad quid servit Ecclesia.

Non desunt hodie conceptiones relativistae quae Ecclesiam uti « denominationem » inter alias considerant. Unde caute loquendum est.

Lin. 20 et sq. Exhortatio finalis inutilis esse videtur.

III. *Proposita.*

A) Ex supradictis nobis videtur necessarium sequenti modo de membris Ecclesiae loqui:

Fons Ecclesiae est amor Dei, qui dedit nobis suum Filium unicum (cf. *Io.* 3, 16); ipse est Salvator noster, propitiatio pro peccatis nostris (cf. 1 *Io.* 2, 2), nobis filiationem divinam praebens (cf. *Gal.* 4, 4-7, *Rom.* 8, 14-17).

Propositum Dei salvificum est universale cum velit omnes homines salvos fieri (cf. 1 *Tim.* 2, 4; 4, 11).

Una unio hypostatica in Persona Filii, ratio et causa est huius unionis gratiae, qua ipsa Trinitas in animis iustis inhabitat (cf. *Io.* 17, 21).

Hac unione in Christo inserimus (cf. *Io.* 15), quia gratiam habet causam, quae de Christo profluit.

Sic Christus Caput, Ecclesia eius Corpus est, ita ut divitiae in Christo primo existentes Ecclesiae communicentur. De his cf. S. Thomas, *Summa Theol.,* III, q. 8.

Omnes gratiae a Christo sunt. Cum Ecclesia ontologice Corpus Christi

sit, hae gratiae simul Christo et Ecclesiae incorporant. Unde firmiter tenendum est Ecclesiam esse Christi Corpus mysticum (cf. *Col.* 1, 24).

Attamen *diversis titulis ac modis plus minusve perfectis* homines possunt membra Ecclesiae esse.

B) Unde sequentes aspectus considerare oportet.

I. Ecclesia consideratur primo uti ex Sacrificio Redemptoris (cf. *Io.* 19, 34-37) et dono Pentecostis profluit.

a) Hic est membrum Christi et Ecclesiae « qui *crediderit* et *baptizatus* fuerit ».

1. *Fides,* « initium salutis », in vitam theologalem perficitur, quae gratiam sanctificantem virtutesque theologales, quarum perfectior caritas existit (cf. 1 *Cor.* 13, 13), comprehendit.

2. *Sacramentum* est quod gratiam sanctificantem a Christo derivatam confert.

3. Insuper *character* confert participationem sacerdotio Christi.

4. Tam *sacramentum,* uti signum sensibile, quam *professio fidei,* aspectum visibilem important. Sic Ecclesia est simul *mysteriosa, invisibilis* et *visibilis.*

b) 1. Ad hoc ut credatur necesse est audire *verbum Dei,* quod verbum ab eis praedicatur qui mittuntur, scilicet ab apostolis, Ecclesiae columnis (cf. *Rom.* 10, 14-15). Quod dicitur de apostolis, valet etiam de eorum successoribus quoad Ecclesiam conservandam, qui, potestate a Christo collata, participant doti Christi *Regis,* Doctoris scilicet et Pastoris animarum.

2. Similiter vita sacramentalis, in baptismo inchoata, plenitudinem habet in Sacrificio Missae et Eucharistia, quae est sacramentum caritatis. Quae vita supponit *potestatem sacramentalem Ordinis,* qua continuatur in Ecclesia exercitium Sacerdotii Christi *Summi Sacerdotis.* Characteribus baptismi et confirmationis ipsi laici aliquo modo sacerdotio Christi participant.

3. Sic *potestates Ordinis et iurisdictionis servitia* sunt, quae tantum aliquibus conferuntur in servitium sanctitatis, quae vocatio communis est omnibus proposita. Sic B. V. Maria, in sanctitate prima, primum et eminens membrum Ecclesiae existit.

4. Ubi gratia distribuitur per viam *hierarchiae,* totam suam christianam plenitudinem habet. Ibi maxime viget ac membra Ecclesiae vocationem missionariam habent, « adimplentes ea, quae desunt passionum Christi » salvatoris (cf. *Col.* 1, 24).

Ex hoc necessario cum hierarchia ligamine constat nullum posse esse plene membrum Ecclesiae quin adsit elementum visibile.

c) Tamen membrum Ecclesiae credens et baptizatus in peccatum mortale incidere potest. Sic a sancta Ecclesia non excluditur. Fide et baptismate, peccator adhuc Christo vincitur, ab Ecclesia ad quam visibiliter pertinet, portatur, dum adiumenta spiritualia, sacramentum poenitentiae ac preces in ea inveniat, quibus prompte ad Dei amicitiam redire queat. At peccata membrorum sanctitati Ecclesiae offendunt.

II. *Quoad dissidentes et non-catholicos.*

a) Propositio Evangelii, quamquam plus minusve diminuetur, ac existentia baptismi, vel etiam aliquorum aut omnium sacramentorum, *secundum diversos gradus* Ecclesiae incorporant *membra confessionum christianarum dissidentium,* etiam si elementa fundamentalia communionis visibilis (uti est hierarchiae agnitio) desint. Hoc pro oecumenismo est magni momenti.

b) Quando, deficientibus praedicatoribus vel alicuius invincibilis obicis causa, quis audire fidei praedicationem vel Ecclesiam, in quantum est signum salutis, agnoscere nequeat, potest tamen, dum cor eius rectum sit, Christi gratiam, quae nulli denegatur, recipere. Sic ad Christum ac simul ad Ecclesiam *invisibiliter* pertinebit. Talis est doctrina traditionalis de *salute infidelium,* secundum *Heb.* 11, 6. Talis homo dicitur desiderium baptismi, secundum rectitudinem cordis, habere.

Sic salus Ecclesiae non abest ab his immensis regionibus ubi Ecclesia visibiliter adhuc non est. Si praedicatio Evangelii per saecula exspectatur, hoc sive ex peccatis nostris, sive etiam ex voluntate Christi, qui nos consociatos suae Missioni, sacrificiis, orationibus, laboribusque apostolicis vult habere, provenit.

Attamen ubi gratia Christi sine magisterio et Sacramentis habetur, modus est *extraordinarius.* Salus est debilior ac minus secura, honor Deo debitus non redditur, ita ut necessitas missionum minime minuatur.

III. *Quoad Ecclesiae tempora.*

a) Inde a Christo Ecclesia est *formata.* Omnes homines attingit, diversimode tamen.

Ante Christum erat *praeparata.* Inde a casu, per decursum saeculorum, ac postea in populo electo Veteris Testamenti, gratiae christianae, id est a Deo in praevisionem passionis redemptricis collatae, salutem operabantur.

b) Ecclesia in terra peregrinatur, sub velamine fidei ac passioni Salvatoris unita, exspectans Domini reditum atque perfectam in caelo promissam consummationem. Ibi apparebit in splendoribus Ierusalem caelestis, ubi omnes electi, postquam resurrexerint, coadunabuntur cum Domino.

Sic in caelo, in visione Dei, Ecclesia dicitur *triumphans.* In terra dicitur *militans,* dum contra peccatum pugnet. In purgatorio, ubi membra eius purificantur antequam Deum facie ad faciem videant, dicitur *patiens.*

c) Ad hanc sanctam Ecclesiam Corpus mysticum unius Salvatoris et Domini, omnes homines vocantur. Hi soli ab ea sese excludunt, qui voluntarie, in hora mortis, divinum amorem recusabunt.

CAPITA III: *De episcopatu ut supremo gradu sacramenti ordinis;* IV: *De episcopis residentialibus;* VII: *De Ecclesiae magisterio.*

I. *Capitulum « De episcopis » exarandum.*

Unico in capitulo tota *de episcopis* Ecclesiae doctrina colligenda est cum, in praesenti schemate, per plura disseminetur, praesertim in III-IV-VII et X.

Optamus ergo ut schema in luce proponat quae sequuntur: *episcopatus*

divinitus est institutus. Super Petrum quidem (*Mat.* 16, 18) et super fundamentum apostolorum (*Eph.* 2, 20 et *Ap.* 21, 14) a Christo Domino aedificata est Ecclesia, « Ipso summo angulari lapide Christo Iesu » (*Eph.* 2, 20). Animadvertenda insuper vis dogmatica pericopes *Mat.* 28, 16-20 (cf. etiam *Mc.* 16, 14-18), nam textus ille velut charta institutionis Ecclesiae, inter praecipuos, considerari potest. Christus enim Dominus, cum Ecclesia suam usque ad saeculorum finem perduraturam voluerit, vult ideo ut apostoli sibi successores in munere procurent quibus potestatem transmittant suam, non certe ut Ecclesiam instituant sed ut institutam gubernent. Quapropter, apostolorum collegio « sub Petro », episcoporum collegium, sub auctoritate Romani Pontificis Petri successoris, succedit.

Clariore idcirco in luce quam in praesenti schemate (n. 16) ponenda *episcopatus collegialitas,* sub auctoritate S. Pontificis, vinculi et centri unitatis Corporis episcopalis. Sic plenus sensus vocabuli *primatus* Romani Pontificis tribuitur, cum primatus non plene definiatur quin adspectum collegialem in illo exercendo referas, quia, cooperantibus tantum episcopis, S. Pontifex Ecclesiam gubernat. Quae a Patribus I Vaticani Concilii iam explanata sunt. Sed, ratione notionis « episcopatus collegialitatis » momenti habita, articulum specialem (cf. infra art. III) scribemus.

Consecratione accepta, episcopi in corpus episcopale incorporantur et, ipso facto, collegialiter sibi assumunt sponsionem quamdam erga universam Ecclesiam quae, primis in saeculis, verbum, usu consecratum, scilicet « sollicitudo », signavit.

Quae doctrina fundat munus, quod pastorum corpori simul cum Christi Vicario incumbit, Evangelium annuntiandi ubique terrarum — ut schema explicit — (pag. 75, lin. 40 sqq.).

Sed omnes ut homines efficaciter ab episcopatu assumantur, iam ab initio, Ecclesia, *episcopis residentialibus,* particularium ecclesiarum sollicitudinem commisit. Episcoporum enim munus pastorale, una cum toto episcoporum corpore, exercere oportet et « regere propriam suam ecclesiam ut partem Ecclesiae universalis » (schema pag. 24, lin. 19). Nam, si sub auctoritate quidem S. Pontificis subiicitur, in propriam suam ecclesiam, episcopus, auctoritate propria, ordinaria atque immediata gaudet.

Episcopi vero « titudares » nullam iurisdictionem in particularem quamdam obtinent ecclesiam, sed episcopali ipsa consecratione, in episcopale collegium ita incorporantur ut saltem radicaliter « munera magisterii et regiminis, quibus iurisdictio constat » (schema pag. 23, linn. 2-3) exercere valeant. De quibus tamen non agit schema, sed in tractatus « De episcopatu » summa, locum obtinebunt suum.

Prout nunc theologicae disquisitiones pervenerunt, possibile atque opportunum videtur *characterem sacramentalem episcopalis consecrationis* definiri, ut schema tradit. Die scilicet Pentecostes, Christus Dominus in apostolos Spiritum Sanctum insufflavit; quam insufflationem in episcopale corpus protrahit consecratio episcopalis; ipsa enim, episcopus spirituale donum accipit,

quo, plenitudine sacerdotii recepta, pontifex et populi sui pastor efficitur. Cuius sententiae momentum in theologia « De episcopatu » exponere oportet nec, secundo quasi in loco, praecipue iuridica episcopi potestate explanata, collocare.

Summo in sacerdotii gradu positus episcopatus, relationem illius ad *presbyteratum* apparet: episcopatus enim plenitudo est sacerdotii, presbyteratus vero participatio tantum. Pauca ergo schemati sunt adiungenda (cf. infra art. V).

Episcopatus est ministerium. A Patribus Concilii, pluries optatum est ut episcopatus munus sub aspectu iuridico minus proponatur ita ut, antequam auctoritas iuraque affirmentur, velut ad ministerium exercendum, sicut Magister ipse qui ut ministraret non ut ministraretur venit, ostendatur, Domino declarante: « Vos autem non sic... Sed... qui praecessor est, sicut ministrator » (*Lc.* 22, 26). At notio « ministerii » seu « servitii », non intentionem tantum secundum quam exerceatur indicat, sed auctoritatis naturam definit. Iuxta enim christianum sensum, Deus solus Dominus est, qui dona singulis prout vult distribuit ad omnium utilitatem, iuxta illud: « Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei » (1 *Pet.* 4, 10). Christus autem Dominus hierarchiam instituit ut populo suo serviat; quam ob rem episcopi potestatem recipiunt ut ipsum sanctificent atque perducant in regnum Dei, velut instrumenta actionis Christi in Corpus mysticum. Quae, notionem « servitii » perscrutando, adspectum schematis nimis iuridicum minuent.

Sub eodem etiam adspectu « ministerii » proponenda sint diversa *pastoralia munera,* ita ut melius quomodo illa episcopus caritate exercere debeat appareat atque sic illius luceat *paternitas.*

Cum, sicut schema (pag. 23, linn. 1-3) exponit, sacra ordinatio summi gradus sacerdotii munera *sanctificationis, magisterii* et *regiminis* tribuat in capite « De episcopatu » explicari oportet quae tria haec munera complectentur, episcopo consecratione collata (cf. infra art. IV).

II. *De propensione quadam theologica nimis expressa.*

Nonnulli Concilii Patres observaverunt schema *de Ecclesia* in genere et praesertim in capitulo quod de episcopatu tractatur, ab occidentali saeculi elapsi theologia potius quam ab orientali traditione aut ab antiquiore occidentali inspirari. Quae propensio, doctrina de S. Pontificis primatu a I Concilio Vaticano explanata, explicabatur; sed hodie, complendum est I Vaticani opus, doctrina de Ecclesia proposita, quod quae tunc acciderunt ut perficeretur non permiserunt, et aequa lance doctrinae partes proponendae sunt.

Qua de re plura hic notantur:

1) *Quoad capp. IV et VII* simul considerata.

Affirmandus quidem *Romani Pontificis primatus* eiusque auctoritas in omnes episcopos; sed semel dicatur claris verbis nam pluries repetendo argumento, schema videtur iura quasi minuere quae prius episcopis tribuerit. In

memoriam revocandum certe episcopum Romano Pontifici in vinculo pacis et amoris (schema pag. 24, lin. 3) colligari non tantum iuridicis. Nec multis verbis resumenda quae a I Vaticano de S. Pontifice dicta sunt; sufficiat illam doctrinam afferre cum opportune, in toto doctrinae *de Ecclesia* complexu, locus inveniatur.

2) Pag. 24, linn. 6-10.

Sicut supra dictum est, episcopi erga universam Ecclesiam sponsionem collegialiter assumunt. Cui potestas quaedam correspondet. Schema I Vaticano propositum declarabat: « Dubitari non potest quin episcopi in docenda, et gubernanda universa Ecclesia partem aliquam habeant ».

Schema illud addit praecisius potestatem episcopalem partem tantum esse Romani Pontificis potestatis (pag. 24, lin. 6). Quae praecisio controversiosa videtur. Censeri potest potestatem episcoporum collegialem in universalem Ecclesiam fundari saltem remote et radicaliter in episcopali consecratione, cum schema insinuet: « Sacra ordinatio summi gradus sacerdotii cum munere sanctificationis, munera quoque magisterii et regiminis quibus iurisdictio constat, (tribuit)... » (pag. 23, linn. 1-3). Quae certo potestas collegialis determinanda quoad exercitium ab auctoritate superiore, ordine scilicet Ecclesiae, cuius instrumenta praecipua sunt Romanus Pontifex atque Concilium oecumenicum. Constitutio ergo ne inter liberas opiniones decidat, sed, nedum de participatione potestatis Romani Pontificis tractet, sat habeatur si potestatem divinitus datam non nisi in unione cum S. Pontifice exerceri atque sub illius auctoritate, dixerit.

3) Ad art. 14 et 15.

Multum etiam interest ut clarissime appareat a Concilio non desiderari quaestionem inter theologos disputatam dirimere qua quaeritur scilicet utrum iurisdictio episcoporum in ecclesias suas particulares (quae iure est divino) immediate a Christo an mediate, per S. Pontificem derivet. Cui ultimae sententiae communis theologorum doctrina favet et quam Pius XII, in litteris encyclicis *Mystici Corporis* sequitur; at Patres Tridentini et I Vaticani controversiam dirimere dogmatice noluerunt. Qua de re insuper magni facienda est orientalis traditio.

4) Pag. 24, lin. 27.

Mens nobis est a Concilio non definiendum esse « unum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam » cum multi existiment supremam potestatem in Ecclesia duplici in subiecto, inadaequate distincto, inesse in solo scilicet S. Pontifice, iuxta promissiones B. Petro factas (*Mat.* 16, 16) et, altera ex parte, in toto episcoporum corpore, cum Romano Pontifice coniuncto, iuxta promissiones collegio apostolorum factas (*Mat.* 18, 18). Cui alteri sententiae orientalis et antiqua latina traditio favet. Schema autem I Vaticano propositum sic sonabat: « Sed quoniam non minus constat, et in constitutione prima *de Ecclesia* per canonem cap. III definitum est, in Romano Pontifice non potiores tantum partes, sed totam plenitudinem su-

premae potestatis inesse: consequens est hanc potestatem *in duplici subiecto* esse, in episcoporum corpore Papae coniuncto et in Papa solo ».

5) Pag. 24, linn. 35-38.

Imprudens nobis videtur affirmare quod « nemo episcoporum... ad hoc collegium pertinere potest, nisi dedita opera vel consensu tacito a successore Petri, Christi Vicario et Capite collegii, in idem assumptus sit ». Qua de re, quid historia atque antiqua — praesertim orientalis — traditio sentiant? Loco igitur « a Successore Petri » ponendum potius: « Ordo Ecclesiae » cum ordo ille duobus instituatur organis, S. scilicet Pontifice et Concilio Oecumenico.

III. *De collegialitate episcopali.*

1. Hodie Ecclesia clariorem conscientiam circa *characterem episcopatus collegialem* habet qui tamen ab exordiis iam manifestus fuit. Quapropter schematis art. 16 nobis insufficiens videtur.

Clariori enim in luce apostolorum collegialitas ponenda sit quae episcoporum continuatur. « Illud enim ligandi et solvendi pontificium quod Petro soli datum est, collegio quoque apostolorum, suo tamen capiti coniuncto, tributum esse constat, protestante Domino: Amen, dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo (schema const. dogm. secundae de Ecclesia Christi cap. IV — quae referuntur in pag. 30, nota 16 schematis nostri).

Asserit utique schema (pag. 24, linn. 22-26) collegium apostolorum in episcoporum collegio perdurare quod ideo subiectum est « plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam » (optabamus supra — art. II n. 4 — ut emendetur expressio « unum subiectum »). At schema ulterius progrediendo addit: « Potestas tamen huius collegii, etsi ordinaria, utpote officia inhaerens, non nisi modo extraordinario et in devota subordinatione Iesu Christi Vicario in terris, quando, quomodo et quousque eidem id in Domino videtur »... Sed haec doctrinae praesentatio episcopalem potestatem minuere nobis videtur, cum collegium episcoporum, S. Pontifici coniunctorum, etsi per diversas dispersorum dioeceses, magisterium ordinarium atque universale exerceat.

Collegiale episcopalis potestatis exercitium relate ad universalem Ecclesiam prius, tum historice tum dogmatice, quam ad certas particulares ecclesias designatio apparet. Qua re theologiae episcopatus consentaneum nobis videtur affirmare: ex ipsa sua consecratione, episcopum quemlibet in episcopale collegium, B. Petro coniunctum, cooptari et, ipso facto, supremae eiusdem potestatis in universalem Ecclesiam, participem fieri. Aliud quidem sentire schema videtur (pag. 24, linn. 35-38; emendationem vero horum locorum in art. II, n. 5 optabamus).

2. *De collegialitatibus intermediis,* quaestio specialissime a Concilio tractanda est.

De quibus nulla in schemate mentio; sed omissionem relator ex industria factam asserebat quia argumentum in schemate quodam a commissione de episcopis et dioecesium regimine proponebatur. Sed Patres nonnulli — in

congregatione generali — (quod etiam nostrum est votum) rogaverunt ut, in schemate *de Ecclesia,* principia doctrinalia proponantur quibus existentia et activitas « coetuum definiti territorii episcopos adunantium ». Sic etiam aliis constitutionibus eorum competentia postea rectius ac securius determinentur.

Coetuum illorum regionalium existentia quasi episcopalis collegialitatis consequentia nobis apparet. Episcopi enim certo cognoscunt a se, de universalis Ecclesiae bono, sollicitudinem esse habendam, sed ratione ipsa caritatis ordinis, specialiori modo erga ecclesias sibi vicinas et proximiores urgeri. Quae sollicitudo, ab Ecclesiae exordiis, manifesta fuit; nam, episcopo quodam defuncto, viciniores episcopi, de electione et consecratione novi curant pontificis et, regionis episcopis adunatis, necessitatibus huiusce regionis simul incumbunt.

Commune insuper bonum postulat ut episcopi « ad maiorem regiminis similitudinem » contendant; quam ut obtineant « plurium possunt communes coetus qui fere ubique iam in usu sunt et augustiore celebranda ritu concilia provincialia et plenaria » (Pius XII, *A.A.S.,* 1954, pag. 676). Episcopus enim ut regat ecclesiam suam missionem ab Ecclesiae regimine supremo accepit (pag. 23, lin. 7) et « regere propriam suam ecclesiam ut partem Ecclesiae universalis » debet (pag. 24, lin. 19) cum episcoporum corpore coniunctus. Quam ob rem, coetus cum vicinioribus episcopis, ut unitatem servet, plurimum iuvabunt. Nec omittendum est sollicitudinem circa proprii gregis bonum sic illum movere ut huiusmodi coetus exoptet: primo quia leges pro universali Ecclesia promulgatae ad locorum necessitates adaptandae sunt et, ex altera parte, praesertim nostris temporibus, cum populationum motus ad inter se connexiones de die in diem increscunt, pastoralis actio, multis in rebus, ad limites ultra dioeceseos ac etiam provinciae cuiusdam determinanda est.

Quapropter mens est nostra: ad bonum Ecclesiae, nostris diebus — quae aliis temporibus maiore gubernationis unitate indiguerit — collegialitatem intermediorum coetuum corroborandam esse, cum coetus illi ut Ecclesia efficacius apostolicam suam missionem adimpleat, maxime iuvent. Etenim tam quaestiones in commissionibus praeparatoriis agitatae quam disceptationes Concilii de re liturgica et de sociali communicationis mediis in lucem attulerunt, et quidem quasi mirabili consensu, quantum hodie necesse sit plurimas normas, quae ad curam pastoralem pertinent, a conferentiis episcopalibus seu coetibus episcoporum pro certo territorio determinari.

In memoriam etiam revocanda orientalis traditio quae formam synodalem in exercitio iurisdictionis semper servavit.

Nec quaestio est de dogmatica quadam necessitate ad coetus episcoporum stabiliendos; satis est ut historice ac canonice quantum opportune existant demonstretur et apostolicis quibusdam necessitatibus respondeant. Supremi vero Ecclesiae regiminis statutum iuridicum promulgare erit.

IV. *De muneribus episcopi.*

A) *De munere sanctificationis.*

Plenam potestatem sacerdotii apostolis suis Christus contulit; quam potestatem apostoli suis successoribus episcopis per ordinationem transtulerunt. Ad participationem huius potestatis solius est episcopatus per sacramentum ordinis assumere sive totaliter (alios episcopos), sive partialiter (presbyteros). Episcopatus ideo non qualitatem quamdam presbyteratui superadditam importat, sed, e contra, presbyteratus participatio tantum est plenitudinis sacerdotii quod in episcopo residet. Quam ob rem, episcopus est, per excellentiam, communitatis sacerdos; qua re, antiqua in Ecclesia, christianae initiationi praeerat, sacrificium eucharisticum, presbyterio assistente, offerebat; dum presbyter in dependentia illius et per delegationem munus exercet.

B) *De munere magisterii.*

Cap. VII (De Ecclesiae magisterio) artt. 28, 29 et 30 in capite « De episcopis » potius videntur collocandi.

Munus enim magisterii ad consecrationem episcopalem religatur, cum Dominus apostolis missionem dederit Evangelium praedicandi omni creaturae. Quae missio ad eorum successores, utpote episcopos, pertransiit (cf. *Rerum Ecclesiae, A.A.S.,* 1926, pag. 68, et S. Pontificis Ioannis XXIII, *A.A.S.,* 1960, pag. 466). Sed missio illa pro « omni creatura » valet tum scilicet baptizatis, tum infidelibus. Quapropter non a iurisdictione pendet quae solos respicit baptizatos, et idcirco ad consecrationem adnectitur episcopalem quae episcopo gratiam specialem confert. Schema quidem « donum Sancti Spiritus quod consecratione accipiunt », commemorat (pag. 49, linn. 12-13).

Episcopus ergo quilibet, Petro coniunctus, munus docendi collegialiter exercet simul cum toto episcopatu tum relate ad homines quibus voluntas est Christi ut eis de facto annuntietur Evangelium, tum relate ad universalem Ecclesiam sive ordinario, sive extraordinario per Concilium oecumenicum. Episcopus quidem residentialis munus per seipsum et in primis erga gregem in quem iurisdictionem accepit, exercet.

In magisterii exercitio, S. Pontifex atque episcopi charismate quodam assistentiae quo, in docenda de fide vel moribus doctrina — quibusdam in casibus determinatis — errare non possunt. Non ideo omnibus in casibus. Quapropter emendandae vel pressius determinandae schematis locutiones quaedam quae prave intelligi possint, velut: indefectibilis veritatis — indefectibilitatis — pag. 46, linn. 5, 8, 9, 11, etc. aut « infallibilitatis praerogativa » pag. 47, lin. 3, et pag. 47, linn. 20-23.

Nec repetendam putes totam de Romani Pontificis infallibilitate doctrinam, a I Vaticano Concilio enuntiatam, sed, hac data occasione utilitas capienda est talis ut doctrinae complexus exponatur quo, in luce, relationes inter S. Pontificis infallibilitatem et illam quae Ecclesiae universali competit et quae episcopali corpori, appareant. Quibus expositis, ad ambiguitates collustrandas et ad dialogum oecumenicum instaurandum, multum proficiat.

Insertis autem in capite « de episcopis » his quae « de hierarchia » — in cap. VII schematis praesentis — resumendum est quod pag. 51, linn. 21-31, in articulo « de presbyteratu », et quod a pag. 51, lin. 33 ad pag. 52, lin. 23 usque, in capite « de laicis », explanatur.

Utrum opportunum sit ut, in constitutione conciliari, quae fusius in artt. 31 et 32 schematis dicantur? Tunc ad minus sint brevianda atque emendanda quae pag. 50, linn. 17-18 (in rebus pure disciplinaribus assensus *interior* non *semper* requiri videtur. Caute de his rebus loquendum est ne conscientiae abusive graventur).

C) *De munere regiminis.*

In Scriptura et Traditione potestas regiminis velut pars constitutiva missionis apostolorum apparet atque episcoporum, eorumdem successorum. Quae ideo potestas ipsamet episcopali consecratione confertur. Quod aliunde consecrationis preces liturgicae exprimunt.

Quam thesim schema (pag. 23, linn. 1-3) accipit; sed exprimere videtur potestatem in vanum acceptam quoadusque iurisdictionem in particularem gregem consecratus acceperit episcopus. Quod nobis non rectum videtur quantum ad iurisdictionis collegialis exercitium (cf. supra artt. I, II, III).

Certum quidem regiminis potestatem, per episcopalem consecrationem, episcopo collatam, secundum normas ordinarias, nullam, in populi fidelis portionem quamdam, potestatem conferre et necessario, ad hoc, episcopum accepta in hunc gregem determinatum iurisdictione indigere. Rogavimus supra (cf. art. II) ut schema de natura et origine iurisdictionis (pag. 24, linn. 4-7) emendetur. Nam non est simplex S. Pontificis universalis iurisdictionis participatio. Determinatur enim ordine Ecclesiae. Ordo utique ille, in historiae decursu, diversas induit formas, dum nunc in Occidente institutione canonica a S. Pontifice collata exprimitur.

V. *De presbyteratu - De diaconatu.*

A pluribus Patribus in congregatione generali (inter quos em.mus card. Bueno y Monreal, exc.mus D. Renard etc.) optatum est ut fusius quam in art. 12 schematis de presbytero agatur.

Convenit nempe praesertim claro exprimere modo quare presbyter, secundi ordinis, episcopi sacerdotium participet, ad presbyterium aggregetur quod Traditio quasi episcopi coronam, ab eis circumdati, ostendit et quare, hoc modo, fundamentaliter ad Regni Dei servitium, in Ecclesia, ordinationem receperit.

Incluso autem cap. VII in generaliore *de episcopis,* addendum in par. 12 quod de munere docendi, presbytero collato, enuntiatur (pag. 51, linn. 21-32).

Nonnulli etiam episcopi optaverunt ut *diaconi* locus in Ecclesia studeatur. Cum quaestio illa perseveranter proponatur, a Concilio investiganda nobis videtur; concesso autem a Concilio statuto, a pluribus optato, tunc mentio diaconatus facienda in constitutione *de Ecclesia.*

CAPUT V: *De statibus evangelicae acquirendae perfectionis.*

A) *Admonitiones generales.*

I. *Generalia.* Factum quod hoc caput in schema *de Ecclesia* introductum est, prout praesentatur non paucas videtur suscitare difficultates.

1. Suo ipso titulo, et eo quod ponitur inter capita « de episcopis » et « de laicis », schema « de statibus... » tertium videtur medium statum in Ecclesia introducere. Pag. autem 33, lin. 34, contrarium affirmatur, cum expresse dicatur et clerum et laicos hunc statum posse amplectere (pag. 33, linn. 34-36). Melius forte locaretur post caput « de laicis ».

2. Cf. n. 17. Omnis baptizatus ad vivendum vocatur secundum formam evangelicae perfectionis, convenienti modo propriae suae vocationi. Talis vocatio generalis est ad vitam *caritatis sanctitatisque* ordinata (cf. pag. 32, linn. 4-7 et 20-22).

Modo magis oecumenico diceretur: « consilia evangelica *media* sunt quibus ad exemplum Domini ad maiorem pervenitur caritatis perfectionem ».

a) Hoc loco videtur de *statibus religiosis* agi ab Ecclesia canonice recognitis. Si res ita est, dilucide dicendum esset, et tunc ab ipso facto ecclesiastico sufficiens videretur, si breviter eius status describerentur conditiones (n. 17) et eiusdem affirmaretur momentum (n. 18). Et sic intellectum istud caput doctrinale decretum haberetur quo introduceretur schematis XI doctrina.

b) Si autem agitur de vocatione qua quidam de baptizatis ad quaerendam perfectionem invitantur secundum consilia paupertatis, castitatis et oboedientiae, quin tamen haec perfectio ligetur uni ex statibus religiosis ab Ecclesia recognitis, doctrina capitis praesentis considerari posset ut praefigurativa status eschatologici Ecclesiae (cf. pag. 32, lin. 29 ad pag. 33, lin. 2). Quae talis vocationis eschatologica indoles videtur mereri ut illustretur (1 *Cor.* 7, 29-31). Illa enim doctrina aptissima esset ad introducendum aliquod caput « de Ecclesia caelesti ».

II. *Redactio huius schematis.*

1. Utiliter hoc caput abbreviandum esset et sic vitarentur repetitiones, de natura et momento huiusmodi vocationis.

2. Et ipsa sermonis forma nimis videtur triumphans et adhortans, expositioni doctrinali minime conveniens.

B) *Animadversiones circa textum huius capitis.*

N. 17: pag. 32, lin. 9: loco « sine proprio », potius dicere « pauperem vitam agerent ».

N. 18: pag. 33, linn. 12-25: valor apostolicus huius status urgendus esset.

N. 19: pag. 33, lin. 21: loco « eminentibus », potius dicere « piis ».

Pag. 34, lin. 10: positive exprimatur.

Pag. 34, lin. 15-30: brevis tantum recordatio obligationis oboedientiae.

Pag. 34, linn. 35-37: conclusio sequens proponitur: « Etsi omnes viatores sint subiecti humanae infirmitati et debent vigilare in humilitate (1 *Cor.*

10, 12) et confidentia gratiae Dei, viri et feminae Deo consecrati exhibent indolem eschatologicam sanctae Ecclesiae ».

CAPUT VI: *De laicis.*

A) *Admonitiones generales.*

In hoc capite multa continentur optima et certe conservanda.

I. *Locus huius capitis.*

1. In praesenti schemate melius locaretur ante caput « De statibus evangelicae perfectionis acquirendae » (cf. admonit. cap. V).

2. Et haberi posset ut decretum doctrinale, per quod introduceretur schema XII *de laicis.*

II. *Doctrina.*

1. Conceptum exhibet nimis iuridicum laici, qui praesertim consideratur prout subiectus est hierarchiae. Et ita terminis nimis strictis conscribitur id quod iure de laicis asseritur, « vivum scilicet esse populi Dei membrum, a quo eiusdem populi ratio iure repeti potest ».

Per totum praesens caput, apparet duorum textuum iuxtapositio, quorum unus, et quidem positivus, in quo firmissime asseverantur obligationes et iura laici in Ecclesia, prout membrum est populi Dei et ille a quo eiusdem populi ratio iure petenda est; alter autem negativus, in quo laicus ostenditur per oppositionem auctoritati hierarchiae eiusque propriae missionis, ut, eiusdem hierarchiae, subditus.

2. Sacerdotium universale laici (n. 21) modo negativo definitur, in quantum distinctum a sacerdotio ministeriali, et ideo magis videtur imminutum quam assertum, dum e contra pag. 38, linn. 9-23 positive describitur.

Distinctiones autem inter utrumque sacerdotium non semper perplacenti modo exponuntur (cf. pag. 37, lin. 21 ss.).

3. Virtus a Sancta Providentia, tam sub respectu naturae (indoles terrenae civitatis) quam religionis vitae in saeculo indita nusquam asseritur. Vita in saeculo videtur laico christiano periculosa.

4. Missio apostolica laici in gremio Actionis Catholicae, secundum formulam describitur a Pio XI traditam: « Participatio nempe ad apostolatum hierarchicum ». Pius XII locutus erat de cooperatione eidem apostolatui.

Otiosum non esset, si in hoc ipso loco, tria notarentur eiusdem apostolicae missionis fundamenta: baptisma et confirmatio, diversa charismata, mandatum hierarchiae.

Ille autem apostolatus exerceri potest « personaliter » vel in sinu cuiusdam consociationis atque communitatis cui concreditum est speciale mandatum, semper etiam sub hierarchiae auctoritate, ad bonum civitatis christianae (*Cor.* XII).

III. *Ordinatio huius capitis.*

1. Melior ordinatio, magisque dialectica diversarum quaestionum, quarum sermo est in hoc articulo lucidiora redderet quae ibidem docentur.

— Antequam enim de sacerdotio laicorum disseratur (n. 21), melius diceretur quinam veniunt in Ecclesia sub appellatione « laici » (n. 22).

— Et cum sermocinatur de pensis quae laicis pertinent, haec pensa recensenda essent ordine logico et progredienti.

2. Et sic vitarentur quaedam repetitiones (e. g. cf. pag. 37, linn. 3-8, et pag. 38, linn. 13-16). Et ita allevaretur textus et clarior fieret. Pariter, omnia quae negative dicuntur de laico « subiecto hierarchiae » et sacerdotio universali. Semel dictum sit de oboedientia hierarchiae debita et, de sacerdotio laici quod non sit personale, sed collectivum aut universale.

IV. *De stylo.*

Genus autem dicendi huius capitis videtur magis convenire alicui Litterae Encyclicae, quam decreto Conciliari.

B) *Animadversiones circa ordinem et textum huius capitis.*

N. 20: « Principium ».

1. Pag. 36, lin. 5: Antequam vocantur ut fiant cooperatores operis salutiferi Christi, de eodem opere fideles lucrum faciunt.

2. Delere linn. 1-7, et loco earum ponere verba 1 *Pet.* 2, 4-11 (cf. *Apoc.* 1, 6; 5, 9-10; 20, 6) pag. 36, linn. 30-33 iam adducta.

Et sic laicus directe statueretur membrum vivum populi Dei. Qui modus praesentandi doctrinam magis videtur oecumenicus.

3. Quae remanent de textu (linn. 7-20) sine gravi mutatione ordinari possent. Tollantur vel ad minus abbrevientur linn. 10-20, ut sic brevior sit textus.

N. 21: Ponatur hic numerus 22, « Quinam nomine laicorum veniant » (pag. 37, linn. 25-35). Tollere forte incisum negativum (linn. 29-31).

Ante textum hunc, non incongrue poni posset definitio laici magis biblica: « Laicus ille est qui baptizatus (*Gal.* 3, 27) fit filius Dei (*Gal.* 4, 5-7; *Eph.* 1, 5 sq.) et membrum vivum, rationemque redditurum (*Eph.* 2, 12; 3, 17-19; 4, 15) populi Dei, i. e. Ecclesiae, Corporis Christi (*Rom.* 6, 4-6-11); vivens de fide (*Gal.* 2, 20 etc.) et de caritate (1 *Cor.* 12, 4-13) et haeres promissionum divinarum (*Eph.* 1, 18; *Rom.* 8, 15-18) (Dignitas laici). Cf. specialius Sacrosancta Synodus, linn. 25-35.

N. 22: « De sacerdotio universali ».

1. Exponatur positive hoc sacerdotium: ad hoc, simul componantur quae continentur pag. 36, linn. 21-33; pag. 37, linn. 1-17 et pag. 38, linn. 9-12, et vitentur repetitiones.

2. Ad stabiliendam necessariam distinctionem cum sacerdotio ministeriali, videtur sufficiens, si loco textus pag. 37, 9-22, adderetur: « Laici per characterem baptismalem participes efficiuntur sacerdotio Christi, non titulo individuali vel personali, sed collective, prout sunt membra populi sacerdotalis Dei. Hoc titulo operam conferre possunt in cultum quem Ecclesia Deo exhibet nomine Christi. Cf. pag. 37, linn. 3-9.

3. Non sine utilitate adderetur laicum vocari posse ad ministrandum (ut minister veri nominis) sacramentum matrimonii vel ad recipiendum sacra-

mentum Ordinis (Sacerdotium ministeriale) vel ad amplectendum statum evangelicae perfectionis, tum in statu religioso, tum in ipsa vita saeculari.

Specialia: pag. 37, lin. 9 et sqq., loco « proprii nominis », dicere « ministerialis ».

Pag. 37, lin. 22: « Primum potestate sua... dirigat », hic modus loquendi non multum placet.

N. 23: « De iuribus et officiis laicorum ».

1. Pag. 38, linn. 1-3: melius locaretur ante pag. 37, linn. 38-39.

2. Pag. 38, lin. 3: addendum: ius habent suffragiis, precibus meritisque Ecclesiae.

3. Pag. 38, linn. 5-8: supprimi potest quae ad pastores pertinent.

4. Ne serventur in sequentibus, nisi quae pertinent iuribus et officiis non adhuc in praecedenti numero recensitis, i. e. praesertim pag. 38, linn. 16-22.

5. Pag. 38, linn. 22-23: laicos auctoritatem habere in certis negotiis sibi proprie pertinentibus. Cf. pag. 40, lin. 13. Caritas videtur dici auctoritate inferior.

N. 24: « De vita salutifera ».

Meliore ordine tradantur textus nn. 24 et 25, pag. 38, lin. 38 ad pag. 39, lin. 37.

1. *Participatio laici actui creatori Dei.*

a) Adiutor est Dei in ordinatione et accommodatione Universi. (Valor humanus et religiosus laboris, progressus in technicis, et humanarum civilisationum).

Ius habet ad usum rerum creatarum (cf. pag. 39, linn. 22-36: de his quae hic dicta sunt, utendum est, ut magis ostendatur humanus et religiosus vitae saecularis valor).

b) Addatur: Si vocatur ad focum constituendum, persaepe vocatur etiam ad hoc ut particeps fiat actui Dei, humani generis Creatoris, secundum divinam ordinationem (*Gen.* 1). Et eodem facto, et eo etiam quod iubetur mentem filiorum suorum optimis praeceptis formare, promotioni familiae Dei rectam dat operam.

c) Addatur: Et eo quod a Deo creatus est, ut vitam cum aliis agat hominibus, membrum est actuosum Civitatis humanae, cuius ordinationis et promotionis ratio ab eo est reddenda (cf. pag. 40, lin. 26 ad pag. 41, lin. 8).

N. 25: 2. *De collaboratione laicorum missioni Ecclesiae.*

Cum, loco suo, et sub auctoritate hierarchiae, de missione salutari Ecclesiae concredita et de Corporis Christi incremento laicus rationem reddere debet (*Eph.* 4, 16; 1 *Cor.* 12, 23 sq.), eo ipso ius et officium habet communicandi actioni Ecclesiae.

a) Rationes missionis apostolicae laici haec recensentur: expostulationes sui baptismi et confirmationis, et pro aliquibus matrimonii; charismata pro bono communi concessa et secundum regulas a S. Paulo stabilitas (1 *Cor.* 12, 7 sq.; 14, 5-26), primatus fidei et caritatis; mandatum ab hierarchia concessum.

b) Pensa autem apostolica laici:

1) Sanatio huius mundi (cf. pag. 39, linn. 14-21).

2) Munus evangelizandi et sanctificandi (cf. pag. 38, lin. 38 ad pag. 39, lin. 13), quae munera sub diversis formis exerceri possunt: (cf. n. 25, pag. 39, lin. 38 ad pag. 40, lin. 2). (N.B. inferius):

— personaliter (cf. pag. 40, linn. 3-9);

— collective: pag. 40, linn. 10-20: Actio Catholica quae non est ostendenda ut adiutorium tantum clero adhibitum, sed ut vocatio propria laici, ratione trium principiorum quae superius iam fuerunt enumerata, quae ei confert obligationes quasdam reddendi rationem et consequenter quaedam iura ab hierarchia recognoscenda.

Sedulo ostendendum est hanc Actionem Catholicam rem esse maximi momenti, siquidem operam in communi confert apostolatui hierarchico, secundum apostolatus formas ab eadem hierarchia stabilitas vel approbatas.

Pag. 40, linn. 21-25: Actio secundum christianam caritatem.

Sedulo ostendendus est valor theologicus actus quo christiani adiuvant proximum in suis necessitatibus, praesertim vero, cum in concreto ad opera caritatis se exercent, cum Ecclesia et in Ecclesia.

N. 26: « De sana autonomia ».

Emendetur tonus vocis negativus et damnatorius in fine istius articuli: pag. 41, linn. 20-23.

Optime ad memoriam revocatur principium: « Unde... propriis regitur principiis », linn. 18-20, et sic terminetur: « Vis humana sese ita exercens secundum legem divinam normaliter debet hominibus beneficia procurare quae ab ea exspectant pro se et humana societate ».

N. 27: « Adhortatio ».

Textus servandus.

N. B.: Optabile esset si in memoriam hic revocarentur, praeter ea quae dicuntur pag. 39, linn. 1-13, partes universitatis fidelium in conservatione et incremento fidei (cf. cap. VII « De Ecclesiae magisterio », pag. 51, n. 33, linn. 33-36 et pag. 52, n. 34).

CAPUT VII: *De Ecclesiae magisterio.*

Rogabamus (cf. animadversiones in capp. II, III et VII) ut artt. 28, 29 et 30 huiusce capitis in cap. « De episcopis » inserantur.

Artt. vero 31 et 32 locum suum in constitutione conciliari non videntur obtinendum; servati autem, abbreviandi et emendandae sunt linn. 17-18 (pag. 50).

In art. 33, lin. 22-32 inserendae sint in articulo « de presbyteratu ».

Finis art. 33 necnon et art. 34 inserendi videntur in capite « de laicis » (cf. pag. 39, linn. 1-13). Opportunum enim nobis videtur partem laicorum in constitutione dogmatica *de Ecclesia* in memoriam revocare; altera utique constitutio de catechistarum atque parentum partibus tractabit, sed unice sub aspectu canonico ac paedagogico.

Conveniens igitur sit non praeterire vices fidelium communitatis in servanda et propaganda fide.

CAPUT VIII: *De auctoritate et oboedientia in Ecclesia.*

I. *Animadversiones generales.*

Quaestio ponitur utrum opportunum sit hoc capitulum conservare. Nobis videtur quod *non.* Rationes sunt:

1. Ad *aequilibrium* totius schematis spectandum est. De virtute oboedientiae tractare, dum de aliis virtutibus magni momenti nihil dicitur, est quasi insinuare hanc virtutem catholicorum ut talium specificam esse. At, vita christiana prae primis theologalis est, unionis scilicet personalis cum Deo, ipsis Divinis Personis in anima iusta inhabitantibus.

2. Sic *praeiudicio* faveretur secundum quod *Ecclesia catholica* est *indolis quasi exclusive iuridicae* ita ut catholici, talibus iuridicis et socialibus nexibus vincti, vita religiosa personali careant. Item praeiudicio faveretur secundum quod Ecclesia est *potestas politica.*

3. Etsi hodie quaestio de oboedientia agitetur, audiendus est potius S. Paulus dicens: « Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros... » (*Col.* 3, 21). Hic asserta ad oboedientiam fovendam nihil afferent.

4. Communiter magistri vitae spiritualis de oboedientia loquuntur, non qua est virtus specialis, sed qua exercetur, simul scilicet cum aliis virtutibus, praesertim theologalibus. De hac re, cf. S. Thomas, *Summa Theol.,* II-II, q. 104, a. 2.

Hoc elementum, ut ita dicam, *mysticum* in textu nostro deest.

II. *Animadversiones quoad particularia.*

Pag. 59, n. 36. *Quoad crisim auctoritatis* duo sunt notanda.

a) Forsan si talis crisis habeatur, ratio est *abusus auctoritatis* qui hoc in saeculo in nonnullis politicis regiminibus irrepserunt.

b) Loquendo generaliter de crisi auctoritatis, non satis exponitur quid specificum importet oboedientia *christiana, supernaturalis* scilicet. Textus mysterium Ecclesiae non ostendit.

Lin. 12, S. Paulus de potestate civili loquitur. Si textum Scripturae vis initio citare, melius esset *Phil.* 2, 8, in quo character supernaturale et mysticum oboedientiae christianae directe lucet (cf. pag. 60, lin. 8).

N. 37: De his simul ac de magisterio tractare oportet. Sequentia deberent affirmari:

a) *Vita theologalis,* caritatis praesertim, primatum tenet. Relate ad hanc vitam, *magisterium humile servitium* esse constat.

b) Erga magisterium fideles non tantum ad oboedientiam tenentur. Periculosum est, ut frequentius accidit, tantum oboedientiam exigere. Nam si agatur de propositione obiecti fidei, *fides theologalis* exigitur; si agatur de alia doctrina, *docilitas supernaturalis* requiritur. Directivae practicae oboedientiam specifice requirunt. Hae distinctiones deberent afferri.

Pag. 60, linn. 11-24: Pius XII has praecisiones ad casus particulares retulit, uti in allocutione convenit, non autem in constitutione conciliari.

Similiter haec de quibus quaestio est nn. 38, 39, non videntur ad constitutionem conciliarem pertinere.

Pag. 62, linn. 35-41: Periculum de quo tractatur videtur quid imaginarium esse. Nonne talibus assertis malum provocabitur potius quam sanabitur?

III. *Propositum.*

Sufficit de oboedientia clare ac breviter loqui in capitulis « de episcopis » vel « de laicis ».

Verum, argumentum iterum veniet in schematibus de disciplina cleri ac de religiosis.

CAPUT IX: *De relationibus inter Ecclesiam et Statum.*

I. *Animadversiones generales.*

1. Quaestio ponitur utrum hoc capitulum sit *opportunum,* saltem sub forma actuali. Nobis videtur quod *non.* Rationes sunt:

2. Ad aequilibrium totius schematis spectandum est. Cavendum est ne Ecclesia uti *potestas politica* appareat, si nimis de his rebus insistitur.

3. Sicut capp. I et II modo restrictive iuridico de Ecclesia loquuntur, ita hic praesertim agitur de *potestate civili* et de *potestate iurisdictionis* Ecclesiae. Hic aspectus est valde limitatus ac insufficiens.

4. Ex facto *democratiae,* indoles Status temporibus hodiernis mutatur. Verbo democratiae intelligitur agnitio iuridica et effectiva responsabilitatis socialis et politicae uniuscuiusque personae humanae. Ex hoc facto sequitur indoles essentialiter *pluralistica,* ut aiunt, Status moderni. De hac re, cf. Pius XII, *Nunt. Radioph.* Nat. 1944, quod in notis ignoratur.

5. Hoc capitulum ignorat *situationem realem mundi,* ubi populi catholici perpauci sunt *neque normam* pro aliis constituere possunt, dum simul Ecclesia Dei sit ubicumque terrarum dispersa.

6. Pluralismus, etiam religiosus, est *factum sociale et politicum irreversibile,* quod ex technica oritur, mediis communicationis semper perfectioribus existentibus populisque sese de die in diem magis miscentibus.

7. Quare distinctio inter principia applicationis pro nationibus catholicis, non-catholicis, mixtis, anachronismum sapit, dum re vera nulla sit hodie natio quae ab aliis separari possit. Quod fit in uno loco ubicumque effectus habet, ita ut nunquam a bono communi totius Ecclesiae abstrahere sit possibile.

8. Certum est de his rebus mox *legislationes internationales* haberi, ad quas Concilium spectare oportet.

9. Argumentum est maximi momenti pro missionibus. Nam, omnes magnae religiones, uti Iudaismus, Islam, Buddhismus distinctionem inter ea quae sunt Dei et ea quae sunt Caesaris ignorant. Si de statu catholico tanquam de norma loquimur, provocabitur reactio theoretica in variis nationibus, quae reactio obstaculum robustissimum contra missiones adstruet. Quaestio est

gravissima. Cavendum est ne nocumentum quasi irreparabile pro Evangelio oriatur. Ita nn. 42, 43 non conveniunt.

10. Explicite affirmare oportet *ius* pro unaquaque persona humana *lumen conscientiae sequendi.* Hoc iure ubicumque terrarum agnito, adiumentum non parvum ad missiones erit.

Etiam quoad *oecumenismum* res est maximi momenti. Quare allocutio Pii XII de hoc argumento, diei 6-12-53 (*A.A.S.* 794) nequidem in notis citatur?

Varii episcopi etiam de hac re locuti sunt.

11. Modus dicendi textus saepe saepius gubernantibus civilibus *provocans* apparebit.

II. *Animadversiones quoad particularia.*

Titulus de Statu loquitur. Rectius n. 40 loquitur de societate civili. At postea quasi exclusive quaestio ad potestatem civilem restringitur.

Pag. 64, linn. 25-33 deleantur.

Lin. 30, *si perdat*: non est sensus textus Evangelii, qui ad personam individualem spectat.

Pag. 65, n. 41. Ex modo dicendi, Ecclesia apparebit ut dominatrix.

Ecclesia non avellit homines a recta cura rerum temporalium, ut aliqui (marxismus) calumniant, sed eos ad servitium impellit.

Quoad hoc, linn. 7-11 diffidentiam sapiunt. Et quae linn. 20-23 habentur melius deberent exprimi, ita ut pateat Ecclesiam etiam bono societatis humanae servire.

Lin. 21 et sq. Qui sunt hi « rectores »? Quomodo, si sic loquimur, noncatholici Matrem Ecclesiam unquam agnoscere poterunt?

Quae supra dicta sunt valent de nn. 42, 43.

Pag. 66, linn. 6-7 non concordant cum indole pluralistica Status in societate democratica.

Lin. 11: « modo quodam sociali »: supponitur quod Status leges revelatas ac originem divinam Ecclesiae auctoritatis agnoverit. Quod tantum apud perpaucas nationes verificatur. Plerique, legentes hunc textum, ad voluntatem dominandi concludent.

Linn. 18-19, « id intendatur... ad vitam aeternam conducens » non convenit. Nam talis formula insinuare videtur quod deficiente cognitione finis supernaturalis, nihil boni remanet, quod patet esse falsum. Momentum ordinis naturalis non sat consideratur.

Lin. 23 et sq. Principium in se verum non invenit hodie in plerisque nationibus situationem correspondentem. Multi ex textu concludent doctrinam catholicam ibi tantum applicari posse ubi catholici maiorem partem constituant. Hoc principium insuper praetextum praebere posset minoritates opprimendi. Deinde textus ignorare videtur catholicos in plerisque nationibus minoritatem constituere nec plena libertate gaudere posse, nisi mutuis iuribus omnibus agnitis.

Adhuc periculum quoad missiones nasci potest. Nam in regionibus ubi error invincibilis viget, « potestas civilis », maioris partis civium interpres,

cultum non-christianum Deo reddet. Quod forsan debemus ad tempus ex necessitate tolerare. Sed hoc principio cultus falsus, obstaculum missioni praebens, roborari poterit. In multis regionibus pressio socialis impedit ne personae sese libere ad Deum convertant. Cautissime in his rebus ac omnibus perpensis procedendum est. In societate pluralistica sunt aliae viae Deum colendi.

Multi scandalizabuntur legendo n. 44 ubi dicitur quod moderamen in applicatione principiorum adhibendum est. Res ab eis ita intelligetur quod Ecclesia patienter occasionem dominandi exspectat.

Lin. 37, expressiones ut: *permittere nequit* gratis offendunt. Quomodo Ecclesia amari potest, si tantum iura sua proclamat?

III. *Proposita.*

1. Potius quam de potestate civili de *societate civili* loquendum est. Ecclesiam uti *mysterium gratiae* praesentare oportet. Sic affirmetur gratiam supra societatem humanam redundare ad inspirandam et transformandam vitam socialem diversis modis. Ex quo magnum bonum pro ipsa societate civili resultet.

2. Melius affirmetur distinctio inter Ecclesiam et societatem civilem necnon sana autonomia atque « indoles laica terrenae civitatis » (cf. pag. 41, cap. VI, n. 26, lin. 19). Quae affirmatio est hodie *spes missionum.*

3. Melius affirmetur *lex naturalis,* quae iam munera religiosa importat. Haec lex ab omnibus hominibus et a legislatione internationali agnosci potest. Si rite intelligatur, comprehendit possibilitatem revelationis necnon societatis religiosae.

4. Secretariatus pro unitate textum praeparavit, in quo plene *pro unoquoque homine ius lumen conscientiae sequendi in veritate quaerenda* agnoscitur. Quod ius clare affirmare oportet.

CAPUT X: *De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum.*

I. *Animadversiones generales.*

1. Hoc capitulum non debet in ultimo loco poni. Nam argumentum essentialiter ad *naturam Ecclesiae* eiusdemque *ad salutem necessitatem* pertinet, de quibus in cap. I et II quaestio est.

2. Immo, diversis sub aspectibus Ecclesia est missionaria. Sic sollicitudo missionis, ex mandato, *magisterio,* uti servitium est, scilicet Papae et episcopis, competit.

Universalius, *ex mandato caritatis* iam *omnibus baptizatis* intentio ac opus missionis aliquomodo competunt.

Quare argumentum deberet tractari inde ab initio ac in diversis capitulis, scilicet I, II, postea in capitulis de episcopis, de religiosis, de laicis. Hoc specialiter valet de nn. 45, 46.

3. Hodie nonnulli populi ac gubernantes magna erga missiones suspicione laborant, dum asserunt Ecclesiam voluntate dominandi impelli. Quare

oportet Ecclesiam sese cum magna benevolentia atque humilitate praesentare. Omnibus pateat intentio Ecclesiae servitii tantum esse. Quod *ex modo loquendi* capituli non elucet, dum nimis circa iura sermo versatur.

4. Item clare affirmare oportet *Ecclesiam supra omnes culturas ac nationes* esse diversorumque populorum dotibus favere, sicut optime dictum est in schemate *de Liturgia,* cap. I, n. 37. Nam hodie saepe saepius Ecclesiam esse rem mere occidentalem accusant.

5. Nihil dicitur de iure populorum ad *Evangelii praedicationem recipiendam.*

II. *Animadversiones quoad particularia.*

Pag. 74, n. 45: linn. 2, 9, textus: *ignem...* et *si evangelizavero* caritatem respiciunt.

Linn. 6, 19, textus: *Euntes..., Data est...* ad iurisdictionem pertinent. Haec ordinatim deberent affirmari.

N. 46: lin. 28, *ius inalienabile* non convenit. Melius esset dicere modum agendi Christi esse normam modi agendi Ecclesiae (cf. *Phil.* 2, 6-11).

Sic oportet pag. 75 denuo scribere, cum contineat plures formulas quae inutiliter offendent (v. g. linn. 1-3, 7, 11, 24-25, 27-29, 32-38).

Idem dicendum est de pag. 76, lin. 10 et sq.: *ius supremum,* etc.

Pag. 76, n. 47: lin. 8 et sq. addere: *et episcopis collegialiter sumptis.*

Linn. 26-27: *Religio et caritas insuper* non convenit. Videretur quod ageretur de titulis superadditis ad missionem. E contra, origo missionis est caritas Dei, Filii Incarnati et Ecclesiae, quae caritas, ut communicanda, etiam missionis finis existit.

III. *Proposita.*

1. Titulus mutetur: Missio Ecclesiae.

2. Capitulum deberet initium sumere *ex missione Filii*: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (*Io.* 20, 21 et passim). Ratio huius missionis est amor Patris pro mundo salvando (cf. *Io.* 3, 16). Thema missionis ubicumque est in Novo Testamento.

3. Ex hoc, missio Ecclesiae a Filio, ex tribus Christi dotibus explicari deberet, regalitatis scilicet, sacerdotii et caritatis. Explicite affirmetur caritatem, iam in Deo consideratam, esse primam causam et etiam finem missionis. Sic iam ex titulo caritatis omnes christifideles, etiam laici, vocationem missionariam habent.

At « maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis » (*Io.* 15, 13). Sic spiritus missionarius initium habet in oratione et sacrificiis, quibus christifideles participes fiunt operis redemptionis (cf. *Col.* 1, 24).

Sic posset distingui inter spiritum missionarium qui in omnibus christifidelibus titulo caritatis vigere debet, et missionem iurisdictionalem successoribus apostolorum concreditam. Quae missio hierarchica participari potest etiam a laicis (Actio Catholica). Sic munus laicorum melius elucebit.

Omnia haec pulchre dici possunt cum locutionibus ex Evangelio Ioannis

desumptis. Verbum *missio* praeeligendum est potius quam verba: *ius, officia* quae quid iuridicum habent et ideo non intelligentur, immo offendent.

SCHEMA « *De Beata Maria Virgine Matre Dei et Matre hominum* ».

A) *Admonitiones generales.*

Laudatis omnibus quae in eo egregia reperiuntur, textus propositus in sua integritate retineri nobis videtur, exceptis tamen quibusdam locis, sensu nostro aptandis vel corrigendis.

I. *De insertione schematis de B. M. V. in schema « De Ecclesia ».*

1. Huic insertioni, in congregatione generali iam admissae, libenter adhaeremus, quibusdam tamen in modo dicendi adhibitis temperamentis. Utile enim esset, si iam a principio locus Sanctissimae Virginis in Ecclesia accurate definiretur et textus ipse coarctaretur.

Videantur, in calce praesentis animadversionis, quaedam de huiusmodi arctatione propositae suasiones.

2. Non putaretur otiosum, si Maria ostenderetur non solum Christi Mater omniumque Corporis Mystici membrorum, sed etiam, ipsomet facto, eiusdem Ecclesiae figura primumque membrum.

Et in n. 4, non sine utilitate concinniter notaretur praerogativas B. M. V. easdem esse, meliori tamen modo, immediate quidem et intensiore mensura, quas Ecclesia progrediendo tamen recipit et in solo saeculorum fine totaliter possidebit.

In n. 3, convenienter etiam, sub quodam ecclesiali prospectu, partes Mariae, prout est Ecclesiae figura, in oeconomia salutis ostenderentur, si quidem Beata Virgo ipsa est in qua et per quam dicimus « Fiat » actui quo a Salvatore sumus redempti, eumdemque suscipimus.

Optandum etiam esset, ut in meliore luce Maria poneretur figura Ecclesiae eschatologica, ad hoc saltem ut introducatur in schemate *de Ecclesia* aspectus eschatologicus, qui in dicto schemate adhuc desideratur.

II. *De extensione dogmatica huius capitis.*

Vultne tantum esse conspectus doctrinae a Magisterio Ordinario communiter traditae, quod videtur consequi ex linn. 5-6, pag. 100? Et si ita esset, intenditurne integram doctrinam sic expositam omnibus et integre imponi? Quod suspicari potest ex eo quod recordetur auxilium Spiritus Sancti Ecclesiae concessum, et etiam ex aliquibus assertionibus de certis quaestionibus usque nunc libere discussis.

Maximi momenti esset, ut iam dictum est in admonitionibus generalibus in schemate, Patres suam intentionem apertissime et planissime manifestare posse.

III. *De positione mentium relate ad opiniones de quibus controvertitur.*

Schema suam voluntatem declarat certas emendandi erratas opiniones (pag. 100, lin. 13 ss.) quarum saltem una ab aliquibus doctoribus catholicis minime quidem suspectis aperte sustinetur (ignorantia Beatae Mariae Virginis relate ad divinitatem Christi, in die Annuntiationis, pag. 94, linn. 8-10).

De virginitate in partu eo modo concinniter loquitur, qui nunc temporis inutilis videtur. Mortem Virginis asserit confidenter, de qua et generaliter de novissimis Mariae, et Scriptura et Traditio primitiva tacent vel nihil certi tradunt; et Pius XII ipse, in definitione Assumptionis non nisi leviter tetigit. Et cum de Mediatione B. M. V. idem schema tractat, formulationes adhibet, quae ulterius tendunt quam definitum est et etiam ab Encyclicis usque nunc propositum est.

Ceterum formulis utitur non satis explicitis, immo ambiguis, quae non una vice cuidam illabuntur inciso, et etiam sermone minime normativo, ita proinde ut vix videri possit an sit voluntas doctrinam certam definiendi, vel ad minus aliquos loquendi modos iudicio suo approbandi, qui uni aut alteri favent opinioni theologicae.

Ad mediationem Virginis specialiter quod attinet, hanc doctrinam non credimus nunc ita esse maturam ut praecise iam definiatur. Videtur etiam aliquibus optabile fore, si non adhiberetur vox « Mediatrix »: siquidem vocabulum non appareat in oriente ante saec. VIII; in occidente autem non nisi saec. XI vel XII. Et aliunde S. Paulus de « Uno » loquitur « mediatore ». Multi et de istis locutionibus decertabunt, incertis quidem et in scholis adhuc sub lite: e. g. « Eum, scilicet, ut pretium redemptionis nostrae... magno animo obtulit » (pag. 94, linn. 13-15); « Generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda » (pag. 94, linn. 24-25); « eo quod sociata fuit Christo in illis acquirendis » (pag. 95, lin. 32).

Magis conveniens videretur in hac sententia sistere, quae tenet Mariam operi salutis consensum praebuisse, dum matrem Christi libere acceperit, quin tamen asseratur veri nominis « consociatio » in humani generis redemptione peragenda (pag. 94, lin. 6). Etenim Christus actus redemptionis unus fuit auctor.

Ut satisfaciatur istis animadversionibus, satis videretur quaedam verba supprimi vel saltem corrigi, secundum redactiones, quas infra proponimus.

IV. *De aspectu oecumenico.*

Novae definitiones, si forte admitterentur, dialogum cum non catholicis minus facilem redderent, et non essent admittendae, nisi vere utiles apparerent, quod nobis non videtur.

Optarentur exposita magis simplicia, magis e Bibliis exarata, quae locum B. M. V. in historia salutis et Ecclesiae apertius clariusque ostendant. Ceterum et generaliter loquendo, schema citationes ex Encyclicis depromptas plus adhibet quam videtur convenire in constitutione dogmatica. Documenta enim pontificia, etsi maxima gaudeant auctoritate, ad magisterium ordinarium pertinent et si certe traditionem catholicam tradunt, marialem tamen pietatem etiam exprimunt cuiusdam saeculi vel loci.

Optaretur n. 6 deleri. Si tamen servaretur, non nisi protrahatur usque ad 26 lin., et ita emendetur: « ut tandem aliquando fiat unum ovile et unus pastor ».

Similiter hic et illic, hic vel ille loquendi modus non adhibeatur, qui

moerorem vel indignationem quibusdam ferret, e. g.: « Sacris litteris adversarii » (pag. 95, lin. 1 et pag. 98, linn. 11-13).

B) *Animadversiones circa textum huius schematis.*

N. 1, pag. 93, linn. 1-26: Conveniens erit si abbrevietur et tali modo redigatur, ut schemati *de Ecclesia* cap. de B. M. V. integretur.

N. 2, pag. 93, lin. 34: Deleantur verba « et sic liberatio ope utriusque sexus haberetur » quae videntur mala esse interpretatio thematis de Nova Eva.

Pag. 94, lin. 1: corrigendae videntur sequentes expressiones: « non id ante perfecit quam... » et lin. 17: « non ante perfectum erit quam » utpote non satis simplices.

Pag. 94, linn. 3-4: Vide superius, animadversiones generales III.

Pag. 94, lin. 6: « verum etiam cum eo et sub eo operam suam consociavit in humani generis redemptione peragenda ». An velit Concilium de hac consociatione definire? Textus autem commissioni centrali propositus hic erat: « concors cum eo in humani generis redemptione ». Quae formula nobis magis placet.

Pag. 93, lin. 32 ad p. 94, lin. 8: Initium huius articuli magis simpliciter sic redigi posset: « Cum igitur Verbum Dei Hominis naturam " ex muliere " (*Gal.* 4, 4) sumere voluerit, ut quemadmodum per feminam mors ita et vita nobis per feminam oriretur, liberam acceptationem quaesivit illae " benedictae " mulieris, ex meritis Christi sublimiore modo redempta. Quo consensu Maria non tantum Mater Iesu facta est, sed ancilla operis Filii unici Redemptoris. Huiusmodi etc. ».

Pag. 94, linn. 10-11: Incisum delere: « a tempore... perseveravit ».

Pag. 94, linn. 13-14: Vide superius, animadvers. general. III.

Pag. 94, lin. 15: Loco « mater hominibus data est », scribere: « mater discipulis data est »; vel « mater discipulorum declaratur ». Multis siquidem exegetis videtur S. Ioannem ultra discipulos non cogitasse.

Pag. 94, linn. 21-26: Quae hic dicuntur, sine damno delerentur. Siquidem eadem omnia alio loco de novo exprimuntur; et de certis loquendi modis discuti potest, e. g. « in gratia acquirenda ». Vide superius, admonit. general. III.

— « Dei hominumque mater ». Cum non in eodem sensu Maria mater est Dei et hominum, melius videretur dicere: « mater Dei et mater hominum ». Idem invenitur pag. 97, lin. 19 et pag. 98, lin. 21.

— « gratiarum administra et dispensatrix ». Hic modus dicendi non videtur aptius ad exprimendum mariale mysterium, et omnino alienus sermoni orientalium.

Pag. 94, linn. 31-32: deleatur « ut quidem aiunt ».

« In peripherie, in centro »: inveniantur termini magis intelligibiles. Vitandae autem sunt in constitutione dogmatica expressiones quae non inveniuntur nisi in certis auctoribus; adhibendae autem positivae.

N. 3: Cum commissio praeparatoria ex duobus textibus sibi propositis

unum eligere noluerit, utrumque coniunxit, ex quo multa diversis locis repetuntur, et quaedam disproportio invenitur inter partes textus « de Mediatrice ».

Textus abbreviandus est, eo vel magis quod, ut diximus in admonitionibus generalibus, doctrina de Mediatione Mariae non nobis ita videtur matura, ut stricte sit definienda. Plures solutiones possibiles sunt. Et ideo proponimus ut deleantur pag. 95, linn. 2-36, et legatur: « ... adversari: ita quando beatissima Virgo gratiarum mediatrix nuncupatur, nullo modo mediatio unici nostri Redemptoris, etc. » (lin. 37).

Conveniens ceterum esset, si daretur primae phrasi articuli 4, forma sermonis positivi. Ad minus supprimantur verba « immo sacris litteris adversari » (pag. 95, lin. 1), inutiliter aggressive sonant. Cf. admonit. general. IV.

Ultima pars articuli, uti bona, admittitur.

N. 4, pag. 96, linn. 21-24: Cf. admonit. general. IV; delendum videtur hoc incisum et legendum potius: « mirabilis denique in suo exitu, quia corpore et anima gloriose in caelum assumpta est ».

Pag. 96, lin. 38: loco « oportebat », melius diceretur: « decebat ».

Pag. 96, lin. 39: deleatur incisum de virginitate in partu, fides siquidem non videtur in hoc in discrimen adduci. Cf. animad. III.

N. 5, pag. 97, lin. 19: Sicut iam notavimus, Maria non in eodem sensu mater dicitur Dei et hominum; ideoque sufficiens erit, si dicatur hic: « erga Matrem Dei ». Et certe haec prolixa phrasis ad simpliciorem formam cum utilitate reduceretur (pag. 97, linn. 19-28).

Pag. 97, lin. 40: deleatur superlativum.

Pag. 98, lin. 7: non utatur verbis « fratres separati » (cf. schema *de Liturgia*).

Pag. 98, linn. 11-13: deleantur, siquidem inutilia et forte contumeliosa (cf. admonit. general. IV).

N. 6: Quaeri potest an ille articulus servabitur, cum schema de B. M. V. factum fuerit unum de capitibus schematis *de Ecclesia*. Si autem servetur, ut iam dictum est, abbrevietur (cf. admonit. general. IV).

Pag. 98, lin. 21: non videtur dicendum « Mater Dei hominumque ».

Pag. 98, linn. 21-25: omne hoc incisum sine incommodo deleretur.

24

Exc.mus P. D. ISIDORUS MARCUS EMANUEL

Episcopus Spirensis

Inclinante iam sessione prima huius ss. Concilii et levatis iam capitibus ad redemptionem nostram appropinquantem, faveatis quaeso, tamen ultimam particulam patientis advertentiae vestrae tribuere lacunae cuidam schematis

de Ecclesia. Praeter silentium illud de episcopis non residentialibus desideratur quoque sufficiens expositio de sacerdotibus minoris gradus seu de *presbyteratu.* Tangitur quidem hoc argumentum in textu, qui invenitur in cap. III, pag. 20, n. 12. Libenter etiam conceditur brevissimam illam pericopam refertam esse omnino elementis pretiosis, sed pro schemate de Ecclesia eiusque structura essentiali tractante videtur esse nimis parca, ne dicam avara. Eo vel magis, si comparatur cum tractatu de laicis multoties maiore. Valde gaudendum est de definitiva agnitione muneris laicorum in Ecclesia; sed non possumus eodem tempore statum presbyterorum quasi in margine tantum attingere.

Fateor sincere, primo intuitu istarum paucarum linearum de sacerdotibus tractantium mihi in mentem venisse verba illa S. Andreae Apostoli: « Haec autem quid sunt inter tantos » (*Marc.* 8, 9). Sane populus dicit in proverbio: « Qui habet crucem, imprimis benedicit seipsum ». At nemo nostrum ne umbram quidem alicuius « egoismi hierarchici » praebere vult ac si Patres Conciliares, qui utique sunt in possessione, sibi ipsis tantum provisuri fuissent. Novimus etiam axioma: « Accessorium sequitur principale »; sed sacerdotes sunt filii nostri dilectissimi et minime — parcatis verbo biblico — « catelli », qui « edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum » (*Mat.* 15, 27). Nullatenus autem nostro Concilio verba illa lamentosa miseri Esau obtingant ex ore cleri: « Num unam tantum benedictionem habes, pater...? Numquid non reservasti et mihi benedictionem? » (*Gen.* 27, 38).

Alia res est, si sacerdotes nonnulli quaerulantes, qui ubique habentur, legentes decretum de episcopis ironice psallent: « Nimis honorificati sunt... nimis confortatus est principatus eorum » (*Ps.* 138, 17). Nec possumus prorsus effugere obiurgationes illius invidiae, quae quasi peccatum hereditarium clericorum dici potest. (In quibusdam regionibus fama fert inter theologos thesim de invidia clericali esse quasi de fide. Non novi quidem hodiernam sententiam illustrium scholarum romanarum de hac materia. Attamen si inspiciuntur quaedam folia theologica vel etiam articuli in ephemeridibus a theologis saltem inspirati, tunc satis patet, etiam in alma Urbe invidiam istam clericalem saltem in praxi esse « fidei proximam »).

Alienissimum vero est Concilio novum nutritorium praestare huic vitio pernicioso, quod pullulat sicut zizania inter bonum triticum in agro regni Dei. Sed omnino roborare vult sanam aestimationem dignitatis sacerdotii ex viva et vivifica fide Ecclesiae Christi. S. Paulus scribit ad iuvenem episcopum Titum: « Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime si laborant in verbo et doctrina » — utique: duplici honore digni! — nec veretur apostolus verba illa realistica addere: « Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua » (1 *Tit.* 5, 17-18). Utinam adimpleatur etiam haec socialis postulatio apostoli pro clero semper et ubique!

Ut apostolorum successores genuini late pandimus cor nostrum sacerdotibus, qui nobiscum fideliter portant in vinea Domini pondus diei et aestus

(*Mat.* 20, 12). Quos in sacro ordinationis ritu alloquimur ut « adiutorium nostrum et cooperatores ordinis nostri, qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus ». Immo salutamus eos amantissimis Christi verbis: « Non iam dicam vos servos, sed amicos meos » (*Io.* 15, 15 - Pont. Rom.).

Illam puto paternam caritatem et fraternam amicitiam nostram ex Concilii eloquiis sacerdotes adhuc maiore calore sentiant resonare. In scriptis autem SS. Patrum necnon in documentis Summorum Pontificum uberrima offeruntur motiva ad textum congruenter redigendum.

II. Ultra hoc audeo huic sacro Concilio tempore maximae sacerdotum penuriae habito commendare actionem quandam symbolicam vel gestum generosum, quo maximam suam sacerdotii aestimationem efficacissime possit testificari, curando scilicet ut omnes sacerdotes sancti titulo sibi competenti designentur. Utique attingit haec mea propositio etiam revisionem librorum liturgicorum in alio schemate praevisam neque omisi tempore suo causam saltem in scriptis tradere, cum humilis mea persona prae numero et pondere aliorum oratorum — etiam pluries loquentium — ad microphonium pervenire non potuerit. Nunc autem, cum de Ecclesia eiusque sacerdotio agitur, res denuo urget « Et dixi, nunc coepi » (*Ps.* 76, 11).

Videlicet: ex permagno numero sanctorum *sacerdotum* paucissimi tantum in sacra Liturgia hoc titulo ornati inveniuntur: ut S. Hieronymus *presbyter,* confessor et Ecclesiae doctor vel S. Valentinus *presbyter* et martyr. Alii sacerdotes sancti simpliciter inter Martyres vel Confessores non Pontifices numerantur. Attamen rationes tum theologicae tum practicae videntur suadere, ut haec lacuna tandem expleatur.

Revera sacerdotes sancti in terris degentes perpetuum hauriebant sanctificationis augmentum ex gratiis in sacri ordinis sacramento collatis ad configurationem cum Christo Summo et Aeterno Sacerdote. In caelo autem triumphantes charactere indelebili sacerdotii signati prae sanctis non sacerdotibus in aeternum effulgent. (Hic caelestis « triumphalismus » certe ab omnibus patribus libenter admittitur). Porro iam in terris sacerdotes charactere dicto necnon ministerii sacri exercitio multo magis pontificibus appropinquant quam non-pontificibus. Sic legitur in Codice Iuris Canonici: « Ordo ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesia distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministerium » (can. 948).

Certo certius omnibus sacerdotibus Christi esset magnum confortamen, sanctuarii vero candidatis novum incentivum, si sacerdotes sancti in Liturgia titulo proprio ornarentur dignitatis suae praecelsae, quippe qua de sacerdotio Christi ipsius singulari modo participant, etsi non in summo gradu ut episcopi. Consentaneum insuper apparet eos etiam peculiari missa de Communi Sacerdotum honorari.

Quo facto cultus aliorum sanctorum minime detrimentum capiet. Nam diversitatem quandam gloriae etiam S. Paulus innuit de resurrectione dicens: « Stella enim a stella differt in claritate » (1 *Cor.* 15, 41).

Ex altera parte etiam sancti laici magis conspicui evadunt et in lucem po-

nuntur qua tales, si non iam una cum sacerdotibus mere privative « non pontifices » vocantur, sed potius positive « Confessores laici » nuncupantur. Quod omnino convenit cum iis, quae in cap. VI de laicorum munere dignissimo in Ecclesia enuntiantur.

Venerabiles Patres! In circuitu huius almi templi aspiciunt nos grandes statuae sanctorum Fundatorum ordinum et congregationum ex diversis saeculis et nationibus. Quorum plurimi sunt confessores non pontifices et exspectant quasi hanc solemnem agnitionem summae suae dignitatis, nempe sacerdotalis. Exspectant simul cum filiis eorum spiritualibus in terris omnes sacerdotes non pontifices, quorum dignissimi repraesentantes uti venerandi superiores et theologi periti altas huius aulae tribunas coronant. Licet suspicari propositum meum illis plane placere. Sed multi ex illis non gaudent iure suffragia ferendi — nec palam loquuntur, nisi interrogati. Restat igitur tantum appellare magnanimitatem eorum Patrum, qui sunt in possessione et non perperam « Sacerdotes Magni » canuntur.

Faxit igitur Deus, qui hilarem datorem diligit (2 *Cor.* 9, 7), ut placeant etiam episcopis ea, quae in honorem sanctorum sacerdotum non pontificum in caelis et in favorem sodalium eorum sanctificandorum in terris « in simplicitate cordis mei laetus » (*Miss. Rom.*) quidem, sed nolens prurire auribus nec a veritate auditum aversurus aut ad fabulas conversurus (cf. 2 *Tim.* 4, 4), prorsus sine gravitate defensoris fidei et sine severitate examinatoris conscientiarum, sed minime sine amore Ecclesiae, in qua sumus cum Summo Pastore cor unum et anima una (*Act.* 4, 32) et firmissima fide catholica romana, etsi pro modulo meo dixi.

25

Exc.mus P. D. ALOISIUS FRANCO CASCÓN
Episcopus Nivariensis

In schemate *de Ecclesia* non agitur, immo nec mentio fit huius gravis problematis, quod Ecclesiae prostat: aequa nempe sacerdotum distributio.

Cum de sacerdotibus in schemate quaestio est, nihil novi affertur; doctrina tantum traditionalis exponitur: sacerdotes ab episcopis ad ipsorum societatis et operis adiumentum ordinantur, et in eos veluti paternae plenitudinis abundantia transfunditur, sacramento recepto. In sacrificio Missae offerendo et sacramentis administrandis in persona Christi agunt: nullam tamen obtinent iurisdictionem in corpore Ecclesiae, quam ut adipiscantur necessarius est actus collativus subsequens vel Romani Pontificis, vel episcopi competentis.

Haec omnia vera sunt nec unquam negata, nec dubitata, nec in discrimen ducta. Sed in schemate nihil dicitur, ne insinuatur quidem — quod quidem, mea sententia, faciendum esset —, ponderosum illud et gravissimum problema de aequa eorum distributione, quae, in ordine saltem pastorali, unum

ex gravissimis est, quibus his temporibus Ecclesia premitur. Illud iniicere audeo, si forte Sacrum hoc Concilium dignum attentione consideret. En vobis problema: *aequa et librata sacerdotum distributio in Ecclesia.*

Problema grave est, complexum, difficile, novam requirens structuram legum canonicarum de incardinatione; novam mentem et rationem servitii erga dioecesim et Ecclesiam; requirit etiam ut novae leges adferantur, aut saltem adumbrentur, de officiis sacerdotum erga Corpus Christi Mysticum. Concilium vero coadunatum est, ut quaestiones illas solvat, quae difficiliores sunt; ut res novas inveniat, maxime in ordine pastorali; non autem ut illa iteret quae novimus et facimus.

Quod humillime Patribus Conciliaribus proponere volebam hoc est: In mundo catholico necessaria est aequa atque librata sacerdotum distributio, eamque Ecclesiam aggredi oportet.

I. *Factum.* Praesentem distributionem sacerdotum in orbe catholico aequam non esse, omnibus patet. Quod quidem satis confirmare videntur episcopi, qui dioecesibus suis sacerdotes petere atque mendicare non desinunt.

Sed numeri elatiore voce loquuntur. Est dioecesis trecentorum millium hominum, et triginta tantum habet sacerdotes; sunt aliae quadrigentarum millium animarum, cum quinquaginta sacerdotibus; aliae denique sunt ducentarum millium, ducentarum quinquaginta millium animarum, cum septem sacerdotibus, aut cum tredecim. Longum esset omnia enumerare.

At sunt e contra dioeceses, quae, cum trecentis millibus incolarum constent, octingentos habent sacerdotes; sunt quae ducentis millibus constant incolarum et sexcentos numerant sacerdotes; aliae tandem in quibus animae quinquaginta millia numerantur et mille habent sacerdotes. Elenchus etiam protrahi posset. Et quod de dioecesibus dicitur de paroeciis etiam dici potest. Problema igitur grave est atque animum stupens. Mystici corporis Christi membra non aequa atque pari ratione enutriuntur. Satis apparet quasdam Ecclesiae partes ministeriali et pastorali cura esse affluentes, alias vero partes summa egestate, ac curae spiritualis defectione vexari. Occasio est peropportuna, mihi videtur, ut his malis remedia adhibeantur.

II. *Remedia.* Nonne Concilium hoc, in primis atque magnopere pastorale, hoc gravissimum problema aggredi eique solutionem aliquam praebere posset?

Variae quidem solutiones proponi possunt, quae certe difficultate non carent; sed ut dixi, Concilio adsumus ut quae sunt difficiliora solvamus; faciliora ac leviora Conciliis non egent. Ego vero, qua par est humilitate hanc proponere auderem: Ut Commissio Pontificia, alicui Sacrae Congregationi adscripta, solutionem huius problematis aggrederetur. Quae Commissio Pontificia, suis opportunis subcommissionibus nationalibus, et legationibus dioecesanis, regulis certis et prudentibus temperatis, huic defectui subvenire curaret, et sibi statueret huic vitio in servitio ministerii Ecclesiae mederi.

III. *Principia.* Hoc quidem Officium, sive Institutum, maxima impedimenta superare cogeretur, initio praecipue, dum novae generationes huic

menti adsuescerent; sed etiam verum est, magnopere profectum iri in hac quaestione enodanda. Ut certos haberet exitus, haec prae oculis habenda esset:

1. Nemo potest nec debet intra limites unius dioecesis contineri. Omnes cieat spiritus potens et universalis ad mundum Christo potiendum. Nostra desideria et conatus ad hanc consecutionem ita magni esse debent, ut magnae sunt Ecclesiae necessitates. Praeter munus dioecesis nobis omnibus impendit munus totius Ecclesiae.

2. Nova ratio stabilienda est quoad ordinationem sacerdotalem. Sacerdotes primo et immediate Ecclesiae servitio creantur, postea et mediate dioecesis commodo. Praeferendum igitur est commune et universale bonum singulari et privo.

3. Haec ratio praeesse debet institutioni eorum qui sacerdotium petunt. Sciant, oportet, prae se habere in primis et maxime Ecclesiae necessitates, ut alacres occurrant in quascumque mundi plagas, ubi ipsius servitium requirat.

4. Episcopatus exemplo esse debet huius animi generosi, Commissioni Pontificiae, de qua sermo est, eos sacerdotes praebendo, quos ipsa exigat. Eius labori distributionis nec restringendum nec obstandum est.

5. Ecclesia Corpus Mysticum Christi est, et prius saluti totius corporis, quam cuiuslibet membri providendum.

IV. *Commoda.* Ex hac via et ratione Officii, vel Instituti superioris quod distributioni sacerdotum in Ecclesia moderetur, pro suis difficultatibus, multa nobis commoda suppeditaret. Ex eis digna quae efferantur censeo:

1. Ut diximus, caveretur vel saltem valde maturaretur aequa distributio sacerdotum; regiones quae orbae sacerdotibus apparent, eorum frequentia laetari possent.

2. Si plures sacerdotes essent quam nunc sunt, uberior esset vita christiana, qua dein vocationes sacerdotales foverentur.

3. Selectiores essent et exquisitiores vocationes. Cum scirent seminaristae se servitio totius Ecclesiae deputari, quocumque Ecclesia mitteret, in cursu sacerdotali pericula permixtionis rerum divinarum et humanarum vitarentur.

4. Ex mentibus multorum, sive christianorum sive non christianorum excederet opinio cursum sacerdotalem esse ut alium quemlibet cursum qui aditur ad victum provehendum; omnia sua magnitudine vulgo deprehenderetur: Dei propter causam est.

5. Animi petitorum ad sacerdotium avulsione a familia, patria, rebusque pecuniariis liberiores evaderent, quo melius praestantiam suae vocationis et salutem animarum callerent.

6. Firmius et accuratius praescriptum Domini exequeretur: « Praedicate Evangelium omni creaturae ».

Conclusio. Somniumne hoc? Nugae? Nescio, inquam. Unum scio, huic solutioni subveniendum esse, hac via vel alia.

Quamvis magnis difficultatibus hoc ingens problema prematur, tamen nefas est Concilium Oecumenicum indolis pastoralis illud praetermittere. Difficiliora et ardua ut adgrediamur, nos hic congregati sumus, non ut facilia dictu et cogitatu ponderemus.

26

Exc.mus P. D. IOANNES B. GAHAMANYI

Episcopus Astridaënsis

Iam saepe dictum est quod schema *de Ecclesia* continet multa elementa optima, quod et mihi patet.

Attamen, ex iam dictis a multis patribus et ex ipso studio schematis aliud patet, nempe quam difficile sit diversa capita schematis inter se coniungere vel ad aliquam unitatem reducere.

Ratio huius difficultatis, ut mihi videtur, ut iam ab em.mo card. Döpfner dictum est, provenit ex eo quod schema sit nimis dispar nimisque inconnexum. Agitur de Ecclesia, et est schema principale totius Concilii. Oportet ergo tractari de Ecclesia, in sua structura essentiali. Quod ad alia spectat, cum hac structura essentiali tantum connexa, in alia parte tractanda sunt.

Igitur propono quod capita undecim schematis reducantur ad duo. Nempe, primum caput: de Ecclesiae natura, et ex eo quod Ecclesia natura sua sit missionaria cap. X praesentis schematis, nempe « De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum », nec amplius; quia ad missionem quidem tota Ecclesia ordinata est a Christo.

In cap. II ageretur de membris Ecclesiae in genere, de hierarchia et de laicis.

Alia capita schematis, uti nunc iacent, aut omittenda, aut in duobus capitibus supradictis integranda, aut alibi tractanda sint.

Hoc modo, schema melius in lucem poneret obiectum eius centrale, certo certius brevius evaderet, et hominibus proponeret doctrinam bene coordinatam, de Ecclesiae mysterio.

Insuper patet quod indoles schematis debeat esse kerygmatica, ita ut Ecclesia appareat ut Mater, et donum maxime desiderabile, sed hoc iam rev.mus Desmedt perbene demonstravit.

Secundo loco, rogo ut schema magis praecisum sit. Et nunc cogito de capite principali schematis quod est cap. IV: « De episcopis residentialibus », n. 14: « Primatus et episcopatus ».

Omnes scimus et confitemur quod potestas iurisdictionis Summi Pontificis sit plena et suprema in universam Ecclesiam, atque immediata, ordinaria et episcopalis. Sed et episcopi habent potestatem iurisdictionis propriam, ordinariam, immediatam et episcopalem in eis commissis ecclesiis.

Haec omnia iam ex Concilio Vaticano I scimus. Hoc Concilium nos docet

etiam quod episcopatus ipse sit iuris divini, et quod iura episcoporum Supremo Pastore roborantur.

Numquid nimis sit sperare quod et Concilium Vaticanum II progrederetur in hac materia, nempe enuntiando aliqua principia vi quorum definirentur limites: quae limites discriminarent exercitium habitualem iurisdictionis Sedis Apostolicae cum exercitio habituali episcoporum in suis dioecesibus, *ita ut* tantum res vere gravioris momenti ad Sanctam Sedem revocentur, salvis tamen omnibus iuribus Summi Pontificis. Quoad determinationem earum rerum gravioris momenti, fiet in singulis schematibus et suo loco, maxime ubi agetur de regimine episcoporum et de conferentiis episcopalibus.

His rationibus motus, propono ut compositio schematis *de Ecclesia* fiat nova, brevior, compactior et precisior a commissione conciliari mixta.

27

Exc.mus P. D. RAPHAEL GARCIA Y GARCIA DE CASTRO

Archiepiscopus Granatensis

In genere non solum placet, sed etiam laudandum est, praesertim quia bene complectitur praecipuas quaestiones quae de Ecclesia nostris diebus maioris utilitatis sunt, et quidem non exclusis illis de quibus hodie necesse est aliquid definitive statuere, prout sunt: de Ecclesiae membris, de episcopatu, de laicis, de relatione inter Ecclesiam et Statum et de oecumenismo. Si autem ad haec capita de Ecclesia adiungatur, prout dictum est, caput de Beatissima Maria Virgine, tunc meo iudicio constitutio esset vel dici posset *fere* completa. Et quidem dico *fere completam,* quia optarem *ut adderetur caput de Sanctis,* qui quamvis minori gradu, tamen singulari quadam ratione insignia Ecclesiae membra dicendi sunt et a nobis colendi et imitandi.

Quae minus perfecta in schemate apparent, facile possent meo iudicio perfici, iuxta observationes quae fiant crisi nostra, ducta spiritu, non impugnationis, sed cooperationis, atque mota animo, non demoliendi, sed construendi et perpoliendi ea quae iam ab aliis bene facta sunt.

Exempli causa, attentionem verto ad quaestionem magni momenti in cap. II propositam, *de necessitate Ecclesiae et de eius membris.* Quaestio sine dubio magni momenti est. Ut autem palam loquar, post lectionem huius capitis, magno labore, ut patet, confecti, mihi sponte occurrebat interrogatio: Suntne hae theologicae quaestiones adeo maturae ut iam a Concilio Oecumenico sollemniter proponi possint ea ratione qua in hoc capite proponuntur?

In primis, cum « *Necessitas medii in re vel in voto* » sit locutio technica in theologia, de cuius proprio et determinato sensu plura theologi disputaverunt, nonne oporteret clare edicere in quo sensu a Concilio adhibeatur? Adest exemplum Concilii Vaticani I, in quo expresse explicatum est, in quo sensu adhibebatur notio etiam technica « *locutionis ex cathedra* », quam Patres

postulaverunt ut introduceretur in definitione de infallibilitate Summi Pontificis. Sed in nostro capite vox « votum » videtur intelligi de aliquo actu conscio subiecti, cum a pluribus theologis etiam hodie potius intelligitur de re aliqua quae « *vices gerit* » rei necessariae. Ita caritas et martyrium, ait S. Thomas, « nominantur baptismata in quantum supplent vicem baptismi aquae » (3, q. 68, a. 3).

N. 8, lin. 6 ad 8 legimus: « nemo salvari potest nisi per Baptismum re susceptum... vel saltem voto ». Haec sumuntur ex Tridentino (D. 796), sed omittuntur verba « *post Evangelium promulgatum* », quae restringunt universalitatem asserti et de quorum interpretatione non parum disputant theologi.

Eodem n. 8, lin. 9 dicitur, ut quis salutem obtineat sufficit « ut voto ad eandem *ordinetur* ». Non satis apparet quomodo haec loquendi ratio conveniat cum axiomate, in traditione Ecclesiae inde ab Origine et Cypriano constanter repetitum: « Salus extra Ecclesiam non est ». Nam qui voto ad Ecclesiam mere *ordinatur,* extra eam est. Propterea theologi communiter dicunt: « nemo salvatur nisi membrum Ecclesiae exsistat, vel *voto* ad eandem *pertineat* ». Scio vocem « ordinari » adhibitam fuisse in Encyclica *Mystici Corporis,* sed in hoc forte perfici potest.

N. 9, linn. 17-20 legimus: « hi soli... proprio sensu Ecclesiae membra vocantur, ex quibus ipsa Ecclesia, ut est una et indivisibilis, indefectibilis et infallibilis... coalescit ». Haec potius dici debent theologicae expositiones et quidem valde recentes, ad explicandam notionem dogmaticam membri Ecclesiae. Censeo tales speculativas adinventiones *esse potius delendas.*

Praeterea in hoc capite talis notio membri Ecclesiae datur, ut nullo modo *re,* sed solum *voto* ad Ecclesiam « ordinentur » vel pertineant *dissidentes bona fide errantes.* Hoc bene et accurate perpendendum est. Nam in traditione theologiae catholicae ante saeculum XVIII, communiter tenebatur: Omnes baptizatos esse re Ecclesiae membra, nisi fuerint schismatici vel haeretici. Iam vero schismaticos et haereticos solummodo appellabant illos qui *mala fide et cum pertinacia* sectae haereticae vel schismaticae adhaerebant. Ergo *bona fide errantes* pro theologis erant membra Ecclesiae *re.* Haec *theologice et realiter. Iuridice* vero et *in conspectu Ecclesiae,* adulti omnes qui alicui sectae dissidenti nomen dabant, iure censebantur ab Ecclesiae corpore avulsi, et sic eos lex canonica considerare consuevit, prout explicatur a P. Franzelin (*De Ecclesia,* Th. 22 et 23).

Ut dissidentes bona fide errantes considerari possint ut *membra re,* iuvat perpendere quae sequuntur: 1. Cum Christo uniti sunt *vinculis internis* fidei, spei, caritatis etc.; 2. etiam vinculis externis Baptismi, Confirmationis, Eucharistiae, etc. quae *non nisi verae Ecclesiae* sacramenta sunt a Christo instituta ad homines secum et cum unica eius Ecclesia vitaliter et visibiliter uniendos, etsi anormali modo per ministros dissidentes administrentur; 3. praeterea eorum *bona fides patens* etiam est per practicam eorum religionis observantiam, mediante ministerio docendi, sanctificandi et regendi ministrorum dissidentium quidem, sed per quos ministros tamen eos revera docet, sancti-

ficat et regit ipse Christus ut minister principalis; 4. tandem eorum bona fides indubia esse potest et manifesta, ex eo quod in genere profiteantur credere, obedire, et observare quidquid dixit, praecepit et statuit Dei Filius pro suis in sua Ecclesia membris. His in conditionibus *bona fide errantes* forte appellari possent Ecclesiae *membra re,* si non *plene* et *explicite,* saltem *vere* et *implicite,* sin minus *directe* mediantibus legitimis Ecclesiae pastoribus, saltem *indirecte* per *ministros dissidentes,* qui sacramenta conferunt unius verae Ecclesiae et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

28

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

Nihil dicam de ordine huic schemati imponendo, nec de possibilitate assumendi in novo aedificio plurima optima ex elementis eiusdem schematis, cum a multis Patribus multa opportune de his dicta fuerint.

Liceat mihi duas tantum animadversiones afferre: unam circa participationem hominum ad vitam Ecclesiae, alteram circa relationem primatus Summi Pontificis ad ordinem episcoporum.

1. *Quaestio fundamentalis,* quam effugere non licet, est de relationibus inter aspectus eiusdem Ecclesiae, nempe Ecclesiae ut est mysterium, et Ecclesiae ut est Corpus quoddam sociale visibile.

Quaestio in se ardua est. Ideo vitari oportet omnem modum loquendi, quo gratuito augeatur difficultas, et dissensiones surgant, speciatim cum aliunde in profundo sententiae non opponantur.

Atqui, augetur difficultas, si apprime quaeratur qui sint, qui non sint membrum Ecclesiae.

Nonne melius esset, distincte et firmiter enuntiare quae certe et ab omnibus affirmantur, tum de extensione et gradibus influxus *Christi capitis* in homines universos; tum de participatione, plus minusve integra, omnium ad media quae visibiliter Christus instituit, ut valeat unusquisque influxui suae gratiae correspondere et cooperari?

Scimus enim, ex una parte, Christum, ut optime exposuit S. Thomas (*Summ. Theol.,* III pars, quaest. 8, art. 3) influxum suum capitalem in homines universos exercere: in eos quidem, qui iam gloriae suae Resurrectionis in consummata caritate regni participant, usque ad eos, ad quos nondum verbum Dei pervenit, vel qui ei nondum assenserunt in fide, sed tamen vere gratiis praevenientibus a longe subsunt; inter quae duo extrema inveniuntur, sub influxu capitis, varii gradus, sive fidei, absque caritate, sive caritatis imperfectae.

Haec quae simplicia sunt, et veritatem amoris divini universaliter agentis declarant, *primo dicenda sunt,* ante et extra omne difficile quaesitum.

Affirmetur postea quidquid respicit ordinem visibilem mediorum, quae Christus posuit, ut super petram et super fundamentum apostolorum Ecclesiam aedificaret, verbo salutis nutriens necnon et carne et sanguine suo, quos per Baptismum sibi unierit, et ita ad finem opus suae gratiae conducens.

Tunc, et tunc tantum, agatur de membris, quia tunc quaestio apparebit cum sua complexitate essentiali, et non ut fallaciter simplex, quin dicam aliquomodo odiosam ansam iudicio praebens.

Evidens enim est, non posse non immitti per *Christum caput,* oves suas quaerentem, in unoquoque hominum bonae voluntatis, votum implicitum mediorum salutis, quae visibiliter disposuit. Evidens etiam esset, omnia quae possibilia sunt, fieri oportere, ut ea media revelentur oculis hominum, ut talia et proponatur, id est, ut ipsum votum conscium evadat. Sed necessitas mediorum non impedit veritatem et prioritatem influxus Christi.

Hinc etiam apparebunt lucida et pacifica omnia ministeria, imprimis episcopatum, in sua veritate: ministrorum enim est quaerere quos ipse Christus quaerit, et qui Christi sunt, antequam Christiani, cooperantibus ministris, fiant. Etiam non poterit surgere iudicium de statu hominum, sed potius invitatio ad serviendum saluti eorum.

2. *Primatus strictius connectatur cum collegio apostolorum, ita ut non appareat ut quid per se ipsum existens.*

Illucescat Primatus ut est primatus principis apostolorum, collegio apostolorum illam visibilem et miram unitatem praestans, quae eis sine Petro deest, et iam oculis hominum non clare apparet: episcopi videntur enim subdi Petro singillatim, et singillatim considerandos esse, quod eo ipso vultum Ecclesiae offuscat, et plena veritas iam non constat, qualis a Christo proposita est.

Conclusio. Rogo igitur:

1. Ut interrogatio de membris Ecclesiae, nonnisi in conclusione veniat, et non initio inquisitionis: firmiter dentur imprimis principia doctrinalia, tum de Christo capite omnium hominum, tum de mediis visibilibus a Christo positis, ut voluntati suae salvificae unusquisque respondeat.

2. Ut doctrina de episcopis omnino non separetur a doctrina de Vicario Christi, ita ut unitatem collegii apostolorum ex Petro firmetur et officium Summi Pontificis ex officio suo in corpore episcoporum veluti de novo eluceat. Si enim accidentaliter tantum de Summo Pontifice quaestio esset in doctrina de episcopis, iam non appareret in vultu Ecclesiae vera figura collegii apostolorum, quale a Christo instituta est, et in successoribus eorum perseverat.

29

EXC.MUS P. D. CESLAUS GOLIŃSKI

Episcopus Czestochoviensis

I. Schema in generali placet. Ex parte Concilii, istud est vere repraesentativum, specialiter erga fratres acatholicos, quia proponit doctrinam Ecclesiae de christianismo concreto. Emendatum iuxta nonnullas voces discussionis, eam bene exponet. Lingua schematis fiat magis simplex et, ut ita dicam, humilior. Est enim dignitas vocationis humanae in membrum Ecclesiae peralta, vita autem catholicorum tam saepe peccatis obnoxia.

II. In speciali loquar de capp. V et VI, nempe *de statibus perfectionis* et *de laicis.* Audivi voces, capita ista ad sua schemata, nempe elaborata a commissionibus de religiosis et de apostolatu laicorum transferenda esse. Iuxta me, salva meliori opinione, ita fieri potest, sed partialiter tantum, non autem in toto.

1. Optime quidem esset, si omnis quaestio, in Concilio tractata semel tantum et complete tractetur, ut fit in compendio. Concilium tamen non scribit compendium. Aliquando rationes didacticae vel pastorales aliquam divisionem materiae causare possunt. Et hoc mihi videtur necessarium in casu.

2. In schemate post descriptionem Ecclesiae — in quantum est Christi Corpus Mysticum — est locus aptissimus enumerandi tres societates partiales in Ecclesia, nempe sacerdotes dioecesanos, status perfectionis et laicos. Secus Ecclesia permaneret in mundo notionum ac non esset aliquid concretum in ordine essendi. Describi etiam debet essentia harum trium societatum atque organica earum coniunctio cum Ecclesia.

3. Simultanea enumeratio sacerdotum, religiosorum et laicorum, quod quidem fieri potest solummodo in hoc schemate, est optima et valde necessaria educatio illorum ad efformandum « *unum populum christianum* ». Evidens est enim, istas tres societates hodie a se interne satis distantes esse. Speciatim laici dicunt, religiosos et sacerdotes aliquod « *ghetto* » in se inclusum constituere. Ideoque in schemate addenda est exhortatio, ut descriptae tres societates sese mutuo cognoscant ac in operosa caritate convivant. Hoc est maxime necessarium, cum laici fons vocationum sacerdotalium et religiosarum sint.

Conclusio:

1. In schemate remaneat enumeratio et essentialis descriptio statuum: sacerdotalis, religiosi et laicorum. Addatur superius proposita exhortatio.

2. Ad schemata specialia transferantur omnia, in quibus tractatur de vita membrorum illarum societatum in Ecclesia, de earum operositate catholica in societate civili e. c. t. (hoc e. g. continet cap. VI schematis nostri, nn. 23-26).

30

Exc.mus P. D. IOANNES EMMANUEL GONZÁLEZ ARBELÁEZ

Archiepiscopus tit. Oxyrynchitanus

Schema *de Ecclesia,* de quo his diebus disceptatur, mihi placet, quamvis libenter vellem illud alia quaedam habere, videlicet: De intima vita Ecclesiae, quae est gratia sanctificans a Spiritu Sancto in cordibus nostris diffusa; de ipso Spiritu in nobis inhabitante; de Romano Pontifice, Christi Vicario et Petri Successore; de fidelibus ut Christi Domini membris in sanctitatis culmen tendentibus; quidquam, etiam de missionibus seu de expansione Ecclesiae, etc.

Sed de iis iam plura coram Concilio prolata sunt, alia certo proferenda erunt.

Liceat proinde dicere schema, uti patet, magno veritatem pondere sarcitum esse.

Breviter dicam quidem de cap. I, quae itidem, alia aliis aptando, de ceteris capitibus afferenda erunt.

1. Impetitur praesertim quoniam ampullatur verbositate nimia. Et forte ex hoc veritas in sua plena luciditate et transparentia obscurata manet. Satis erit verumtamen quasdam clausulas explicativas innecessarias supprimere ut veritas in pleno suo fulgore pateat.

2. Ubi maiorem impetum faciunt qui adversus schema increpant, certe est in absentia, uti dicunt, *spiritus pastoralis,* quod quidem iniuriae uti mihi videtur tribuendum est.

Definitioni supplendo, quam hucusque desideramus, de spiritu pastorali, pro nunc haec valeat: Est modus res et veritates evangelicas proponendi ut imitemur, quantum fas est, rationem illam leni, spiritu mansuetudine plenam atque comitantibus caritate et humilitate sicut Dominus et Magister adorabilis Christus fecit.

Haec censeo ego voluisse iam saepe Ss.mum Dominum Ioannem XXIII verbis et actibus nobis indicere.

At eius mens non arbitrio uniuscuiusque huc illuc trahenda est, sed certo certius, ad spiritum Christi Domini qui in Evangelio invenitur. Bonus enim Pastor, qui ponit vitam pro ovibus suis, in hoc sicut in ceteris summus est Magister et exemplar nobis a Patre datum. Ipse equidem, miscens veritatem doctrinae cum mansuetudine et ratione agendi, immo disceptandi, nos docet quomodo ad Patris gloriam et bonum animarum congruenter agamus.

Ideo omnes nos debemus numquam rationem agendi illius in oblivionem tradere, sed e contra eniti in praxim illam inducere.

3. Quid autem Evangelium in relatione cum schemate dicat, ne obliviscamur sed meminerimus oportet: *a*) Quod salus mundi liberrimo Dei arbitrio, uti prostat in epistolis Pauli ad Ephesios et Colossenses, facta est; *b*) quod Christum Redemptorem pro sua bonitate in plenitudine temporum

miserit fine salvifico; *c*) quod ex Maria Virgine SS.ma natus inter nos praedicaverit uti Magister, sacrificium Patri litaverit uti Sacerdos; *d*) quod regnum veritatis et vitae, sanctitatis et gratiae, regnum iustitiae, amoris et pacis mundo erexerit; *e*) quod Apostolos, Petro praeside, in mundum universum miserit; *f*) quod Ecclesiam suam, scilicet Israël Dei, ut ait Paulus ad Galatas, tamquam regnum, domum, ovile, templum, etc. condiderit, uti saepissime cum Evangeliis tum epistolis Pauli, Petri et Apocalypsi Ioannis traditum est. Absque dubio hoc millies Scripturae testantur, et non potest non pastorale esse eapropter schema disceptatum.

4. Insuper Dominus non solum bonus sed etiam norma omnium Pastorum fuit et est. Et tamen ipse modo vigore pleno locutus est. Videantur apprime sequentia: 1) Petro inepte amore suo adhuc minus supernaturali ducto dixit: « Vade retro, Satana, scandalum est mihi » (*Mat.* 16, 24). Et in admirabili discursu eucharistico Evangelii Ioannis, c. 6, quando Iudaei dicunt « Durus est hic sermo, et quis potest eum audire », ipse respondit affirmans necessitatem manducandi panem, scilicet, suam carnem, et bibendi suum sanguinem, et illis abeuntibus tamen repetit: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis ». Et in disceptatione cum Iudaeis, iterum severe declarat (*Io.* 8, 44 s.): « Vos ex patre diabolo estis: et desideria patris vestri vultis facere... »; et postea subiunxit: « Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis ». Et in memoria habeamus quod dixit octies « Vae, vobis », etc., tanto vigore ut nusquam in stylo litterario fortius auditum hucusque sit.

Insuper in Matthaeo et Luca (11, 21 et 10, 13) dicitur: « Vae tibi, Corozain, vae tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. Verumtamen dico vobis Tyro et Sidoni remissius erit in die iudicii quam vobis. Et tu, Capharnaum, numquid usque ad caelum exaltaveris? Usque ad infernum descendes, quia si in Sodomis factae fuissent virtutes, quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Verumtamen dico vobis quia terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii quam tibi ». Et ita similiter loquitur de scandalo, de hypocrisi Pharisaeorum et Scribarum, de iuramento per templum Dei, de infidelitate Iudaeorum, de traditore Iuda, etc. Unde post haec quae sunt vox veritatis personalis et essentialis affirmandum certo erit, aut Evangelium non esse pastorale, quod esset blasphemia in Spiritum Sanctum, aut utique est pastorale, et tunc istud pacificum schema certo certius non est deturpandum illa foeditatis nota.

5. Adhuc amplius. Petrus et Paulus principes in collegio apostolorum Christi, ita intellexerunt suum munus: primus scilicet, qui dixit: « Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo » (1 *Pet.* 5, 1 s.). Ipse autem Petrus minime timuit se prodere ministerium suum in comminatione tum Ananiae

tum eius uxori facta, ex qua duo coniuges mortui sunt, propterea quod peccatum veniale stulte indulserant.

Et Paulus qui dixit: « Omnia impendar et superimpendar ipse pro animabus vestris, et si plus diligens minus diligar », tamen propter levitatem Marci (qui discesserat ab eis in Pamphylia) « facta est dissensio, ita ut discederent ab invicem » (*Act.* 15, 39); « in originali graeco legitur « parojismós, oste apojoriszenai autous ap' allellom », quo significatur iurgium acre). Insuper cum Cypro versarentur, Bau Iesu, seu Ellymas, Magus, resistebat illis, quaerens avertere Proconsulem Sergium Paulum a fide. Saulus, qui et Paulus, « non impetu humano sed repletus Spiritu Sancto, intuens in eum, dixit: O, plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiae, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris caecus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eo caligo et tenebrae ».

Et quod cum incestuoso Chorinthii fecit quem diabolo tradidit ut salvam faceret animam suam, et tandem quomodo cum iudaizantibus sese digladiatus est, et quid dixerit de insania Galatarum: « O, insensati Galatae, quis vos fascinavit non obedire Evangelio »; et plura huiusmodi in Pauli epistolis.

De Iacobo nihil tandem addendum est, quoniam eius epistola energia atomica diceretur scripta.

6. Conclusio harum rerum est quod stylus pastoralis saepe est vigore tempestatis comitatus, quando id ad maiorem gloriam Dei et bonum animarum exigitur. Et est exaggeratus modus efferendi semper id quod mitius videtur, quandoquidem, nec sonum verbi « regni » Dei audire volumus tempore democratiae. In hoc supposito permissio requireretur ad recitandam orationem Dominicam, quae in sua tertia petitione petit Patrem caelestem « adveniat regnum tuum ».

Alia utique conclusio est: nos etiam, qui tam acriter cognoscimus scripta de historia Americae Latinae, novimus certe et gratias reddimus Deo Optimo et Maximo, qui homines tales uti S. Ludovicum Beltran dederit; hic enim uno hispano sermone loquens plura indigenarum milia ad Christum Dominum convertit; pariter S. Petrus Claver per amplius quam quinquaginta annos Columbiae praedicans, Nigritas qui ab Africa in Americam efferebantur, plus quam trecenta milia ad Deum convertit, et baptismate lavit; et gigas ille archiepiscopus Limanus in dioecesi plus quam bis decies centena milia (due milioni) kilometrorum habente superficiem non tantum semel peragravit visitans, plus quam quinque Concilia Provincialia coadunavit, ut praeses, et iuxta libros parochiales plus quam octies centum milia fideles chrismate sancto linivit. Haec indubie est pastoralis dicenda praxis et ratio.

Haec nos ipsi ut per mundum stabiliatur Dominum adprecamur. Haec est abs dubio ratio pastoralis Christi Domini quam ipse Petro et apostolis concredidit. Hanc, nullo dubio interiecto, Pontifices Romani nos docent, hanc vult et indixit Ioannes XXIII feliciter regnans tamquam Christus in illo vivens et Petrus per ipsum loquens.

31

Exc.mus P. D. IOSEPH MARCUS GOPU
Archiepiscopus Hyderabadensis

Mihi legenti cap. VI *de laicis* in hoc schemate de Ecclesia pergratum mihi fuit invenire brevem quamdam indicationem de promotione operum missionalium inter quasdam formas apostolatus laicalis in genere sub n. 25, pag. 40, lin. 19. Attamen liceat mihi humiliter proponere ut munus hoc laicorum magis explicite exponatur laicis in regionibus missionum viventibus his sequentibus aut huiusmodi verbis: « Laici praesertim in regionibus missionum viventes meminerint praecipuam et optimam formam apostolatus laicalis consistere in collaboratione cum episcopo et sacerdotibus in opere evangelizationis fratrum suorum non-christianorum ».

Mirabile etenim dictu, laici catholici antiqui in perpluribus missionibus fere nullum praestant adiumentum episcopis et sacerdotibus in opere ad gentes neque in opere consolidationis apud christianos recenter conversos. Experientia constat eosdem catholicos valde minus zelari pro operibus missionalibus quam catholici laici in Europa et America. Immo persaepe fit ut conversiones infidelium fiunt facilius et felicius in locis dissitis a centris et pagis catholicis quam in locis vicinioribus. Proinde mihi videtur laicos urgendos esse magis explicite ad hanc apostolatus formam.

Liceat mihi insuper exprimere votum ut, data pastorali indole huius Sacrosancti Concilii, aspectus missionarius Ecclesiae universalis semper et eminenter in statu missionis esse appareat. Sine tali enim sensu Ecclesiam totam informante non poterimus adimplere mandatum a Salvatore generis humani apostolis et eorum successoribus impositum: « Euntes in mundum universum docete omnes gentes, baptizantes eos... ». Spero ut documenta et conamina recentium Summorum Pontificum necnon praesentia episcoporum ex omnibus gentibus et populis missionalibus in hac Sancta Synodo indolem missionariam Ecclesiae universalis valde augeant et ignem zeli magis accendant in omnibus gradibus membrorum Ecclesiae ita ut regnum Christi citius perveniat ad omnem creaturam.

32

Exc.mus P. D. AEMILIUS GUANO
Episcopus Liburnensis

Antequam agatur de Ecclesia peregrinante in terris (qui modus loquendi magis placet quam is qui in schemate adhibetur, scilicet de Ecclesia militante) aliqua praemittenda videntur.

Fundamentum et summa in hoc, meo iudicio, consistit:

Christus, iam per ipsum mysterium Incarnationis, per mysterium pa-

schale mortis et resurrectionis, per mysterium effusionis Spiritus Sancti, omnia ad seipsum ordinat, omnia ad se trahit, sive quae in caelis sive quae in terris sunt, sive praesentia, sive praeterita, sive futura.

Per adhaesionem autem creaturarum Christo, modis ab ipso statutis, Ecclesia constituitur, qua populus, familia, domus Dei, sponsa et corpus Christi, unum immo, quodammodo, cum Christo.

Exinde sequentia recolenda et retinenda placerent in hac constitutione:

1. Inter characteres Ecclesiae notanda esset *apostolicitas,* non solum et non praesertim sub aspectu apologetico, sed, quatenus super fundamentum apostolorum fundata, Ecclesia, quae est fructus apostolatus seu missionis Christi (apostoli et pontificis confessionis nostrae), participat et continuat apostolatum sui Capitis et Sponsi.

2. Inter totius Ecclesiae munera praeeminens videtur (ego vero dicere auderem omnia alia in se complectens) eius sacerdotium, participatio et continuatio Sacerdotii Christi. Simul autem, cum Christo ipsi Ecclesiae competit ut sit oblatio munda Deo Patri oblata.

3. Unde omnes christifideles, sacerdotes, religiosi, laici, unusquisque sua propria ratione, participant sive de munere apostolico Ecclesiae, sive de eius munere sacerdotali, sive de ratione oblationis. Inter membra vero Ecclesiae potissimum locum obtinet Beata Virgo Maria, Sponsa Verbi et Mater Christi, imago et Mater Ecclesiae. Huius autem exercitium materni muneris, unici sane in specie sua, quod Beata Virgo in hac vita degens incepit, in altera etiam vita per saecula pergit.

4. Ecclesia tandem, et in ipsa et per ipsam christifideles, de vita vivit Christi: tota pervaditur mysterio amoris Patris, Filii, Spiritus Sancti, tota in mysterio vitae divinae immergitur. Ex alia vero parte, sicut Christus, Verbum Dei incarnatum inter nos inhabitans et operans, tota est in mundo posita, extranea et inimica mundo quatenus Deo extraneo et in maligno posito, mundanis suggestionibus et tentationibus subiecta, at simul amica mundo utpote Dei creaturae et a Filio redempto, semper operans ut mundus praesentia Christi penetretur et Deo Patri magis magisque sacrum fiat.

Insuper Ecclesia, similiter ac Christus, vivit ex una parte ut Ecclesia orans in contemplatione, ex alia parte ut Ecclesia annuncians, ordinans, militans, miserans, sanctificans. Culmen autem et centrum eius vitae in Sacrificio Eucharistico consistit, in quo, dum memoria passionis et resurrectionis Christi recolitur, Ipse realiter praesens Patri offertur, hominibus datur, et eius reditus in fine saeculi fideliter et peramanter expectatur. Sic Ecclesia versus Patrem peregrinatur.

Nota finalis. Hae notae poterunt forsan inservire unitati tractationis in ipsa constitutione *de Ecclesia* et coordinationi plurimarum, si non omnium, constitutionum, quae coordinatio fieri posset circa hanc ipsam constitutionem de Ecclesia. Velim in specie animadvertere quanta sit cognatio inter materiam de Ecclesia et materiam de revelatione, cum Ecclesia, ut iam dictum est, vivat de Verbo, in servitium Verbi.

33

EXC.MUS P. D. FELIX GUILLER

Episcopus tit. Antiochenus ad Meandrum

Ch. I, nn. 2-3. A propos de « l'Israël de Dieu », il serait souhaitable qu'il y ait une allusion bienveillante pour l'« *Israël selon la chair* ». Une phrase suffirait et serait concrètement de grande portée vis-à-vis du Judaïsme.

L'actualité d'Israël ne doit-elle pas nous poser la question de l'avenir de ce peuple, évoquée par St Paul dans l'Epître aux Romains (ch. XI)?

Ch. I, n. 7. Est-il nécessaire de maintenir le ton solennel de la définition? « *Sola iure catholica romana nuncupatur Ecclesia* ».

D'autre part, ne faudrait-il pas nuancer, par exemple dire « pleno iure » au lieu de « iure » (ligne 23): pour maintenir ce qu'il y a d'ecclésial chez les chrétiens séparés; pour exprimer une certaine, bien qu'incomplète, appartenance à l'Eglise; pour respecter le titre d'Eglise qui leur a souvent été donné par les Pontifes Romains?

Ch. II, n. 10. La rédaction du paragraphe « *Unio cum separatis* » paraît un peu pénible. Or des maladresses d'expression ne sont pas permises dans ce texte qui sera examiné de très près par les chrétiens séparés.

En particulier, ligne 10, met-on assez en valeur tout le contenu commun de la foi? On ne parle que de la dévotion eucharistique et de l'amour de la Vierge Marie.

Et, ligne 15, le texte met les chrétiens séparés à la fois en dehors du Corps Mystique: « *spiritus extra illud corpus agit* », et à l'intérieur: « *modo... incorporentur* ».

Ch. XI. Malgré l'intention œcuménique de ce chapître, le texte parle avec insistance de « *communautés* », ce qui va froisser profondément les chrétiens séparés et spécialement les Orthodoxes, alors que la note 6, pag. 87, dit que le nom d'Eglises leur a été attribué: « *saepe et constanter* ».

De même on parle de « chrétiens dissidents » après avoir parlé de « frères séparés ». On ne trouve pas une seule fois le mot « frères »... On pourrait donner des précisions doctrinales ou juridiques sans évacuer la charité.

On recommande aux catholiques la prière pour les chrétiens séparés. Il faudrait aussi recommander la *charité* et l'*humilité,* à cause d'attitudes qui n'ont pas toujours été chrétiennes. Les chrétiens séparés sont extrêmement sensibles à toute marque d'amour vrai et à tout signe d'humble soumission au Seigneur.

Est-il besoin d'insister avec autant de détails sur la pratique de la « *communio in sacris* » à propos des mariages mixtes? Ce qui fait difficulté pour nos frères séparés n'est-ce pas d'abord l'attitude de l'Eglise Catholique au sujet des « mariages mixtes »?

De episcopatu. - « *De episcopis* » (ch. III et IV).

Comme l'affirme le texte proposé: *sacra ordinatio summi gradus sacerdotii cum munere sanctificationis munera quoque magisterii et regiminis tribuit* (ch. IV, n. 14).

Il serait donc logique de développer dans le même chapître le contenu de ce triple pouvoir conféré par le sacre: sanctifier, enseigner, gouverner. Or le pouvoir de magistère et le pouvoir de gouvernement sont étudiés respectivement aux chapîtres VII et VIII.

Il est nécessaire d'unifier ce chapître *de Episcopis.*

Le plan du développement pourrait être le suivant:

— sacramentalité et triple pouvoir qui en découle;

— collégialité, ses conséquences, relations épiscopat-primat;

— relations épiscopat-presbytérat.

D'autre part le chapître IV ne semble-t-il pas orienté, non pas tant à exposer et à approfondir la doctrine de l'épiscopat, qu'à indiquer trop unilatéralement les limites de la fonction épiscopale?

Enfin, dans une constitution « *De Ecclesia* » où l'on consacrera à bon droit un chapître aux religieux et aux laïques, la place réservée au sacerdoce presbytéral semble bien mince et indiquée de façon bien négative.

De statibus evangelicae acquirendae perfectionis (ch. V).

Pourquoi ce titre? Pourquoi reprendre l'expression: « Etats de perfection »? Ce n'est pas seulement une question de vocabulaire. Le chapître ainsi intitulé présente la vie religieuse sous un aspect personnel et statique.

Pour mettre en relief tout le dynamisme de la vie religieuse et sa valeur ecclésiale, il faudrait la présenter:

— comme un appel à vivre un aspect des richesses insondables de la personne du Christ (développer ligne 1, page 34). Or le schéma parle davantage des « conseils évangéliques » que du Christ Lui-même;

— comme un témoignage, au milieu des hommes enlisés dans le présent, des réalités à venir, de ce monde nouveau déjà présent où « Dieu seul suffit ».

Enfin le Concile ne serait-il pas l'occasion de resituer la place des religieux dans l'Eglise, pour une meilleure distribution des forces apostoliques? Ne devait-il pas également donner quelques orientations vers les tâches nouvelles qui attendent la religieuse dans le monde d'aujourd'hui (cf. Monseigneur Suenens: « Promotion apostolique de la religieuse »)?

En conclusion: *Quelques orientations pour une révision du schéma « De Ecclesia ».*

1. Ce schéma manque de cohérence et d'unité. Des sujets essentiels sont abordés en ordre dispersé. Un exemple: la primauté du Pontife Romain serait mieux comprise si elle était étudiée dans son rapport à la collégialité de l'épiscopat... Faut-il ajouter qu'après les conclusions de Vatican I on attend une présentation d'ensemble de la théologie de l'*épiscopat*?

2. On présente l'Eglise sous un aspect trop exclusivement juridique et institutionnel. Le mystère de l'Eglise, sacrement du Christ-Sauveur, n'est

pas suffisamment mis en relief... D'autre part, l'équation est trop rigoureuse entre Corps Mystique et Eglise catholique.

3. Un chapitre étudie la question des rapports entre l'Eglise et l'Etat... Mais ne faudrait-il pas montrer surtout l'Eglise comme « Lumière des Nations », au cœur d'un monde où tant d'hommes sont extérieurs à l'Eglise visible?

Le chapitre X aborde bien la question de l'évangélisation, mais beaucoup plus comme une fonction de l'Eglise qu'à partir des appels concrets des hommes d'aujourd'hui.

4. Enfin, on attendrait de ce schéma qu'il situe mieux la place dans l'Eglise du laïcat organisé et mandaté par la hiérarchie, et qu'il aborde, d'autre part, la question du diaconat.

La bienheureuse Vierge Marie.

1. *Le schéma proposé.* Il ne semble pas répondre au but assigné au Concile par S. S. Jean XXIII. On y trouve surtout des « répétitions », alors qu'on attend de Vatican II une nette « avancée » par un appel « aux méthodes de recherche et de présentation dont use la pensée moderne ».

Les documents utilisés sont loin de présenter la même valeur. Ils vont de la tradition apostolique aux expressions de la piété mariale qui sont le reflet d'un temps, d'un lieu et d'un milieu. Un grand nombre d'entre eux ont un caractère plus dévotionnel que théologique. Le « pius sensus fidelium » peut-il être le « solide fondement » invoqué?

C'est pourquoi le schéma manque de rigueur doctrinale. On transpose continuellement le rôle de Marie dans l'Incarnation à un rôle dans la Rédemption. Or, si Marie est la Mère de Jésus, elle a été, par contre, bénéficiaire de la Rédemption, d'une manière plus riche que les autres fidèles certes, mais bénéficiaire cependant.

Ce schéma ne va-t-il pas dresser une nouvelle barrière et être comme un défi pour les Orthodoxes et les Protestants?

2. *Orientations.* Il faudrait donner à ce schéma une portée *plus pastorale,* c'est-à-dire « présenter une doctrine utile à l'animation spirituelle de la vie et de l'action chrétiennes ». Cela suppose que l'on mette l'accent sur la fonction de Marie dans l'Eglise: Marie incarnant de manière exemplaire les valeurs évangéliques (foi, obéissance, pauvreté) — et non sur ses titres et ses privilèges. D'autre part, ce schéma, pour être favorable au dialogue *œcuménique,* devra s'appuyer surtout sur les données mariales contenues dans la Bible. Il devra éviter de considérer la Vierge pour elle-même, en soi, isolément. Il situera Marie d'abord en référence à l'Eglise, sans chercher à l'assimiler excessivement au Christ comme co-rédemptrice et médiatrice. Si le Christ est Médiateur, c'est parce qu'Il est Homme-Dieu. Il semble difficile de caractériser le rôle de Marie exactement par le même mot, fût-il entendu analogiquement.

3. *En conclusion, deux solutions.* Ou bien supprimer purement et simplement ce schéma sur la Vierge, la théologie mariale ne connaissant pas

encore un développement suffisant pour faire l'objet de décrets conciliaires. Ou bien reprendre le schéma à neuf, celui existant ne semblant pas réformable. Dans ce cas, se baser avant tout sur les données bibliques sérieuses et viser: à rejoindre les besoins des hommes d'aujourd'hui et à susciter une piété mariale exempte de déviations superstitieuses; à donner une base solide aux recherches des théologiens (ce qui éviterait la prolifération de thèses fantaisistes répandues dans certains cercles ou revues de mariologie); à amorcer un dialogue, sur cette difficile question, avec nos frères séparés.

Ce schéma refondu serait intégré à celui de l'Eglise.

34

Exc.mus P. D. ALOISIUS SEVERINUS HALLER

Episcopus tit. Bethleemitanus, abbas nullius S. Mauritii Agaunensis

Schema *de Ecclesia* humillimo meo iudicio admittendum est cum emendationibus sequentibus, quae mihi maximi videntur momenti.

1. Cum in n. 1 de connexione inter Deum Patrem et Ecclesiam, in 2 inter Filium et Ecclesiam agatur, in 3 numero de connexione inter Spiritum Sanctum et Ecclesiam agendum est. Sic ordo Apostolorum Symboli magis servaretur. Ceterum de Spiritu Sancto mentio in hoc schemate saepius et explicitius fiat. Etenim ad Spiritum Sanctum per accommodationem Ecclesia spectat: « Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam ».

2. Quia Spiritus Sanctus Ecclesiae anima est, numquam de Ecclesia definitio univoca haberi potest. Ideo Ecclesia magis ut mysterium quam ut societas intellegenda est, et quidem magis ut communio Sanctorum quam ut societas hierarchica: dicimus enim: « Credo Sanctorum communionem ». Et quia Ecclesiae bonum commune ipse Deus est et immediatus ordo ad Deum per virtutes theologales, semper Ecclesiae auctoritas et potestas ad fidem, spem et caritatem ordinantur. Cuius ratione Ecclesia hierarchica seu iuris et Ecclesia caritatis seu amoris una et eadem Ecclesia est. Ideo semper recolendum est Hierarchiam ministerium esse et ius ad caritatem ordinari.

3. In n. 6 optima fit comparatio inter Verbi Incarnati Mysterium et Ecclesiae Mysterium, non univoca quidem sed analogica. Attamen vitandus est tam novus monophysismus confundendo in Ecclesia gratiam et naturam, quam novus nestorianismus gratiam et naturam separando. Ecclesia est una persona natura et gratia composita id est Sponsa Christi et Mater fidelium. Ideo accuratius redigatur n. 6.

4. Episcoporum ius divinum clarius definiatur (n. 14 melius concipiatur. Lin. 16: formulatio nimis absoluta est; lin. 21: dicatur « potestatem iurisdictionis immediata et *vere* episcopalem » sicut in Concilio Vat. I).

5. De Ecclesia et Statu et quidem de Ecclesia et toto genere humano hodiernos homines relationem magis supernaturalem Synodus doceat; potius

Ecclesiae officia quam Ecclesiae iura; potius Ecclesiae libertatem quam Ecclesiae potestatem; potius concordiam inter Ecclesiam et Statum quam subordinationem finis civitatis fini Ecclesiae. Plena libertas non conscientiae sed conscientiarum pro Ecclesia catholica et pro fratribus separatis et omnibus credentibus omnino admittatur. Magis obligentur laici ad bonum temporale promovendum, et ad cooperandum cum omnibus hominibus bonae voluntatis, praesertim cum fratribus separatis, in recto ordine sociali instaurando et in caritativa activitate.

6. Dei Ecclesia cum Spiritu Sancto et Beata Virgine Maria in Christo Iesu intime connectitur. Schema *de Ecclesia* et schema *de Beata Virgine* unum fiant vel saltem utrumque utrique uniatur.

35

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS MATTHAEUS HANNAN

Episcopus tit. Hieropolitanus, aux. Vashingtonensis

In quibusdam partibus huius schematis *de Ecclesia,* meo humili iudicio, desideratur consideratio de conditionibus « non idealibus » in multis locis, in quibus maior pars populationis acatholica est.

Exempli gratia, in cap. IX, *De relationibus inter Ecclesiam et Statum,* describuntur principia quae in optimis, immo vero in perfectis fere, conditionibus relationum inter Ecclesiam et Statum operantur. Quae vero conditiones, propter causas ex historiae vicissitudinibus profluentes, nonnisi in perpaucis gentibus inveniri possunt. Opus, igitur, est expositione principiorum quae applicari possint iis conditionibus quae, ob ipsam naturam societatis civilis, in tot gentibus his potissimum diebus inveniuntur.

In relationibus inter Ecclesiam et Statum disceptandis, eae circumstantiae societatis civilis quae sequuntur considerari debent:

1. Natura status hodierni. Status sese esse custodem morum iam non aestimat, nec profiteri religionem obligari. Immo vero, propter multitudinem religionum seu pluralismum qui nuncupatur, saepe saepius Status putat sese custodem morum, sensu antiquo, esse non posse. De facto, plerumque valde periculosum esset si Ecclesia cuicumque Statui hodierno tamquam custodi morum inniteretur. Porro, gubernatores Statuum modernorum tantam potestatem non habent quantam reges praeteriti.

2. Natura civium adunatorum. Propter causas historicas, cives se esse potestatis fontem putant. Putant igitur se posse hanc vel aliam formam Status eligere qui eos regat, necnon eas statuere leges quae vitam eorum dirigant. Haud raro aegre ferunt Statum vel quamcumque potestatem publicam mores moderari conari nisi quia ordo publicus vel bonum commune id postulat. Quae omnia clare demonstrant cives velle ut Ecclesia prorsus a Statu separata sit.

3. Verumtamen, in illis conditionibus in quibus Ecclesia a Statu omnino independens est, Ecclesia maximis fruitur beneficiis inter quae connumerari possunt ea quae sequuntur:

a) Sancta Sedes plenam habet libertatem dioeceses creandi ad necessitates tantum fidelium spirituales sustinendas quin veniam Status poscat;

b) Summus Pontifex episcopos nominare potest quin Statui ullo modo consulat;

c) Episcopi leges Christi explicare necnon iustitiam socialem tractare possunt sine ullo timore Status;

d) Laici, scientes bonum Ecclesiae temporale in humeros suos esse impositum, magnam et actuosam partem in vita eius habent, Missae ac Sacramentorum receptioni frequentes intersunt atque pecuniam liberaliter suppeditant; quae devotio fidelissima non tantum multos iuvenes, pueros puellasque, ad vocationem religiosam allicit sed etiam fidelibus persuadet ut pecuniam ita liberaliter suppeditant ut multa instituta caritativa omnigena necnon systema scholarum maximum erigi possint; in quibus scholis, ab elementariis usque ad universitarias, non tantum horis statutis datur institutio religiosa sed afflatus religionis semper et ubique ab alumnis sentitur qui sub moderamine religiosorum et religiosarum in dictis scholis erudiuntur; devotio profundissima catholicorum, gratia Deo adiuvante, efficit ut magnus numerus conversorum obtineatur.

Iuvabit etiam hac de re recolere verba Pontificis Pii XII « Si riesce » et maxime verba Christi « Arbor malus non fert fructus bonos ».

Certo certius mala gravissima inveniuntur ubi adest separatio status et ecclesiae, sed Ecclesia libera manet superare mala.

Ex his apparet necessitas, meo humili iudicio, exponendi principia pertinentia ad conditiones praesentes in multis gentibus inter statum et Ecclesiam ut regnum Christi citius adveniat.

36

EXC.MUS P. D. MAXIMUS HERMANIUK

Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* in genere mihi placet. Sed in genere tantum, quia sunt in eo quidam defectus et quaedam affirmationes quae meo humili iudicio debent suppleri et emendari. Circa ea proponere vellem quasdam considerationes et propositiones.

1. *Circa initium schematis.* Logice, constitutio *de Ecclesia* deberet introduci per *prooemium quoddam,* ubi per citationem textus *Io.* 20, 21: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos », et per citationem textus *Mat.* 28, 18-20: « Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra, euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobis-

cum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi », clare monstraretur Ecclesiam esse continuationem missionis salvificae Christi per praedicationem eius veritatis et distributionem eius redemptricis gratiae per sacramenta ministerio apostolorum et eorum successorum.

2. Post tale prooemium, logice sequeretur cap. I: *de collegio episcopali et de episcopis,* ubi denuo ex textibus supra citatis, clare erui deberent sequentes veritates:

a) Christus, committendo collegio apostolico et eius successoribus, seu collegio episcopali, missionem praedicandi eius verbum et sanctificandi homines eius gratia redemptrice, dedit collegio apostolico et eius successoribus, seu collegio episcopali, omnem potestatem necessariam et utilem ad munus hoc efficaciter perficiendum: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra, euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... ».

b) *Consequenter,* omnis episcopus, tam residentialis, quam titularis, per consecrationem episcopalem accipit a Christo plenitudinem sacerdotii, et accedit ad collegium episcopale, simul cum potestate ministerii verbi et sanctificandi homines per sacramenta in unitate cum toto collegio episcopali sub ductu eius capitis Romani Pontificis.

c) *Hinc, propter* coordinationem operis apostolici et propter ordinem et necessitates boni communis totius Ecclesiae, collegium episcopale simul cum suo capite Romano Pontifice, vel solus Pontifex Romanus, pro necessitate causae vel acceptae traditionis, ius habent potestatem illam episcopalem, datam unicuique episcopo primario ad bonum commune totius Ecclesiae, ordinare, limitare, subordinare...

d) Unde dignitas episcopatus est omnino eadem tam pro episcopis residentialibus quam pro episcopis titularibus. Unica differentia inter unos et alios invenitur in facto exercendi ius suum suo proprio nomine, vel nomine alieno.

3. Post caput: *De collegio episcopali et de episcopis,* sequeretur logice caput: *De Corpore Mystico Christi,* seu de membris Ecclesiae. In hoc capite esset omnino necessarium tractare totam doctrinam de Corpore Mystico modo magis scripturistico, methodo magis conformi traditioni patristicae orientalis et latinae antiquae...

4. Doctrina: *De Ecclesiae magisterio,* in cap. VII schematis propositi exposita non est satis clara, et praesentatio eius videtur nimis longa. Tota haec doctrina evaderet clarior et esset plus acceptabilis pro fratribus nostris separatis, si praesentaretur modo sequenti: Magisterium authenticum et infallibile Ecclesiae potest esse ordinarium vel extraordinarium: *ordinarium* exercetur unico modo in doctrina fidei et morum fideliter custodienda et authentice interpretanda a toto collegio episcoporum simul cum Summo Pontifice Romano extra Concilium Oecumenicum. *Extraordinarium,* in materia fidei et morum, exercetur triplici modo:

a) per totum collegium episcoporum simul cum Romano Pontifice in Concilio Oecumenico reunito;

b) per caput collegii episcoporum, Romanum Pontificem, qui ut caput collegii, pastor et doctor universalis Ecclesiae, loquitur « ex cathedra » et ex sese docet totam Ecclesiam;

c) per collegium episcoporum, sine suo capite, « Sede Apostolica vacante ».

Tota haec doctrina praesentari deberet in lumine praesertim traditionis Ecclesiae orientalis et practicae Ecclesiae tam ritus latini quam rituum orientalium ante separationem saeculi XI.

5. Constitutio *de Ecclesia* deberet necessario principium ponere quoddam generale circa *libertatem conscientiae* in materia religionis. Hoc principium posset ulterius evolvi in schemate « De tolerantia » in doctrinam quamdam completam circa hoc problema maximi momenti in societate hodierna.

6. Doctrina de relationibus inter Ecclesiam et Statum in cap. IX deberet praesentari, servata solida veritate in hac re, modo comprehensibili et acceptabili a societate hodierna. Aliter forsitan melius esset non nimis dicere de hac materia.

37

EXC.MUS P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN

Episcopus Dalatensis

Christus doctrinam salutis omnibus hominibus, tramite populo iudaico, revelavit tam sua vita humili, tam sua praedicatione simplici, tam sua morte redemptrice. Eamdem doctrinam integram, in scriptis sed maxime oraliter nobis tradiderunt Apostoli. Ut autem talis praedicatio audientium mentem penetraret, et in cor iret, Magister et discipuli, iuxta mentem et capacitatem cuiusque auditoris, mysteriorum sublimium expositionem aptaverunt.

Quoad doctrinam de Ecclesia, doctor gentium eam praesentavit sub figura « corporis » Christi cuius membra sumus — et bene quidem — graeci et latini huic figurae corporis sicut et stadii, luctae, servitutis, etc. erant valde familiares.

Nunc successores Petri et apostolorum saeculi XX habent officium eamdem doctrinam exponere, per hoc sacrum Concilium, omnibus gentibus, etiam non graecis nec latinis nam « graecis et barbaris debitores sumus ».

Idem obiectum potest praesentari sub variis aspectibus plus minusve perfectis. Nonne bonum erit redire ad ipsum veritatis fontem qui est Christus eiusque modum sese exprimendi seu loquelam adoptare. Nam « non est discipulus supra magistrum ». Evangelia interrogemus, quomodo Christus de sua Ecclesia seu de discipulis suis et iis qui in eum credituri sunt, locutus fuerit.

« Unus est enim Pater vester qui in caelis est... Magister vester unus est Christus... omnes autem vos fratres estis... » (*Mt.* 23, 9-10). « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum. Vade ad fratres meos » (*Io.* 20, 17). « Sic

orabitis: Pater noster... » (*Mt.* 6, 9). Ex his et aliis testimoniis Ioannes potuit in his verbis lapidariis mentem Christi de Ecclesia sua ita resumere: « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri » (*Io.* 1, 12). Ubi autem inveniuntur pater, filius, fratres nisi in familia? Haec adoptio divina fitne tantum iuridice an etiam cum fundamento in re? Aliis verbis: Utrum fictio iuridica est an realitas? Coniunctio inter membra eiusdem familiae fit per consanguinitatem. Porro Christus « ut filii Dei nominemur et simus », nos sibi consanguineos et concorporeos effecit, nobis tradendo suam carnem ut cibum et sanguinem ut potum: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo..., ipse vivet propter me... vivet in aeternum » (*Io.* 6, 57-59): hac participatione cum corpore et sanguine Christi, homo consortium divinae naturae possidet fitque membrum divinae Familiae, non quidem naturale sicut Filius unigenitus sed per adoptionem, non mere iuridicam per aliquod chirographum, sed per communionem sanguinis divini: quod dici potest mysticum, inter physicum et morale locum tenens.

Porro haec communicatio sanguinis et vitae divinae, in ordine actuali, non singulariter sed socialiter, in Ecclesia, subministrantibus apostolis, sub directione Petri quibus commisit Christus suum corpus et sanguinem: « Hoc facite in meam commemorationem », potestatem ligandi et solvendi necnon docendi omnia quaecumque dixerit: hi tamen, in suo ministerio, non ut dominantes et benefici sed ut fratres maiores curam de minoribus sese habeant: « Qui maior est in vobis, fiat sicut minor et qui praecessor est, sicut ministrator » (*Lc.* 22, 26).

In hac familia, inter membra circuit sensus familialis qui est Spiritus amoris. Ipse enim Spiritus Sanctus Filium hominis, Primogenitum in multis fratribus, Primitia omnium creaturarum, nostrum fratrem, in sua vita mortali, in omnibus manuducens, discipulus promissus est ut Spiritus veritatis, coram tribunali persecutorum pro eis locuturus: « Qui filii Dei sunt, Dei Spiritu aguntur », in quo clamamus Abba, Pater.

Idem docuerunt apostoli, Patres. Audiamus Paulum in epist. ad Hebraeos: « Non confunditur fratres eos vocare... Unde debuit per omnia fratribus similari ut misericors fieret » (2, 11, 17), particeps factus carnis et sanguinis nostri, ut redemptione inventa, nos filios Dei redderet (S. Aug.) et quidem filios in Filio (S. Io. Chr.).

Haec conversio ad praedicationem et modum loquendi ipsius Christi, meo humili iudicio, multas utilitates nobis affert:

1. Haec conceptio Ecclesiae tanquam Familiae divinae mihi videtur omnino conformis cum doctrina Christi qui non solum comparavit figurative Ecclesiam ut familiam: Simile est regnum caelorum patrifamilias, in parabola filii prodigi, etc. sed eam esse talem clare, fuse, plus quam ad satietatem affirmavit, ut supra.

2. Talis doctrina et praesentatio omnibus familiaris est: munus nostrum est omnes homines alloqui de Christo et Ecclesia sua: pueros, iuvenes et

senes, doctos et indoctos, christianos et non christianos, cuiusque coloris: albi, rubri, flavi et nigri, cuiusque aetatis: notio familiae statim sine difficultate, mentem pervadit atque cor commovet, est enim realitas omnium captui obvia.

3. In multis regionibus, familia est in decadentia, eiusque iura calpestantur. Quid melius eam in honorem reponere poterit quam solemnis affirmatio doctrinae de Ecclesia tanquam familia divino-humana?

4. Erit optimum fundamentum sacrae theologiae et Liturgiae.

I. *Theologiae. a*) Dogmaticae, nam Christus est centrum Ecclesiae: ipse est enim frater maximus qui nobis Patrem revelavit, Ecclesiam suam instituit super Petram eiusque curam apostolis commisit tam in magisterio quam in sanctificatione ita ut per eam ad eum accedamus et per eum Patri praesentemur.

b) Moralis nam omnia iura et obligationes fundantur in relationibus familialibus: amore et iustitia, inter membra seu fratres et parentes.

II. *Liturgiae.* In familia, amor et veneratio interna signis externis et publicis manifestari debent secundum cuiusque dignitatem: erga Christum: latria quia Deus Homo, erga B. M. V. hyperdulia quia Mater Christi et nostra, erga sanctos, dulia quia amici Dei, erga superiores, oboedientia, erga inferiores, condescensio et amicitia.

His attentis, mihi videtur Ecclesiam Dei ita definiri posse: Ecclesia Dei ad quam omnes homines sine exceptione invitantur, est Familia divino-humana in qua membra, sub communi Patre caelesti, ex meritis Salvatoris Christi, sub impulsu Spiritus Amoris, adoptivi filii Dei in Filio efficiuntur — inchoative quidem iam in terris sub apostolorum ministerio, duce Petro (Ecclesia militans) — ac definitive in caelis, in domo Patris in qua mansiones multae sunt (*Io.* 14, 2) (Ecclesia triumphans).

Nunc venio ad varia capita schematis.

1. Opto ut 3 capita de episcopatu in unum reducantur sub diversis titulis: de sacramentalitate, collegialitate et magisterio. Tanquam corollarium ponatur caput de auctoritate seu potius de ministerio et oboedientia in Ecclesia.

In cap. IV mutetur titulus in De collegio episcoporum, iure quidem divino.

2. In cap. I, pag. 9, lin. 11, post verba ex multitudine advocati, addantur: fratres eiusdem familiae adoptivae.

N. 5, pag. 11, lin. 14, nonne melius esset dici Spiritus « *mens* » quam anima, nam vox anima potest male intellegi, praesertim a neophytis, dum e contra mens magis concordat cum S. Paulo: « Qui filii Dei sunt, Spiritu Dei aguntur (esprit de famille), in quo clamamus Abba Pater ».

N. 6, lin. 35 vox mysticum certe difficilis est intellectu etiam pro doctis: indiget explicatione.

3. Cap. II. De membris Ecclesiae. N. 9, lin. 25. Optime explicatur quid sit « ad Ecclesiam ordinati »: hoc enim magnam consolationem affert iis qui

parentes habuerunt sine baptismo decedentes, quia hi nunquam de Christo audierant.

4. De fratribus separatis n. 10. Melius intellegitur eorum status in doctrina de familia divino-humana, nam hi, de sua separatione sive conscii, sive non, semper sunt de familia Christi, attamen sunt longinqui a vera Matre Magistra, ideoque minora ab ea dona recipiunt, quos tamen debemus fraterno amore prosequi.

5. Optime in lucem ponitur laicorum in Ecclesia locus, officia, dignitas: his enim principiis in tuto reponitur laicatus contra paternalitatem clericalem eique datur non parva impulsio pro collaboratione in apostolatu.

6. Cap. X. De necessitate annuntiandi evangelium melius ponatur in schemate de missionibus.

38

EXC.MUS P. D. IOSEPH HOEFFNER
Episcopus Monasteriensis

Ad schema propositum *de Ecclesia* haec animadvertere velim:

Prima animadversio:

Schema indolem nimis iuridicam praebet. Sic exempli gratia *ius* Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus inculcatur, quin finis ille, a Papa nostro Ioanne XXIII Concilio Oecumenico propositus, ut nempe « humanae societati micantissimum unitatis signum praeluceret », sufficienter respiciatur (28-10-1962).

Praesertim hodie in *applicando* iure annuntiandi Evangelium ad conditiones et indigentias hominum illorum, quibus Evangelium praedicare curamus. diligenter attendendum est. Omnes hos homines ut *fratres nostros,* non ut subditos alloqui oportet. Schema propositum tria genera fratrum enumerat: fratres catholicos, fratres separatos, fratres non baptizatos in terris sic dictis missionum. Valde optandum est, ut schema hos fratres non tantum iuridice, sed cum caritate et cum prudentia pastorali alloquatur. Praeterea, ut mihi videtur, tria alia genera fratrum, de quibus hucusque in hac aula vix sermo fuit, respicienda sunt, nempe: *primo* fratres, quos « fratres saecularisatos » appellare velim. Est ingens numerus eorum, qui in terris sic dictis christianis viventes baptizati quidem sunt, sed indifferentismo vel materialismo practico adhaerent et quoad fidem et quoad praxim vixdum christiani sunt. Inculcando *ius* annuntiandi Evangelium hos fratres ad Christum Pastorem reducere non possumus. *Secundo loco* enumerandi sunt sic dicti « fratres derelicti », nempe milia milium eorum, qui — v. g. in America latina — propter penuriam sacerdotum verbo Dei et cura animarum carere debent. *Tertio loco* enumero ingentem massam fratrum nostrorum, qui in vastis regionibus mundi in sensu proprio famem patiuntur, quia — praesertim propter sic dictam explosionem populationis — non habent quid manducent. Fratres isti nullum « observa-

torem » in hanc aulam miserunt; tamen foris ad portas aulae conciliaris pulsant.

In omnibus his casibus non sufficit, *ius* annuntiandi Evangelium pronuntiare. *Modus quo* Evangelium praedicatur maioris momenti est quam ius ad praedicandum.

Secunda animadversio:

In schemate proposito status laicorum in Ecclesia fere exclusive sub respectu cooperationis cum hierarchia consideratur, quin de specifico munere laicorum, prout « populus Dei » in hoc mundo sunt, tractetur. Praeterea non placet dictum in pag. 37, n. 22: laicos « solis communibus normis vitae christianae » regi, ac si duplex forma perfectionis vitae christianae habeatur. Perfectio vitae christianae tum pro clero, tum pro religiosis, tum pro laicis *una* eademque est et in caritate consistit. Consilia autem evangelica, ut docet S. Thomas, non ipsa perfectio sunt, sed instrumenta vel media perveniendi ad perfectionem vitae christianae (*Summa Theol.*, II-II, 188, a. 2).

39

Exc.mus P. D. FRANCISCUS JANSSEN

Episcopus tit. Coelianensis, vic. ap. Gimmaensis

De schemate: « De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium », aliquas observationes facere vellem:

In titulo agitur de necessitate, quae tamen, exceptis tribus lineis in initio, vertitur in officium et ius.

Quamvis de iure et officio sermo esse debeat, opinor tamen in schemate supra modum multa dici de iuribus, duroque et aspero sermone.

Pag. 75, lin. 1-35 quasi totaliter supprimi potest.

Valde mihi placeret unum verbum de missionibus protestantibus, de attitudine missionarii in praesentia eorum, necnon de praeparatione evangelii in islamismo et aliis systematibus.

Dolendum est in hoc schemate non unum quidem verbum consolationis et exhortationis invenire pro iis qui in missionibus pondus diei et aestum portant, neque pro cooperantibus.

Verbum Domini pag. 74, lin. 2, profundius exploretur ita ut agatur de igne qui totam Ecclesiam accendere debet, quia missio imprimis fundatur in meditatione et exsecutione spiritus evangelici, cuius momentum et resumptam redactionem invenimus in verbis citatis: « Euntes, docete etc. ».

Citetur etiam textus B. Pauli apostoli: « Primogenitus omnis creaturae » et sequentia, quo missio profundiorem et latiorem sensum acquirit: utpote missio Christi, cum qua missionarii cooperantur.

Ex textu citato pag. 76, linn. 23, 24, de corpore mystico Christi eruatur solida doctrina, missionem esse imprimis: vitam agere Christi, religioso id

est devoto corde in Christo omnia instaurare, ita ut vocabulum, religio pag. 76, lin. 25, sensum dynamicum acquirat.

Sententia: Ecce ego vobiscum sum, triumphaliter sonat, et utinam huic triumpho assistere possimus, sed in missione quaestio practica, de qua dependet praesentia Christi nobiscum, haec est: ut ... *nos simus cum Christo.* Et de hoc imprimis agatur in schemate. Cetera hic fundamentum habent: Quaerite primum regnum Dei...

40

Exc.mus P. D. FRANCISCUS KERVÉADOU

Episcopus Briocensis

Episcopi ex tertia regione apostolica (I), in Gallia, Andegavi (Angers) congregati, diebus 6 et 7 februarii 1963, *conveniunt in sentiendo,* tractatum *de Ecclesia,* attamen in capite valido: de mysterio sive de natura Ecclesiae, ita conscribendum ut ad omnes homines huius temporis, et non tantum ad catholicos, dirigatur.

Exoptant ut in expositione « de natura Ecclesiae » missio includatur, cum de essentia Ecclesiae sit ut ad mundum universum mittatur.

Cognito proposito S. E. card. Suenens, cui competit novo schemati *de Ecclesia* conscribendo praeesse:

a) inserendi caput « de B. M. V. » in hoc schemate;

b) contrahendi schema *de Ecclesia* in 4 capitibus (1. de mysterio Ecclesiae. - 2. de episcopis. - 3. de laicis. - 4. de B. V. M.), *subscribunt tali proposito.*

Attamen:

1. *Optant* ut caput particulare de Ecclesia « ad extra » tractet, paucis versibus non sufficientibus.

Significandus esset modus evangelicus quo Ecclesia mundo praesens est, animadversis non tantum relationibus inter Ecclesiam et Statum, sed imprimis labore quo homines ad humaniorem vitam nituntur, et cura pauperum quorum Ecclesia defensorem se praebet...

2. *Instanter petunt* ut de sacerdotibus secundi ordinis tractetur. Etenim:

a) Sacerdotes, si de eis pauca verba tantum dicerentur, cum dolore perciperent talem defectum vel praetermissionem.

b) Una ex causis crisis vocationum sacerdotalium in hoc consistit, quod, vocatione laicorum laudata, aliqui iuvenes sat clare non vident munus sacerdotum in Ecclesia, in qua laici cum Hierarchia efficaciter cooperant.

Innuunt episcopi:

1. Ut a principio capitis primi, Ecclesia declaretur tota sacerdotalis.

2. Ut in locum cap. II « de episcopis » succedat caput « de sacerdotio », in quo definiatur vera natura sacerdotii Novi Testamenti vel Evangelici; exponatur episcopatum esse plenitudinem sacerdotii Novi Testamenti; refe-

ratur sacerdotium secundi ordinis ad sacerdotium episcopi a quo derivatur et cum quo unum remanet (cooperatores ordinis nostri...); referatur aliunde ad sacrificium spirituale fidelium, de quo agatur in capite « de laicis » et in beneficio alicuius exercetur; natura sacerdotii Novi Testamenti ita proponatur ut principia fundamentalia in capite alii schematis de sanctitate sacerdotum applicanda comprehendat.

In capite « de episcopis ».

1. Statuenda est collegialitas episcoporum super fundamentum collegialitatis apostolorum.

De episcopis loquatur Concilium collegialiter sumptis priusquam singillatim.

2. Radix potestatum episcopi ostendatur in eorum consecratione qua collegio episcoporum (vel ordini episcopatus) aggregantur; episcopi una simul causam totius Ecclesiae ferunt; auctoritas collegialis episcoporum etiam extra Concilium ostendatur exerceri per magisterium ordinarium, sicut in cap. VII schematis dicitur.

In capite IX, de Ecclesia et Statu, ne loquantur tantum de iuribus Ecclesiae, ex qua doctrina parum fructum homines faciunt.

Schema de Beata Maria Virgine.

Iidem episcopi Andegavi congregati, die septima februarii 1963, exprimunt:

1. Ut schema *de Beata Maria Virgine* restituatur in schemate *de Ecclesia.*

2. Ad hanc restitutionem, nova conscriptio orientationi pastorali et oecumenicae Concilio assignatae congruens poscitur. Multa bona elementa praesentis conscriptionis in futura remanere poterunt.

3. Secundum orientationem praedictam, Maria ut exemplar virtutum evangelicarum ostendatur, imprimis paupertatis (quam ipsa cantat in « Magnificat »), fidei viventis (« Beata quae credidisti... », « conservans omnia verba haec »...), et oboedientiae (« Ecce ancilla Domini »).

Ita respondebitur voto S. E. card. Lercaro (et multorum Patrum) poscentis ut paupertati evangelicae in variis schematibus locus inveniatur. Quod hic advenit.

4. In praesenti statu huius schematis offenduntur non tantum protestantes sed etiam orthodoxi: nam istius dicendi modus iuridicus, rationalis, latinus et occidentalis eis alienus occurrit. Capitulum de Beata Maria Virgine sermone viciniore linguae Scripturae Sanctae et Patrum graecorum scribatur.

Em.mus card. Roques, C. P. Rennes; RR. DD. Villepelet, V. R. Nantes; Cazaux, V. R. Luçon; Le Bellec, V. R. Vannes; Kervéadou, V. R. Saint-Brieuc; Guyot, V. R. Coutances; Pioger, V. R. Sées; Chevalier, V. R. Le Mans; Guilhem, V. R. Laval; Mazerat, V. R. Angers; Favé, V. T. Andéda (aux. Quimper); Riopel, V. T. Néocesarea di Siria (aux. Rennes); Derouineau, A. R. Kunming (Cina); Mazé, V. T. Sauatra; Robert, V. R. Les Gonaïves; Perrin, V. T. Blaundo.

41

Exc.mus P. D. DANIEL RAYMUNDUS LAMONT

Episcopus Umtaliensis

Relate ad schema *de Ecclesia* propositum, valde miror tam pauca hucusque dicta fuisse de absoluta doctrinae dogmaticae immutabilitate. Sed plura dicenda fuissent. Nos enim non possumus, et quidem ullo modo possumus, sine naufragio in fide, iota unum aut unum apicem dogmatis mutare, ne pro reditu quidem omnium fratrum separatorum, nec pro omnium gentium ad fidei veritatem adhaesione!

Et quidem mihi videtur (si velimus fructuosum dialogum cum fratribus separatis instituere) non esse primo disceptandum de Ecclesiae iuridica constitutione, vel de aliis huiusmodi rebus, sed de responsione ad illam quaestionem in Evangelio positam: Quid tibi videtur de Christo?

Nam sperare non possumus fratres separatos doctrinam de Ecclesia accepturos, si nobiscum in veritatibus christologicis convenire non videntur.

Quapropter inde ab initio, clare, confidentes et aperte, sine ullo timore, sine haesitatione, sine ambiguitate dicamus, nos umquam ullo modo, ullo pretio dogmaticas veritates mutare nec posse, nec velle.

Fratres separatos, tam bona voluntate praeditos, quadam ficta caritate ne decipiamus.

Item: ne timeamus exactas et praecisas, seu distinctas et claras locutiones de Ecclesiae auctoritate et de eius regimine. Nonne carentia auctoritatis, nonne individualismus ille insanus, nonne tandem terminologia fluctuans, vaga, impraecisa, nonne haec omnia sive simul sive separatim sumpta, causae dicendae sunt divisionum, quae habentur inter fratres separatos? Utique has esse suarum divisionum causas ipsi iidem agnoscunt et lamentantur.

Fides catholica in omni suo respectu vel parte, magna cum claritate, modo perspicuo et per terminos quantum fieri potest maxime intelligibiles, definienda est et defendenda. Haec omnia et ille magnus vir, qui toto pectore omnium christianorum unionem diu optavit, nempe card. Newman, clarissime exprimere visus est, cum dixit: Pilus unus forsitan dividit falsum a vero; immo unum Aleph, si inveniri posset, viam forsitan indicaret tum ad thesaurum cum ad magistrum.

Veritas virgo est. Tolerantiae nuptias non patitur, ne deminutas illas et dimidiatas veritates, quae a falso distare non videntur, parere cogatur.

42

Exc.mus P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA
Episcopus Cauriensis-Castrorum Caeciliorum

Omnes assentimus, modo unanimi, ita ego existimo, scopum huius Concilii sicut ceterorum, quae in decursu historiae exstiterunt, esse doctrinam catholicam cum exigentiis temporum ita clarissime exponere, ut omne dubium, omnisque interpretatio non recta, effugiatur.

Si, ut credo, ita sit, doctrina de potestate et auctoritate episcoporum ita debet ea claritate et praecisione exhiberi, ut ex una parte, ianua claudatur cuilibet discussioni extra chorum; et ex altera in animo omnium sit vera natura et ambitus huius potestatis. His expositis:

Post accuratam lectionem cap. IV huius schematis, et sub n. 14, pag. 23, saltem mihi videtur, nescio utrum etiam sit et vobis, doctrina non ita exponitur ut quaelibet fundata confusio et discussio excludatur.

Equidem, postquam affirmavit exercitium iurisdictionis episcoporum obtineri mediante missione canonica a regimine Ecclesiae supremo accepta, quin nihil dicat de natura seu origine huius potestatis, postea sub lin. 16 et sequentibus addit, « *ita subordinatur supremae potestati Romani Pontificis ut ipse exercitium eorum iurisdictionis ordinariae, ampliare vel restringere possit* », quod quidem affirmat vi supremae et immediatae potestatis iurisdictionis Romani Pontificis in omnes Ecclesias et in omnes fideles.

Sed paulo post, dum errores contrarios refutat sub lin. 23 et sequentibus, ait: « *a vero aberrant qui asseverant per potestatem supremam pontificiam aboleri, vel absorberi, vel augeri posse ipsam episcoporum potestatem* », et concludit sub lin. 30: « *Minime igitur auctoritate Vicarii Christi, iura episcoporum minuuntur* ».

Redactio praesentis paragraphi, mihi videtur, viam aperit, confusioni et quidem propter apparentem contradictionem relate ad exercitium iurisdictionis. Propter hoc existimo ut dari debet maior claritas in re magni momenti et separatim declarentur: 1. Natura potestatis episcopalis; 2. Exercitium talis potestatis, et 3. Limitationes in eius exercitio, cum expositione rationum ad hoc.

Cap. VII. De Ecclesiae magisterio. Praesens schema *de Ecclesia,* maximi momenti nostris diebus, consideratione habita et indolis pastoralis huius Coadunationis oecumenicae et necessitatis providendi multiplici actuationi ministerii ecclesiastici, attentis etiam et hodierna evolutione sociali et magno progressu temporis, optimo modo a commissione pontificia elaboratum fuit.

Necessarium omnino est ut clare et pro omnibus elucescat vim et efficaciam resolutionum Romanorum Pontificum, sive ab ipsis directe, sive per organa subsidiaria expositarum; immo et ambitum potestatis episcoporum

in grege eis concredita, ad hoc ut sine dubio, omnes fideles veram et obiectivam conscientiam efforment ut recte agant.

Cap. VII huius schematis, de Ecclesiae magisterio, sub n. 30, pag. 49, clarissime et magna cum praecisione, doctrinam catholicam de magisterio episcoporum exponit, quod quidem laudandum sit.

Tamen relate ad magisterium Romanorum Pontificum sive in Litteris Encyclicis sive per resolutiones ab organis subsidiariis emanatas, mihi videtur cuiusdam defectum praecisione adoleret.

In pag. 48, sub linn. 27-30, dicitur: « Romani Pontificis authentico magisterio, etiam cum non ex cathedra loquitur, *religiosum voluntatis et intellectus obsequium praestandum est... et sententiae ab eo propositae sincere adhaereatur* ». Et sub linn. 33-35 eiusdem numeri seu pag. 48, additur « *Mens et voluntas Romanorum* Pontificum manifestatur praesertim in Constitutionibus Apostolicis vel Encyclicis Litteris, vel sollemnioribus Allocutionibus »... Et sub linn. 39-40 exponitur: « ... *et quae ibi docentur et inculcantur plerumque iam aliunde ad catholicam doctrinam pertinent* ».

Deinde in n. 31 huius capitis, quando de organis subsidiariis magisterii authentici loquitur, sub linn. 14-19, ostenditur talibus decisionibus seu declarationibus organi subsidiarii magisterii, non *externum dumtaxat obsequium* praestandum est, sed « *religiosa debetur et de se interior mentis adhaesio* ».

His expositis, saltem mihi videtur:

1. Non apparet clare distinctio inter assensum qui debet praestari tum authentico magisterio Romani Pontificis in Litteris Encyclicis, tum organis subsidiariis magisterii authentici, ut gratia exempli responsionibus Pontificiae Commissionis de Re Biblica.

2. Esset summe conveniens statuere utrum in documentis authentici magisterii Romani Pontificis, tantum proponantur doctrinae ut certo tenendae, an quandoque agatur etiam de tuto tenendis veritatibus. Vel aliis verbis, utrum sententiae quae in Litteris Encyclicis continentur sint irreformabiles.

43

Exc.mus P. D. CLETUS LOAYZA GUMIEL

Episcopus Potosiensis in Bolivia

Plura reperiuntur in schematibus *de Ecclesia* et *B. Virgine Maria* laude digna, licet non omnia ac singula efferam praeconio, atque alia aliis rectius tractata evadant.

Deficientiae, quae adsunt, fortasse proveniant ex nimio ac prolixiore sermone, atque insimul eo quod plura capita bis et ter aguntur diversis in schematibus. Utinam res seu quaestiones similares in eodem capite seu schemate proponantur.

Caput V: Admodum probo schema de statibus perfectionis acquirendae, ubi principia statuuntur praecipua de origine ac nobilitate eorum, quibus insimul incitantur christicolae ad eos ingrediendos recta mente placendi Omnipotenti sub ductu ipsius Redemptoris. Exemptionem religiosorum plane confirmo iuxta consuetudines hucusque introductas vel inferendas.

Schema de B. V. Maria: De qua numquam satis secundum vulgatum effatum theologorum, quodque tam carum fuit cordi et intellectui recentissimi omnium Doctorum Ecclesiae, zelantissimi episcopi Alphonsi Mariae. Quae proponuntur de cultu, privilegiis et excellentia Matris Dei ac nostrae, pleno mentis affectu et scienter confirmo.

Inter formas, quibus colimus Dei Genitricem, gratiarumque Dispensatricem seu Mediatricem (rectius dictum), illam recitandi, ad modum mysticarum Rosarum, tot vicibus Salutationem Angelicam expressis verbis proponi debet, ut opinor. Sanctissimum nempe Rosarium Mariale a Vobis in hac S. Synodo cunctis christicolis commendetur quotidie recitandum, sicut mos est aut etiam lex pro clero et familiis religiosis, atque fit inter fideles pios.

Additio fiat in par. 5 et lin. 22, ad verba « *approbavit* etc. » hoc autem modo: « ... approbavit, *cumprimis Rosarium vulgo dictum Marianum, pignus benedictionis caelestis pro omnibus,* ad id spectant... ».

Quapropter nos omnes cupimus, ut cuncti fideles fiducialiter ad ipsam recurrant suis in necessitatibus. Atque praesertim hisce diebus cum nos omnes collatis viribus adlaboremus pro unitate Ecclesiarum reficienda. En post Iesum Christum cunctorum Salvatorem alterum unitatis vinculum: Deipara nimirum Virgo Maria Nazarethana! Omnes ac singulae Ecclesiae orientales cuiuslibet ritus eam afficiunt singulari amore; et inter orientales et occidentales nulla adest differentia in asserendis excellentia unica Maternitatis Divinae, privilegiis ei collatis et interventu materno erga nos mortales, exules filios Evae. Reapse fratres existimus in amore eius in nos et amore nostri in eam!

Est Ecclesia Christi, domus Dei et veluti familia in terris. Ubi vero deest amor seu calor maternus inter filios eiusdem matris, omnes fratres patiuntur. Filii pariter pati nequeunt quod dedecore utcumque mater prosequatur. Nos omnes, qui Christi nomine gloriamur, ex corde colimus uti filii. Quapropter iste cultus filialis et amor existat exopto pro nobis cunctis credentibus novum vinculum unitatis et obeditionis Iesu Christi Primo Vicario in terris. Cor Mariae immaculatum coadiungat una mente corda nostra!

Eo vel magis ita fiat, quod eius Immaculatam Conceptionem unanimi consensu accepimus, quam paucos post dies concelebrabimus. Verbo: Sit Dei Genitrix vinculum unitatis et christianae fraternitatis pro cunctis in Christum credentibus.

44

EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

I. In genere.

A) In cap. I adiungi debet pars « de fine Ecclesiae militantis ». In hac parte de officio praedicandi evangelium ad infideles loquitur. Ad hanc igitur partem principia theologica de missionibus transferri debent et ceterae partes cap. X ad schema de missionibus remittantur.

B) In cap. II de membris Ecclesiae militantis, agi debet de constitutione Ecclesiae hierarchica.

C) In schemate de Ecclesia deesse non potest unum caput de Romano Pontifice, etiamsi brevissimum, quia omnia relate ad Romanum Pontificem iam tractata sunt in Concilio Vaticano I. Sed in hoc capite relatio Summi Pontificis ad collegium episcoporum indicari debet.

II. In specie.

A) In capite de laicis, retinentur ea quae respiciunt principium theologicum ac ius et officium laicorum in Ecclesia. Sed remittantur cetera quae de vita salutifera Ecclesiae a laicis active participata et de collaborationis laicorum principalibus formis ad schema de apostolatu laicorum. Non solum ista omnia non pertinent ad commissionem theologiae, sed etiam dicta sunt in forma quae perfectam cognitionem causae non manifestat.

B) Supprimatur cap. X de missionibus. De missionibus agi debet in cap. I, de natura et fine Ecclesiae. Postea ea quae in cap. X habentur multis defectibus laborant. Imprimis loquitur tantummodo de iure et munere Ecclesiae annuntiandi evangelium, sed non indicatur ratio intima praedicandi evangelium quae est Caritas Christi. « Caritas Christi urget nos ». Christus et apostoli non loquebantur de iure praedicandi evangelium sed de voluntate Dei atque amore salvandi omnes homines. Secundo insistendo nimis de iure Ecclesiae praedicandi, modus loquendi reactionem malam a guberniis infidelium provocat ac magis malum quam bonum missionibus facere potest.

C) In cap. II de membris Ecclesiae peropportunum videtur loqui de communione inter membra Ecclesiae, non tantummodo Ecclesiae militantis, triumphantis et purgantis, sed etiam inter membra ipsius Ecclesiae militantis in bonis ac malis faciendis, quia sunt membra eiusdem Corporis.

D) Locutiones non sunt semper clarae. Ex. gr. pag. 9, n. 2: « Cum igitur Unigenitus Dei Filius ex muliere factus habitavit in nobis ». Unigenitus Filius Dei certe non est factus ex muliere, sed factus est homo ex muliere. Addendum est « *homo* » in textu...

45

Exc.mus P. D. VICTORIUS LONGO

Episcopus tit. Lorymiensis, aux. Neapolitanus

Trado quasdam observationes super cap. IV « de episcopis residentialibus » constitutionis *de Ecclesia,* quae tenent locum mei sermonis in congregatione generali.

In schemate, cap. IV, ubi sermo est de episcopis residentialibus, nihil dicitur de episcopis titularibus et praecipue de episcopis auxiliaribus, qui tamquam coadiutores dantur personae episcopi, sine iure successionis (can. 350, § 3 C.I.C.). Nonnunquam officium episcoporum auxiliarium, qui *tantum possunt quantum episcopus eisdem commiserit* (cf. can. 351, § 2) exercetur cum multis difficultatibus, sive moralibus sive oeconomicis: de facto, episcopi auxiliares nullam partem possunt habere in regimine dioeceseos, nec facere fructus necessarios ad honestam sustentationem et ad ipsa opera caritatis et apostolatus peragenda.

Rebus sic stantibus, postulo ut dignitas episcoporum auxiliarium hoc modo tueatur:

1. Episcopi auxiliares, immediate subiecti episcopo residentiali et primi cooperatores ipsius, nomine et facto partem habeant in munere episcopi (cf. can. 355, § 2) et in regimine dioeceseos, ita ut nullo modo dependeant a vicario generali, saepe non episcopo.

2. Sedes Apostolica per S. Congregationem Consistorialem prospiciat ut conditiones oeconomicae episcoporum auxiliarium sint convenientes decori ac necessitatibus.

3. Episcopi auxiliares *ex iure* participent conferentiis episcoporum residentialium in regione ecclesiastica, etiamsi gaudeant solummodo « voto consultivo ». Istis emendationibus consulitur decori episcoporum auxiliarium et saluti animarum, quae maxime possunt proficere in dioecesibus bene ordinatis.

46

Exc.mus P. D. IOSEPH LÓPEZ ORTIZ

Episcopus Tudensis-Vicensis

Frater Ioseph López Ortiz, O.S.A., Episcopus Tudensis-Vicensis in Hispania ad schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* cap. IX aliquatenus emendatum suadere audet, his suffultus rationibus. Hoc in capite vera et iusta proponuntur, quae non placere non possunt. Nonnulla tamen plus aequo iterantur. Ex magisterio Ecclesiae quaedam adsumuntur, quae ad nationes sese officiali modo catholicas profitentes attinent; quae quidem ut norma

generalis difficili modo aptari queunt. Status et eius rectores principaliore cura respiciuntur; e contra societas ipsa civilis, quae quidem non idem est ac status, aliquatenus negligitur; cives et ipsa civitas Deum agnoscere tenentur et Christum, eiusque Ecclesiam. Status huic obligationi satisfacere debet, si societas ipsa catholica est. Si tamen acatholica fuerit maiore ex parte, non facile intelligitur quo modo Status profiteri possit veram religionem.

Liberum obsequium, quo Deo adhaerere necesse est, non alienum iudico ab hoc capite, et opportunum existimo, ut quodam modo exprimatur.

Conceptus et verba vitare velim, quae iam in desuetudinem venerunt apud cultores scientiarum politicarum et socialium: ex. gr. « *Societas perfecta* », « *trina potestas legislativa, iudiciaria* et *exsecutiva* » immo et « *suprematia* » ipsa, cuius conceptus hodie nimis implicatus fit. Nova quae hodie proponuntur, prudentia suadet, ut non admittantur in tam gravi documento conciliari. Quantum possibile sit verba S. Scripturae et Patrum retinere oportet. Facultas etiam, suis limitibus legitimis, relinquenda videtur theologis et iuris cultoribus, ut aptiore systemate haec tam nova et labilia quae in vita sociali eveniunt, proponere possint.

Pauca addenda iudico ex magisterio ecclesiastico, quae ad habitudinem Ecclesiae cum diversis hominum culturis attinent, et ad relationes inter populos et nationes.

Prae oculis habendam censeo accusationem, iniustam quidem, ast universim divulgatam: catholicos dum minore sunt numero libertatem autumare; dum Status gubernacula tenent libertatem ceteris denegare. Et re et verbo vitare oportet, quae hoc sensu interpretari queant.

Damnatio laicismi omitti potest, quae iam in cap. VI huius schematis invenitur (n. 26) et aptiore contextu. Quae nimis aut praecipue apologeticam sonant etiam omittenda censeo.

Documenta quibus innituntur emendationes eadem sunt, ut patet, quae in proposito schemate allegantur, tria speciali modo laudantur, in quibus textus propositus ipsis verbis proximior evadit. Si quid novum inserendum proponitur, tam communiter receptum est, ut non indigeat documentis firmari.

His normis obsequens, hoc vel simili modo caput IX innuere audeo:

Caput IX. *Relationes inter Ecclesiam et Civitatem.*

N. 40. *Ecclesia et Civitas terrena.* Homo a Deo destinatus ad finem supernaturalem indiget tum Ecclesia, tum societate ad plenam perfectionem assequendam.

Dum autem societati civili, cui homo ascribitur, vi indolis suae socialis, competit, ut bonis terrenis intenta, conditiones illas inducat, in quibus cives obtinere possint perfectionem homine vere dignam, atque hisce in terris « quietam et tranquillam vitam » (1 *Tim.* 2, 2) peragere queant. Ecclesia, cui homo incorporetur necesse est vi supernaturalis suae vocationis, a Deo condita est ut semper magis ac magis sese extendendo, doctrina, sacramentis, oratione et legibus fideles conducat ad finem sempiternum.

Utraque societas ditata est facultatibus ad propriam cuiusque missionem rite explendam: neutraque alii subiecta.

Christifideles, simul ac Ecclesiae, membra sunt civitatis civilis, cui fidelitatem debent, et obedire tenentur eius praesulibus etiam propter conscientiam (*Rom.* 14, 5), semper ad omne bonum parati (*Tim.* 3, 1). Ast, si quid statutum fuerit in civitate contrarium iuri naturali vel divino, oboedire tenentur magis Deo quam hominibus (*Act. Ap.* 5, 29). Finem societatis civilis numquam est appetendum excluso vel laeso fine ultimo, salute videlicet aeterna.

Status, cui ordinatio iuridica societatis ad commune bonum civium pertinet, in suis legibus et providentiis ius tueri debet omnium hominum ad obsequium Deo praestandum, libereque cultum ei tribuendum conditionesque civibus procurare quibus suum finem supernaturalem adipisci possint.

Ecclesia temporalia non curat, nisi quatenus ad finem supernaturalem ordinantur. In his quae tam ad Ecclesiae, quam ad civitatis finem ordinantur: ut sunt matrimonium, puerorum educatio, et alia huiusmodi, sic iura civitatis exercenda docet, ut bona superiora ordinis supernaturalis detrimentum non patiantur. In aliis temporalibus, quae salva lege divina, variis modis obtineri vel fieri possunt Ecclesia nullo modo se immiscet. Custos sui iuris, observantissima alieni, non ad se putat pertinere, formam civitatis statuere, quae praeferenda sit, quibus institutis civilis res christianarum gentium melius geratur; ex variis reipublicae generibus nullum non probat, dum religio morumque disciplina salva sit. Sicut enim suae libertati non renuntiat, sic non impedit quominus civitas suis iuribus et legibus libere utatur.

N. 41. *Civitatis consecratio.* Non tantum singuli homines sed civilis etiam societas Deum parentem et auctorem suum necesse est ut cognoscat et cultum ei placitum tribuat (Leo XIII, Enc. *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888, *A.S.S.,* 604). Christifideles intendere debent ut Status, societatis personam gerens, huic muneri satisfaciat fidem catholicam profitendo, et in sacra liturgia debito ordine participando. Attamen quin ullo modo civibus nec fidem catholicam, nec praxim religiosam quae ab iisdem non libere accipiatur imponere audeat; statuto iuridico, si opus fuerit ad dissidentium libertatem tuendam, promulgato et fideliter servato.

Professio fidei catholicae a civitate hoc secum fert, ut Status principia iuris divini sincere custodiat, quibus leges et praxis publica informentur, non tantum in ambitu sui regiminis, sed etiam in his quae ad communitatem populorum attinent.

In omni denique civitate, in eius iuribus et moribus Ecclesia ardenter desiderat, non tantum ut iura naturae custodiantur sed etiam ut Evangelium suum salvificum influxum exerceat, ut omnes homines salutis et sanctitatis vias sequi pergant. Pro ratione qua Status et eius rectores Christum agnoscant et ab eo conditam Ecclesiam, aliter atque aliter ad invicem sese habere posse, utramque societatem Ecclesia libenter agnoscit. Civibus autem autumnat ut in bonum ipsius communitatis plena concedatur facultas eligendi, ut vita civilis secundum principia catholica informetur, adeoque, secundum verba S. Gre-

gorii Magni « caelorum via largius pateat » (*Ep. 65 ad Mauricium.* P.L. 77, 663).

N. 42. *Signum in nationibus.* Ecclesia materno et supernaturali amore prosequitur omnes homines cuiusve stipitis et linguae, vel conditionis oeconomicae vel socialis; omnes hominum culturas pari studio et reverentia suscipit, quin unam vel aliam aptiorem existimet ad regnum caelorum. Dum, in terra peregrina, non ministrari ambit, sed ministrare, unicuique temporis vel culturae conditionibus aptari satagit. Attamen haec aptatio, quamvis in decursu historiae quandoque perfecta visa fuerit, nullae nationi vel culturae praelationem contulit, vel hodie confert, ut iudicari possit ut unica christiana, cui Evangelium mancipetur (Pius XII, *Alloc. iis qui aderant Conventui X Internat. de Scientiis historicis,* 7 sept. 1955, *A.A.S.* 1955, 680-681).

Pacem exoptat inter omnes homines et nationes, eamque promovere curat, pacem, nempe quae non solo timore innitatur, at in iustitia et caritate. Universalem normam vigere firmiter tenet Ecclesia de morum probitate, in mutuis necessitudinum rationibus, quae inter gentes nationesque intercedunt, ipsam videlicet naturalem legem (Enc. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939, *A.A.S.* 1939, pag. 423).

Bellum cupidine dominandi illatum iniustissimum iudicat; vim tantum adhibere licere in tutamen, iustitiae et caritatis ordine et moderamine servatis. Differentias inter nationes collatis consiliis et servata iustitia componi oportere: immo et communi conamine omnes populos laborare debere in his quae ad bonum commune totius generis humani conferre possunt.

Ecclesia cum Statu et supranationalibus consociationibus relationes mutuae cooperationis libenti animo retinet, pacta ad hoc ordinatius adsequendum, inita servare, vel nova inire diligentissime curat.

47

Exc.mus P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK

Episcopus tit. Epiphaniensis in Syria

Post ea quae sunt optime dicta de sacramentalitate episcopatus in n. 11, cap. III, pag. 20, non satis tamen attenditur ad consequentias necessarias istius fundamenti theologici episcopatus, quae sunt, ut alio loco schematis, cap. IV, n. 14, pag. 23, linn. 1-3 enumerantur: nempe munus sanctificationis, munus magisterii et munus regiminis.

I. *Quoad munus sanctificationis* explicite dicendum esset in quonam episcopatus sit « summus gradus sacerdotii ». Potestas enim sacramentalis data fuit a Iesu Christo apostolis et eorum successoribus; ex quo consequitur:

a) quod episcopatus est expressio plena, summus gradus sacerdotii, sacerdotium autem presbyterorum est participatio istius plenitudinis;

b) quod per consecrationem episcopalem, non autem aliter, omnis epi-

scopus, non ergo tantum episcopus residentialis acquirit, non quidem potestatem iuridicam, sed veram quamdam potestatem spiritualem ontologicam super omnes homines « euntes docete omnes gentes ». Talis est etiam doctrina Ecclesiae orientalis.

II. *Quoad munus magisterii* de quo potius locus proprius esset hic in cap. III, non autem in cap. VII, pag. 49, lin. 4 ad pag. 52, lin. 23. In loco citato schema nimis coarctat munus magisterii episcopalis ad notionem potius iuridicam faciendo hoc munus dependere a iurisdictione. Missio directe concredita a Domino apostolis et eorum successoribus manet de se independens ab omni iurisdictione et extenditur ad omnes homines, non autem tantum ad fideles. Quae missio directe confertur episcopo a Deo per consecrationem. Ex quo sequitur:

a) Episcopus fruitur hoc munere magisterii iam ante acceptam iurisdictionem in determinatum populum;

b) Episcopus exercet hoc munus collegialiter et ordinarie cum toto episcopatu relate ad totum genus humanum (euntes docete omnes gentes);

c) Dum ipse exercet istud munus extraordinarie et infallibiliter in Concilio oecumenico;

d) Episcopus denique residentialis exercet istud munus personaliter erga suos fideles.

III. *Quoad munus regiminis* de quo schema tractat in cap. IV, nn. 13-14, ubi tantum de episcopis residentialibus. Schema ergo supponit tantum episcopos residentiales gaudere potestate iurisdictionis; quod iterum videtur nimis coarctare munus regiminis episcopalis ad aspectum eius canonicum et iuridicum. Hic denuo revertendum est ad fontes: episcopatus nempe consistit in plenitudine sacerdotii, collati a Christo Domino Apostolis. Haec autem plenitudo implicat in se radicaliter etiam munus « pastorum, rectorum, episcoporum... » Ecclesiae Dei, sicut tradunt hoc Acta et epistolae paulinae. Iam vero haec potestas regiminis quae radicaliter pertinet ad realitatem episcopatus, denuo confertur per consecrationem episcopalem, sicut sequitur ex analysi textuum et caeremoniarum variorum rituum consecrationis.

a) Ista potestas radicalis regiminis exercetur collegialiter, v. gr. in Concilio oecumenico super omnes gentes.

b) Potestas regiminis potest existere absque iurisdictione; et iurisdictio potest existere sine consecratione, saltem in Occidente.

c) Potestas autem iurisdictionis exercetur super determinatam partem populi per ordinationem Ecclesiae.

d) Quae ordinatio potest fieri vario modo. Et revera fit et consequenter iurisdictio exercetur alio modo in oriente et alio modo in occidente.

e) In hac suppositione, nempe, quod esse consecratum et esse aggregatum ad collegium episcoporum est idem, intelligitur, cur episcopi titulares, absque iurisdictione actuali in determinatam partem populi tamen ius habent ex sola eorum consecratione participandi active Concilio oecumenico.

f) In hac suppositione etiam intelligitur, cur omnis legitima consecratio

episcopalis includat saltem agnitionem implicitam a Romano Pontifice novi membri incorporati ad collegium episcoporum.

Ad collegium episcopatus.

1. Christus Dominus fundando suam Ecclesiam vocavit apostolos, elegit eos, in ministerium misit et apta potestate instruxit, Petrum assignando ut caput eorum, uno verbo constituit collegium apostolorum.

2. Iam vero collegium apostolorum perseverat iure divino in collegio episcoporum qui successores sunt apostolorum, ita ut collegialitas episcopatus essentialiter pertineat ad structuram Ecclesiae.

3. Porro collegium episcoporum gaudet plena et suprema potestate in Ecclesia universali, in unione cum Episcopo Romano, visibili successori s. Petri, et sub eius suprema auctoritate — ut bene dicitur in n. 16, linn. 23-28, pag. 24 schematis —, quae collegialitas vario modo exprimitur in Ecclesia per decursum saeculorum: nempe in synodis localibus, in Ecclesiis metropolitanis et patriarchalibus, in synodis provincialibus, in conciliis oecumenicis et conferentiis episcopalibus; et quidem cum tendentia « centralisationis » in occidente, vel « autonomiae » in oriente.

4. Si hoc bene exprimitur in schemate loco citato, minus tamen bene eodem loco, linn. 32-38. Hic esset complendum eo modo, quod « *unusquisque* » episcopus non tantum episcopus « residentialis », radicaliter participat istam supremam potestatem ecclesiasticam virtute suae consecrationis qua cooptatur ad collegium episcoporum.

5. Exercitium autem potestatis collegialis episcoporum vario modo fieri potest: *a*) extraordinarie, sed plene et supreme in concilio oecumenico; *b*) ordinarie, sed non plene nec supreme: in synodis localibus, in ecclesiis nationalibus et patriarchalibus et in conferentiis (conventibus) episcopalibus.

6. Quoad denique Primatum Romani Pontificis, qui primatus intime connectitur cum collegio episcoporum, Concilium Vaticanum II velit complere doctrinam definitam a Concilio Vaticano I de Primatu, definiendo nempe nunc Romanum Pontificem esse caput Ecclesiae ratione praecise collegii apostolici, si bene rem exprimo.

Primatus enim Romani Pontificis ita est necessarius ad collegialitatem episcoporum constituendam, ut communio episcoporum cum Romano Pontifice efficiat signum visibile et sponsionem ipsius unitatis collegii.

Collegialitas autem ita est necessaria Primatui ipso, ut manifestet eius significationem et faciliorem reddat exercitium Primatus. Quamquam auctoritas Romani Pontificis remaneat plena et independens iuridice a consensu collegii episcoporum, tamen ista auctoritas etiam remanet expressio fidei totius collegii. Nam R. Pontifex, sicut olim Petrus, loquitur et agit nomine omnium episcoporum. Itaque

a) Romanus Pontifex exercet auctoritatem doctrinalem in unione cum fide collegii episcopalis: sive per viam extraordinariam in Concilio oecumenico, sive per viam ordinariam, loquendo « ex cathedra ».

b) Ipse etiam exercet munus Supremi Pastoris in cooperatione cum collegio episcopali.

c) Cui proinde collegio, propter rationes allatas restituere potest saltem quaedam iura quae in decursu saeculorum sibi reservavit ex variis legitimis motivis.

48

Exc.mus P. D. PETRUS MARTIN

Episcopus tit. Selinusiensis, vic. ap. Novae Caledoniae

Neminem fugit huius cap. II momentum esse magnum, materiamque magnis difficultatibus subesse. Unde pervalde refert ut Concilium magna sobrietate in asserendis utatur, vitetque ne opiniones legitimas quidem et frequenter prolatas, sed non sufficienti praecisione delineatas, suprema sua auctoritate sanciat.

Unde mihi liceat aliquas praecisiones humiliter suggerere adhibendas in doctrina de identitate Ecclesiae catholicae et Corporis Mystici exponenda eiusque consectariis de membris Ecclesiae deducendis.

Verum est Ecclesiam Christi Romano Pontifici subici tamquam visibili capiti, idest signo efficaci pastoralis regiminis Christi (quod dicit titulus Vicarii Christi). Sed in hac re praecipuum est subdi Christo per Vicarium, et non Vicario simpliciter. Aliis verbis, qui Romano Pontifici se subdit ut oportet, hoc modo significat se factis, non tantum verbis, Christum agnoscere Dominum.

Unde patet identitatem inter Romanam communionem et Christi Ecclesiam veram quidem identitatem esse, sed in sacramentali genere, sicut identitas Christi et Eucharistiae. At, ex eo quod Eucharistia est Christus, sequiturne Christum non dari extra Eucharistiam? Christus datur in Eucharistia, sed etiam aliunde. Potestne plus exigi de identitate inter Romanam confessionem et Corpus Christi mysticum quam de identitate inter Eucharistiam et Corpus Christi personale?

Omnis ergo Ecclesia particularis debet esse Romana; unde sequitur *congregationem* in Christo credentium quae non sit Summo Pontifici unita, et praesertim quae non habeat veros episcopos, non esse proprio sensu Ecclesiam particularem. Sed qui in tali congregatione bona fide vivunt nihilominus baptismate et gratia in Corpus Christi inserti sunt. Defectus institutionis cui adhaerent non praevalent huic communionis vinculo a Christo eiusque Spiritu creato. Uno verbo, non sunt membra completa Ecclesiae; sed radicaliter membra sunt huius Corporis Christi cuius Romanus Pontifex est visibile caput.

Nonne character et gratia baptismalis Ecclesiae militanti iam reapse incorporant? Potestne dici catholicus peccatis ac vitiis deditus magis Ecclesiae inhaerere quam piissimus monachus Ecclesiae graecae orthodoxae adscriptus? Non videtur Scripturae doctrinaeque Patrum Ecclesiae consonare qui maiorem

facit distinctionem romanorum et non romanorum quam baptizatorum et non baptizatorum.

In hoc schemate magis attenditur Ecclesiae ut est institutio quam Ecclesiae ut est communio, quod apparet in praesenti capitulo, ac etiam in generali textus dispositione, in qua nulla pars ex professo tractat de sanctorum communione. Magis attenditur elementis Ecclesiae essentialibus quidem, sed in tempore tantum vigentibus, quam elementis aeternis.

Non rogo baptizatos acatholicos ut membra Ecclesiae pleno sensu haberi, sed illos a non baptizatis magis distingui et ut Ecclesiae membra saltem imperfecta agnosci. Donec corrigatur in hunc sensum, praesens caput non leve ponit obstaculum in via reconciliationis christianorum; unde, ad propositum huius Concilii oecumenicum consequendum, instanter postulo ut sub hoc respectu recognoscatur.

49

Exc.mus P. D. FRIDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

In schemate *de Ecclesia* caput proponitur inserendum, cuius titulus esse poterit hic vel similis: De divino Ecclesiae fonte.

Quisnam est fons Ecclesiae? Absque dubio eius Caput Iesus Christus; de quo in schemate tractatur et fusius tractabitur.

Quid vero adest in Verbi Incarnati Persona, cui proprie et ultimo sit tribuendum totum Paschale Mysterium; cui proprie et ultimo ipsum Ecclesiae donum debeamus?

Ex quo fonte Ecclesia nata est? Nonne, iuxta doctrinam Ioannis Evangelistae et SS. Patrum, Ecclesia ex latere Christi, in Cruce dormientis, est orta?

Ultra progrediamur. Quid in Christi latere, lancea aperto, reperimus? Eius divinum Cor, potius quam lancea militis, infiniti amoris erga Deum et homines flamma transverberatum.

Ecce Christi Mysterium, ecce Redemptionis opus, ecce Ecclesia... ecce omnis gratia, ex divinae et humanae caritatis ardenti fornace manans; cuius aptissimum symbolum est Iesu Cor. Absque Verbi Incarnati caritate, vita, passio, mors... Iesu nihil prorsus humano generi profuisset.

Rogo ergo ut, his aliisque rationibus exsistentibus rite perpensis, ultimum caput in schemate *de Ecclesia* inseratur: De divino Ecclesiae fonte. In quo, mea humili sententia, breviter, sufficienter tamen, atque dilucide, exponendum erit compendium doctrinae quae de cultu Ss.mi Cordis Iesu in Encyclica *Miserentissimus Redemptor* Pii XI et *Haurietis Aquas* Pii XII continetur.

50

EXC.MUS P. D. IACOBUS EUGENIUS LUDOVICUS MENAGER
Episcopus Meldensis

Hoc caput mihi placet iuxta modum.

In hoc capite non placet, in n. 25 (« de collaborationis laicorum principalibus formis »), paragraphus quae in pag. 40 amplectitur, inter linn. 10 et 20.

Hic agitur de operositate laicorum in *rebus mere religiosis.*

1. In lin. 13 scribitur: ut laici « sacerdotes adiuvent », tamquam si hoc adiumentum esset propria et unica operositas laicorum in Ecclesia.

Atqui concipi possunt, et de facto in permultis regionibus exsistunt, coetus laicorum qui etiam in rebus mere religiosis non tam sacerdotes adiuvant, quam exercent ius et officium omnium christifidelium recte descriptum in prioribus paragraphis eiusdem capitis « de laicis ». Equidem sunt sub moderatione hierarchiae, qui eis dat mandatum vel missionem canonicam, sed hoc factum *non mutat naturam* operositatis eorum, quae manet *operositas laicorum, modo laicorum* exercenda, et non tantum adiumentum operositatis sacerdotum (« modo clericali »).

2. Ex hoc patet quod, secundum nostrum schema, mandatum vel missio canonica et nomen Actionis Catholicae, aliquomodo reservantur coetibus laicorum qui adiuvamen sacerdotum ut finem principalem habent. Quod contrarium est documentis qui de Actione Catholica loquuntur, a Sancto Papa Pio X usque ad S. S. Ioannem XXIII feliciter regnantem (cf. Pius XII sermo ad II Cong. Mundialem Apostolatus Laicorum).

3. Quid sub verbis « in rebus mere religiosis » intenditur? (quae altare tangunt).

Ex lin. 17 ad 20, patet quod *excluditur apostolatus laicorum proprie dictus,* qui *directe* intendit *personas* et *sociales ambitus transformare et evangelizare.* Hic apostolatus (forma *genuina,* etsi non unica, Actionis Catholicae) nullum locum habet in hoc schemate: neque in hac paragrapho « in rebus mere religiosis », nec in paragraphis « de operibus misericordiae spiritualis et temporalis ». *Quod pergrave est*: corruptio est notionis « Actionis Catholicae » tam saepe a Summis Pontificibus propositae, et negatio « praxis Ecclesiae » in hac materia.

Animadversiones illae valent, mutatis mutandis, de n. 24 (*a*) « indolis explicite religiosae ».

His dictis, humillime sequentes emendationes proponere vellem:

1. Ad pag. 38, lin. 38, post verba « indolis explicite religiosae » addatur « et apostolicae ».

2. Ad pag. 39, lin. 11, deleatur « necnon ». Lin. 12, post verbum « catechistae », inseratur « necnon laici qui, praesertim in Actionis Catholicae

coetibus organisati, in proprium per vitam quotidianam et laicalem Evangelium annuntiant operibus et verbis. Qui omnes ad fidem... ».

3. Ad pag. 40, lin. 5, loco verbi « individuis » ponatur « etiam in associationibus aggregatis ».

4. Ad pag. 40, linn. 12-15, post verba « in rebus mere religiosis », verba subsequentia deleantur usque ad verba « ideo huius generis » ita ut haec verba immediate sequantur verba « in mere religiosis ».

5. Pag. 40, post lin. 20 addatur nova paragraphus: « Quandoque collaboratio laicorum *in duabus* praecedentibus paragraphis descripta, fit ex mandato vel cum vera missione canonica qua laici apostolatum Ecclesiae quodammodo participant et tunc operositas laicorum nomine proprio « Actionis Catholicae » gaudet (cf. schema *de apostolatu laicorum*).

51

Exc.mus P. D. PAULUS MOLIN

Episcopus tit. Garbensis

In antiquis Conciliis Oecumenicis, immediate veniebat, post Summum Pontificem eiusque legatos, collegium praecipuorum episcoporum, qui vocati sunt patriarchae.

Postea creatum est collegium cardinalium, qui, absentibus patriarchis orientalibus, primum post Summum Pontificem obtinuerunt locum in Conciliis Oecumenicis. Equidem em.mi cardinales, quorum plures non erant episcopi, Summos Pontifices egregie adiuvarunt in administratione totius Ecclesiae et speciatim dominii temporalis.

Nunc autem, gratias Deo, in Concilio Vaticano II, adsunt patriarchae Ecclesiarum orientalium; sed post cardinales Curiae collocantur: quod quidem aegre ferunt illarum Ecclesiarum episcopi quodque nunquam admittent « orthodoxi », siquando, adiuvante Spiritu Sancto, feliciter evenerit ut Ecclesiae unitati quam maxime favere cupiant.

Ad hanc difficultatem solvendam, nonne reverenter proponi potest Summo Pontifici, ut distinguantur duo ordines cardinalium? Primus ordo comprehenderet omnes patriarchas Ecclesiarum orientalium et praecipuos episcopos residentiales per orbem dispersos, qui omnes vocarentur cardinales patriarchae. Eorum collegium immediate veniret post Summum Pontificem in Conciliis Oecumenicis, sicut olim collegium patriarcharum.

Secundus ordo comprehenderet cardinales Curiae qui non sunt episcopi residentiales, sed titulares, et vocarentur cardinales episcopi. Omnes em.mi cardinales convocarentur ad eligendum Summum Pontificem et essent papabiles, sicut antea.

Liceat mihi haec addere ad iustificandam propositionem meam forte nimis audacem. Sex saltem archiepiscopi vel episcopi in Concilio praesentes, erant

discipuli Ierusalem in Seminario Sanctae Annae, quando professor eram in eodem Seminario. Itaque, etsi mandatum mihi non dederunt, meum erat, ut puto, exprimere quod sentiunt, sed quod aperte dicere forsitan non audent. Sit mihi venia.

52

Exc.mus P. D. VILLELMUS MOTOLESE
Archiepiscopus Tarentinus

Schema, in quo de Ecclesia agitur, mihi praecipuum omnibus huius Sacrae Synodi Patribus existimandum esse videtur, et, cum generatim laude dignum dicendum sit, tamen quaedam refici necesse esse non dubium videtur.

1. Praeponatur prooemium, unde Ecclesia omnibus hominibus, quibus magnam spem inesse constat, appareat, sicuti est, Mater omnium gentium, quae matris amore sollicita loquitur Verbum Dei tum baptizatis, ut praecepta dominica studiose servantes Deum beatitudine ineffabili fruendum consequantur, tum non baptizatis, ut Christum Iesum ostendat Salvatorem humani generis et se demonstret mysteriorum Dei infallibilem custodem.

Omnes Ecclesiam agnoscant oportet non solum veritatis magistram mentibus hominum proponendae, sed etiam matrem ad filios suos semper intentam, quibus illud Christi Domini repetit « Misereor super turbam ». Ita Ecclesia omnibus clarescet et in dispensandis bonis spiritualibus a Domino commissis et in fovendis bonis temporalibus per actuosam filiorum suorum caritatem.

Auctores huius schematis nimio timore ne animum errantium commoveant affici videntur; tamen nemo dubitare potest quin materialismus marxista, laicismus et massoneria errores sint omnium longe perniciosissimi animum fidelium ex omni parte aggredientes.

Num Patres reperiantur quos lateat quantum qui hos errores amplectuntur Ecclesiam deformare nitantur et in eius essentia societatis supernaturalis, eam sub ratione organizationis cuiusdam naturalis redigentes, et in eius hierarchica constitutione principium auctoritatis a Domino statutae concutientes?

Apertis verbis igitur errores patefiant et damnentur ut fideles eos cavere possint.

2. Desideratur in schemate caput in quo doctrina de Christi Vicario seu de Romano Pontifice exponatur non ad illam definiendam, quod in Concilio Vaticano I factum est, sed tum ad amorem et oboedientiam fidelium augendam tum ad ostendendum fratribus separatis unum Petrum, in quo Domino ita disponente unitas Ecclesiae ab erroribus atheismi et materialismi oppugnatae fundatur, firmum esse Dei iurium et hominum tutamen.

3. Ad doctrinam quod attinet Corporis Mystici definiatur utrum et quo sensu Spiritus Sanctus sit anima Ecclesiae et quaenam sit ad Ecclesiae corpus

et animam relatio et baptizatorum extra Ecclesiam Catholicam et non baptizatorum.

4. Ad capp. III-IV quod attinet:

a) definiatur episcopatum esse vere Sacramentum;

b) ex cap. III-IV fiat unum caput;

c) agatur non solum de presbyteris sed etiam de diaconibus;

d) sicut declarantur relationes Primatum inter et episcopatum, ita etiam historice declaretur relatio inter episcopos et presbyteros.

5. Ad cap. IX: Declaretur in obiecto saltem secundario magisterii Ecclesiastici esse includenda quae ad bene regendam rem publicam pertinent, utpote cum ars rei publicae gubernandae veritates naturales et supernaturales personam humanam spectantes praesupponat ac in bonum temporale tendit ut in ordinatam dispositionem qua facilius homines vitam aeternam consequantur.

53

Exc.mus P. D. ADOLPHUS ALEXANDER NOSER

Episcopus tit. Hierpinianensis, vic. ap. Portus Alexii

Eo quod multi Patres adhuc opportunitatem loquendi de rebus maioris momenti in schemate *de Ecclesia* cupiunt, sufficit mihi breviter et in scriptis tantum sequentes animadversiones tendere commissioni de Ecclesia.

Ad pag. 20, n. 12, lin. 22 sq. Quia totum schema doctrinam de Ecclesia sub aspectu pastorali proponere nititur, valde utile videtur tum pro sacerdotibus cum pro fidelibus clare et expressis verbis dicere presbyterum esse non tantum « pastor » ovium, — figura omnino pulchra loquendi ab ipso ore divino prolata — sed etiam vere « pater spiritualis » fidelium. Rationes:

1. Episcopi sunt « patres fidelium » (pag. 22, n. 13, linn. 9-10). Sed presbyteri « in quos veluti paternae plenitudinis abundantia transfunditur » (n. 12, lin. 24) sunt participes huius paternitatis spiritualis.

2. Presbyteri vere dant vitam spiritualem fidelibus per praedicationem Evangelii et administrationem sacramentorum. Pastor utique vigilat et curam habet de ovibus suis, sed presbyter insuper fidelibus vitam dat, non tantum maximam curam exercet. Ipse potest dicere cum S. Paulo: « Si decem milia paedagogorum habeatis in Christo: sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui » (1 *Cor.* 4, 15). Vel etiam: « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis » (*Gal.* 4, 19).

3. Valde utile esset presbyteris frequenter et profunde cogitare de hac paternitate spirituali et de obligationibus suis erga filios et filias suas spirituales in vita quotidiana — de vigilantia, patientia, amore vere paterno, etc. Ex altera parte, fideles, sentientes presbyterum esse vere patrem spiritualem, tribuent ei amorem et fiduciam vere filialem.

4. Ubique terrarum et omnibus linguis sacerdos vocatur et salutatur « Pater ». Hoc verbum non est mera figura loquendi, non est tantum titulus honorificus, sed vere exprimit relationem inter sacerdotem et fideles.

Unde valde utile videtur hanc paternitatem spiritualem sacerdotis expressis verbis in hoc numero indicare. Hoc fieri potest hoc — vel alio meliore — modo: « pag. 20, n. 12, lin. 26) « ... sacerdotes *et veri patres spirituales fidelium.* In sacrificio Missae... ».

Ad pag. 36, n. 20, lin. 19. Maximam utilitatem afferre videtur fidelibus, si in mente eorum revocatur se esse vere filios et filias spirituales sacerdotum cum quibus cooperentur ad aedificationem Corporis Christi. Unde maximam debent erga eos fiduciam et amorem spiritualem exhibere.

Unde proponitur ut sequitur: (pag. 36, n. 20, lin. 19) « ... explendum cooperentur. Fideles vero, scientes pastores vere esse patres spirituales suos, erga eos manifestent fiduciam et amorem vere filialem. Una est enim totius... ».

54

Exc.mus P. D. LEO ANGELUS OLANO Y URTEAGA

Episcopus tit. Laginensis

Trium, ut arbitror, hac in re, omnino haberi debet ratio, et quod Deus vult omnes homines salvos fieri, et quod extra Ecclesiam nulla sit hominibus salus, et quod nihilominus omnes ii qui extra Ecclesiam versantur sed contra suam conscientiam graviter non peccant, quodammodo ad Ecclesiam pertinere ita ut salvi fieri queant. Haec tria enitar ut enucleate exponam atque paucis comprehendam ne vobis fastidio sim.

Primum quidem, indubium est Deum omnes homines salvos fieri velle, quippe quod centies in Sacra Scriptura repetatur. Satis sit magnum gentium apostolum audire: « Hoc enim bonum est et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (1 *Tim.* 2, 3-4). Quod sane ita intelligi debet, ut Deus omnibus omnino hominibus talia auxilia praebeat ut per illa et legem naturalem necnon positivam divinam servare possint, atque gratiam sanctificantem assequi valeant, qua tandem aditus ad regnum caelorum pateat. Hoc equidem sensu Dei volitio salvifica universalis intelligenda est.

Deinde, etiam certissimum est extra Ecclesiam catholicam, cuius caput visibile, his in terris, est Petri successor, neminem salutem aeternam obtinere posse. Quod ex doctrina a Christo tradita atque in scriptis Patrum apostolicorum et in fidei professionibus sive Symboli Athanasiani sive Conciliorum Florentini (Denz. 714) sive Tridentini (Denz. 1000) contenta, satis superque constat. Attamen infitiandum non est, doctrinam hoc antiquissimo effato contentam, ut sonat, quidpiam odiosum redolere. Quapropter omnino curandum est ut haec doctrina numquam nude fidelibus exponatur, sed eius sensus rite

illis explicetur, qui huc redit, ut nemo salvus fieri possit qui probe sciens Ecclesiam catholicam ita a Deo conditam fuisse ut omnes in eam per baptismum cooptari teneantur, nihilominus eam ingredi vel in ea perseverare recusent.

Tandem, quod ad votum sive baptismi, sive ingressus in Ecclesiam spectat, fideles edoceantur minime sufficere merum votum sive baptismi recipiendi sive ingressus in Ecclesiam ut aliquis aeternam beatitudinem consequatur, sicut non sufficit esse membrum Ecclesiae, sed praeterea prorsus necessarium esse statum iustitiae seu gratiae sanctificantis, ut recte monebat S. Officium in Epistola ad episcopum Bostoniensem die 8 mensis augusti anno 1949.

Et haec quidem hactenus.

55

Exc.mus P. D. PACIFICUS M. ALOISIUS PERANTONI

Archiepiscopus Lancianensis-Ortonensis

Uti notum est, inde ab illo momento quo Ioannes XXIII primum nuntium dedit de convocando Concilio Oecumenico XXI, pluries desiderium palam factum est ut in hoc Concilio praeprimis et praecipue in effectum deducatur opus inceptum a Concilio Vaticano I de Ecclesia, una, sancta, catholica et apostolica, idque attentis novissimis theologorum studiis ac potissimum Litteris Encyclicis Pii XII *Mystici Corporis*. Et gratias agimus ex corde commissioni theologicae quae strenuo ac immani labore tali communissimo desiderio satisfecit.

In hoc schemate quod nobis propositum est ad examen apte investigatur ac proponitur elementum mysticum Ecclesiae, quia consideratur ut Mysticum Corpus Christi, « ut Sponsa Christi », ut « Regnum Dei ». Insuper hoc in schemate tractatur etiam de Ecclesia ut est societas hierarchica-monarchica: quaestio fit de episcopis; de magisterii auctoritate; de relatione inter Statum et Ecclesiam, et ita porro. Hoc schemate fovetur affectus erga hanc providam Matrem, fratres nostri separati invitantur ad revertendum ad hanc communem matrem, arcentur variae opiniones minus caute prolatae hac in materia.

Paucis verbis: hoc schema praebet solidissimum fundamentum seu basim pro nostris disceptationibus, ita ut neque utile neque necessarium neque opportunum iudico illud simpliciter reicere ad aliquid aliud totaliter novum recurrendo, eo vel magis quod errores qui in schemate indicati sunt possunt facillime corrigi.

Audivimus quod nonnulli vellent illa undecim capita reducere ad octo, alii vero vellent addere duo nova nempe: de Summo Pontifice et de Beatissima Virgine Maria. Nemo est qui non videat hisce desideriis, si apparerent bene fundata, facili negotio satisfieri posse. In praesens liceat mihi tantum id dicere quod propositio hic facta ut schema de beatissima Virgine Maria incorporetur in schema de Ecclesia minime placet. Nemo enim est qui ignoret maximam existere controversiam inter hodiernos theologos sive dictos « christo-

typistas », et « ecclesiotypistas ». Dum enim uni asserunt quod Maria, licet sit membrum Ecclesiae, tamen est membrum prorsus singulare, magis vicina Christo quam nobis, et quod pertinet ad ipsum ordinem hypostaticum, alii volunt Mariam exhibere magis tamquam nostram sororem, nobis similem, tamquam figuram et typum Ecclesiae. Notum est hanc viam ecclesiotypicam esse recentissimam, dum classica et traditionalis doctrina semper praesentabat Mariam intime unitam Christo, ita ut, sicut aiebat magnus Bernardus, stat potius quam in medio Ecclesiae, « *inter Christum et Ecclesiam* ».

Quia itaque finis huius Concilii non est dirimere quaestiones inter theologos bonae notae legitime disputatas, quia etiam via ecclesiotypica faciliter ducere potest ad minimismum et varios errores, commissio theologica sapienter fecit ut schema De Beata Virgine veniat, utique post schema de Ecclesia et tamquam epilogus huius schematis, sed tamen *a se* et *per se* stans. *Et ita remaneat!*

At, dum facile est integra capitula omittere, neque difficile esset nova addere, quid dicendum de illis lamentationibus saepe dictis, hoc in schemate quemadmodum et in aliis schematibus dogmaticis deesse spiritum missionarium, evangelicum, stylum pastoralem, etc.

Sane, haud possibile est omnibus et singulis hominibus, qui hic ex quinque partibus mundi congregati sunt, satisfacere. Dum aliis placet stylus sollemnis, qui in Conciliis generatim servatus est, dum haud displicent sive longae propositiones quas exigit lingua latina, sive lingua scholastica, alii affirmant tales propositiones illos vix ac ne vix posse legere et intelligere, lamentantur de lingua latina, scholastica, quae est lingua idearum, lingua quae non amat sentimentalismum et repetitiones, ac modum scribendi, quo dicuntur omnia et nihil, id est ubi claritas et praecisio deest.

Ad desideratissimam unitatem obtinendam et, inquantum est possibile, ad satisfaciendum uni et alteri parti, putaverim recurrendum esse ad exemplum Concilii Tridentini et S. Caroli Borromaei, quod exemplum fuit hoc in Concilio allegatum, sed non recte.

Concilium decreta facit et schemata non tantum pro nostra aetate sed pro omnibus temporibus et saeculis. In talibus schematibus potissimum theologi quaerent sanam doctrinam catholicam quam tunc praedicatores et catechistae adaptabunt pro singulis individuis, nationibus, etc. Non puto necessarium esse omnia decreta in duabus formis dare: pastorali et conciliari, classica.

Adaptatio pro hoc nostro saeculo, potest iam fieri a quadam *Commissione* peculiari statim a Summo Pontifice constituenda, quae iuxta varia schemata parabit *manuale doctrinae christianae,* seu aliis verbis *magnum catechismum catholicum.*

Tale propositum factum fuit in Concilio Tridentino, sed tempore Concilii haud fuit possibile illud ad effectum deducere. Unde Patres in fine postremae sessionis, quae habita est sub Pio IV, pridie nonas decembris 1563, statuerant ut cura Catechismum Parochorum condendi ad ipsum Summum Pontificem remitteretur; et reapse Pontifex aliquot doctissimis episcopis et theologis anno

sequenti negotium dedit (curante imprimis Carolo card. Borromaeo) ut materiam pararent, quae utilissimo operi apta esset.

Comparatis et collectis quae dicenda erant, selecti sunt tres latinae linguae facultate praestantes, qui stylo eleganti et polito, scripturistico, patristico edisserent omnia, et ut notum est sub Pio V, urgente Carolo Borromaeo, iam anno 1566 prodiit notissimus *Catechismus ex Decreto SS. Concilii Tridentini ad parochos,* qui statim fuit translatus in linguam italicam, gallicam, germanicam, polonicam, aliasque.

En, venerabiles Patres exemplum nobis imitandum. Itaque Votum meum est:

1. Decreta dogmatica Concilii Vaticani II exarentur stylo sollemni, stylo conciso, claro, ideoque potius utentes lingua scholastica ad instar Concilii Tridentini et Vaticani I.

2. Statim constituatur *commissio episcoporum, theologorum et latinae linguae peritorum,* qui totam illam materiam adaptabunt exigentiis pastoralibus huius temporis, variis tendentiis variarum nationum, inquantum est possibile.

Tale manuale doctrinae christianae, in quo variae doctrinae erunt explicatae, evolutae ad captum nostri temporis expositae, etiam ad finem approbationi huius Sacrosancti Concilii submittatur, vel, ut fecit Tridentinum, remittatur curae ipsius Summi Pontificis, qui facto examine a variis dicasteriis ad quae spectat, illud publici iuris faciet, *semper ex decreto huius Sacrosancti Concilii.*

56

Exc.mus P. D. IOANNES EDUARDUS PETIT

Episcopus Menevensis

Schema *de Ecclesia* a Patribus Concilii laudatum est quia radicatur in doctrina paulina de Iesu Christi Mystico Corpore. Sed doctrina de Corpore Mystico non adaequate elaboratur nisi valde explicite dicatur hoc Mysticum Corpus *totam* Ecclesiam amplecti, id est, non solum Ecclesiam militantem sed etiam, et immo eminentius, Ecclesiam triumphantem.

S. Paulus sub imagine « corporis » unitatem socialem docet omnium fidelium, sive qui in terra, sive qui in purgatorio, sive qui in caelo sunt. Sancti in caelo christifidelibus sunt praeclara virtutum exempla; duces sunt nobis in via caritatis Christi et fratrum; nos omnes amant in Christo mirabili caritate eius. Pro nobis intercedunt.

Novimus omnes haec unio omnium membrorum Mystici Corporis Christi maxime confert ad promovendum amorem erga Christum et Ecclesiam. Devotio erga Ecclesiam (Corpus Mysticum Christi) in his ultimis annis, in Anglia et Cambria, ex renascente cultu Sanctorum et Beatorum nostrorum (praesertim Martyrum) novos impulsus suscepit. Idem dicendum est de aliis nationibus. Ideoque, affirmari nequit cultum Sanctorum hodie momentum suum ami-

sisse; nec dicendum est cultum istum indoli populorum in Europa septemtrionali degentium non congruere.

Notandum est etiam quod reverentia et cultus erga Matrem Dei, in insula nostra, apud fratres nobis non coniunctos continuo crescit.

Quum cultus Sanctorum, ex tota indole sua, theo-centricus est, nullum impedimentum ponet unioni fratrum cum nobis non coniunctorum, dummodo, theologica clara explanatio proponatur.

Propono ergo ut addatur constitutioni *de Ecclesia* speciale capitulum de Ecclesia triumphante, in quo doctrina nostra catholica de authentico cultu Sanctorum proponatur.

57

Exc.mus P. D. ERNESTUS J. PRIMEAU

Episcopus Manchesteriensis

Schema *de Ecclesia* multa continet atque profert quae bene exarata videntur, atque nostris temporibus absque dubio multum utilia sunt. Iure merito gaudere possunt commissionis membra, quia post tam longum et ponderosum laborem, nunc vident eorum opus generatim bene receptum a Patribus Concilii.

Ego autem gratulor eis de opere bene confecto et personaliter gratias singulis ago pro tempore, pecunia, et incommodis ab eis impensis. Sed ipsa commissio, uti em.mus praeses apertis verbis nobis initio discussionis significavit, non parvas neque leves exspectat animadversiones.

Dictum est quod, ubi quattuor conveniunt episcopi, quinque habentur opiniones; unusquisque enim suam habet, et etiam Christus amantissimus Dominus noster, qui in medio eorum adest et ipsa veritas est, suam absque dubio habet sententiam. Sed, quia Christus generatim prudens retinet silentium, episcopi veritatem tantum ope disceptationis adipisci possunt, quod et revera facere contendunt magna cum libertate et praetiosa cum facundia.

Multi Patres in hac generali disceptatione de pluribus tractaverunt argumentis, quae in schemate inveniuntur; ego vero animadversiones meas ad unum vel alterum circumscribam. Quaestio de relationibus inter Ecclesiam et Statum in cap. IX tractata non modo magni momenti est, sed semper, ut ita dicam, actualis et vitalis evadit. De hoc cap. IX disceptans, relator schematis nobis significavit quod commissio in animo habuit solummodo declarare principia fundamentalia, quae componere debent relationes inter Ecclesiam et Statum. Praeterea ipse dixit nihil haberi in schemate relate ad libertatem conscientiae, ad iura pacis et tolerantiae religiosae, quia haec argumenta tractantur in peculiaribus schematibus a secretariatu pro Ecclesiae unitate confectis.

Ad hoc quod attinet, meum est consilium quod, cum caput hoc nonum in disceptatione venerit, assumatur etiam schema exaratum a secretariatu pro unione. Rationes autem huius suggestionis sunt:

1. Plane nuda principia cap. IX, veluti scheletrum, a Concilio vestienda sunt vivida ac vibranti carne hodiernarum solutionum pro hac vexata ac magni ponderis quaestione.

2. Nimis longum terendum esset tempus ac sat pulchra transiret inutiliter eloquentia, si hae quaestiones separatim tractarentur, uti iam experti sumus agentes de schemate *Ut unum sint.*

3. Quod in cap. IX statuitur, quamvis verum ac sanctum, nimis abstractum videtur et nimis amotum a realitate socio-religiosa nostrae aetatis ut ita seiunctum proferri possit mundo, qui tanta exspectat a Concilio. Etenim novae omnino realitates ac diversae prorsus condiciones habentur nunc in mundo. In multis nationibus pluralitas religionum invenitur; populi contendunt ad libertatem politicam, oeconomicam, atque etiam ad independentiam religiosam. Insuper religiones orientales, buddhisticae, confucianisticae, mundum occidentalem, potissimum vero Americam, invadere incipiunt, et hoc modo homines magis magisque inficiuntur naturalismo, saecularismo, neo-paganismo atque etiam atheismo.

Quo autem melius conditio pateat hodiernae societatis has submitto animadversiones.

a) In multis regionibus, in quibus fere dimidia pars hominum vivit, non agnoscitur hominibus ius Deum honorandi, aut agnoscitur verbis tantum, dum factis ius hoc oppugnatur.

b) Catholici in permultis nationibus minoritatem politicam solummodo constituunt; non raro religionis causa in difficultatibus versantur; credentes quoque, etiam non catholici, in iisdem versantur difficultatibus.

c) In articulo octavo Declarationis Nationum Unitarum de iuribus hominis statuitur ius personae humanae ad veram libertatem in re religiosa. Esset scandalum si hoc ius a Concilio reiceretur aut tectis tantum verbis enunciaretur.

d) Non desunt qui exprobent catholicos quasi contradictorie agere in re religiosa, quia secundum ipsos, catholici, ubi sunt minoritas politica, plenam libertatem religiosam sibi vindicant, quam negant aliis, ubi maioritatem politicam constituunt. Confitendum est has accusationes difficultates non parvas afferre in regionibus mixtae religionis.

His in conditionibus attendendum est non modo ad principia sed etiam ad ipsam realitatem practicam, et ita decernendum ut diversis in nationibus Ecclesia, meliore quo fieri potest modo, munere suo fungatur. Absque dubio Traditio prae oculis semper habenda est, sed animadvertendum eam non esse aliquid mortuum et sepultum, sed vivam esse ac vitalem et una cum Ecclesia vivere et florescere. Quapropter non modo iteranda ac renovanda principia, quae iam pluries enunciata sunt, sed aperte declarandum quod ex una parte congruit cum principiis immutabilibus Iuris Publici Ecclesiastici, et ex alia convenit necessitatibus atque utilitatibus fidelium in universo mundo.

Proinde Concilium statuat quae vera realiter sunt et a catholicis communiter admissa; verbis dicat quae intelligi possint ab hominibus nostrae aeta-

tis; tali modo autem decernat ne damnum aut impedimentum afferat propriae Ecclesiae missioni, neve suspiciones et accusationes suscitet contra ipsam Ecclesiam; et tandem, si fieri potest, omnibus utilitati sint in Deum credentibus, sive catholicis, vel non catholicis.

In specie autem haec mihi videntur claris verbis decernenda de officiis Status erga homines ad religionem quod attinet.

1. Status tenetur *tutum reddere* hominibus ius civile religionem libere profitendi secundum uniuscuiusque conscientiae dictamen. Hoc postulat ipsa dignitas humana personae. Deus enim hominem creavit ratione et libera voluntate praeditum. Non potest ergo habere ut acceptos nisi actus religionis, quos homines ponunt libere iuxta veritatem ab ipsis cognitam (cf. Nuntium radiophonicum Pii XII, die 24 decembris anno 1942).

2. Status tenetur efficaciter *tueri* ius quod homines, prout sunt personae, habent ad religionem libere profitendam secundum ipsorum conscientiam. Rei Publicae enim proprium est non tantum agnoscere iura personae, sed etiam ea efficaciter tutari, necnon impedire quominus difficultates ponantur hominibus, qui huiusmodi iura exercere desiderant (cf. Nuntium radiophonicum Pii XII, die 1 iunii anno 1941).

3. Status tenetur *mediis aptis promovere* ius quod homines, prout sunt personae, habent ad religionem libere profitendam secundum ipsorum conscientiae dictamen. Commune enim omnium bonum, quod est ipsius Status finis, postulat ut potestas civilis non modo iura personae agnoscat et efficaciter tutetur, sed etiam ut huiusmodi iurium exercitium hominibus facilius opportune reddat (cf. Nuntium radiophonicum Pii XII, die 24 decembris, anno 1942).

4. Status tenetur Deum, qui homines natura sociales creavit, publicis religionis actibus honorare; ita tamen ut homines sive sint mere cives, sive sint cives publicis functionibus praediti, in illis religionis actibus ponendis secundum conscientiae dictamen omnino libere agant (cf. Nuntium radiophonicum Pii XII, die 24 decembris anno 1944).

5. Status tenetur *agnoscere et efficaciter tutari* ius quod Ecclesiae inest ad suam missionem plena cum libertate exercendam in sacro magisterio, in cultu divino, in Sacramentis administrandis, in fidelibus regendis in iis omnibus, quae iudicio ipsius Ecclesiae ad spiritualem eorum profectum et ad finem aeternum assequendum necessaria vel apta sunt (cf. Nuntium radiophonicum Pii XII, die 24 decembris anno 1941).

Hoc modo haberetur amplissima quidem libertas conscientiae, neque aliquid contra traditionale ius publicum Ecclesiae statueretur, cum nunc communiter sermo sit de statibus mixtae religionis. Iuxta autem Domini nostri praeceptum de zizania: « Sinite utraque crescere usque ad messem » (*Mt.* 13, 30) Status tolerantiam religiosam et libertatem conscientiae habere (cf. allocutionem ad italicos iuristas, die 6 decembris anno 1953, *A.A.S.*, 1953, p. 794) prae oculis et errorem et malum tolerare potest ad altius atque am-

plius utique bonum consequendum, sicuti Dominus ipse facit, qui mala permittit ut et de malis bona faciat.

Mihi videtur quod, si quae exposita sunt claris verbis a Sancta Synodo solemniter proclamentur, Ecclesia omnibus hominibus non tantum catholicis apparebit, sicuti est, interpres totius legis moralis, eiusdemque legis tutrix ac vindex, et apparebit etiam, sicut revera est, quamvis gradibus et formis diversis, Mater et Magistra omnium hominum: catholicorum et non-catholicorum, credentium et non credentium.

58

Rev.mus P. D. BENEDICTUS REETZ

Praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.

In Anglia liber quidam in lucem prodiit continens plus quam 700 paginas. In unaquaque pagina legitur idem textus sed semper in alia et alia lingua. Sumptus est textus ex evangelio S. Ioannis et continet medullam totius revelationis his verbis: « Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum sed ut salvetur mundus per ipsum » (*Io.* 3, 16 s.).

Hic nuntius solacii plenus ad nos usque pervenit a saeculo in saeculum et sine intermissione a nobis et ab hoc Concilio universo mundo annuntiandus est. Hic textus convenienter in prooemio ad schema *de Ecclesia* citari posset.

Centrum et cardo fidei nostrae est mediator Dei et hominum, ipsa persona Domini Nostri Iesu Christi, qui factus ex muliere, factus homo, Dominus et frater noster, caput corporis Ecclesiae est, unum quid cum corpore suo, in quo ipsa eius sanctissima mater virgo Maria cor dici potest iuxta theologum Scheeben. Qui habet partem cum Christo, salvus fiet, et Deus iuxta apostolum « omnes homines vult salvos fieri » (1 *Tim.* 2, 4).

Via ordinaria ad hanc salutem adipiscendam est sancta et apostolica Ecclesia romana sub Petro vicario Christi visibili, viae extraordinariae aliae sunt multae, sed nulla est extra ipsum Christum Dominum, qui est via unica ad salutem, et simul est veritas et vita. Diversi sunt modi participationis Christi; diversi sunt gradus partem habendi cum Christo, diversi sunt gradus pertinendi ad Ecclesiam visibilem simul et invisibilem, ad populum sanctum Dei et ad gentem vel plebem sanctam Dei, uti legitur in Scriptura et in Liturgia. De his diversis gradibus mihi loquendum occurrit. Gratia sanctificans magis magisque potest augeri, amor Dei et Christi semper maior fieri potest et ita etiam participatio Christi et unio cum Christo gradus quosdam admittit, ab infimo usque ad summum.

1. Sunt milia milium hominum qui moriuntur vel occiduntur in sinu matrum vel moriuntur antequam ad usum rationis pervenerunt. S. Thomas de salute eorum loquens, qui ex gente hebraica in Vetere Testamento sub his

conditionibus mortem subierunt, dicit: « Salvabantur in fide maiorum ». Conditio illorum in Novo Testamento peior facta est, si eorum theologorum sententiam sequimur, qui « tortores infantium » nominantur. Confiteamur candide quod de via ad salutem huius turbae magnae, quam dinumerare nemo potest, fere nihil scimus. Hoc tamen nobis compertum est, Deum per Christum Dominum etiam pro illis esse viam, veritatem et vitam. Misericordiae Dei relinquendi sunt, et hoc dicere debemus omnibus, praesertim parentibus, qui valde torquentur et cruciantur de infantibus, qui sine baptismo moriuntur.

2. Quid de non christianis, qui nostris temporibus plus quam duas tertias partes totius generis humani constituunt? Stante voluntate Dei salvifica ad statum gratiae pervenire possunt, si legem naturalem servant, poenitentiam agunt, secundum conscientiam eis imperantem vivunt. Omnes non christiani, qui sunt in statu gratiae, eam receperunt per Christum et ecclesiam eius, quae cotidie toties sacrificium Christi in altaribus praesens ponit « pro nostra et totius mundi salute ». Non christiani in statu gratiae sunt cum Christo coniuncti et voto ad ecclesiam eius visibilem ordinantur.

3. Et nunc de illis, qui nomine Christi gloriantur. Quid de illa tertia parte hominum, qui in Christum credunt sicut protestantes et orthodoxi et catholici? Plura sunt vincula, quibus cum Christo coniunguntur vel coniungi possunt.

I. Est aliquod vinculum quo Christo unimur, quod dici potest symbolicum vel vinculum fidei in Christum Dominum filium Dei unigenitum. Si baptismus accedit in voto sicut apud catechumenos, unio cum Christo iam fit maior. Per baptismum in re susceptum adhuc magis unitur Christo per characterem sacramentalem, quo participat sacerdotium Christi.

II. Cum baptismo iam habetur novum vinculum quod nominatur vinculum liturgicum, quod unionem cum Christo magis magisque perficit, si accedunt alia sacramenta, praesertim sacrificium eucharisticum, quod est fons omnis sanctitatis. Iam patet, christianos orthodoxos magis esse Christo unitos quam illos, qui partem tantum fidei catholicae credunt vel ex sacramentis tantum unum vel alterum praesertim baptismum admittunt.

III. Tertium accedit vinculum vel novus gradus unionis cum Christo scilicet vinculum hierarchicum id est unio cum episcopo proprio et unio cum episcopo episcoporum id est Romano Pontifice. Sed ibi distinguendum est.

a) Si unio habetur cum episcopo communionem cum Sede Apostolica non habente, gradus summus unionis cum Christo et ecclesia et populo Dei nondum est adeptus, quia ultima perfectio deest.

b) Gradus altissimus et perfectus attingitur in iis, qui fidem catholicam profitentur plene et integre, qui liturgiam cum tota ecclesia celebrant, qui vinculo hierarchico uniuntur cum proprio episcopo et cum Summo Pontifice et ita cives perfecti populi Dei fiunt.

Concludimus.

1. Sunt membra ecclesiae et Christi sensu stricto et proprio et sensu latiore et latissimo. Sunt membra Christi visibilia et invisibilia, in re et in voto, perfecta et imperfecta, totalia et partialia, integra et non integra.

2. Cum nos in Concilio adunati Christo in Spiritu Sancto perfecte unimur in fide divina et catholica plena, cum omnes de eodem altari edimus et de eodem calice bibimus, cum nos omnes culmen unionis cum Christo et Ecclesia per Sedem Apostolicam perfecte attingimus, patet, quantum onus scapulis nostris impositum sit.

Nostrum est, evangelium praedicandi in universo mundo, ut totus genus humanum ad vitam perveniat sempiternam in Christo, ut omnes homines per fidem Christo uniantur, ut cives perfecti populi Dei fiant. Nostrum est cotidie introire ad altare Dei ad immolandum agnum Dei pro iis, qui intus sunt et pro iis, qui foris sunt, pro totius mundi salute. Nostrum est magis magisque uniri cum Christo in Petro et Successoribus eius, quia « tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam », visibilem et invisibilem, iuridicam et vivam in caritate. Nostrum est orare, ut unusquisque hominum magis magisque fiat membrum Christi, ut unio cum Christo invisibilis visibilis fiat in corpore Christi vero, ut unio imperfecta perfecta fiat in populo sancto Dei, ut unio in voto fiat unio in re in plebe sancta Dei, ut unio in fide implicita fiat unio in fide explicita, ut non populus Dei fiat populus Dei.

3. Habeatis prae oculis caput 18 libri Geneseos, ubi Abraham cum Domino agit de destructione Sodomae et Gomorrhae. Si fuerint 50 iusti, 40, 30, 20, 10... « non delebo propter decem ». Haec sunt verba Domini ad Abraham. Ecclesia catholica plus quam decima pars est generis humani. Genus humanum salvabitur, si partem tantum fidei et optimismi Papae Ioannis amantissimi et veneratissimi habemus.

In cap. II, n. 10, mutetur sequens textus lin. 10 et sequenti, qui sonat « fide et devotione erga Sanctissimam Eucharistiam ». Pro hoc textus ponatur: « Imprimis autem eandem liturgiam eucharisticam celebrant et de eodem altari edunt et de eodem calice bibunt etc. ».

Totum cap. II iterum esset scribendum iuxta superius dicta ad consolationem et confortationem omnium hominum, tum christianorum tum non christianorum.

59

Exc.mus P. D. FRANCISCUS RENDEIRO
Episcopus Pharaonensis

Capp. III, IV et V, ubi agitur de episcopis, de sacerdotibus et de statibus perfectionis.

Opportunum mihi videtur iam in istis capitibus doctrinam delineare *de obligatione evangelicae perfectionis* pro omnibus ministris Ecclesiae, et aliquo modo statutum praeparare pro schemate de disciplina circa *paupertatem sacerdotalem.*

Hoc omnino necessarium videtur temporibus nostris.

Castitas iam ab Eliberitano (Elvira) Concilio delineata est. Oboedientia

in actuali ecclesiastica legislatione sufficienter exprimitur in promissione ordinationis sacerdotalis.

Secus vero de *paupertate,* nam doctrina de superfluo erogando piis operibus est omnino insufficiens ad cavendas tentationes huius saeculi.

Necessarium mihi videtur quod S. Concilium in istis capitibus schematis de Ecclesia iam aliqua verba dicat de habitudine inter evangelicam perfectionem et sacerdotium. Episcopatus enim et sacerdotium obligationem imponunt, non tantum perfectionis acquirendae, sed et acquisitae.

Postea tamen, quando de disciplina agatur, necessarium erit hanc obligationem statuere, fortasse eo modo iam indicato in propositione mea ad Concilium (die 29-VIII-1959), vel alio meliore.

Ad schema de Beata Maria Virgine Matre Dei et Matre hominum.

Unum tantum desiderium audeo exprimere, magna cum fiducia. Et est ut in pag. 97, n. 5, ubi agitur *de cultu erga Beatissimam Virginem Mariam,* Sacrum Concilium descendat ad explicationem mentis Ecclesiae, extollendo et commendando sacerdotibus et fidelibus illam formam devotionis quae *Rosario Mariano* exprimitur.

Est enim una vel alia vox quae in choro theologorum et liturgistarum harmoniose non sonat. Unus vel alius inveniuntur qui in excessum cuiusdam hyperliturgismi cedentes, dicunt non esse recitandum Rosarium B. V. Mariae, praesertim quando in publico oramus, et sufficientem esse cultum vere liturgicum.

Hic tamen non videtur esse sensus Ecclesiae. Certum, immo et evidens est magisterium ordinarium Ecclesiae multifariam multisque modis Rosarium B. M. Virginis commendare. Saltem 44 Romani Pontifices in plus quam 218 documentis, de Rosario locuti sunt.

Exempli gratia memoriam faciamus saltem sequentium:

1. Leo XIII (die 8 septembris 1901) in fine gloriosissimi Pontificatus sui, sic de Rosario locutus est: « Nos quidem, cum diuturnum summi Sacerdotii Nostri spatium respiciamus, atque animum ad acta Nostra revocemus... Illud autem est singulari Nobis gaudio, marialis Rosarii sanctum institutum hortationibus curisque nostris esse magis in cognitione positum, magis in consuetudinem populi christiani invectum; multiplicata esse Rosarii sodalitia, atque ea in dies sociorum numero et pietate florere; multa litterarum monumenta ab eruditis viribus elucubrata esse et late pervulgata; denique octobrem mensem, quem integrum Rosario sacrum haberi iussimus, ubique terrarum magno atque inusitato cultus splendore celebrari ».

2. Idem Pontifex, in Encyclica *Adiutricem Populi,* die 5 septembris 1895, Rosarium commendat tanquam medium ad promovendam unitatem Ecclesiae: « Itaque permagnum unitatis christianae praesidium divinitus oblatum est in Maria. Quod quidem, etsi non uno precationis modo demereri licet, attamen instituto Rosarii optime id fieri uberrimeque arbitramur ».

3. Pius XII, die 31 iulii 1946 (*A.A.S.,* pag. 419) sic delineavit Rosarium:

« Totius Evangelii breviarium, dominicorum mysteriorum meditatio, sacrificium vespertinum... supplicatio domestica, christianae vitae institutum... ».

4. Ioannes XXIII, gloriose regnans, die 29 sept. 1961 (*A.A.S.*, vol. LIII, 1961, pag. 643) sic locutus est: « Il Rosario, come esercizio di cristiana devozione tra i fedeli di rito latino, che sono notevole porzione della famiglia cattolica, prende posto, per gli ecclesiastici dopo la S. Messa ed il Breviario, e per i laici dopo la partecipazione ai Sacramenti. Esso è forma devota di unione con Dio, e sempre di alta elevazione spirituale... ».

Et ideo hanc propositionem exprimo: ut in super praedicto schemate de Beata Virgine, in n. 5, pag. 98, lin. 5 addatur: *Hanc veram devotionem Sancta Mater Ecclesia decursu saeculorum praecipue exprimit illa rosariana formula quae ab Evangelio haurit angelicam salutationem et ei adiungit meditationem mysteriorum vitae, passionis, mortis et resurrectionis Domini nostri Iesu Christi.*

60

Exc.mus P. D. MAURITIUS RIGAUD
Episcopus Apamiensis

Hoc schema « quoad substantiam » placet, attentis emendationibus iam factis a multis Patribus et quidem em.mis card. Suenens et Montini, praesertim de capp. I et II etiamque de necessaria fusura et coordinatione capp. III, IV et VII.

Duo vota tantum exprimere volo: 1. de diaconatu, 2. de laicis.

1. *De diaconatu.* Exoptarem ut, in cap. III, brevis paragraphus « de diaconatu » ponatur. Forsitan aliud schema de hac re loquitur et de restauratione possibili diaconatus sicut gradus permanens Ordinis. Nescio. Quidquid sit, meo humili iudicio, in cap. III (mutato titulo) videtur bonum ponere tertium gradum Ordinis Sacri, scilicet: diaconatum.

Habebimus sic tres gradus hierarchiae sacrae rite positos ita ut ostenderetur quod penes episcopum est plenitudo unius ordinis sacramentalis cuius participationem suo modo obtinent et sacer ordo presbyteri et sacer ordo diaconi.

2. *De laicis.* Valde gaudeo de hoc capite, praesertim de sacerdotio universali clare exposito et de vita salutifera Ecclesiae a laicis participata. Attamen exopto, cum multis aliis Patribus, ut melius appareat quidam aspectus, maximi momenti, responsabilitatis propriae laicorum qui in rebus et institutionibus temporalibus versantur.

Etenim, vi baptismatis et confirmationis, laici, ut ait schema, « de munere Christi sacerdotali, prophetico et regali suo modo participes facti, mandatum Eius novum et fundamentale observant, caritatem videlicet... Ita missionem Eius salutarem non quidem auctoritate sed dilectione continuant ».

Optarem ut verba « suo modo » et proinde missio laicorum ut membra Ecclesiae in mundo profano versata melius explicentur.

Etenim, per hanc missionem et propter consecrationem mundi ab eis sumendam, laici in Ecclesia, non praetermissis aliis vocationibus, vocati sunt proprie ad testimonium dandum vitae christianae in condicione terrestri, scilicet in relationibus socialibus et in institutionibus temporalibus. Caritate Christi compulsi erga fratres suos in eadem condicione versatos, laici catholici adlaborant pro iustitia sociali et pro personae humanae dignitate. Sic laborando, non solum privatim sed in coetibus ad hoc ordinatis, laici, vi testimonii eorum, animas fratrum praeparant ad salutarem Nuntium Christi in Ecclesia recognoscendum et recipiendum. Immo ita habiles et apti fiunt ad Evangelizationem directam et explicitam, quam, tunc, dare possunt et debent.

Ita Evangelium vivunt Christi qui dixit: « Vos estis sal terrae... lux mundi... ut videant opera vestra bona et glorificent Deum... » proindeque vultum verum Matris Ecclesiae hominibus revelant.

Sic de facto agunt multi laici in nonnullis regionibus de mandato episcoporum. Haec est iam praxis Ecclesiae hodiernae in multis nationibus; praxis, dico, quam saepe saepius Summi Pontifices sanxerunt auctoritate sua suprema et adhuc recenter S. Pontifex Ioannes XXIII in sermone ad associationem A.C.I. (Action Catholique des Milieux Indépendants) die 12 maii anno 1961 qui dicebat gallice: « Votre tâche est une tâche d'Evangélisation. Vous êtes les envoyés de l'Eglise dans votre milieu, ses missionnaires, ses apôtres ». Et alibi: « Les Evêques associent de plus en plus à leurs tâches certains de leurs fidèles auxquels ils confient l'évangélisation des différents milieux sociaux: c'est l'apostolat organisé, le vôtre ».

Conclusio: Exopto ut haec forma authentica apostolatus laicorum magis explicite illustretur et ponatur in hoc schemate.

61

Exc.mus P. D. ALOISIUS RODRIGUEZ PARDO

Episcopus S. Crucis de Sierra

Ut sim quam maxime brevis, non nisi unum tracto argumentum; alia secretariatui tradam.

Reversurus nunc in regionem meam Boliviae, quid dicam sacerdotibus, fratribus meis carissimis? Certe, prae primis quaerent mihi « quid dixit Concilium de nostra vocatione et missione sacerdotali ». Tunc, forsitan, repetam quod lego in cap. III, in n. 12, lin. 27 et sequentibus: « sacramento recepto veri sunt sacerdotes... nullam tamen obtinent iurisdictionem vel curam animarum nisi etc. etc. ». Ex hoc motivo, certe non inflammabuntur in apostolatu iam difficillimo meae dioecesis, et fortasse redeant in silvam ad quaerendum lectulum, qui vulgo vocatur « hamaca », et quiescant veluti servi inutiles.

Veritas, pro tota Ecclesiae vita fundamentalis, nempe sacerdotium, non sufficienter pervadit hoc schema. Etiam cap. III, quod agit de episcopatu et

sacerdotio directe, magis diversos gradus sacerdotii proponit quam ipsam sacerdotii naturam et dignitatem.

Desiderarem ut in toto schemate functio sacerdotalis ipsius Ecclesiae magis in lucem ponatur, sic, mysterium Ecclesiae, Sponsae Christi, praeclarius et amabilius elucesceret. Totus populus christianus, qui est « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta », tunc melius intelligeret quomodo annuntiare poterit virtutes eius, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum.

Verum est hanc veritatem inde ab initio non abesse totaliter in hoc schemate sed non pervadit omnes propositiones nec satis coniungit nostram vocationem episcopalem, specialem vocationem sacerdotum nostrorum et populi christiani cuius sanctificationi inservimus ut et ipse nobiscum sanctificationi aliorum et consecrationi mundi inserviat.

Mundus noster ingemiscet sub aspectu unilateraliter iuridico et burocratico. Propterea, si in hoc tempore actuales esse volumus, cautius loqui debemus quam aliis temporibus, ne fideles nostri prae primis considerent sub aspectu iuridico et burocratico. Immo ex fragilitate humana, propter contagionem huius mundi, nosmetipsi falsam de nobis ideam capiamus, tanquam administratorum et organisatorum. Nimis facile actio nostra sacerdotalis declinat in activismum et externam administrationem. Nostra autem administratio sacerdotalis et episcopalis secundum intentionem Christi toto caelo differt ab administratione quae invenitur in hoc mundo burocratico. Administratio nostra sub omni respectu imbuitur et imbui debet functione sacerdotali. Iurisdictio nostra omni modo demonstranda est in spiritu sacri ministerii, quod unitur sacerdotio Christi cuius dignitas sacerdotalis resplendet in ministerio caritatis.

Sic ministerium nostrum episcopale magis et intimius nos coniungeret cum conservis nostris sacerdotibus et cum populo sancto Dei.

Schema de Ecclesia continet materias quae maximi momenti sunt et speciali modo sigillum huius Sancti Concilii ostendunt. Hae doctrinae respondent indigentiis hominum bonae voluntatis; conscientiam profanam hominum modernorum ac profundiorem scientiam, id est, ad scientiam Christi educare valent. Ad hunc finem, plures aspecti magis concinne elaborari debent. Aliae autem propositiones quae inter scholas catholicas disputantur penitus omitti possunt sine ullo detrimento pro grege nostro dilecto.

In cap. I, n. 1 versus finem adlegitur perpulchra veritas de dignitate fidelium « sub uno Capite Iesu Christo, cuius virtute omnes simul essent non solum redempti, sed in opere salutifero Christi perpetuando redemptores ». Haec veritas pro apostolatu sacerdotali et pro vita fidelium maximi momenti est sed non satis pertractatum est ut nobis et fidelibus nostris vere familiare evadat.

Art. 7, pag. 12, dicit initio: « Ecclesia catholica romana est Mysticum Christi Corpus », hanc veritatem certe negare non possumus si recte intelligitur. Sed quaero, estne etiam feliciter in hoc contextu expressa? Fratribus orientalibus et protestantibus haec expressio non est facile intelligibilis. Tali modo loquendo sese exclusos sentient ab ipso Mystico Corpore Christi; inde

magnum animi dolorem concipient, quo tamen, non ad Ecclesiam alliciuntur. Dicunt enim non sine aliquo fundamento: « Mysticum Corpus Christi existebat ante fundationem Ecclesiae quae habetur Romae, et Ecclesia catholica perdurare poterit, si forsitan, saeculis futuris regio romana inhabitabitur quacumque causa ». Secundum eorum cogitandi modum haec expressio significat aliquam limitationem Ecclesiae universalis quae — ut aiunt fortasse — non est patrimonium nec orientis nec occidentis. Propterea opportunum existimo ut vox « romana » in hoc contextu evitetur ne obstaculum exoriatur reditui omnium ad Matrem Ecclesiam Romanam.

Cap. VI de laicis mihi placet etsi pauca in praeclariorem lucem possint. Caput hoc recte etiam inseritur toto organismo de Ecclesia, melius tamen demonstrare posset specialis vocatio laicorum typicam, nempe consecrationem mundi secundum eorum vocationem in familia et in professione et in omni ambitu sociali.

62

Exc.mus P. D. PAULUS RUSCH

Episcopus tit. Meloensis in Isauria, adm. ap. Oenipontanus

Ad schema *de Ecclesia* cap. IV. Conspectus:

1. Potestas episcopalis est ministerialis.
2. Haec potestas postulat obiectum clare circumscriptum.
3. Haec potestas est coprincipium unitatis ecclesiasticae.

Ad 1. In n. 13 sermo est de potestate episcoporum. Nullibi clare dicitur hanc potestatem esse primario ministerialem. Cum autem ipse Christus fere de nihilo saepius locutus sit apostolis suis quam de charactere ministeriali officii, hoc dolendum est. Apud S. Lucam e. g. legimus: « Reges gentium dominantur eorum et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic. Sed qui maior est in vobis fiat sicut minor et qui praecessor est, sicut ministrator » (*Lc.* 22, 25-26). Hoc loco et aliis locis clare docetur potestatem ecclesiasticam minime esse dominantem sed ministerialem id est qui potestatem habet servire debet.

Hic character ministerialis si clare ediceretur, certe non sic incomplete de potestate episcoporum sermo esset sicuti in schemate nostro, quasi tantummodo malos cogere et punire posset. Episcopus potest etiam agnoscere, laudare et honorare. Christus ut Deus homo est proprie loquendo super omnes categorias logicas. Quare per se dicere fas non est Christum esse nobis moderniorem. Si tamen hoc liceret, verum esset, nam homines moderni has expressiones: potestas, auctoritas, etc. non amant, nisi sint aperte copulatae cum ministerio quod in bonum omnium exercendum est.

Quare propono ut in n. 13, post lin. 15 addatur: « Signum autem distinctivum potestatis episcopalis sicuti omnis potestatis ecclesiasticae consistit in eo, quod ministerialis est, ut ergo omnis qui potestatem habet servire debeat et coetui fidelium verum servitium praestet ».

Ad 2. In n. 14 dicitur quidem episcopos habere potestatem propriam ordinariam immediatam, sed nullibi obiectum huius potestatis clare circumscribitur. Iamvero potestas sine obiecto est nulla. Puta si quis gubernator civilis nescit quid facere possit. Nonne risum moveret?

Qualem ergo potestatem episcopus habeat quaeritur. Respondendo ad hanc quaestionem: in *Act. Ap.* haec inveniuntur: « attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei » (*Act.* 20, 28). Unde dicendum est, episcopos habere per se omnem potestatem, quae requiritur et sufficit, ut gregem i. e. dioecesim regere et dirigere possint. Quod practice loquendo significat, episcopos habere per se omnia iura quae nunc facultatibus quinquennalibus dantur, insuper eos dispensare posse de iure in iis quae saepe accidunt et a S. Sede dispensari solent; iterum, eos absolutionem dare posse etiam in reservatis, exclusis specialissimo modo reservatis; denique, eos libere conferre posse paroeciis, etiamsi antecessor huius paroeciae Camerarius vel Praelatus S. Sanctitatis fuerit. Quod valet semper per se. Quodsi alicui minus placuerit, consideret episcopos antiquos multa maiora iura habuisse, inter alia etiam ius liturgicum, quod his omnibus maius est.

Quare in n. 13 ad finem addendum esse puto: « Unde patet, episcopos habere per se omnem potestatem quae requiritur et sufficit ut dioeceses suas ipsi regere possint ».

Ad 3. In n. 15 dicitur de Ecclesia: « Cuius centrum et fundamentum et principium unitatis est successor Petri ut ipsius Christi vicarius ». Quod verum, sed incompletum est. Etenim etiam episcopi principium unitatis saltem secundarii sunt. In epistola ad Ephesios scriptum est: « Sed estis cives sanctorum et domestici Dei. Superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu » (*Eph.* 2, 19-20). Apostoli ergo fundamentum nominantur. Fundamentum autem semper principium unitatis est. Atqui cum in ipso schemate expresse dicatur episcopos esse successores apostolorum, manifeste sequitur, episcopos esse principium unitatis saltem secundarium.

Quare propono ut in n. 15 post lin. 3 pag. 24 addatur: « Sed et episcopi sunt, etsi secundarie, principium unitatis ecclesiae, apostolo docente ecclesiam esse aedificatam super fundamentum apostolorum; cf. *Eph.* 2, 19-20 ».

Ex tribus punctis consideratis adhuc una consequentia practica magni momenti est. Scilicet episcopi sunt iuris divini. Unaquaeque ecclesia dioecesana episcopo indiget. Quid fit, si coniunctio externa huius ecclesiae tempore persecutionis cum S. Sede interrupta sit? Episcopus nominari nequit. Nonne hoc casu valde desiderandum est, ut capitulum cathedrale vel ii qui eius vicem iure gerunt, episcopum eligere possit. Ut ecclesia haec in tempore persecutionis non sine patre remaneat! Quod de cetero novum non est. Per quanta tempora viguit hic usus eligendi episcopum tum in oriente tum in occidente. Vel Concilium Lateranense II i. e. Concilium Oecumenicum decimum anno 1139 celebratum in canone 28 statuit ius capitulorum episcopum eligendi.

Quot dolores, anxietates, aerumnae, perturbationes evitari possent e. g. apud Sinenses data hac facultate.

Quare propono ut pag. 23, lin. 16, addatur: « communione autem externa cum S. Sede impedita et simul sede episcopali vacante capitulum cathedrale vel collegium quod eius vices iure gerit ius habet eligendi episcopum qui statim consecretur, ita ut haec ecclesia tempore persecutionis durissimo non sine patre remaneat ».

63

REV.MUS P. D. ALFONSUS SALVINI

Abbas generalis Congregationis Vallis Umbrosae O.S.B.

Tractatus *de Ecclesia* mihi videtur esse in quibusdam reformandus, quia caret sive unitate formali, sive ut ita dicam litteraria, et speciatim ad finalitatem principalem: unum caput ab altero discrepat ita ut videatur finalitatem diversam praeesse diversis capitibus; quod profecto non expedit.

Certum est praecipuum munus omnium christianorum esse vitam gerere secundum Evangelium Christi; ad hoc enim sunt christiani et dicuntur.

In cap. VI schematis, ubi agitur *de laicis,* pag. 38 n. 24 B et C, quamvis indirecte, explicantur obligationes laicorum, et innuuntur sive quae eorum vitam privatam respiciunt, sive etiam quae publice debent operari quasi in adiutorium episcoporum et sacerdotum, et concluditur: « In quo sincero labore laici sedulo curent ut, Spiritu Sancto impellente, supernaturali principio ducantur, ultimatim ad finem supremum glorificationis Dei et aeternae felicitatis respiciant, et omnes actiones suas per gratiam Christi valore spirituali et redemptivo intrinsecus augeant ».

E contra, in cap. III et IV, cum agitur *de episcopatu* bene enucleantur notiones de episcopatu ut sacramentum, de presbyteris et de munere et dignitate episcoporum, sed desunt verba significantia debitum principale sacerdotii: oratio et praedicatio. Et primum quidem oratio. « Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus ». Et certum est quaevis munera minus proficere ad profectum spirituale dioecesis vel paroeciae ubi personalis vita orationis non vigeat in coetu ecclesiastico, et fere nullum afferre fructum nisi adsit spiritus humilitatis et paupertatis, seu melius paupertatis spiritus de quo Christus in sermone qui dicitur montis (italice il sermone della montagna). Plus valet, speciatim apud fideles nostri temporis, sanctitas vitae et vita orationis quam multi sermones et exteriores manifestationes. Verum est haec omnia supponi posse, et forsan alibi enucleata esse, v. g. in schemate *de clericis,* sed in hoc capite innuenda essent tamquam fundamentum vitae sacerdotalis, necnon causa instrumentalis fructuum laboris sacerdotalis. Et magis haec differentia advertitur in comparatione ad caput *de laicis,* quibus memorantur officia et obligationes.

Utcumque sit, cum hodie, data facilitate communicationum, non amplius parochi habeant illam libertatem dirimendi, quae saeculis praeteritis neces-

sario tribuebatur et quasi unice eorum humeris gravabat, sed nimis valeat procurationum morositas (burocrazia) (fui parochus fere viginti per annos), et ob id ipsi parochi minus forsan sentiunt responsabilitatem personalem de modo agendi in administratione spirituali paroeciae, convenit unumquemque de periculo suo monere. Insuper hoc modo magis eluceret spiritus fraternitatis, qui est proprius christianismi spiritus, et explicite affirmaretur illud: « Cui multum datum est, multum requiretur ab eo ».

Puto etiam in alia schemata semper ponendum illud fundamentum spirituale quod exprimitur et recapitulatur in illis beatitudinibus et vae quae Christus ipse solemniter pronuntiavit; praecipue hodie quando tota beatitudo ponitur in adipiscendis bonis temporalibus et in reiciendis quae sacrificium subaudiunt, dum Christus dicit: « Intrate per angustam portam, quia lata et spatiosa est quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam ».

Forsan multae relaxationes concessae fidelibus, dum deludunt et contristant animas ferventes et generosas, non meliorant tepidos et negligentes, in cuius favorem fuerunt ordinatae. Et hoc noto speciatim de relaxationibus in legibus de abstinentia, cuius reiteratae et frequentes mutationes devenerunt in contemptum Legis, ita ut nunc difficile evadat observatio novae legislationis, nam multi rudes homines hodie habent falsam persuasionem circa hanc materiam. Concedo verum esse quod melior mortificatio est illa interior quae consistit in abnegatione voluntatis et in perfecta adhaesione ad voluntatem Dei; sed pro multis rudibus illae valent mortificationes externae; et raro datur quod adsit abnegatio et mortificatio interna quando externa tota relinquitur, nec desideratur. Et tamen Christus dicit: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me ».

Verum est quod legislator potest habere multas et bonas rationes hoc statuendi hodie, et cras aliud; non sunt tamen parvipendendae psychologicae reactiones vulgi, unde prudentia maxima exigitur in legibus ferendis.

64

EXC.MUS P. D. ILDEFONSUS M. SANSIERRA

Episcopus tit. Oriensis, aux. S. Ioannis de Cuyo

In genere.

Perlecto schemate *de Ecclesia,* revera in eo multa bona, nova et pulchre exposita agnoscenda sunt et quae mihi omnino placent, sicuti iam dictum est in hac aula conciliari. Tamen permittatur mihi reverenter quaedam indicare:

1. In hodiernis enim iuvabit *Ecclesiam* praesentare gentibus *non tantum et praesertim* ut iurium subiectum activum et efficax, verum etiam *apertam et flagrantem* desiderio effundendi thesauros supernaturales quibus ditavit *eam* Christus: quarum divitiarum, nempe *veritatis et legis moralis ac sacra-*

mentorum quibus animabus dari potest *gratia Dei,* ipsa Ecclesia est custos fidelis et defentrix incorrupta.

2. Tenendum et palam faciendum est omnino *Ecclesiam esse societatem perfectam,* sed non quasi exclusive, in ordine iuridico sed et in suo *fine* et *mediis supernaturalibus.*

3. *Viva et vivificans* praesentetur Ecclesia hominibus et sic apparebit illam unquam deficere posse, et hoc quidem ex ipsis verbis eius Divini Conditoris quia Ecclesia vere est *actio Christi per apostolos et illorum successores continuata et continuanda* usque ad extremum terrae et ad consummationem saeculi.

4. *Amans et benigna* Ecclesia his diebus fulgere debet quamvis, semper, in veritate firmissima, et in condolendis hominum miseriis Mater Benigna, sicut claris verbis Sanctissimus D. Noster, feliciter regnans, primo die Concilii Vaticani II dignatus est manifestare.

5. *Directrix historiae hominum* in schemate *de Ecclesia* lucescat oportet, illis quidem notis quae *illam* constituunt *fundamentum veritatis*; tunc apparebit magnifica Ecclesia *mysterium redemptionis.*

Hoc schema praeterea nonnullis laborat defectibus, nempe:

a) Non videtur logica connexio capitum.

b) Tituli capitulorum sunt revisendi, v. g. cap. IX; istius capitis titulus accuratior esset *de relationibus inter ecclesiasticam et civilem potestatem.*

c) Non omnia capita habent introductionem et conclusionem.

d) De eadem re diversae formae dicendi apparent; v. g. quoad *bonum temporale* (cf. nn. 41, 42, et antea n. 26).

e) Quaedam expressiones doctrinales non videntur exacte prolatae: v. gr. n. 40 ad finem; nn. 41, 43; de subiecto potestatis civilis.

Quoad materiam, et specifice respectu ad episcopatum dogmatice et profundius tractandum est; perficiendo nempe quod in Concilio Vaticano I fieri nequit.

Conclusio:

Si Ecclesia apparuerit *viva,* vita quam donavit ipsae Christus;

Si Ecclesia *amans et misericors* apparuerit amore, quem in omnes homines profundere cupit vehementer;

Si Ecclesia denique apparuerit *directrix in veritate et iustitia, in pace et libertate,* quibus Christus mundum salvare decrevit, tunc ad Ecclesiam omnes venient cuiusvis populi homines.

Haec sunt quae sincere opinor et humiliter venerabilibus Concilii Patribus expono.

Ad cap. IX. Permulta bona et pulchre exposita sunt in schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* quae mihi placent. Fas mihi sit, tamen, quaedam reverenter exponere.

Ad titulum.

Perlecto hoc capite, forsan huius materia melius manifestaretur si titulus sic iaceret: *De relationibus inter ecclesiasticam et civilem potestatem.* At

si titulus sicuti est retineatur subtitulus requiri videtur qui sic esse poterit: *Quoad propriam cuiusque potestatem.* Sic optime dici potest quod in pag. 64, in par. 2 exprimitur: « ... licet inter se *prorsus* remaneant distinctae »; nempe Ecclesia et Status; et hoc confirmatur n. 44: ut conclusio ibi asseritur « Sancta Synodus agnoscens principia de mutua relatione *inter potestatem ecclesiasticam et potestatem civilem* ».

Ad introductionem.

In aliis capitibus introductio invenitur: hoc caput ea caret: nunc autem introductio esse poterit pericopes in pag. 64 inventa, quae sic initium agit: « Sacra Synodus, docere intendens... »; aliquantulum tamen mutata. Ibi dicitur: « ... esse tenendum tam Ecclesiam quam societatem civilem constitutas esse ad hominis *utilitatem* ». Iamvero quod est *utile* non est *necessarium*; quod non est necessarium relinqui potest. Ergo. Sed omnes nos scimus hominem naturaliter esse socialem, nempe debet esse *civis et christianus*; quod concors est doctrinae expositae in pag. 15, n. 8, ubi docetur: « *Ecclesiam esse necessariam ad salutem* ». Leo XIII, felicis recordationis, in Enc. *Immortale Dei,* loquitur *de utilitate Societatis civilis* (cf. pag. 68, in nota 5). Hic autem cum sermo sit etiam de Ecclesia quae omnibus hominibus est *necessaria ad salutem,* video quod verbum « *utilitatem* » substitui deberet: forsitan, his verbis « *finem assequendum* ». Ex quo doceretur: « ... firmiter esse tenendum tam Ecclesiam quam Societatem civilem constitutas esse *ad hominis finem assequendum* ».

Ad n. 41. In pag. 65, lin. 4, legitur: « ... ea vero quae tantum *ad felicitatem temporalem* pertinent sub auctoritate civili ut talia posita sint ». Cum illa verba *felicitas temporalis* intendant quod italice « benessere » nuncupatur, fortasse accuratius hoc idem exprimeretur per *bonum temporale,* quod innuitur in n. 42 (vide et pag. 64 ad finem).

In lin. 8 huius paginae, post verba *puerorum educatio,* adderem « *instrumenta communicationis socialis,* et alia huiusmodi... ».

Denique in eodem numero fere ad calcem — agendo de illis quibus reipublicae gubernatio concredita est — legitur: « ... tamquam Deo reddituri rationem de *divinitus* tradita sibi potestate ». Verbum « divinitus » sapit miraculo vel prodigio; quod certe huius schematis commissio non intendit. Et ex alia parte sermo est hic de subiecto cui Deus dat potestatem regendi societatem civilem; sic etiam quaedam videretur contradictio, cum in n. 43, in medio, legatur: « Pro ratione igitur, qua *potestas civilis personam agens populi...* ». Ad tollendum ergo, omne dubium post verba: *Deo reddituri rationem,* adderem *memores quod*: *Non est potestas nisi a Deo* (*Rom.* 13, 1).

Ultimo: periodus finalis huius numeri sic componerem: « Legum tandem tam naturalium *et civilium* quam supernaturalium observantiam inculcat *Ecclesia...* ».

Haec sunt quae sincere opinor et humiliter venerabilibus Concilii Patribus expono.

65

EXC.MUS P. D. EDUARDUS SCHICK
Episcopus tit. Araditanus, aux. Fuldensis

Schema *de Ecclesia* primo conspectu se commendat inter alia etiam eo, quod ad naturam Ecclesiae describendam in cap. I, nn. 1-4, multa materies e Sacra Scriptura confertur. Sed si legimus ulterius, conspicimus unicam solam e metaphoris, quas Sacra Scriptura in plenitudine ad declarationem naturae internae Ecclesiae adhibet, in schemate revera impendi, nempe solam metaphoram corporis humani. Et ex illa quasi ex definitione completa Ecclesiae omnia derivantur aut ad eam referuntur.

Liceat mihi exemplo concreto advertere quot et quantis adiumentis commissio praeparatoria ista restrictione se destituit in describenda quam universalissime natura Ecclesiae Dei.

Breviter in memoriam revocare velim ad id probandum profundas assertiones, quas S. Paulus apostolus in unica sola epistolarum suarum, nempe ad Ephesios facit, ipsis apostoli verbis et in ordine, quo in epistola se sequuntur, allatis.

Paulus membra Ecclesiae alloquitur tamquam « sanctos » utpote qui per fidem in Christo sunt.

Paulus videt novum populum « acquisitionis » (1, 14) ut communitatem eorum, qui a Patre in Christo electi ab aeterno (1, 4); praedestinati filii in Filio (1, 5); sigillati a promisso Spiritu Sancto (13 b); divinitus repleti spe haereditatis suae inter sanctos (1, 14; 17-20) interea in caritate vivunt; irreprehensibiles in conspectu Dei (1, 4 b); in laudem gloriae gratiae eius (1, 6. 12. 14; 2, 7).

Hanc suam gloriam Deus ab aeterno obtinere voluit « instaurando (recapitulando) omnia in Christo » (1, 10), i. e. constituendo eum per quem omnia facta sunt et in quo omnia constant; etiam finem in quem omnia tendant (1, 10 in luce *Col.* 1, 16 s.) caput et Dominum universi qui impleat omnia (1, 23 b; 4, 10 c).

Et istum Dominum universalem Deus dedit Ecclesiae (1, 22 b) ut ab ipso impleta ipsum compleat tamquam corpus caput suum (1, 22 b. 23).

Mediante hoc corpore quod est Ecclesia, Christus procedit ad actu sibi subigenda omnia, quae iure ei subiecta sunt a Patre (1, 22 a).

Ab adimpletore universi modo speciali impleta divina ipsius plenitudine (*Col.* 1, 19; 2, 9) Ecclesia eschatologice vivit, i. e. freta « supereminente magnitudine virtutis Dei in nos credentes demonstratam ab efficientia potentiae virtutis eius quam operatus est in Christo suscitans illum a mortuis et constituens eum ad dexteram suam in caelestibus » (1, 19).

Immo tam vivum sentitur vitae intimum cum Christo capite consortium,

ut Paulus fideles describere possit tamquam (iam) resuscitatos cum Christo, immo tamquam factos (iam) sedere in caelestibus in Christo Iesu (2, 6).

Formula « in Christo » totum quidem exhibet Ecclesiae mysterium. Paulo autem ratio mysterii imprimis reposita est in huius Ecclesiae catholicitate: oeconomia salutis in Christo Iesu aperta omnibus, gentibus non minus ac Iudaeis, et ideo salus adipiscenda non amplius per legem sed per fidem non per opera hominis sed per gratiam Dei (2, 8-10).

Hoc est mysterium cuius celebrandi Paulus vix invenit finem (2, 13-3, 21!).

Celebrat Christum qui « est pax nostra » (2, 14 a). Etenim: sustulit « intermedium parietem maceriae » (2, 14), « legem mandatorum evacuans » (2, 15 a). Duos condidit « in unum novum hominem » assumendo eos in seipsum (2, 15 b) « in suo corpore reconciliando ambos Deo per crucem interficiens inimicitiam in semetipso » (2, 16).

Hinc laetus nuntius pacis: Ecclesia est porta aperta, via liberi accessus pro omnibus ad Patrem per Filium in uno Spiritu (2, 17. 18).

Ecclesia est civitas Dei quae non novit nisi cives aequalis iuris; familia Dei quae non constat nisi familiaribus eius; aedificium Dei, aedificatum super fundamento Apostolorum et prophetarum (2, 20 a), cuius lapis angularis est ipse Christus (2, 20 b), quod crescit ex virtute Christi (2, 21) et evadit « templum sanctum in Domino » (2, 21), « ... habitaculum Dei in Spiritu » (2, 21 s.).

Hoc mysterium Ecclesiae a Paulo praedicatur tamquam « investigabiles divitiae Christi » (3, 8), tamquam « multiformis sapientia Dei » (3, 10), tamquam inaudita novitas angelicis potestatibus (3, 10).

Huius mysterii secundum omnes suas dimensiones cognitionem (3, 18) Paulus precando fidelibus expetit a Deo ut summam gratiam (3, 14). Tanta est haec cognitio ut praesupponat specialem corroborationem hominis interni per Spiritum (3, 16 a), perfectam inhabitationem Christi in cordibus per fidem (3, 17 a), profundam in caritate fundationem (3, 17 b).

Etenim cognoscere hoc mysterium idem est ac cognoscere supereminentem caritatem Christi et « impleri in omnem plenitudinem Dei » (3, 19).

Ex hac doctrina sequitur apostolica paraenesis. Vivendum est modo tanta vocatione digno (4, 1). Ante omnia omni studio servanda est unitas Spiritus (4,3). Ad hoc inservit omnimoda humilitas, mansuetudo, patientia, mutua in caritate supportatio (4, 3 a). Ad hoc movet unitas corporis, unitas Spiritus, unitas spei (4, 4), unus Dominus, una fides, unum baptisma (4, 5), unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, operatur per omnes, praesens adest in omnibus.

Servata unitate cooperandum est omnibus in aedificando corpore Christi. Ad hoc suam quisque accipit mensuram gratiae a Christo (4, 7).

Ut dona Christi enumerantur Apostoli, Prophetae, Evangelistae, Pastores, Doctores, Ministri; sunt donati Ecclesiae ad instituendos sanctos (omnes), ad praestandum opus diaconiae, ad aedificandum corpus Christi (4, 12), ut ita perveniatur ad unitatem omnium, quam fides efficit et perfecta cognitio Filii Dei, ad virum perfectum, ad mensuram aetatis plenitudinis Christi (4, 13).

Ad hanc staturam Christi Ecclesia adolescit eo quod fideles « veritatem faciunt in caritate » (4, 15). Caritas est illa virtus quae crescere facit corpus Christi; caritas fidelium quidem, quae tamen fontem suum habet in Christo capite. Ipse est qui per membrorum suorum operosam caritatem « augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate » (4, 16).

In hac Ecclesia Christus praedicatur, Christus docetur, Christus discitur (4, 20 s.). Christum discere est rationem vitae discere, christiformem evadere, exuere veterem hominem, constanter renovari « mente spiritus », induere « novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in omni iustitia et sanctitate », quae novae realitati (novae creaturae) respondeat (4, 22-24).

Imitatores Dei condonantis, Christi ex dilectione pro nobis sacrificati nos quoque ambulemus in caritate (5, 1. 2).

Ut filii lucis fideles solliciti sint puritate vitae et gratitudine animi alios quoque conducendi ad lucem quae Christus est (5, 14-11).

Ad cultum divinum congregati in mutua exhortatione se sinant Spiritu impleri usque ad ebrietatem (5, 18-21).

Hoc animo, gaudio spirituali et gratitudine pleno, in vitam cotidianam redeant sanctificaturi relationes familiales et domesticas.

In hoc contextu fuse tractando de relationibus coniugalibus Paulus manifestat quam realiter ei ob mentem versetur relatio amoris qua Christus sponsus Ecclesiam sponsam sibi coniunctam habet. Huius amoris, ex mente Pauli, matrimonium christianum est non solum quaedam imitatio sed vero sensu quaedam actuatio ideoque fecunda gratiae (5, 22-33).

Concludam istas recordationes paucis propriis verbis: Si a tantis et tam profundis veritatibus fundamentalibus de Ecclesia in S. Scriptura contentis fundamentum schematis ecclesiologici sumptum esset, singula capita schematis aliter et profundius concipi magisque organice inter se coniungi potuissent. Quomodo, ut unum exemplum pro multis afferam, caput de laicis, quod maxime substantia vere theologica caret, aliam formam invenisset; et sic omnibus capitibus melior tonus ac tenor, realitati et mysterio S. Ecclesiae magis congruens, adaptati essent.

Votum meum et desiderium multorum Patrum: commissio, cui schema de Ecclesia emendandum tradetur, solida et quam maxime completa *doctrina biblica* de Ecclesia se dispensare non debet.

66

Exc.mus P. D. IOSEPH SCHOISWOHL
Episcopus Secoviensis

De ecclesia si tractamus utiliter procedamus ab ipso verbo « ecclesia », quod oritur ex graeco ἐγκαλεῖν, i. e. evocare, convocare. Ecclesia ergo coetum aut communitatem significat nempe populum Dei, quem Christus sibi elegit et acquisivit ad salutem supernaturalem eidem praebendam. Fundamentalis

est hic aspectus ecclesiae; nos omnes sive pastores sive fideles huic populo Dei adscripti sumus. Quare in tractatu de ecclesia post primum caput de Christo, fundatore et capite ecclesiae, ante omnia agi deberet de populo Dei sicuti est communitas fidelium nomine christiano ornata.

Quare cap. VI de laicis praesertim qui populus Dei sunt, quoad priores articulos transferendum esset, aliis partibus ab art. 24 relictis, quae in schemate de apostolatu laicorum tractandae essent.

Propter populum Dei ab initio munera in ecclesia instituta sunt ad serviendum populo Dei. Constitutio ecclesiae a Christo data plene ad hanc communitatem ordinata est. Quare a constitutionibus regnum terrestrium valde differt, quod iam in regimine observandum est. Ecclesia enim aedificata est super fundamentum apostolorum, quibus datum est regere ecclesiam Dei. Collegio apostolorum Christus suam potestatem tradidit teste Sacra Scriptura. Potestatem autem obligatione ministerii eisdem commendavit, quod dixit sub figura boni pastoris, qui pro ovibus curare debet, victus illis parans, eos defendens, immo etiam — si necessarium esset — vitam pro eis offerens. Munus regendi autem discipulis litigantibus, quis eorum videretur maior esse, ita declaravit: Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator (*Lc.* 22, 25 s.). Schema propositum hanc intentionem Christi minus respicit; constitutionem ecclesiae imprimis secundum ordinem gubernandi et oboediendi describit, quod certe verum continet, attamen plenam doctrinam inadaequate proponit. *Schema ergo dicto modo supplenda est.*

Collegio apostolorum Christus principem dedit, qui supra totum gregem universalis muneris pastoris fungit, non autem sine apostolis, qui potestatem et missionem una cum Petro immediate a Christo acceperunt. Apostoli eorumque successores sine Petro agere non possunt, sed etiam Petrus eiusque successores sine apostolis eorumque successoribus agere non poterunt. Papa totum gregem pascit, episcopi item totam ecclesiam cum Papa pascere debent. Ergo non simpliciter subditi Summi Pontificis sunt episcopi, attamen in pace et communione cum Romano Pontifice stare debent, sicut per saecula status inter Papam et episcopos significari solebat.

His praemissis pauca ad singula capita adnotare mihi liceat:

1. Titulus capp. I et II significatione ecclesiae *militantis* utitur, quae quidem in usualem dispositionem ecclesiae militantis, patientis, triumphantis niti potest, attamen mihi minus conveniens videtur. Ecclesia ad salutem in Christo Iesu efficiendam destinata est. Omnes speramus nos mediante ecclesia in Regnum Dei caeleste inituros esse. Hoc Regnum Dei (βασιλεῖα τοῦ θεοῦ) autem non est ecclesia. Oramus in ecclesia, ut adveniat regnum Christi; ad latronem petentem: memento mei, cum veneris in regnum tuum, dixit Iesus: hodie mecum eris in paradiso. Regnum Dei in hoc sensu respicit statum ultimae perfectionis in Regno Christi exaltati. Certe ibi character indelebilis baptizati, confirmati, ordinati vigebit, sicut etiam signum martyrum et virginum visi-

biliter ibi elucescet. Sed finis ecclesiae assecutus erit et omnes regno Christi participabunt, quin protinus nec hierarchiae nec doctrinae salutiferae nec cibu spiritali ab ecclesia administrando egebunt, quia lumen gloriae ipsos illuminabit et quia lucerna et cibus ipse est Agnus. Analogice ergo tantum de ecclesia triumphante loquitur, quod etiam de ecclesia patiente valet.

Quare non necesse videtur de ecclesia militante loqui. *Ergo cap. I simpliciter inscribi posset: de ecclesiae natura,* simili modo etiam II. De cetero additum « *militans* » *eo etiam delendum esset,* quia ista locutio hodie multarum gentium aures offensivas afficit et ecclesiae pacificanti minus decere videtur. Si attamen epiteton ornans eligi deberet, secundum intentionem Christi supradictam loquatur: de ecclesiae *ministrantis* natura.

2. In cap. I, art. 4 de figura corporis Christi loquitur. Leviter tantum significatur, plures esse figuras repraesentantes indolem ecclesiae. Sed deinde unice de figura corporis Christi loquitur. Sed figura numquam totum sensum obiecti reddere potest, sed solummodo quandam similitudinem. Quare *plures figurae adhibendae sunt, ut cognitio latius patens acquiratur.* Ergo latius de populo Dei, de sponsa Christi, de domo Patris, de agro, in quod seminatur verbum Dei, tractetur, ut natura ecclesiae melius cognoscatur. Alias ecclesia unum latus habens describitur, quod ei non correspondet.

3. In capite separato de laicis specialem difficultatem pastoralem video. Multi homines sub nomine ecclesiae pro dolor clerum tantum intelligunt. Immo in regionibus catholicis ecclesia tamquam laicis opposita spectatur: hic clerus, qui est ecclesia; hic laici, qui sunt extra; ecclesia est illis aliena. Forsitan haec habitudo e mutatione verbi laicus evenit, quod verbum convenientem quidem vim originalem habet: λαός, populus; nostris temporibus autem inexpertum, imperitum designat. Quare, Patres venerabiles, cavere debemus, ne ecclesiae detrimentum fiat, si foedus inter pastores et fideles necessarium separato capite de laicis minus cognoscatur.

Reliqua suo tempore proferam aut secretariatui generali scriptis tradam.

67

Exc.mus P. D. IOSEPH SENSI

Archiepiscopus tit. Sardianus

1) *Animadversiones.*

Caput I. Transeat titulus « De Ecclesiae militantis natura »; militans est adiectivum quod non occurrit historicis viris qui explorant de origine Ecclesiae in S. Scriptura et in Traditione primaeva. Ecclesia est institutio mystica et iuridica. Uti institutio mystica, ecclesia est in caelis, uti ait S. Paulus in epistola ad Galatas (4, 25), sed est etiam in terris, quia membra Ecclesiae, quae viatores dicuntur, peregrinantur a Domino.

Ecclesia, uti corpus mysticum, constat tum beatis, qui sunt in caelis, tum

viatoribus, qui sunt in terris. Ecclesia uti institutio iuridica est tantum ea quae est in terris.

In cap. I promiscue et quidem necessario occurrit sermo de ecclesia sursum et de ecclesia deorsum. Quapropter revisioni forsan subiiciendus erit titulus cap. I.

Sed etiam his animadversionibus sepositis, omnino necessarium videtur reformare linn. 18-24, pag. 12: « Ecclesiam, eam nempe quam in symbolo unam, sanctam, catholicam et apostolicam celebramus, quam salvator sibi in cruce acquisivit sibique tamquam corpus capiti et sponsam sponso coniunxit, quamque post resurrectionem suam S. Petro et Successoribus, qui sunt Romani Pontifices, tradidit gubernandam; ideoque sola iure Catholica Romana nuncupatur Ecclesia... » hoc modo: « ... Ecclesiam, eam nempe quam in symbolo unam, sanctam, catholicam et apostolicam celebramus, quam Salvator sibi in cruce acquisivit, sibique tamquam corpus capiti et Sponsam Sponso coniunxit. *Ecclesia autem mater nostra in caelis est constituta per beatos et in terris per christifideles qui a Domino peregrinantur. Hanc alteram sui gregis portionem Christus,* post resurrectionem suam S. Petro et successoribus qui sunt Romani Pontifices, tradidit pascendam; ideoque *his in terris* sola iure Catholica Romana nuncupatur Ecclesia ».

Caput III. Titulus reformandus, his de causis:

1. Id quod quaesitum est a Concilio respicit doctrinam de episcopatu et presbyteratu definiendam. Doctrina autem definitur per elementa dogmatica et per elementa iuridica; episcopatus enim est sacramentum et institutum iuridicum et episcopi sunt sacerdotes (sacramentum) magistri et rectores (institutum iuridicum).

2. Titulus ita sonat: De episcopatu ut supremo gradu sacramenti ordinis et de sacerdotio. Nunc autem episcopatus non distinguitur a sacerdotio: sive episcopatus sive presbyteratus possident sacerdotium.

Reformetur, ergo, titulus ita: *De episcopis et presbyteris.*

Dein, servatis utique praemissis, in lin. 6 includatur definitio de episcopis quae omnia elementa huius sacramenti et muneris contineat, ita: *Episcopi, primo cooperatores et dein apostolorum successores, peculiaribus ecclesiis praeficiuntur, quas potestate ordinaria pascunt uti magistri, sacerdotes, rectores, sub Romano Pontifice, Petri successore, gregis Christi pastore supremo.*

Caput IV. Uniatur cum cap. III, quia ea quae ibi dicuntur respiciunt episcopos universos, tum residentiales tum titulares; omnes enim episcopi hodie peculiaribus ecclesiis praeficiuntur; ex lege ecclesiastica, ii qui sunt tantum titulares ligantur quodammodo in exercenda iurisdictione, non autem quoad ceteras potestates magisterii et sacerdotii.

Lin. 4: simplificetur locutio *doctorum et pastorum,* supprimendo vox *doctorum*; in voce pastor comprehenditur etiam munus doctoris, uti apparet ex parabola boni pastoris.

Linn. 5-6. Perperam citatio Actorum Ap. 20, 28 adhibetur; dubium est enim utrum se referat ad episcopos proprie dictos vel ad simplices presbyte-

ros. Insuper textus graecus dicit episcopos positos fuisse *pascere*; non dicit *regere*. Ergo supprimatur universa citatio.

Lin. 7 « *vicarii et legati Christi* »: locutio est mira; ex nota apparet adhibitam fuisse a Concilio Coloniensi, quod est concilium particulare; Christus unum habet Vicarium, Petrum et, post Petrum, Romanum Pontificem.

Linn. 9-10: *regunt ut fidelium patres et pastores gregum suorum, dicatur* proprius: *pascunt ut gregum suorum pastores.*

Linn. 10-16: dubium est utrum locus epistolae 1 Petri se referat ad episcopos vel ad simplices presbyteros; melius est ut omittatur.

Linn. 1-11, pag. 23. Prima pars n. 14 (*Primatus et episcopatus*), logice non videtur redacta. Linea logica declarationis haec adhibenda videtur:

Episcopi sunt apostolorum successores eorumque munera in Ecclesia ordinantur prouti ordinata fuerunt munera apostolorum;

potestatem Magisterii, Sacerdotii, Regiminis apostoli habuerunt a Christo, qui, cum esset pastor princeps gregis, i. e. Ecclesiae, opus redemptionis adimplevisset exercens munera Magistri, Sacerdotis et Rectoris, constituit Petrum Pastorem vicarium supremum, cum potestate magisterii sacerdotii et imperii et simul alios apostolos constituit Magistros, Sacerdotes, Rectores, cum Petro et dependenter a Petro.

Is qui Petro pastori supremo succedit, i. e. Romanus Pontifex, easdem potestates magisterii, sacerdotii et regiminis in Ecclesia habebit, sicut Petrus, et episcopi qui succedunt apostolis erunt magistri, sacerdotes, rectores uti apostoli, i. e. dependenter a Petro, proprie: a Petri successore.

Eorum ergo potestas muneri est annexa, ex ipsius muneris institutione, proinde erit ordinaria, at non suprema sed subordinata.

Defectus schematis: schema non indicat causas constitutivas per quas episcopi sunt magistri, sacerdotes, rectores. Disserit et quidem scholastice; melius forsan fuisset si doctrinam et principia constitutionalia iuris de episcopatu proponeret solummodo authentice, i. e. auctoritative.

Secundo: magisterium, sacerdotium, et iurisdictionem episcopus accipit ipsa sacra ordinatione; exercitium horum munerum pastoralium ligari potest a pastore supremo.

Nn. 15-16. Plus continet minus. Ea quae habentur in n. 15 sunt hortatoria et proprie nullam in concreto respiciunt potestatem episcoporum. E contra episcopi relationem dicunt et quidem constitutivam, iuridicam ad universam Ecclesiam quatenus ex iis, simul cum Romano Pontifice, constat collegium episcoporum.

Unde primo definiatur quid sit collegium episcoporum et denique definiantur huius collegii potestates quoad universam Ecclesiam, suppresso n. 15. Ad rem, proponuntur quae sequuntur:

16. [*Collegium episcoporum*]. Collegium episcoporum collegio apostolorum in magisterio et regimine pastorali opem primo contulit et, apostolis vita functis, successit. In eodem collegio propterea collegium apostolorum continuo perseverat, item in eo Romanus Pontifex est Pastor Vicarius Christi, su-

premus, uti magister, sacerdos et rector princeps, et ceteri episcopi sunt omnes pari gradu pastores, i. e. magistri, sacerdotes, rectores. Collegium episcoporum, quod Romano Pontifice et episcopis ceteris omnibus constat, unum subiectum magisterii infallibilis, sacerdotii et regiminis in universa Ecclesia creditur. Peculiari sermone declaratur: magisterium universale sive ordinarium, sive extraordinarium, competit Romano Pontifici sive soli sive cum collegio episcoporum, idemque exercebit sive Romanus Pontifex solus sive Romanus Pontifex cum universis episcopis in Concilio Oecumenico, ab eo convocato et probato. Item regimen universae Ecclesiae, quoad potestatem legislativam, exsecutivam, iudiciariam, competit Romano Pontifici soli vel etiam Concilio Oecumenico, constante Romano Pontifice et episcopis universis.

Linn. 32-38. Non videtur congruere historiae Ecclesiae periodi originum ea quae dicuntur de episcopis residentialibus.

Primi praepositi ecclesiarum fuerunt sive stabiliter residentiales sive non. Iacobus sedit permanenter Hierosolymis, uti videtur. Paulus est praepositus suarum ecclesiarum, at nullis limitibus territorialibus, salvis limitibus distinctionis inter ministerium circumcisionis et gentium, eius evangelizatio circumscripta est. Titus, Timotheus nulla peculiari et stabili residentia tenebantur etsi fuissent praepositi ecclesiarum.

Proinde dicendum: ex consuetudine ecclesiae, orta inde a primis temporibus, episcopi facti sunt pastores ecclesiarum particularium; unde singulorum potestas legislativa, executiva et iudicialis facta est territorialis. Aliquando autem extiterunt praepositi non residentiales qui episcopis accensendi erant et fungebantur, iidem, muneribus magistri, sacerdotis, rectoris.

De cetero, episcopi titulares et ipsi praeficiuntur peculiaribus ecclesiis; differunt tamen ab aliis episcopis, residentialibus vocatis, ex eo quod eorum potestates regiminis quoad ecclesias cuius sunt episcopi, ligatur a Romano Pontifice, vi potestatis supremae quae eidem competit.

2) *Novum schema proponitur.*

His animadversionibus praepositis, auderet tamen infrascriptus novum schema proponere, his de causis.

Ut episcopatus, presbyteratus et laicorum doctrina definiatur normaeque de iisdem redigantur, necesse est ut logice procedatur.

Processus autem logicus constabit nonnullis praemissis, quibus positis, tamquam in consectariis ex principiis, constabit de essentia muneris episcoporum, presbyterorum, laicorum.

Praemissae hae erunt:

a) definiatur quinam sit finis operis Christi redemptoris. Societates enim sunt uti fines; finis Ecclesiae uti societatis idem est ac finis operis Christi redemptivi.

b) Statuto fine operis Christi redemptivo definiatur Christum finem sui operis attigisse muneribus functum magistri, sacerdotis, rectoris qua pastorem bonum.

c) Definiatur denique Christum statuisse in futurum Ecclesiam suam

eundem finem consequuturam esse per suos ministros iisdem suis muneribus et potestatibus ministerialiter instructos.

d) Nempe per Petrum Pastorem Vicarium, qui iisdem muneribus Christi fungetur, pastoris nempe, uti magistri, sacerdotis, rectoris.

e) Et per apostolos qui, sub Petro Pastore supremo, et ipsi munera exercebunt magistrorum, sacerdotum, rectorum.

f) Munus Petri in Ecclesia exercebit Romanus Pontifex iisdem potestatibus ac Petrus instructus, magistri nempe, sacerdotis, rectoris.

g) His praemissis positis, plane et logice constabit de munere eorum qui sunt successores apostolorum, nempe episcoporum, deque eorumdem collegio. Tandem de ministris qui episcopis sunt subordinati, i. e. de presbyteris et in fine de laicis.

Quapropter ad singula devenientes, exponuntur haec quae sequuntur.

Novum schema

Universi sui operis finem Christus Dominus sollemniter edixit per verba illa: Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.[1] Per collationem vitae, Christus universi humani generis salutem restauravit hominesque sibi per fidem cohaerentes vivificavit.

Magistri, sacerdotis, rectoris muneribus functus, Christus finem sibi a Patre propositum consequutus est; ut *magister* proprias oves vocat nominatim, et oves vocem eius audiunt, quia sciunt vocem eius; unde per fidem homines credunt et vitam habent, quia haec est voluntas Patris ut omnis qui... credit in Filium, habeat vitam aeternam [2] et omnis qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.[3] Ut *sacerdos* Christus animam suam ponit pro ovibus suis.[4] Id Christus facit omnino sua voluntate; quod denuntiat per verba illa « nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.[5] Quod facit sua voluntate egit ex mandato a Patre suo accepto.[6] Propterea eum Pater diligit.[7] Ut *rector,* vel ut *rex,* proprias oves regit; educit enim eas, ante eas vadit et oves illum sequuntur;[8] ita ut si quis per Christum introierit salvabitur; et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.[9] Christus magister, sacerdos, rector est *pastor bonus* qui animam suam dat pro ovibus suis.[10]

Ut *pastor bonus* Christus est auctor unius *gregis* constituendi. Etenim alias oves habet, quae non sunt ex suo ovili et illas oportet eum adducere, ita ut vocem eius audiant et fiat unum ovile et unus pastor.[11]

---

[1] *Io.* 10, 10.
[2] Cf. 10 6, 40.
[3] 1 *Io.* 5, 1.
[4] *Io.* 10, 15.
[5] *Io.* 10, 18.
[6] *Io.* 10, 18.
[7] *Io.* 10, 17.
[8] *Io.* 10, 3-4.
[9] *Io.* 10, 9.
[10] *Io.* 10, 11.
[11] *Io.* 10, 16.

Grex Christi est Ecclesia, quam Christus dilexit et pro qua seipsum tradidit, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae.[12]

Ad Patrem rediturus, Christus *oves suas* pascendas in terris *Petro,* tradidit;[13] Christus proinde, cum proxime esset ad dexteram Dei sedens, Petrum *pastorem vicarium* gregis sui constituit.

Circa quem gregem Petrus, qua *pastor,* officia exercet per munera Christi muneribus consimilia. Uti Christus, Petrus *pastor,* erit gregis *magister, sacerdos, rector.*

Ut *magister*: in fide et ipse oves vocat nominatim, et oves vocem eius audiunt; quo munere fideles per magisterium suum in Christo genuit.

Ut *sacerdos*: per baptisma vitam fidelibus confert, quam per confirmationem in Spiritu Sancto corroborat, per Eucharistiam alit, per remissionem peccatorum restaurat, et per manus impositionem sacerdotium in Ecclesia perpetuat.

Ut *rector*: Petrus Pastor, uti Christus oves educit, ante vadit et oves illum sequuntur, per eum ingredientur, egredientur et pascua invenient, ita ut salventur.[14] Uti *rector* quidquid Petrus ligaverit in terris erit ligatum et in caelis, quidquid solverit in terris erit solutum in caelis, ita ut per potestatem ligandi et solvendi, per potestatem legiferam, exsecutivam et iudicialem instructus sit gradu regiminis supereminenti et supremo, quando ille a Christo institutus est fundamentum Ecclesiae et claviger regni caelorum.

Apostolis, Christus postquam munus simile Petri muneri contulit ligandi et solvendi in Ecclesia, ita eos *rectores* constituens cum Petro,[15] cui munus exclusivum fundamenti et clavigeri, i. e. *capitis* antea iam contulerat.[16] *Eos sacerdotes* constituit cum Petro, munus eisdem committens coenam paschalem et eucharisticum sacrificium celebrandi et peccata remittendi,[17] et universas gentes baptizandi eosdem *magistros* fecit, munus eisdem committens ut evangelium nuntiarent omni creaturae, docentes eas servare omnia quaecumque iisdem mandaverat.

Ecclesiam Christus constituit ut *gregem* cuius ipse est *pastor,* uti sacerdos, magister, rector, cuique *vicarium pastorem* instituit Petrum ut hic pasceret universas oves et universos agnos, uti Magister, Sacerdos, Rector. *Apostoli a Supremo Pastore vicario* pascentur simul cum membris universi gregis cuius sunt membra cuiusque eodem tempore sunt *magistri sub magistro Petro,* qui bis fidem modo singulari Christo professus est, quique conversos et *Apostolos* fratres in fide confirmatum erat, sunt *sacerdotes* aequo iure ac Petrus, et sunt *rectores* sub Petro, qui est claviger Regni caelorum et super quem, uti super Ecclesiae fundamentum, innituntur.

Romanus Pontifex in Sede romana Petri successor Primatum habet ut Petrus. Quod testatur sacrosancta traditio ecclesiastica, cuius testimonia expli-

---

[12] *Eph.* 5, 25.
[13] *Io.* 20, 15-17.
[14] Cf. *Io.* 10, 3-4; 10, 9.
[15] *Mt.* 18, 18.
[16] *Mt.* 16, 13-18.
[17] *Io.* 20, 13.

cita habentur in actis certis positis a quibusdam Romanis episcopis necnon in quibusdam eorum vel aliorum ecclesiasticorum scriptorum declarationibus. Uti Petrus, Romanus Pontifex *pastor* est universi gregis, circa quem ipse muneribus fungitur *magistri, sacerdotis, rectoris.* Uti Petrus fuit magister, sacerdos, rector tum collegii apostolorum, tum aliorum christifidelium, *Romanus Pontifex* est *magister, sacerdos, rector* illius collegii quod apostolico collegio successit, i. e. collegii episcoporum, et ceterorum universorum christifidelium. Unde Romanus Pontifex *Magister Princeps* erit in fide profitenda et tuenda; quapropter et ipse fratribus episcopis praeibit in fidei professione eosque confirmabit, uti Petrus praeivit apostolis fidem in Christo profitens et illos in fide confirmans.

Episcopi, primo apostolorum cooperatores, dein successores, peculiaribus Ecclesiis praeficiuntur, quas pascunt, uti apostoli, *magistri, sacerdotes, rectores* universarum ovium gregis, in Christo, sub et cum Petro. Illos oves audient, ut magistros, illos oves sequentur ut rectores qui potestatem habent ligandi et solvendi ac pro ovibus illi sacerdotes erunt vitam ovibus conferentes per baptisma, firmantes per confirmationem, alentes per Eucharistiam, restaurantes per remissionem peccatorum, et ministros vitae producentes in Ecclesia per manuum impositionem.

Collegium episcoporum, collegio apostolorum in magisterio et regimine pastorali opem primo contulit, et, apostolis vita functis, successit. In collegio episcoporum proinde collegium apostolorum continuo perseverat. Quod collegium Romano Pontifice et episcopis universis constat. In eo Romanus Pontifex est pastor supremus, Christi vicarius, magister, sacerdos et rector princeps; ceteri episcopi collegii sunt membra, sub Romano Pontifice, omnes pari gradu pastores, uti magistri, sacerdotes, rectores.

Collegium episcoporum, Romano Pontifice et ceteris episcopis omnibus constans, unum est subiectum magisterii infallibilis, sacerdotii et regiminis.

Magisterium universale sive ordinarium sive extraordinarium competit Romano Pontifici, sive soli, sive in collegio episcoporum idemque exercebit sive Romanus Pontifex solus, sive Romanus Pontifex cum episcopis ceteris universis in *Conciliis Oecumenicis* ab eo convocatis et probatis, vel saltem probatis.

Item regimen Ecclesiae universae, quoad potestatem legislativam, exsecutivam, iudiciariam competit Romano Pontifici soli vel etiam Concilio Oecumenico, constante Romano Pontifice et episcopis universis.

Presbyteri. Scripturae Sacrae Novi Testamenti, i. e. Actus Apostolorum nos docent Paulum et Barnabam, qui potestatem apostolicam in ecclesiis a se conditis habebant, constituisse in illis ecclesiis, per singulas civitates presbyteros, et in Ecclesia hierosolymitana simul cum Iacobo exstitisse presbyteros, i. e. ministros subordinatos qui ministrum principem in regimine ecclesiae opem conferebant. Munera presbyterorum, quatenus sunt ministri episcopo subordinati, illustrantur a scriptoribus ecclesiasticis primaevis, praesertim ab Ignatio martyre, qui illos vocat senatum episcopi quibusque potestas datur

baptizandi, agapen celebrandi, manus in poenitentiam imponendi de licentia episcopi vel non sine episcopi auctoritate quibus praesertim munus fideles in fide instituendi commissum est. Unde et ipsi, subordinate tamen quoad episcopos sunt *magistri* et *sacerdotes*.

Laici. Universi christifideles, tum praepositi sint, tum subditi, constituunt populum (λαος) novum, gentem sanctam, regale sacerdotium, quia universa Ecclesiae membra sancta facta sunt in baptismo per regenerationem et filiationem divinam et Spiritus Sancti inhabitationem consecutas. Unde christiani omnes, sive praepositi sive simplices fideles, sunt laici, eo sensu quod pertineant ad λαος (populum) novum. Et omnes Christi fideles sunt regale sacerdotium, sive ministri sacri sive non ministri, quia universa membra populi sancti ordinantur ad cultum Deo et Christo exhibendum et proinde omnes exercent sacerdotium regale. Duplici modo exercetur sacerdotium: active et passive; active exercent ministri sacri eucharistiam conficientes et peccata remittentes, passive ceteri cultui, a ministris sacris celebrato, participantes; denique omnes seipsos offerentes Deo uti hostiam immaculatam.

Ministri non sacri, qui laici hodie vocantur, inde a primis Ecclesiae annis simul cum ministris sacris Evangelium nuntiarunt, nonnullaeque ecclesiae vel ab iisdem solis primo, vel ab iisdem simul cum sacris ministris, conditae sunt.

Quod fecerunt frequenter per saecula alii laici in Ecclesia.

68

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagrabiensis

Laude certo digna sunt haec duo prima capita eo, quod conceptus Ecclesiae praesentatur ita, ut appareant profundiores dimensiones eius supernaturales, et non manemus in descriptione — ut ita dicam — phaenomenali, modo apologetico. Quae procul dubio influxum salutarem habebunt in vitam *ecclesialem* fidelium alacrius excitandam, simul ac novos impulsos praedicationi et theologicae reflexioni procurabunt.

Placet praesertim in prologo positum esse incisum: « *sed in opere salutifero Christi perpetuando redemptores* » (c. I, 1), quo profitetur *functio et destinatio redemptiva* omnium omnino membrorum Ecclesiae, in intima unione vitali cum Christo et per Christum inter se. Nostro enim humili iudicio, haec fundamentalis destinatio et vitalis functio supernaturalis redemptiva universae multitudinis fidelium in vinculo ecclesiasticae communionis, essentialiter pertinet ad *ipsam naturam* Ecclesiae qua organismi divino-humani et et humano-divini. Ecclesia itaque complete concipi nequit, si iste aspectus non sufficienter respicitur.

Et schema nostrum proprie ex hac parte deficiens apparet. Non obstante ista mentione functionis redemptivae *omnium* in prologo (« omnes... redempti

... redemptores »), in ulteriori expositione functio ista redemptiva restringitur quasi exclusive *ad solam hierarchiam* ita, ut nesciam si alicubi quovis modo insinuetur, quid ad opus redemptionis Christi contribuant singuli fideles et universa Ecclesia qua talis, i. e. universitas personarum humanarum Christo ordinate associata, si praescindatur ab administratione instrumentorum gratiae, quae Christi sunt et effectum producunt ex opere operato vel quasi ex opere operato.

Hoc modo in schemate habemus notionem Ecclesiae veram utique, sed partialem, nimis — ut ita dicam — passivam, aspectu activo non quidem negato, at quasi nullatenus enucleato. Contributum activum ad redemptionem — ut dicunt — subiectivam consideratur unice in repraesentantibus hierarchiae, at modo non satis distincto, cum non discernatur aspectus quatenus et ipsi sunt homines et fideles, ab aspectu quatenus sunt vicarii Christi.

Conceptio haec partialis ex eo provenire videtur, quod schema nimis unilateraliter innititur figurae *corporis,* aliis figuris biblicis aut tempore patristico ex biblicis deductis vix mentionatis, iis videlicet quae huic problematicae lucem necessariam conferre possunt. In mente habemus praesertim figuram *templi* et figuram *sponsae* (cum sibi subsequente figura *matris*).

Schema e. gr. ordinationem Ecclesiae in subditos et praepositos repraesentatam videt in figura corporis (c. I, n. 5: « cum alia (sc. membra) aliis subdantur », pag. 11, lin. 1). Verumtamen haec melius, ne dicam unice pleno sensu, illustrantur figura sponsae, quae in omnibus subiecta debet esse et oboediens suo viro (cf. *Eph.* 5, 22-24, et allusiones in aliis locis Scripturae). Oboedientia enim Ecclesiae (et ecclesiastica) debet ex amore procedere et amore nutriri, est igitur oboedientia sponsae, et non ita perfecte illustratur interdependentia membrorum in corpore, quae potius est necessitas quam oboedientia laeta, et quemdam utilitarismum sapit: debeo cooperare, alioquin omnes perimus.

Etiam omissio sermonis respectivi de Ecclesiae *fine* causa esse videtur, cur aspectus, quem appellavimus *activum,* intimae naturae Ecclesiae non sufficienter enucleatus sit. Sub hoc respectu finis Ecclesiae, non solum figura sponsae, secundum quam Ecclesia qua nova Eva novo Adamo adiutorium simile sibi esse debet in unico opere propter quod factus est homo, scilicet redemptione generis humani, et qua vera mater viventium, in ordine supernaturali, filios Deo incessanter generare, nutrire et fovere habet, sed praecipue figura templi quam maxime illustrativa videtur. Ecclesia est, enim, templum Dei vivum, unice Deo dignum, i. e. locus visibilis in quo Deus in mundo semper praesens manet modo se digno et suae excellentiae respondenti, et in quo Deo — et hic aspectus est omnium aspectuum principalior — summa gloria externa in mundo et a mundo, quem creavit et beneficiis cumulavit, exhibetur et redditur. Cum idea templi necessario includit ipsum Christum in caelo cum Beata Virgine omnibusque sanctis, qui pervasi sunt Dei praesentia et effusi in gloria quam incessanter dant et incessanter abundantius accipiunt et unumquemque — uti dici solet — « ultimum » fidelem baptizatum et com-

munione visibili ecclesiastica (templum debet esse visibilis locus!) cum Christo coniunctum, cuius corpus est templum Dei vivi (2 *Cor.* 6, 16; 1 *Cor.* 3, 16, 17) et lapis vivus in structura templi, manifestum fit omnibus momentum huius figurae ad valorem redemptivum totius Ecclesiae et uniuscuiusque eius membri capiendum. Si addimus, summum actum gloriae Dei externae in hoc ordine salutis esse sacrificium eucharisticum, quod unice in hoc vivo et visibili Dei templo, i. e. in visibili Ecclesiae communione, offerri liceat, et in quo Ecclesia maxime fit Corpus Christi, nemo est qui non videat essentialem valorem istius figurae, ut determinaretur theologice verus finis Ecclesiae.

Figura Corporis imprimis vitalem coniunctionem omnium cum Christo Capite praedicat, est igitur potius characteris passivi seu melius receptivi, at etiam haec figura non videtur vacua aspectus activi, qui de cetero non raro praetergreditur. Si enim singula membra ut totidem organa concipio, quae mandata et fines a Capite praefinitos exsequuntur, certe functionem eorum activam et ad fines communes contributivam non obliviscar. Membra a membris proprie distinguuntur per functiones ad quas exsequendas nata sunt, et non ita per influxum vitalem quem a Capite recipiunt. Non possunt sane functionem propriam exercere si a corpore praecisa sunt et influxum illum vitalem non recipiunt, at specificatio membrorum fit praecipue ex functionibus, non ex maiore aut minore influxu. At finis primarius Ecclesiae qua talis, qui est gloria Dei externa modo sociali exhibenda, in vinculo pacis, i. e. communione caritatis et veritatis, et hac via salus animarum et ratio existentiae huius mundi incessanter procuranda, non videtur necessaria claritate deduci posse ex sola figura corporis.

Si in hac luce partes Ecclesiae peregrinantis qua talis, et partes singulorum Ecclesiae visibilis membrorum praecisius determinentur, hoc non parum proficeret ad melius intelligendum problema agitatum de *membris* Ecclesiae, de salute illius qui *bona fide* non pertinet ad membra Ecclesiae visibilis nisi voto, de statu *peccatoris* in Ecclesia et de relatione inter peccata singulorum fidelium et Ecclesiam qua talem (quaestio de macula et ruga).

Sed cum tempus meum iam evanuerit, ne molestus fiam huic Sanctae Synodo, reliquas expositiones et animadversiones, scripto tradam, unum tantum rogans: ut haec duo capita hic illic apte emendentur aut alia ratione stylizentur ita, ut locus apertus ideis expositis, in ulteriore theologica reflexione inserendis, maneat, aut etiam ut insinuentur, si S. Synodo non placet ut schema nostrum his ideis amplificetur.

Mentem igitur meam breviter exponam.

Homo est natura sua ens sociale, igitur qua ens sociale homo a Deo creatus est. Exinde concluditur τὸ esse sociale (socialitas inquantum est quaedam realitas) esse a Deo. Unde manifesto sequitur etiam sociali, non tantum individuali modo gloriam Deo ab homine exhibendam esse. Immo summe conveniebat, ut Verbum Dei sanctificans incarnatione naturam humanam individualem etiam tò esse sociale sanctificaret, modo maxime possibili cum Deo associaret. Alioquin, de cetero, gloria Deo in mundo exhiberi non posset

modo humano summo possibili, nec mundus ope summae manifestationis vitae suae firmiter et indefectibiliter cum Deo coniunctus esset Deoque debitum obsequium exhiberet. Ut his exigentiis, ex ipsa natura huius mundi qua totalitatis profluentibus, satisfaceret et ita humanitati qua totalitati salutem et redemptionem procuraret, univit Christus sibi specialem societatem humanam visibilem, veram ergo et perfectam societatem humanam, quam tamen invisibiliter sustinet ipse et vivificat ita ut nequeat interne dissolvi sicut ceterae societates humanae, et sic usque ad finem mundi continuare possit missionem illam, quam ipse Christus in terra exercebat, videlicet: glorificare Patrem (*Io.* 14, 12-13; 1 *Cor.* 6, 20; 2 *Cor.* 9, 13; 1 *Petr.* 4, 16), testimonium perhibere veritati (*Io.* 18, 37; 3 *Io.* 3); exercere caritatem inter se (*Io.* 13, 34), et portare salutem usque ad extremum terrae (*Act.* 13, 47). Et sic clare patet quis est finis Ecclesiae in terra peregrinantis qua talis: gloriam Deo coram universo mundo, modo humano summo, incessanter exhibere, ita rationem existentiae huius mundi implere et salutem universo generi humano mediare. Visibilis igitur incorporatio in Ecclesiam qua societatem visibilem pertinet ergo ad ipsam essentiam Ecclesiae, inquantum est prolongatio vitae et missionis Christi in hoc mundo. Unde Ecclesia qua Christus in terra prolongatus in munere suo redemptionis perpetuando manifeste componitur ex solis iis qui visibiliter ad Ecclesiam pertinent.

Gloria et testimonium Deo ab hominibus, minimo saltem modo, exhibetur iam eo quod ad visibilem Dei societatem pertinent.

Sed Ecclesia est Dei vivi *templum,* ideoque populus sacerdotalis, qui — ad cultum Dei deputatus speciali modo — hostias spirituales Deo offert. Hostiae singulorum utique Deo placere non possent nisi unitae essent cum unica Hostia, cum unico Sacrificio ipsius Filii sui, quod in medio huius Templi continuo per manus ministrorum Christi offertur, undeque provenit omnis virtus gratiae, sine qua nihil supernaturaliter boni a singulis membris Ecclesiae effici posset. Per hoc sacrificium, ab Ecclesia cum Christo unita Deo Patri offerendum, sub omni respectu summa Deo gloria in mundo exhibetur.

Nota est inter catholicos doctrina secundum quam nihil boni, nihil recti a quocumque Ecclesiae membro perfici potest quod non omnibus prodesset. Ita Ecclesia — uti pulchre quidam ex antiquis Patribus dixerat — unum salvat per plures, scilicet unumquemque hominem singularem per Ecclesiae universitatem cum Christo unitam. Haec est illa mediatio Ecclesiae, qua ipsa saluti omnium cooperatur, ut nulla gratia in redemptione subiectiva detur nisi propter Ecclesiam et ita nemo salvetur nisi per Ecclesiam. Ecclesia nimirum iam minimali modulo suae vitae et existentiae gloriam quam mundus Deo debet permanenti modo Deo offert, et ita custodit mundum ab interitu Deumque movet ad gratiam hominibus largiendam. Tali modo unusquisque qui in Ecclesiae visibilis membra numeratur, eo ipso quod in communione ecclesiastica vivit, per Ecclesiam cum Christo Capite unitam contributum quoddam vel minimum ad salutem omnium affert. Patet certe, maius contributum meriti ad salutem omnium provenire ab eo qui maiore sanctitate eminet, Ec-

clesiamque efficaciorem mediatricem esse quo magis in eius gremio vita sanctitatis supernaturalis fulgeat. Sic apparet qua ratione in membris Ecclesiae visibilis verificatur illa nota specifica sacerdotii ut sit mediator inter Deum et homines.

Manifestum est hanc mediationem Ecclesiae universalis et singulorum membrorum in communione ecclesiastica unitorum esse in linea meriti *de congruo* (uti dicunt in schola), et non de condigno. Solus Dominus, unicus Mediator, potuit aliis procurare salutem per meritum de *condigno.* Ecclesia nequit quidquam promereri nisi inquantum est cum Christo intime unita, et hoc solum de congruo. Attamen ita, uti ex dictis patet, ut hoc meritum Ecclesiae de congruo necessarium esse videatur ad gratias hominibus ex thesauro Christi applicandas.

Inquantum in hac et omnibus aliis actionibus redemptivis Ecclesia in omnibus et singulis membris vario modo Christo cooperatur, adiutorium praestat, in subiectione et oboedientia plena amore, Ecclesia intelligitur praecipue et cognoscitur in figura *sponsae.*

Quatenus longe intimius et spiritualius coniuncta est cum Christo, immo ad ipsius imaginem formata, quam quaecumque alia sponsa, ita ut existat quaedam quasi identificatio mystica, Ecclesia intelligitur sub figura *corporis.*

Quatenus tali ratione Ecclesia cooperatur et aliquid contribuit, ut novi filii et filiae Dei nascantur, Ecclesia intelligitur sub figura *matris.* Scribit S. Augustinus: Mater quomodo, nisi quia ipse Christus est in christianis, quos christianos per baptismum quotidie parit Ecclesia? Ergo in quibus intelligis coniugem, in illis matrem, in illis filios (*Enarr. in Ps.* CXXVII, 12). Agitur de variis respectibus eiusdem realitatis supernaturalis et ineffabilis, qui tamen varias consequentias morales insinuant.

In schemate nostro passim de Matre loquitur tali modo ac si sub hac figura intelligeretur sola hierarchia. Quae minus recta esse videntur. Nam Mater immediate sequitur Sponsam: quae Sponsa, illa Mater. Et Sponsa adaequate a Christo distinguitur (inde proprie haec figura admodum apta est ut e doctrina de Mystico Corpore quicumque pantheismus arceatur). Hierarchia vero, inquantum sacramenta administrat aut sacrificium conficit aliosque actus in hac linea agit, *Christi vices agit* et non Ecclesiae in quantum a Christo distinguitur. Unde non recte Mater appellatur si intelligitur praecise sub aspectu quatenus a fidelibus distinguatur. Mater sunt omnes fideles inquantum sua cooperatione (actione aut passione) aliquid contribuunt ad vitam supernaturalem aliorum. Manifestum est utique etiam Papam, episcopos, sacerdotes esse Matrem, at non quatenus sacramenta conferunt ex opere operato, sed secundum id quod vocamus opus operantis. Cum hierarchia relative plus occupatur salute aliorum quam alii fideles, facile intelligitur cur partes Matris in ea melius manifestantur, cum ordinarie supponatur etiam maius opus operantis.

Ii qui non in visibilia Ecclesiae membra numerantur (schismatici, haeretici, non christiani), si bona fide sunt et voto baptismi saltem implicito seu

inconscio ad Ecclesiam quodammodo tendunt, accedente caritate et contritione perfecta, iustificati quidem sunt per et propter Ecclesiam ac pro seipsis mereri possunt. Sed nihil contribuere possunt pro salute aliorum, cum non sint in visibilitate Ecclesiae et sic non implent finem primarium Ecclesiae. Quo maior est sanctitas in visibili et vera et unica Ecclesia, eo maior est gratia quam etiam talibus Ecclesiae filiis a Deo propter Ecclesiam datur, quos Ecclesia nunc non cognoscit nec cognoscere potest, quos vero in fine mundi cum ineffabili gaudio et admiratione cognoscet, sibi ipsi loquens: Unde hi venerunt? Quando hos generavi?

S. Augustinus proposuit sibi quaestionem: « Utrum catholicum pessimis moribus alicui haeretico, in cuius vita praeter id quod haereticus est non inveniunt homines quod reprehendant, praeponere debeamus, non audeo praecipitare sententiam » (*De baptismo c. don.,* IV, 20, 27). Respondendum videtur cum distinctione: In sensu ecclesiali, i. e. mediativo, plus valet catholicus. Etiamsi in gravi peccato versatur, tamen vinculum Ecclesiae non disrupit. Inquantum est pars Ecclesiae visibilis, aliis prodest, sibi non prodest. Caritatem non habet, ergo est — iuxta apostolum — sicut aes sonans et cymbalum tinniens (1 *Cor.* 13, 1). Est sicut campana in turri ecclesiae: sonat et alios ad divinam liturgiam vocat, sed sibi nihil prodest. Alii salvabuntur excitati sono campanae, campana autem remanebit campana, mortua et sine spe. Similiter et peccator in Ecclesia. Ipsa sua praesentia in Ecclesiae unitate minimali saltem ratione adiuvat testimonium Ecclesiae, confert ad finem Ecclesiae qua talem et in aliis personis adimplendum. Ipse vero, si in peccatis remanserit, sensim sine sensu in dies magis discedit ex Ecclesia et in momento mortis separabitur definitive. Ille vero extra visibilem Ecclesiam, voto suo inconscie et influente gratia in dies magis appropinquatur Ecclesiae, ut in momento mortis uniatur et intret in Ecclesiam definitive; non quidem hanc peregrinantem, at in illam ad quam etiam haec peregrinans Ecclesia terrena tendere et festinare non cessat.

In hac Ecclesia, quae Christo unita est et mediante Christo unit omnia membra sua inter se in ineffabili communione, cuius haec externa et visibilis sub uno et cum uno Pontifice communio et conditio et signum et fructus est, existunt quidem, uti vidimus, etiam peccatores, sed peccata eorum Ecclesiam qua talem non maculant. Est enim Ecclesia communio in bonis, non in malis. Perpulchre enim scribit S. Augustinus: ... « nec quisquam *sine consensione sui cordis* ex ore vulneratur alieno » (*Contra epist. Parmeniani,* lib. II, 12, 26). Bona opera in Ecclesia a quocumque membro patrata omnibus prosunt qui in communione sunt, etiam iuxta imperscrutabiles divinae Providentiae vias multis qui in communione ecclesiastica visibili non sunt si voto saltem inconscio in hanc communionem et consensionem voluntatum in Christo tendunt. Consensio necessaria voluntatis tam ad sua bona communicanda cum aliis quam ad aliena recipienda in Christo includitur iam in voluntate qua unumquodque membrum in unione Ecclesiae visibili manere vult et omnia implere quae ad hanc unionem retinendam necessaria sunt. Qui Christo per

Ecclesiam unitur, quomodo posset non velle essentialem legem unionis cum Christo redemptivae sequi: ut omnibus suis bonis operibus inserviat operi Redemptionis? Sed quoad peccata non existit in Ecclesia talis consensio voluntatum. Exinde peccata singulorum membrorum nullo modo aliis imputantur nisi accedit propria consensio in illa peccata. Ita universitas Ecclesiae qua talis non maculatur peccatis singulorum, utique in ordine supernaturali. In ordine vero naturali patet peccata unius catholici aliis obesse posse in sensu scandali... Et potest dici peccata singulorum nocere Ecclesiae sensu negativo, videlicet quod non accipiat a Domino illas gratias, quas reciperet si hi, nunc peccatores, sancti fuissent.

Qua de causa illud quod *cap. 1, n. 5* dicitur: « Horum tamen peccata Ecclesiam quidem offendunt » *non placet,* quoniam ambiguum videtur. Potius scribendum esse velim: « Horum tamen peccata Ecclesiam *dolore afficiunt* (aut: contristant) ». Ecclesia quidem *peregrinans* sive *terrena,* quatenus adhuc peregrinatur, non est sane sine macula et ruga, quia nemo sine peccato in hoc mundo, et ideo Ecclesia quatenus *peregrinans* semper sincere orat et orare debet: « dimitte nobis debita nostra » (cf. S. Augustinus, *Contra epist. Parmeniani,* lib. II, 10, 20). Verumtamen haec non sunt intelligenda proinde ac si existeret quaedam *communio in peccatis* et peccata unius imputarentur alteri aut universitati omnium fidelium in terra peregrinantium et consequenter eos offenderent aut macula afficerent in oculis Domini sine eorum consensione. *Peccatorum communio* non existit, peccatores omnes sunt singulares, ontologice inter se separati et disiuncti (diaballo), sed cum omnes simus peccatores et misericordia Dei egeamus, recte Ecclesia peregrinans, qua multitudo peccatorum qui ex mundo peccatis obnoxio exire cupiunt, et qua mediatrix, personam omnium peccatorum assumens pro omnibus misericordiam implorat, pro omnibus, et ut ductrix omnium, actum contritionis pro peccatis commissis et bonis operibus omissis alta voce clamat: Parce Domine, parce populo tuo! Verumtamen, cum Ecclesia non sit tantum multitudo peccatorum qui in novum mundum divinum, ubi perfecta caritas et communio in Christo viget, penetrare cupiunt, sed iam revera in hanc realitatem caelestem communitariam ontologice per sacramenta inserta sit, iam in ea et ex ea vivat, iam hanc realitatem perfectae unionis in Christo praegustare incipiat, etsi natura humana adhuc reluctante, non videtur licitum esse, ut simpliciter dicatur Ecclesiam maculatam esse. Ecclesia quatenus communio in Christo, quae etiam in terra vere existit et ex qua Ecclesia vere vivit, nequit peccatis singulorum offendi aut deminui, et haec est Ecclesia, quam praedicamus, ad quam tendimus, quam vivere desiderio desideramus.

Animadversiones quaedam.

1. Titulus cap. I melius sonaret: De Ecclesiae *peregrinantis* natura (est verbum a Summo Pontifice Ioanne XXIII libenter usitatum), aut terrenae, aut in via... Vox « militantis » est quidem traditione longa consecrata, at forsan hodie nimis polemice sonat et persaepe sinistre interpretatur tamquam Ecclesia debellare vellet omnes qui nondum in Ecclesia sunt. Agitur sane de calum-

niis hominum malae voluntatis, et etiam scandalum pharisaicum evitandum est si evitari potest.

Si tamen verbum « militantis » conservare placet S. Synodo, tunc omnino in aliquo opportuno loco in constitutione explicanda est eo sensu, quod Ecclesia primarie militat non contra homines, sed *contra diabolum et peccatum,* et quod haec lucta agitur etiam in corde uniuscuiusque filii Ecclesiae, et quod Ecclesia non intendit luctam gerere contra quoscumque homines qua tales, sed solummodo et exclusive contra mendacium et peccatum, ubicumque inveniatur, in suis membris an in aliis humanae familiae sodalibus. Bonum esset etiam notare luctam hanc esse prorsus spiritualem, non in curribus et equis sed in nomine Domini, et in ea gerenda Ecclesia non spiritu et desiderio dominationis ducitur, sed unice et exclusive gloriam Dei et salutem animarum quaerit et suspirat. Sunt quidem res omnibus notae, sed numquam fastidium gignit repetitio verborum in quibus bonus odor Spiritus Christi sentitur et gustatur et quibus parvulis huius mundi lac porrigitur loco cibi fortis quem capere non possunt.

2. Cap. I, n. 2 « ... praepositos... », velim potius ut scribatur « ministros » aut « suos vicarios » (utique contextus bene ordinetur oportet). Verbum *praeponere* non debet omnino eliminari, melius tamen videtur ut non fiat in forma substantivi. Igitur e. gr. « praeposuit ministros ». Vox « minister » custodit enim semper praesentem habitudinem ad Christum, Deum, Evangelium, cuius omnes nos ministri facti sumus (*Eph.* 3, 7; *Rom.* 15, 16), proinde servanda semper videtur in documentis maioris momenti, dicente apostolo: « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi » (1 *Cor.* 4, 1). Vox « praepositus » nullam relationem in seipsa qua tali includit ad Christum, sed tantum ad subiectos quibus aliquis est praepositus. Nonnulli ecclesiastici viri hodie potius devitant verbum « minister », utpote spiritum moderni democratismi redolentem et methodis demagogicis hodiernis convenientem: sacerdotes sunt *ministri populi* (preti popolari, narodni svećenici). Sed hae sunt deviationes a vero sensu traditionali in Ecclesia: Sacerdos re vera non est concipiendus ut minister populi, sed ut *minister Christi.* Debet utique etiam populo servire, sed non qua populo i. e. multitudini, sed Christo ipso in unaquaque persona humana. Differentia est essentialis: minister populi debet sequi voluntatem populi, minister vero Christi semper sequitur voluntatem Christi, et serviens Christo in populo semper facit voluntatem Christi, sanctitatem et gratiam Christi omni homini dispensare et imprimere volens, numquam quae suae sunt voluntatis aut voluntatis hominum huius mundi, quatenus contraria est Christo, adimplens.

3. Cap. 1, n. 2: « ... regis... » scribatur potius « pastoris », uti iam usitatum est. Vox « regis » nimis sic dictum *clericalismum,* hodie tam odiosum, redolet, etiamsi vero sensu interpretari potest. Non debemus in constitutione — sine vera necessitate — proferre verba, quae semper postea et permanenter lavare debebimus. Praeterea, verbum « reges » SS. Patres semper applicabant omnibus christianis, i. e. omnibus filiis Ecclesiae, non soli hierarchiae,

in sensu illius: « regale sacerdotium... ». Si hoc verbo « reges » inculcare velit pastores in Ecclesia veram *potestatem* habere, haec inculcatio indirecta non videtur necessaria, cum aliis verbis satis clare exprimatur. Nescio, sane, si opportunum erit, si aliquis episcopus post hoc Concilium seipsum vocare permittat: Rex ecclesiae talis et talis! Maneamus igitur contenti verbo « pastoris », quae certe neminem offendit, sensum pulcherrimum habet qui ad cor usque penetrat! Praeterea Supremo nostro Pastori hodierno merito haec vox « pastoris » admodum cara est!

4. Cap. 1, n. 4: « Principem locum figura corporis tenet », melius dicatur: « Praecipuum locum figura corporis tenet ». Assertio uti in schemate profertur est quidem vera pro hodierna theologia, nescio vero utrum vera sit etiam pro theologia Patrum, de quo quidem dubitare licet! Eapropter assertio mitior fiat!

5. Cap. 1, n. 4: « In Ecclesiam baptismate ingressi (*Io.* 3, 5) et in Sanctorum Communione Christum induti sunt (*Gal.* 3, 27) ». Haec sententia reformari debet. In citato loco ep. ad Galatas non legitur homines Christum indui in *Sanctorum Communione,* sed: Quicumque enim in Christo *baptizati estis,* Christum *induistis* (*Gal.* 3, 27). In nota 16, pag. 19 redactores schematis dicunt: « Non adhibetur vox Communio Sanctorum, quia in traditione diverse intelligitur ». Unde prorsus inintelligibile apparet, qua ratione igitur haec vox in hunc locum ingressa est, et quidem suffulta provocatione ad locum Scripturae ubi non legitur!

6. Cap. 1, n. 5: « Ecclesia una *persona,* mystica sane, in Christo Iesu esse dicitur ». Meo modesto iudicio saltem, potius expungatur haec vox « persona ». Melius videtur auctoritate synodica non canonizare hunc terminum, qui claritati nihil profert, confusionibus vero ansam dare forsitan potest.

7. Cap. 1, n. 6: « ... falso Ecclesia... dicitur ». Ut veritati et aequitati fiat satis, potius scribatur sic: « ... deficientem notionem de Ecclesia natura possident qui nimis exclusive aspectum eius iuridicum et legale premunt; prorsus vero errant qui Ecclesiam hierarchicam seu iuris ab Ecclesia charismatica vel amoris, quam vocant, re differre dicunt ».

69

Rev.mus P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI

Minister generalis O.F.M.

Schema placet iuxta modum.

A) *Animadversiones indolis generalis.*

1. Placeret si schema luce doctrinae neo-testamentariae *de caritate Dei ac Christi erga homines* recognosceretur. Ita sic dictus « iuridismus », qui ansam reprehensionis praebuit aliquibus Patribus in prima sessione Concilii, quadantenus mitigaretur ac momentum pastorale schematis augeretur.

2. Placeret si capp. III, IV, VII, VIII rite recognita in unum tantum caput funderentur (i. e. De apostolorum successoribus).

B) *Animadversiones indolis particularis.*

Cap. I. De Ecclesiae militantis natura.

Ad pagg. 9-10, n. 2: placeret si ex professo enuclearetur doctrina neotestamentaria de relationibus vigentibus inter Christum et Ecclesiam.

Ad pagg. 10-11, n. 5 ss.: placeret si, praeter figuram corporis, tres aliae figurae biblicae breviter saltem exponerentur: populus Dei, sponsa Christi, templum Spiritus Sancti seu « domus spiritalis ».

Ad pag. 12, linn. 6-7: ubi agitur de Verbo Incarnato, vitetur locutio « natura humana *ut vivum instrumentum divinae eiusdem naturae* », i. e. locutio circa quam inter theologos disputatur. Dicatur simplicius « Etenim sicut in Verbo Incarnato natura humana divinae eiusdem naturae pro nostra et totius mundi salute inserviit » etc.

Ad pag. 12, n. 7: haec paragraphus forsitan omitti potest. Non enim omnibus compertum est Ecclesiam Romanam Corpus Christi Mysticum reapse *exhaurire.*

Cap. II. De membris Ecclesiae militantis eiusdemque necessitate ad salutem.

Ad pagg. 15-16, nn. 8-10: succinctius redigantur.

Cap. IV. De episcopis residentialibus.

Placeret si doctrina ita recognosceretur ut ad episcopos quoque titulares aptari posset.

Cap. V. De statibus evangelicae acquirendae perfectionis.

Durante prima sessione Concilii, in disceptatione schematis *de Ecclesia* quaedam voces auditae sunt, proponentes ut cap. V schematis (« De statibus evangelicae acquirendae perfectionis ») remittatur ad schema de religiosis.

Submisse sed enixe, qua Praeses Unionis Romanae Superiorum Generalium, audeo postulare, ut huiusmodi cap. V retineatur in schemate, quamvis, si ita expedire videatur, abbreviatum vel emendatum.

1. Nonnulli Patres innuerunt constitutionem *de Ecclesia* fusius agere oportere de membris Ecclesiae.

Verum est, ex divina institutione fideles in clericos laicosque dividi (can. 107). Attamen religiosi, clerici et laici, *propriam categoriam* efficiunt, in Iure Canonico contemplatam et potissimum *ex ipsa constitutione Corporis mystici promanantem.*

Etenim ex divina voluntate habentur in Ecclesia, ab ipsa sua origine, praeter fideles solis mandatis obstrictos, alii qui, evangelica consilia profitentes, totam vitam Deo consecrant. Iuveni interroganti quid faciendum sit ad vitam aeternam possidendam, respondit Christus: « Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata » (*Matt.* 19, 17); et, cum ille asseruisset se omnia ista a iuventute sua custodisse, adiunxit veritatis Magister: « Si vis perfectus esse, vade, vende quod habes et da pauperibus..., et veni, sequere me » (*Matt.* 19, 21).

2. Insuper, quia sodales Institutorum perfectionis ad sanctitatem, quae

Ecclesiae est finis et gloria, ab omni terrestri impedimento liberi totis viribus sua professione contendunt, *portionem electam* in Ecclesia constituunt, ut documenta pontificia frequentissime declarant; quare speciali mentione digni recensentur in doctrina de membris Ecclesiae.

3. Ceterum, in commissione centrali praeparatoria, licet doctrina de aliis capitibus huius schematis plus minusve vehementer discussa sit, cap. V nullam oppositionem invenit.

Itaque, ut doctrina de membris Ecclesiae clarius lucidiusque perpendatur, atque ad consolationem tot eorum qui vitam suam Deo consecrarunt vel consecrare intendunt, humiliter sed instanter denuo rogo ut doctrina cap. V schematis in Constitutione de Ecclesia retineatur.

Cap. VII. De Ecclesiae magisterio.

1. Placeret si n. 28 restringeretur. Placeret si in paragrapho recognita respectus ad sequentia capita doctrinae haberetur: depositum fidei *toti* Ecclesiae custodiendum concreditur; *magisterii* autem est depositum authentice explicare ac definire.

2. Placeret si materia in n. 30 tractata alio ordine exponeretur:

1) De Concilio Oecumenico
2) De magisterio ordinario *totius* Ecclesiae
3) De magisterio Romani Pontificis tam *sollemni* quam *ordinario*
4) De magisterio singulorum episcoporum.

3. Placeret si pag. 51, n. 33, linn. 34-35 diceretur « sive clericos sive religiosos sive laicos ». Verbum « etiam » expungatur.

Cap. IX. De relationibus inter Ecclesiam et Statum.

Ad pag. 64, n. 40: e superscriptione huius paragraphi verba « *et subordinatio* finis Civitatis fini Ecclesiae » omitti possunt.

Ad pag. 65, linn. 20-21: loco « *Quanta... ignorare nequeunt* » proponerem « *Quanta bona missionem suam adimplendo Societati civili Ecclesia procuret omnes norunt* ».

Ad pag. 65, n. 42 (dempta superscriptione actuali) ita restringi posset: « *Rectores Societatum civilium enixe hortamur ut Ecclesiae plenam libertatem benigne concedant ac sedulo excludant a legislatione, regimine et actione publica omnia ea, quae fideles impediant quominus finem aeternum assequantur; immo id intendant ut facilior fiat vita, principiis christianis innixa et ad vitam aeternam conducens* ».

Ad pagg. 66-67, nn. 43 ac 44: omitti possunt.

Cap. X. De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum.

Ad pag. 75, linn. 1-16: loco « *Quare... constituunt* » proponerem « *Quare Rectores populorum rogamus ne praedicationi evangelicae opponant desiderium in se iustum ac legitimum ea beneficia tuendi, quae, veluti per sacram hereditatem, peculiares cuiusvis populi notas proprietatesque constituunt* ».

Ad pag. 75, linn. 24-31: omitti possunt.

Lin. 32: loco verbi « *ius* » scribatur « *munus* ».

Lin. 35: loco verbi « *monet* » scribatur « *exhortatur* ».

Placeret si *adhuc magis* premeretur necessitas qua Ecclesia coarctatur ad Evangelium ubique annuntiandum. Igitur pag. 76, linn. 10 et 14 sermo fiat de « munere » potius quam de « iure ».

Cap. XI. De oecumenismo.

Ad pag. 81, lin. 37: proponerem verba « reverenter agnoscit » loco « non denegat ».

Ad pag. 83, n. 54, prouti est, ad particularia nimis descendere videtur. In novo decreto « De Oecumenismo » adhuc elaborando de principiis tantum generalibus sermo fiat.

70

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS

Episcopus Indorensis

In schemate multa inveni quae placent, sed vitium magnum et fundamentale in eo esse videtur quod ab una parte attentio nimis unilateraliter in eos trahitur qui « regunt » Ecclesiam, ab altera parte nec ratio ministerialis hierarchiae sufficienter attendatur, nec relationes inter collegium episcoporum eiusque caput clare probentur.

Ecclesia consistit in populo sancto Dei, ad quem et membra hierarchiae pertinent. De hoc populo Dei imprimis modo profundiore tractandum esset. Quia non est personarum acceptio apud Deum et quia de valore interno hominum iudicare non possumus, ad quantitatem attendere licebit. In hac aula et civitate vaticana fere totum collegium episcoporum congregatum est. Si, quod Deus avertat, bomba atomica super nos deiiceretur, magnum damnum haberi posset ex confusione quae oriri possit ex dubio de modo eligendi novum Summum Pontificem, sed quoad quantitatem morte afflictorum et quoad damnum populo Dei inflictum, damnum esset minoris momenti... Tamen si ad numerum paginarum attendamus et ad momentum quae in hoc schemate hierarchiae et populo Dei vel Ecclesiae tribuuntur, Ecclesia praesertim ex membris hierarchiae consistere videretur.

Vel in ipso cap. I, postquam iam multa dicta sunt de hierarchia, sub n. 5 ita legimus: « In hac corporis compage membrorum praeter connexionem e vinculis socialibus, iuridicis et ministerialibus ortam alia quoque connexio inest... etc. ». Pauca, paucissima dicuntur de hac alia connexione. Tamen pagina sequenti admittitur vincula socialia, iuridica et ministerialia esse aspectum humanum, aliam connexionem esse aspectum divinum in Ecclesia. Quonam modo haec realitas divina, interna, omnino praecipua postponi possit post structuram illam externam, socialem, iuridicam, et indicari ut « alia quoque connexio », omnino latet. Hoc legens in mentem venit homo qui peregrino siti vexato multis verbis narrat de optimis qualitatibus materiae ex qua puteus aliquis confectus est et tunc tandem aliquando dicit in hoc puteo

etiam contineri aquam potabilem. Homines a nobis episcopis iure exspectant nos imprimis et maxima cum emphasi loqui de aqua illa viventi, quae continuo nobis provenit ex latere Christi. Loqui debemus de thesauris istis vitae, veritatis et caritatis quae Christus nobis in Ecclesia et per Ecclesiam distribuit. Si ita loquimur, homines forsitan inflammabuntur tali desiderio ut eos thesauros vel accipere dignentur ex nostris manibus indignis.

Nemo catholicus dubitat de munere a Christo ipsi hierarchiae collato. Nostrum tamen erit etiam ambitum et limites huius potestatis hierarchicae clare statuere et naturam eius sacramentalem, charismaticam, pastoralem, sacerdotalem et ministerialem enuntiare et exponere.

Unicum caput de populo Dei inscribitur « de laicis ». Hoc vocabulum nostris saltem temporibus iam non bene proclamat characterem illum sanctitatis et apostolicitatis quam proclamare debemus (cf. 1 *Petr.* 2, 5-10). Nec in hoc capite clare agitur de actione illa vitali qua Dominus per Spiritum Sanctum populum sibi assumit eumque sanctificat.

Tandem, fideles ita educare debemus ut, accepta gratia per sacerdotes distribuenda et humiliter oboedientes pastoribus a Christo constitutis, nostro auxilio decrescente gradu egeant. Eos ad mentem adultam provocemus et ad eam activitatem quae adultis convenit, in mensuram aetatis plenitudinis Christi. Subsidiaritatis illud praeclarum principium a Summis Pontificibus proclamatum iam et ipsi Ecclesiae applicemus, ita ut nihil per nosmetipsos faciamus quod et per alios fieri potest. Temporibus peractis Ecclesia, nimio timore ducta, fideles in terris catholicis ab omnibus periculis protegere sategit et libertatem nimis coarctavit. Eo evenit ut plures eorum, qui libertatem et progressum desiderabant, inimici Ecclesiae facti sunt et eam destruere conati sunt. Sed tantummodo laicis bene instructis, maturis et liberis Ecclesia florescere potest et contactum cum mundo moderno efficaciter construere potest.

Propter has rationes et alias ab aliis allatas videtur hoc schema funditus esse emendandum.

71

Rev.mus P. D. GABRIEL SORTAIS

Abbas generalis O.C.R.

Mirationem suscitat illa instantia, cum qua pastoralis aspectus tum ipsius Ecclesiae, tum eiusdem praeoccupationum et problematum, semper in primum locum hodie ponitur.

Sic accidit, ut in disceptandis quaestionibus, v. g. de sacerdotio, de missionibus vel de Liturgia, Ecclesia in suo munere Matris exhibeatur: curam habet de suis filiis ut eos instruat, et educet, et quam maxime adiuvet in adimplendis eorum obligationibus; curam habet de eorum pane quotidiano, curam habet de pace inter eos servanda; et id declarat quod nulla eorum difficultatum ipsi sit aliena.

Nunc autem forsitan recte quaeritur: numquid aspectus ille pastoralis reapse in sua vera extensione consideratur? Nonne optandum esset ut Concilium oecumenicum, dum schema *de Ecclesia* Patribus subiicit, aspectum illum adhuc accuratius illustraret, unionem inseparabilem proclamando inter duo munera essentialia Ecclesiae, quae est simul et Sponsa Christi et Mater hominum?

Ecclesia intimo modo unitur Verbo Dei pro salute humani generis Incarnato; et proprie illa unio tanquam fons missionis pastoralis Ecclesiae habenda est; ex hac unione determinantur et natura et modus muneris pastoralis; ex hac unione procedit eius efficacia et specificatur eius finis ultimus.

Etenim, ex unione cum Verbo Dei Ecclesia ius haurit et missionem accipit annuntiandi verbum salutis omnibus hominibus; insuper, ratione huius unionis constituitur essentialiter praeco Domini et instrumentum divinae gratiae. Per illam unionem cum Christo orante, docente, patiente, potestatem accipit tradendi humano generi beneficia orationis et praedicationis et sacrificii Iesu Christi. Denique vi unionis illius, et ad eam perfectius efficiendam, Ecclesia ad id vocatur, ut Patris gloriam procuret, una cum Filio, per salutem hominum.

Si res universae sic considerantur, ut Verbum Incarnatum centrum sit omnium, tunc Ecclesia, Mater hominum, non iam amplius distinguitur ab Ecclesia, Sponsa Christi; simul est et Mater et Sponsa; quinimmo, Sponsa est ut Mater fiat, sed etiam Mater est ut Sponsa melius efficiatur, usque dum admittatur ad nuptias Agni tanquam Sponsa perfecta, cum omnibus filiis ab ipsa in lucem editis.

Ergo nequaquam extraneum est sollicitudini pastorali hierarchiae catholicae, munus illud Ecclesiae, in quantum Sponsae Christi, semper profundius intelligere, et illud in praxim semper efficacius inducere.

Propterea et ipsa Ecclesia instituit et conservat, modo universali, formam vitae religiosae quae est quasi manifestatio necessaria propriae vitae, id est forma illa vitae religiosae quae in claustris tota dedicatur ad Sponsum divinum inquirendum et adorandum et laudandum et contemplandum, in participatione silentiosa orationis et Crucis Domini, per quas praesertim Christus homines salvavit, ut nuper admonuit Summus Pontifex Ioannes XXIII.[1]

Patet etiam quod sub aspectu individuali finis supernaturalis uniuscuiusque animae obtineri non potest, praesertim secundum plenitudinem a Deo intentam, sine unione conscia baptizati cum Christo, Filio Dei, per vitam in qua oratio et abnegatio sui ipsius magnum habeant momentum. Inquisitio mediorum, quibus promoveatur intimitas illa cum Deo, tum apud laicos, tum apud sacerdotes et religiosos, pars etiam constituitur, ut patet, sollicitudinis pastoralis episcoporum.

---

[1] Epistola ad em.mum card. Cento, die 24 augusti 1962, occasione IV centenarii reformationis Carmeli.

Proinde quaeritur: nonne opportunum esset ut Concilium Oecumenicum, dum principia fundamentalia ministerii pastoralis in ordine ad conditiones vitae hodiernae determinaturum est, denuo proclamaret necessitatem et clare indicaret partes illius activitatis contemplativae, illius unionis cum Christo per orationem et exercitium virtutum, quae germen est simul et culmen omnis activitatis apostolicae?

Summatim: optandum videtur ut Concilium homines doceat, vel eis in mentem revocet, quod ministerium pastorale duplicem habeat aspectum: missionarium scilicet et contemplativum, et quod illi duo aspectus nequaquam dissociari possint, quin integritas ipsius ministerii pastoralis violetur, quin verus vultus Ecclesiae vel obnubiletur vel etiam deformetur. Cum Ecclesia proprios filios curat, in hoc etiam faciem Domini sui contemplatur.

« Sponsale » munus illud Ecclesiae, etiam in ministerio pastorali, rite illustrare, nos accommodaret praeterea traditionali modo cogitandi hoc caput fidei christianae, cuius sensum Ecclesiae orientales, sive catholicae, sive orthodoxae, singulariter percipiunt.[2]

---

[2] Cf. perantiquam comparationem Hevae « matris viventium », et Mariae, figurae Ecclesiae et novae Hevae; explicationem exegeticam Cantici Canticorum, secundum quam Ecclesia in persona Sponsae agnoscitur; doctrinam S. Augustini, qui similitudinem statuit inter Ecclesiam, ex latere transfixo Christi in Cruce mortui nascentem, et Hevam ex latere Adami dormientis prodeuntem...

72

Exc.mus P. D. RENATUS LUDOVICUS STOURM

Archiepiscopus Senonensis

Valde optabile et quasi necessarium mihi videtur ut quoddam prooemium huic schemati anteponatur, quod exponat quae revera sit Ecclesia eiusque naturam reconditam explicet, et, hoc schema ad unitatem reducendo, quod reliquum sit illuminet.

In hoc prooemio affirmare decet Ecclesiam opus amoris Dei erga nos esse, et omnia quae in Ecclesia fiant, amore fieri, et Ecclesiam, hac divina caritate sublata, nil valere. Quod est mysterium caritatis Christi.

Facile declarari potest quomodo omnia in Ecclesia amore Dei ad hoc redigantur ut Deo et animabus serviatur, et quomodo id etiam quod videatur ratione et iure confectum, postremo hoc amore perfectum sit.

Item declarari potest quomodo Ecclesia homini veram magnitudinem per illam caritatem conferat.

Oportet, ut ita dicam, in lucem proferre animam Ecclesiae, quae per caritatem, et amorem Dei erga nos, et voluntatem eius salvandi et redimendi homines se manifestat.

Cap. I, « de Ecclesiae militantis natura ». Par. 7, qua Ecclesia Catholica et Romana Corpori Mystico Christi adaequatur, videtur res strictius tractare angustiusque concipi. Opportunius delebitur.

Cap. II, linn. 20-21. In locum verborum: « vere et proprie » haec substituantur: « pleno et perfecto sensu ».

Cap. III, par. 12, « de presbyteris », aptius in sequenti capite locaretur, ex quo id clarius ostenderetur quod collaboratores sint episcopi.

Cap. IV. In titulo delere oportet hoc verbum: « residentialibus », et eo solo: « de episcopis » contentum esse.

Melius videtur ordinem paragraphorum inverti et ita disponi:

1. Par. 16 et 17. Oportet instantius loqui de hac « collegialitate » episcopatus, quae ad omnes episcopos pertinet, etiamsi curam dioecesis non habent, et planius ostendere quid sit « Corpus mysticum ».

2. Par. 13, « de missione episcopi », in qua apertius disserendum est de apostolica, et caritatis et ministerii, missione (potius quam — ut instantius fit — de iure et potestate) episcopi et de statu ministerioque eius in Ecclesia.

3. Par. 14. De relationibus episcopi cum Summo Pontifice.

4. Paragraphus « de presbyteris », ex capite praecedenti sumpta et abundantius explananda, hic locetur.

Capp. V-VII. Magis rationi convenit, eoque optabilius videtur, ordinem horum capitum invertere.

Primum locum teneat cap. VII « de Ecclesiae magisterio », quod recte locatur post cap. IV « de episcopis ». In hoc capite denuo scribendo, cum sit longius nimisque iuridicae speciei, oportet in lucem exponere hoc magisterium ecclesiale ex amore oriri et in amore reponi. De solis potestatibus et iuribus sic disseritur ut ultima ratio harum rerum non reddatur neque origo ex amore Christi erga Ecclesiam suam non asseratur. Decet pressius notare auctoritatem in Ecclesia esse ministerium quoddam, nec quicquam aliud quam Dei amorem ad bonum nostrum se effundentem.

Secundum locum teneat cap. VI, « de laicis ». Cum enim laici Ecclesiae partes sint, recte de eis disserendum est post episcopos et presbyteros. In hoc capite longius instare convenit de origine horum apostolatus, quae in Baptismo et in Confirmatione radices habet, et de hac re disserere in par. 20. Unde ratione deduci poterit quas partes in Ecclesia teneant laici et unde eorum apostolatus maxime fundatur.

Tertium locum habeat cap. V quod ad laicos quoque partim attinet, cum ad totam Ecclesiam, clericos et fideles, tendat.

Cap. VIII. Optabile est ut hoc caput eo iuridico aspectu spolietur. Quam ob causam ostendere oportet, cum auctoritas nihil aliud sit quam amor Dei ad bonum erga nos se effundens, oboedientiam nil aliud esse quam voluntatem se subiiciendi huic auctoritati ad hoc bonum obtinendum.

Cap. X. Bonum videtur in hoc capite loqui de missione Ecclesiae non tan-

tum nec exclusive ad evangelizandum, sed etiam ad caritatem et iustitiam in civitate propagandas.

Schema de Beata Maria Virgine .

Valde optandum videtur hoc schema neque absolute in se, neque seorsum exponi, sed ut caput speciale praecedenti schemati *de Ecclesia* inseri.

Virgo Maria enim magis magisque in dies ut perfecta figura Ecclesiae producitur. Decet ostendere qui sit in Ecclesia status eius et in lucem proferre quo ministerio ipsa ut Mater Dei et Sponsa Christi fungatur. Quae cum sit prima Ecclesiae filia, eo ipso nobis et exemplum et praesidium constituitur.

73

EXC.MUS P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ

Episcopus Auriensis

Brevitati consulentes, praetermittimus multa iam ab aliis agitata, vel quae secretariatui tradam, ut unice de sic dicto « iuridismo » in praesenti schemate *de Ecclesia* agamus.

Liceat cum omni sinceritate et claritate loqui, salva comprehensione et benevolentia erga aliter opinantes.

Absque dubio Ecclesia non est tantum concipienda ad modum societatum civilium, quae essentialiter elementis socialibus et vinculis iuridicis absolvuntur. Sed intelligenda est praecipue ut Corpus Christi Mysticum, Spiritu Sancto animatum et gratiis internis vivificatum. Praeterea ipsius lex suprema caritas esse debet, sive erga Deum sive erga proximum propter Deum.

Meritum singulare huius schematis in eo esse videtur, quod elementum internum maximi habetur.

At iam quaeritur, vitio vertendum est quod nostris etiam temporibus elementum iuridicum moderate sed clare recordetur?

In mente omnium, ut puto, reperitur, oboedientiam gravi subiacere crisi, doctrinas pullulare novas, problemata pastoralia indesinenter apparere. His in adiunctis principium auctoritatis, quod in multis obscuratur, in tuto collocandum esse censemus. Nam ideo a Christo est instituta auctoritas in Ecclesia, ne circumferamur omni vento doctrinae, et unitas Ecclesiae firmiter conservetur.

Pastorale non esset doctrinam catholicam de auctoritate et oboedientia in Concilio ignorare. Hoc enim silentio vitium inordinatae independentiae foveretur cum spirituali animarum detrimento.

Neque oecumenicum esset neque aptum ad unitatem cum fratribus separatis solide procurandam principium unitatis oblivisci, et propriam unitatem internam in gravi periculo constituere.

Concedendum est quidem naturae Ecclesiae Christi minime convenire vincula iuridica ita extollere, ut elementum internum obscuretur, vel caritas

fraterna parvipendatur. Ita forte iudicatum est schema. At immerito. Si enim iuridismo foedatur, debent in illo praetermitti omnia quae ad dogmata de auctoritate in Ecclesia, de potestate R. Pontificis vel episcoporum, de hierarchia, dicuntur. Haec autem essentialia sunt in conceptu de Ecclesia. Si illa silentio premuntur in essentialibus deficitur. Nec facile evadit cum maiore suavitate et paternitate ea proponere.

Iudicium hoc nimis severum, ut opinor, originem trahere potest ex quodam vehementi impressionismo, qui confusionem gignit. Nimirum datur tristissimum spectaculum in mundo caritatem exsulare, cum praeceptum caritatis fraternae positum sit a Domino, ut proprium et distinctivum suorum discipulorum. Inde conatus laudabiles fiunt ut haec maxima virtus in suo eminenti situ collocetur intra vitam Ecclesiae.

Sed principium auctoritatis et virtus oboedientiae non opponuntur caritati, immo e contra illam roborant, dummodo recte exerceantur. Aliis verbis, ne confundatur institutum auctoritatis, quod a Deo est, cum abusu qui ab hominibus procedit. Omnia quae contra iuridismum vel auctoritarismum schematis dici possent, tantum vitiosum usum respiciunt, non ipsam facultatem.

Iam vero de recto usu auctoritatis hierarchicae in aliis schematibus disciplinaribus vel moralibus debet disceptari, hic e contra firmiter stabiliri doctrina, modo pastorali, si placet at minime ambiguo, ne fideles in errorem inducantur, vel separati de catholica Ecclesia falsum conceptum efforment. Peccata patrata in exercitio auctoritatis non debent nos manuducere ad illam parvipendendam, cum a Deo sit, sicuti in S. Sacrificii celebratione, in Sacramentis administrandis vel recipiendis non semper omnia recte procedunt, et nonnulla ex istis a plurimis separatis non agnoscuntur, et nulli in mentem venit, quod ideo de omnibus his silere oporteret.

Superius diximus caritatem non opponi principio auctoritatis, sed eius abusui. Et recte quidem. Nunc addimus caritatem, sine exercitio oboedientiae et humilitatis, prorsus nutare et evanescere. S. Thomas et theologi pulchre disserunt de relationibus inter virtutes morales, ut oboedientia, et theologales; quomodo removeant illae obstacula et positive viam praeparent ut caritas vere regnet et imperet in homine post peccatum ad cupiditatem, egoismum et superbiam nimis pronus. S. Paulus in notissimo loco primae Epistulae ad Cor. 13, praesentat caritatem virtutibus moralibus comitatam, ut vere genuina evadat.

Praeceptum caritatis non est a Christo datum loco oboedientiae vel auctoritatis, sed ut omnes relationes inter aequales vel inter praepositos et subditos vivificet et elevet. Minime ut destruat.

Liceat postremo addere quod schema perficeretur, si quae ad caritatem spectant, non tantum fusiore calamo exponerentur, sed praeterea, occasione data, momentum caritatis in Ecclesia magis extolleretur, quin tamen quidquam detraheretur de illis, quae ad auctoritatem et oboedientiam spectant.

Summatim volumus omnia paucis comprehendere:

Schema *de Ecclesia* sic dicto iuridismo non videtur vitiatum. Doctrina

de elemento interno et de caritate recte proponitur, et eius momentum agnoscitur. Quae ad auctoritatem et oboedientiam spectant concinne declarantur, et cum pertineant ad naturam Ecclesiae, earum omissio vel inadaequata propositio minime probanda. Nam

A) Non esset pastorale silentio premere quae ad auctoritatem vel oboedientiam spectant, cum in nostris temporibus gravis crisis generalis in Ecclesia habeatur cum evidenti periculo salutis animarum.

B) Auctoritas est omnino necessaria ad unitatem in Ecclesia et procurandam et conservandam. Ideo a Christo est constituta, Oecumenicum non esset unitatem cum separatis quaerere, et media extrinseca a Deo data oblivisci, vel propriam unitatem in periculo constituere.

C) Distinguatur abusus potestatis ab eius natura. De hac nunc necessario est agendum. De illo aliunde. Non licet in essentialibus deficere, cum natura explicatur, quovis titulo. Auctoritas vero sicut et oboedientia ad ipsam constitutionem Ecclesiae et eius vitae pertinent.

D) Caritas principem locum occupare debet inter christianas virtutes. At non excludit sed praesupponit exercitium aliarum virtutum, quas sublimare debet.

74

Exc.mus P. D. HENRICUS TENHUMBERG

Episcopus tit. Thuburnicensis, aux. Monasteriensis

Animadversiones ad cap. V schematis *de Ecclesia.*

Iure ac merito Concilium Vaticanum II de statu evangelicorum consiliorum disputat, quae magis magisque de saeculo in saeculum magni momenti fuerunt et imprimis nunc sunt. Ut hisce nostris temporibus Ecclesia suo munere per homines viam perfectionis secundum evangelica consilia appetentes uberius fungi possit, animadversiones quae sequuntur dicere mihi liceat:

1. Assentior sententiae hic iam pronuntiatae em.morum cardd. König, Alfrink, Döpfner una cum ipsis proponens, ut totum caput schematis denuo elaboretur, ita quidem, ut in exordio schematis gravitas charismatum in Ecclesia et pro Ecclesia tractetur. Quae charismata Deus omnipotens et misericors pro sua gratia et benevolentia tum membris sacrae hierarchiae tum laicis largiri potest.

2. Nostris praecipue diebus sic dicto materialismo et fere universali saecularisatione infectis illa charismata ratione paupertatis, castitatis et oboedientiae considerata insignis ponderis sunt. Quod pondus a constitutione Concilii ita premendum esse videtur, ut sacerdotes atque laici talia decreta Concilii etiam sub respectu apostolatus et eschatologiae magni momenti esse optime cognoscant.

3. In schemate sicut propositum est aut tollatur aut funditus reformetur pars secunda in § 19, pag. 33 a lin. 34 usque ad pag. 34, lin. 14.

Rationes hae sunt:

a) Re vera voto ut actui specialis religionis *in se* considerato peculiaris dignitas et gravitas propriae sunt, sicut similiter iuriiurando ut invocationi Nominis divini. Attamen ut actus humanus votum quoque subiectivi momenti est. Et ideo homines sunt, qui se ad vota non vocatos esse sentiunt vel sciunt et tamen solis promissionibus aut simili modo eandem arctam ac perpetuam cum Deo coniunctionem appetunt, salva maiore religiosa dignitate quae voto ex seipso propria est. Effatum fundamentale huius capitis quod sic sonat: « ... suapte natura haec observantia melior est ex voto quam ex promissione assumpta » ambiguitate laborat. Non distinguit nempe illud duplex voti elementum sc. perfectam atque perpetuam coniunctionem cum Deo et obligationem in conscientia. Prior sane est de substantia perfectionis evangelicae adquirendae, posterior vero habet tantum rationem medii specifici quo voluntas humana fragilis, ut sit perpetua, muniatur. Votum et promissio in hoc conveniunt, quod coniunctionem perfectam et indissolubilem cum Deo sectantur, diversis tamen mediis. Votum suapte natura inter alia media implicat obligationem in conscientia, promissio huius loco tamquam media ponit varia adminicula ascetica et formationis paedagogicae non minus efficacia v. g. sui consecratio Deo vel B. Mariae Virgini facta.

b) Ecclesia tum votum cum medio specifico obligationis in conscientia tum promissionem cum suis propriis mediis asceticis et formationis adprobavit tamquam viam ad finem status evangelicae perfectionis persequendum. Quod quidem elucet ex legislatione Ecclesiae circa Societates sine votis et circa Instituta Saecularia (cf. cc. 684 seq. C.I.C. et Constit. Apostolicam *Provida mater,* 2-2-1942).

c) Quod iudicium Ecclesiae aequiparantis ambas vias memoratas praeclaris comprobatur factis historicis. Sunt etenim Societates sine votis iam per saecula existentes v. g. Oratoriani Philippi Neri (1564), Vincentini (1625), Sulpitiani (1642), Pallottini (1835), quae tum in suis fundatoribus tum in membris veros fructus perfectionis evangelicae produxerunt. Ex quibus B. Vincentius Pallotti hisce nostris diebus a Summo Pontifice catalogo Sanctorum adscribitur.

d) Traditioni Ecclesiae aliena ergo videtur suppositio totum cap. V schematis pervadens, ac si coniunctio cum Deo per obligationem in conscientia roborata, sicuti fit in voto, esset firmior illa quae in promissionem emittentibus efficitur aliis mediis asceticis et paedagogicis. Isto modo quasdam uniones status perfectionis evangelicae de Ecclesia optime meritas vilipendere fas non est.

e) Data falsa suppositione circa media ad obtinendam perfectam atque indissolubilem coniunctionem cum Deo et attenta ambiguitate loquendi timendum est, ne propositio ad damnandos errores allata sit confusionem paritura atque institutionibus probatissimis Ecclesiae iniuriosa, quia ista sen-

tentia insinuare velle videtur criterium ad diiudicandas diversas formas et instituta vitae religiosae secundum maiorem aut minorem eorumdem perfectionem. Ergo, aut hanc partem schematis una cum commissione de religiosis penitus reformandam aut tollendam esse Patribus propono.

75

Exc.mus P. D. HYACINTHUS THIANDOUM

Archiepiscopus Dakarensis

Loquor nomine conferentiae episcopalis Africae Occidentalis sic dictae francophonae. Et haec pauca vellem observare circa schema *de Ecclesia* quod nobis propositum est.

Primo quidem, omnino assentio iis quae nuper dicta sunt ab em.mo card. Montini circa nostrum schema.

Deinde vellem specialissime deplorare — et in hoc consentiunt episcopi qui sunt membra Conferentiae episcopalis Africae Occidentalis —, vellem, dico, publice deplorare absentiam in nostro Concilio praefectorum apostolicorum nostrarum regionum.

Multi iam in hac aula, occasione huius schematis, notaverunt, non sine dolore, altum silentium de episcopis titularibus. Idem dicendum est de praefectis apostolicis, quorum absentia in hac aula conciliari gravis lacuna dicenda est.

Scimus etenim, praefectos apostolicos non numerari a Iure Canonico inter illos qui vocandi sunt ut membra Concilii Oecumenici. Sed scimus etiam Concilium Oecumenicum esse auctoritatem supremam in Ecclesia, et hic adunati sumus ut illas leges statuamus quae conferunt ad incrementum et progressum Ecclesiae universalis.

Nunc autem, plures sunt rationes quae, mea sententia, postulant praesentiam praefectorum apostolicorum inter Patres conciliares:

1. Inter limites proprii territorii, praefecti apostolici habent easdem responsabilitates pastorales quas habent episcopi in propria dioecesi; immo, in Africa, non raro, praefecturae apostolicae multo maioris momenti sunt quam dioeceses Europae, et praefecti apostolici gravius officium habent quam multi superiores generales qui tamen inter Patres conciliares vocati sunt.

2. Quando episcopi Africae ad Concilium proficiscuntur, fideles nostri mirantur de discriminatione qua privantur eodem iure, illi quos tamen vocant « Monseigneur », quique iure habendi et crucem pectoralem et mitram dotantur, sicut episcopi.

3. Nobis videtur quod situatio actualis Statuum Africae independentium, in quibus hierarchia Ecclesiastica erecta est, difficillime conciliatur cum situatione iuridica praefecturarum apostolicarum. Ecclesia, quae primas partes ha-

buit in promotione Africae, habeat etiam nunc audaciam inducendi mutationes fundamentales usque ad ultimas consequentias.

Liceat mihi, per modum conclusionis, duo vota exprimere:

Primum votum est quod, in altera sessione Concilii quae mense septembri initium habebit, praefecti apostolici nobiscum adsint in hac aula conciliari, saltem ut observatores.

Secundum votum est quod loco praefecturarum apostolicarum dioeceses erigantur quam primum.

Ipsi praefecti apostolici nequeunt hanc petitionem exprimere, quia nihil aliud desiderant nisi Christi Ecclesiam omnibus viribus servire, secundum voluntatem Pastoris Supremi.

Nos autem, tale votum, eorum loco, exprimendo, nihil aliud intendimus nisi eorum situationem in clariore luce ponere, ad fecundiorem apostolatum fovendum.

76

Exc.mus P. D. ATHANASIUS TOUTOUNGY

Archiepiscopus Aleppensis Melkitarum

Au sujet de la nature de l'Eglise, qu'il me soit permis d'exprimer devant le Saint Concile trois désirs au sujet de la nature de l'Eglise.

1. Le premier est que soit mieux clarifié le concept de l'Eglise et des Eglises. Nous savons tous que l'Eglise du Christ est une. C'est même une des vérités du symbole de la foi sur laquelle l'accord est unanime parmi tous les chrétiens. Et cependant St Paul lui-même parle tantôt de l'Eglise, tantôt des Eglises. Ces expressions se retrouvent sous la plume des Pères de l'Eglise et dans notre liturgie, où nous prions tous les jours « pour la prospérité des saintes Eglises de Dieu et l'union de tous ». Les Souverains Pontifes eux-mêmes appellent l'Eglise romaine « mère de toutes les Eglises ». Il faut donc croire, me semble-t-il, que ce concept de l'Eglise et des Eglises représente un enrichissement de la doctrine ecclésiologique qu'il ne faut pas perdre. S'il m'était permis de dire mon avis à ce sujet, je dirais que ce double mot indique une double réalité. La première est que l'Eglise est un corps organique, et non un groupement de cellules directement reliées à la tête. Comme dans tout corps organique il y a des membres, diversement constitués et diversement fonctionnalisés, ainsi aussi il y a dans l'Eglise Une et Catholique des Eglises qui sont comme autant de membres. La seconde réalité est que dans chacune des Eglises se retrouve la notion complète de l'Eglise universelle, et que dans l'Eglise Universelle se trouvent les linéaments de chacune des Eglises particulières. Dans ce double sens, les Pères de l'Eglise, et les Apôtres avant eux, ont donné le nom d'Eglise, au sens particulier du terme, à chaque diocèse. Il vaut, à plus forte raison, d'un groupe de diocèses réunis autour d'un Archevêque ou d'un Patriarche. C'est dans ce sens qu'il

est très juste de parler de l'Eglise d'Occident, de l'Eglise maronite, de l'Eglise syrienne, etc.

2. Mon deuxième désir est que l'on n'identifie pas l'Eglise Romaine avec le Corps mystique du Christ. Comme l'a déjà souligné S. Em. le Cardinal Liénart, l'Eglise Romaine ne s'identifie certainement pas avec l'Eglise souffrante et l'Eglise triomphante du ciel. Or, l'Eglise militante sur cette terre n'est pas toute l'Eglise. C'est en fonction de l'Eglise du ciel surtout qu'il faut définir l'Eglise en général. J'ajouterai que même pour cette courte vie il ne faudrait pas identifier l'Eglise Romaine avec le Corps du Christ. On peut en effet appartenir plus ou moins au Corps du Christ. Si certains chrétiens sont en difficulté avec l'Eglise Catholique Romaine, il ne faut pas pour autant les exclure de l'appartenance au Christ.

3. Enfin, je prie ardemment les Pères du Concile de ne pas abonder dans le sens excessif d'une certaine école théologique, trop imbue de juridisme, et de sauvegarder le caractère ecclésial de nos frères orthodoxes. Ces frères ne constituent pas la seule, unique et vraie Eglise du Christ. Mais ils n'en sont pas moins une Eglise. Ils ont la parole de Dieu, les sacrements, la hiérarchie et tous les éléments qui sont nécessaires à une Eglise, au sens où nous l'entendons. Les Souverains Pontifes, à plusieurs reprises, n'ont pas hésité à leur reconnaître ce caractère ecclésial. Ils sont une Eglise séparée, mais ils sont une Eglise.

Je soumets humblement ces trois suggestions à votre vénérable assemblée. Elles sont de quelque importance, me semble-t-il, pour une conception plus profonde de l'Eglise et pour préparer les voies de l'union de tous les chrétiens.

77

EXC.MUS P. D. HERCULANUS VAN DER BURGT

Archiepiscopus Pontianakensis

Schema hoc, licet sub aliquibus respectibus laudem mereatur, laborat tamen gravibus defectibus.

1. Conceptio de Ecclesia, quae hic habetur, fere unice attendit ad hierarchiam. Ita fit ut tria munera Christi in cap. I immediate ad hierarchiam transponantur. Econtra in capite de laicis haec munera integro populo christiano adscribuntur. Quapropter caput de laicis supponit doctrinam melius aequilibratam quam cetera capita.

2. Quod ad doctrinam de *hierarchia* attinet, haec certo est inter praecipuas huius Concilii quaestiones. In hac vero doctrina schema nostrum gravi quadam incertitudine et incohaerentia laborat. Habitudo inter Summum Pontificem et episcopatum universalem in diversis capitibus diversis modis concipi videtur. Ratio huius incongruentiae videtur in eo esse quaerenda,

quod doctrina de *collegio* apostolico et episcopali incerta est. In alio capite deest, in alio adest, in alio accidentale tantum complementum habetur.

Nulli cedere speramus in amore et reverentia erga Summum Pontificem. Sed non propterea negligendum est collegium episcoporum, cuius ipse est caput et centrum.

Exempla autem huius incohaerentiae non legam, sed scripto tradam.

In primo capite hierarchia fere unice in persona Summi Pontificis collocatur. Quare hic mentio non fit de collegio episcoporum, qui ut collegium constituunt successores collegii apostolorum? Gravissimum est, quod in definitione sollemni huic capiti subiecta dicitur Christum Ecclesiam suam gubernandam tradidisse Petro eiusque successoribus (art. 7, pag. 12, 22), dum omnino tacetur quod eam ceteris etiam apostolis sub Petro gubernandam tradidit.

Item in secundo capite membra pleno sensu vocantur ii qui « Ecclesiae auctoritatem agnoscentes, in compagini visibili eiusdem cum Capite eius, Christo videlicet eam regente per Vicarium suum, iunguntur » (art. 9, pag. 15, 21 ss.). Quare hic non exprimitur unitas cum tota hierarchia, non solum cum Romano Pontifice, sed et cum propriis episcopis, qui in schemate etiam vocantur vicarii Christi (art. 13, pag. 22, 7), et cum toto collegio episcoporum?

In capite econtra IV dicitur « collegium episcoporum, una cum capite suo, Romano Pontifice, et numquam sine hoc capite, unum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam » (art. 16, pag. 24, 22 s.). Ex altera tamen parte haec potestas *ordinaria* unice et exclusive dicitur exerceri in Concilio Oecumenico, id est modo *extraordinario*. Extra Concilium ergo nullomodo exerceretur. Esset ergo potestas omnino latens per saecula, et in solis Conciliis evigilans! Concedimus potestatem hanc in Conciliis modo extraordinario ac sollemni exerceri. Sed verum esse vix potest, quod haec potestas omnino abest in temporibus et saeculis inter Concilia decurrentibus.

3. Cum hac incertitudine de collegio episcopali cohaeret alia incongruentia.

In cap. VII de magisterio in mentem revocatur doctrina Concilii Vaticani de magisterio tum ordinario, tum extraordinario, tum universali episcopatus, tum personali Summi Pontificis (art. 30, pag. 49, 26 ss.). Recte ergo ibi ponitur, magisterium ordinarium episcoporum non restringi ad solam propriam dioecesim, sed episcopos esse « pro *universa* Ecclesia testes *ex officio* evangelicae veritatis » (art. 30, pag. 49, 16 s.).

Quando autem in cap. IV de regimine Ecclesiae agitur, auctoritas episcoporum ad solam suam dioecesim restringitur. Episcopi ibi dicuntur vicarii et legati Christi pro singulis sibi commissis ecclesiis (art. 13, pag. 22, 7). Sed potestatem in universam Ecclesiam dicuntur non habere nisi ex participatione Romani Pontificis (art. 15, pag. 24, 5 ss.).

Iamvero secundum dicta in cap. III (n. 11, pag. 20, 3 ss.) tum auctoritas docendi, tum auctoritas regendi profluunt ex sacramento ordinis. Impossibile ergo videtur quod duae auctoritates, ex uno fonte profluentes, di-

versa omnino regula reguntur. Potestas docendi non potest esse ordinaria, dum potestas regendi est pure delegata. Quod explicite affirmatur de munere doctrinali, non potest simpliciter negari de munere pastorali.

4. Tandem minus felix videtur, quod prius de magisterio Summi Pontificis agitur, secundo tantum loco de magisterio universali episcoporum. Contrario ordine procedebat Concilium Vaticanum I.

Vaticanum I Dz. 1821 prius loquebatur de omnibus apostolis pastoribus et doctoribus constitutis, dein de auctoritate Petri, qua huius collegii unitas conservaretur.

Dz. 1839 dicit Romanum Pontificem « ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam... instructam esse voluit ».

Omnes firma fide credimus, Summum Pontificem esse caput et centrum collegii episcopalis. Haec autem Summi Pontificis praerogativa melius affirmatur et intelligitur, si prius de hoc collegio, et deinde de capite eius sermo fit. Summus Pontifex non desinit esse caput huius collegii, quando ex cathedra loquitur et eius definitiones ex sese non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles et infallibiles sunt (Dz. 1839). Immo tunc eius connectio cum fide totius Ecclesiae et cum universali episcoporum collegio maxima et intima dicenda est.

Inest itaque in schemate incongruentia gravis. A vobis, Patres venerabiles, omnes catholici, immo multi christiani a nobis separati, exspectant doctrinam claram et integram de Ecclesia Christi, maxime autem de habitudine inter primatum Romani Pontificis et auctoritatem episcoporum. Impleatur precatio card. Newman, ut Vaticanum II compleat Vaticanum I, eo quod secundum verba illius Concilii sub Romano Pontifice episcopis universis « honor debitus non negatur » (Dz. 1828).

Ex conceptione breviter delineata de collegio episcopali duo magis practica deduci libet:

1. Continuatio commissionis centralis in aliqua forma apta.
2. Institutio magis explicita conferentiarum episcopalium.

Nomine omnium episcoporum Indonesiae dixi.

78

Exc.mus P. D. GERARDUS VAN VELSEN

Episcopus Kroonstadensis

Schema *de Ecclesia* materialiter affirmat potestatem episcopalem esse potestatem propriam, ordinariam et immediatam, immo eam esse iuris divini, ita ut collegium episcoporum una cum Capite eius sit « unum subiectum plenae et supremae in universam Ecclesiam potestatis » (n. 16). Haec tamen collegialitas de facto a schemate sub n. 15 penitus negatur. Explanatio huius quaestionis immerito enim coarctatur ad considerationem singuli episcopi qua

singuli et non formaliter qua membri collegii episcopalis. In hoc est fallacia totius cap. IV, quod quasi regit totum hoc schema. Potestas tamen ordinaria et propria episcoporum non est primarie potestas singuli episcopi qua talis, nec summae additae omnium episcoporum, sed formaliter *collegii qua talis*. Singulus episcopus nonnisi ut membrum collegii participat unam potestatem ordinariam iuris divini, nempe ipsius collegii qua talis, quod de facto in cap. VII, ubi agitur de magisterio ordinario in mundo disperso, ab ipso schemate agnoscitur. Ratione huius inconsequentiae schema non curat de pernecessaria conclusione ex ipso Ecclesiae regimine, quod est iure divino collegiale. Pro hac quaestione attentionem animi Patrum Concilii rogare velim.

Cum Ecclesiae regimen iure divino collegio episcoporum una cum eius Capite, Summo Pontifice, competat, oportet etiam extra Concilium Oecumenicum evitetur quod forma regiminis parvipenderetur sive sub respectu collegialitatis sive sub respectu Capitis. Porro extra Concilium Oecumenicum hoc regimen collegiale Ecclesiae in hodiernis adiunctis minus visibile evadit et per consequens minus efficax. Immo posset quis cogitare hanc collegialitatem fieri nomen sine re. Ecclesia tamen habet ius et obligationem, ut voluntas Christi quoad regimen Ecclesiae fideliter et efficaciter observetur. Attenta constitutione a Christo Domino Ecclesiae collata, quaestio exsurgit, qualis modus concretus, adaptatus condicionibus hodiernis Ecclesiae in toto mundo dispersae, hodie maxime consulere possit structurae collegialis regiminis, ita ut illa collegialitas in regendo, i. e. in ministrando Ecclesiam universam, fiat visibile et efficax exercitium illius quod voluit Christus ipse. Saepe evenit quod theologi elaborationes suas theologicas eruunt ex iure canonico prout nunc iacet, dum e contra theologorum est exponere quid sit essentia Ecclesiae eiusque regiminis. Quam expositionem theologicam postea ipsi periti iuris canonici debent veluti traducere in regulas canonicas, quae essentiae Ecclesiae eiusque regimini dant formam canonicam adaptatam et practicam. De huiusmodi traductione nunc agitur.

Maxime proinde expedit, ut, praesupposito regimine iuris divini collegiali Ecclesiae, quoddam organum ad instar « commissionis centralis » instituatur, cuius membra sunt verbi gratia praesidentes variarum conferentiarum (seu coetuum) episcoporum, pro quibus ipsi verba faciunt. Ita in hac commissione temporibus statutis suo modo auditur vox totius episcopatus. Haec commissio oportet sit organum deliberationis episcoporum una cum Capite, Summo Pontifice, ita ut regimen centrale Ecclesiae eiusque regimen collegiale harmonice componi possint. Tale organum non est nisi concretio ipsius iuris divini quoad regimen Ecclesiae. Haec concretio necessaria est ad hoc quod in praxi salvum remaneat ius divinum quoad regimen collegiale Ecclesiae. Sine Capite collegium episcoporum decapitatum et vanum remanet, non prosperans in via sua. Sed ex altera parte, utinam ne disiungamus ipsum Caput a suo corpore. Caput enim vitam solitariam agere non potest sine suo corpore. Et hoc corpus est nihil aliud nec nemo alius nisi ipse ordo episcoporum.

Ita unitas mirabilis Ecclesiae, quam a Christo ut donum necnon ut vocationem accepimus, in diversitate admirabili manifestare possumus, ut Ecclesia sit sponsa Christi dilecta una et circumdata varietate.

79

Exc.mus P. D. HENRICUS VENIAT
Episcopus Arcis Archambault

In hoc schemate *de Ecclesia* duo defectus mihi apparent ut radicem et fundamentum aliorum multorum defectuum a multis Patribus iam dictorum. Hi defectus sic resumi possunt: insufficiens doctrina de Christo, insufficiens doctrina de Spiritu Sancto.

Primum de Christo: in hoc schemate, de Christo certe loquitur. Christus dicitur « homo perfectissimus », « Filius Dei Unigenitus », « Episcopus animarum, Pastor et Sacerdos », pluries dicitur « Redemptor » perpluries dicitur habere Vicarium in Petro et eius successoribus. Haec omnia valde bona. Sed in schemate, prorsus videtur ignosci Christum esse Caput Ecclesiae in quantum Pater sub pedibus Christi omnia subiecit. Dicitur bene et etiam ter dicitur quod Christus oboedivit Patri usque ad mortem; sed ter omittitur quod Pater glorificavit Christum et dedit illi nomen quod est super omne nomen... etc. Ne dicamus autem, illam gloriam Domini resuscitati esse ornamentum quoddam, sive pro Christo, sive pro Ecclesia.

Christus enim ut caput Ecclesiae non est alius quam Dominus mundi et omnium hominum et angelorum, id est « Pantocrator ».

Ecclesia autem corpus est illius Domini, id est populus qui, mediante hierarchia, docetur, nutritur et regitur a Domino Gloriae et testimonium perhibet ad extra de illo glorioso Domino de quo vivit ad intra. Si de hac gloria Domini quam Ecclesia mundo annuntiare debet, siletur, Ecclesia nihil aliud remanet quam societas bene a Christo fundata, iuridice organisata, sed non a Christo in Spiritu Sancto vivificata et vivificans.

De Spiritu Sancto autem eadem dicam ac de Christo. Vere nominatur in nostro schemate Spiritus. Dicitur « anima Corporis », dicitur « coniungere fideles », assistere Vicarium Christi, magisterium Ecclesiae, episcopos, dicitur et quidem nimis, assistere theologos, praesertim qui pro magisterio directe laborant. Sed, e contra, nunquam enuntiatur habitudo Spiritus Sancti ad resurrectionem Christi, neque ad Ascensionem, neque ad Pentecosten de qua nulla fit mentio in schemate. Ideoque quando nostrum schema bis aut ter nominat Spiritum Sanctum, spiritum Christi, nulla apparet relatio explicita inter Christum et personam Trinitatis in qua dicimus « Abba, Pater », et Spiritus Sanctus nihil aliud est in schemate quam gratia.

Isti defectus et quidem ingentes non sunt sine remedio. Eorum causa in hoc consistit quod de Christo resuscitato et de Spiritu Sancto in relatione cum

eo tacetur; ergo loquatur de quo siletur, id est de Christo resuscitato et de Spiritu Sancto quem Christus misit in mundum.

Ergo, sub praesenti forma, hoc schema non placet et votum humiliter efformo ut nominentur periti qui, in commissione quadam mixta non obliviscentur quod primi obliti sunt.

80

Exc.mus P. D. IOANNES IULIANUS WEBER
Archiepiscopus-Episcopus Argentinensis

Cap. I schematis *de Ecclesia* titulum habet: « De Ecclesiae militantis natura ». Melius legeretur simpliciter: « De Ecclesiae natura ».

Redactor schematis laudabiliter non tantum naturam extrinsecam, iuridicam Ecclesiae descripsit, sed conatus est ad naturam interiorem, essentialem Ecclesiae perspicere. Ecclesia est, sub hoc respectu, ante omnia « Corpus Christi », cuius Christus est caput. Maternitatem quoque Ecclesiae, eiusque munus ut « ministra salutis et gratiae erga omnes homines » non est oblitus. Certe invenire desideravissemus explicationem uberiorem, profundiorem horum attributorum, specialiter ex Scriptura Sacra. Cum gaudio vidimus auctorem schematis suam doctrinam saepius cum locis ex Evangeliis aut ex Epistolis Pauli sumptis coniunxisse. Pro his auctor laudandus est.

Liceat tamen aliquas animadversiones proponere ut noster textus adhuc magis biblicus, magis intelligibilis redderetur pro nostris coaetaneis.

1. In n. 2, pag. 9, lin. 19 quaestio est de Christi muneribus, « Magistri, Sacerdotis, Regis ». Quamquam titulus Regis Domino applicatur in Officio de Christo Rege — sed tamen cum explanationibus quae omnem ideam dominationis temporalis excludunt —, potius esset hic cum Concilio Vaticano I Dominum nominare: « Pastor aeternus et Episcopus animarum nostrarum » (D. 1821).

In eodem numero, lin. 23 eaedem praerogativae adscribuntur Ecclesiae ducibus: « eos muneribus Praeconis, Sacerdotis, Regis, sub Petro exercendis exornavit ». Eadem fere expressio de Ecclesia ipsa in n. 6, pag. 12, lin. 21 invenitur. Legere potius vellem: « eos muneribus spiritualibus, scilicet, in docendo, in sanctificando et in pascendo, sub Petro exercendis exornavit ».

2. In n. 4, pag. 10, lin. 31 legatur: « Quotquot in Ecclesia *fide et* baptismate ingressi », quia semper in Evangeliis et in Epistolis baptisma cum fide coniungitur.

3. In n. 5, pag. 11, lin. 2, melius esset omittere verba: « Clerici et laici, praepositi et subditi, magistri et discipuli », eisque substituere quod in Epistola I ad Corinthios legimus (12, 4-6): « Cum divisiones gratiarum, divisiones ministeriorum et divisiones operationum sint ».

In lin. 6 sufficeret legere: « Vinculis socialibus et ministerialibus », omissa voce: « iuridicis » quae inutilis est.

4. In n. 7, pag. 12, lin. 17, legatur: « Docet Sacra Synodus et solemniter profitetur non esse *posse* nisi unicam veram Iesu Christi Ecclesiam », addendo ergo vocem « posse ».

In lin. 21 ad 24 textus schematis addidit notis traditionalibus Ecclesiae, quas in nostro « Credo » cantamus: « Unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam », quintam notam: « Romanam Ecclesiam ». Haec nota non est traditionalis, et insuper aequivoca. Si enim comparamus duos textus conciliares in annotatione 50 pag. 12 relatos, videmus « Romanam Ecclesiam » designare, in Professione fidei Tridentina, Ecclesiam quae est Romae, et quae est « omnium Ecclesiarum mater et magistra » (D. 999), in textu autem Concilii Vaticani I totam Ecclesiam. Melius ergo esset hanc vocem omittere, dicendo de Ecclesia: « Quam Salvator sibi in cruce acquisivit, sibique tamquam sponsam sponso coniunxit, quamque super apostolicam Petram solidavit » (cf. Orationem in Vigilia App. Petri et Pauli, aut in Missa votiva de S. Petro »).

Cap. I schematis *de Ecclesia* sic magis erit extra controversiam.

81

Exc.mus P. D. VALENTINUS WOJCIK

Episcopus tit. Barenus in Hellesponto, aux. Sandomiriensis

Schema proponit doctrinam, quae continetur in documentis magisterii ecclesiastici praesertim Summorum Pontificum a Benedicto XIV usque ad feliciter regnantem Ioannem XXIII: de distinctione inter Ecclesiam et societatem civilem et de subordinatione finis civitatis fini Ecclesiae, de limitibus potestatis Ecclesiae deque officiis Ecclesiae erga potestatem civilem atque de officiis religiosis potestatis civilis. In omnibus paragraphis huius schematis supponitur autem, Statum, id est cives et rectores gentium, accipere factum revelationis christianae et missionem salutiferam Ecclesiae. Ipsi Auctores schematis confirmant hanc propositionem scribentes, Potestatem civilem quatenus populum repraesentat non esse obligatam colere Deum modo a Christo statuto, nisi prius factum revelationis a civibus acceptum sit (pag. 66, par. 43, linn. 23-26). Aliis verbis principia in schemate contenta non vigent, si unum subiectorum relationis inter Ecclesiam et Statum mutatum fuerit.

Iuxta scopum Concilii Vaticani II constitutiones debent habere valorem pastoralem et oecumenicum. Hac de causa in schemate pastores animarum vellent videre non solum sana principia theoretica et abstracta sed etiam propositiones, quae respiciunt hodiernas potestates civiles earumque relationes ad singulos cives et ad fidem in supernaturalem missionem Ecclesiae.

Praeprimis animadvertendum esse, modernis temporibus vix posse inveniri Status, qui habeat omnes cives eiusdem religionis, sed fere ubique ter-

rarum permixti sunt homines variarum religionum et inter fideles habitant quoque ii, qui nulli societati religiosae adscripti sunt vel etiam atheismum palam confitentur. Hodie et Ecclesia vivit in omnibus Statibus et fere omnis Status habet in suo territorio cives variarum religionum.

Secundo, praesenti saeculo in maxima parte Statuum potestas eligitur a civibus et repraesentat non solum eorum maiorem partem sed etiam totum populum et ideo opinionem uniuscuiusque hominis in honore habere debet. Quamvis maximum nostrum desiderium esset, ut quamprimum unum ovile et unus pastor fiat, non possumus ignorare, quid sit hodie in facto.

Quibus de causis auctores schematis in elaborandis principiis de relationibus inter Ecclesiam et Statum debent prae oculis habere non solum doctrinam revelatam et normas generalissimas iuris naturalis sed etiam actualem statum facti et hodiernis animarum pastoribus doctrinam magis concretam et magis adaptatam proponere.

Meo humili iudicio hodierni homines a Concilio Oecumenico exspectant affirmationem sequentium principiorum: 1) in relationibus cum Statu Ecclesiam velle omnino servare normam de qua in can. 1351 Codicis Iuris Canonici (ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur) et civiliter tolerare alias societates religiosas, 2) catholicos obligatos esse apud Potestatem civilem ius libertatis conscientiae et libertatem actionis ecclesiasticae non solum in legislatione sed etiam in praxi tueri, 3) catholicos rectores gentium, quamvis repraesentent etiam cives, qui missionem supernaturalem Ecclesiae non agnoscunt, debere suas obligationes religiosas adimplere et in gubernatione subditorum non solum vocem suae conscientiae christianae sed etiam instructiones magisterii ecclesiastici, quae ad ius naturae pertinent, fideliter sequi.

Praeterea in textu schematis sequentes emendationes liceat mihi proponere:

1. In pag. 64, n. 40, lin. 16, addendum est: « Aliud tamen est fundamentum et aliae sunt proprietates potestatis ecclesiasticae et potestatis civilis sicut Gelasius I papa scripsit de « sacrata auctoritate pontificum » et de « potestate regum ».

2. In pag. 64, n. 40, post lin. 24, inserenda est propositio: « Hominibus quoque qui omnes vivunt simul in societate religiosa et in societate civili nociva est non solum quaevis discordia sed etiam separatio inter ordinem supernaturalem et naturalem ».

3. Titulus n. 41, in pag. 65, « de officiis Ecclesiae erga potestatem civilem » non correspondet textui linn. 20-33, in quo non officia sed facta describuntur. Ideo melior videretur titulus « de cooperatione Ecclesiae in fine Status assequendo ».

4. In lin. 6, n. 41, pag. 65, post verbum « temporalia » addere vellem « hominis per se ».

5. In lin. 8, n. 41, pag. 65, post verba « puerorum educatio » adiciendum est « et instructio religiosa ».

82

Exc.mus P. D. CAROLUS WOJTYLA

Episcopus tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis

1. Schema *de Ecclesia,* cum nobis Ecclesiam ut Corpus Christi Mysticum imprimis proponit, non tamen sufficienter intrat in mysterium animae salvandae. Sic autem non illustratur sufficienter finalitas intima Corporis Christi Mystici. Munus docendi Ecclesiae divinitus concreditum, de quo pluria in schemate invenimus, subordinatur muneri sanctificandi animas immortales. In sanctificatione enim ope gratiae gratum facientis invenit anima immortalis salutem suam aeternam et sic adimplet finem suum. Si omnia ista non ponantur in schemate, tunc non ostenditur missio salvifica Ecclesiae erga personam humanam, quod nostris praesertim temporibus multum valet.

2. Momentum proprium personae humanae in Ecclesia magnum videtur sub alio etiam aspectu. Ecclesia enim — Corpus Christi Mysticum — vera est societas, persona autem humana constituit cellulam huius Corporis, in quantum in Ecclesia-societate invenit et adimplet vocationem suam supernaturalem, quod non fit sine Ecclesia. Non praesupposito personam humanam vocationis suae supernaturalis in Ecclesiam consciam esse, nequit etiam intelligi responsabilitas et quidem conscia cuiuslibet membri in Corpore Christi Mystico. Haec autem conscientia responsabilitatis signum est amoris Ecclesiae, qui tam in episcopis et clericis quam in laicis vigere debet. Optandum est schema *de Ecclesia* tale esse debere, ut omnibus sensum hunc responsabilitatis pro Ecclesia magis innuat. Sic etiam excludetur periculum individualismi religiosi in Ecclesia, alia autem ex parte consuletur necessitati spirituali hominis contemporanei, qui semper magis persona vocationis suae conscia fieri postulat.

3. Cum schemate *de Ecclesia* in unum coalescit schema *de B. Virgine Maria.* Cuius coalescentiae sensus talis esse videtur: In hoc, quod Maria Beatissima sit in Ecclesia-Corpore Christi Mystico tamquam Mater Capitis et Mater omnium membrorum et cellularum Corporis, ostendatur insimul maternitas ipsius Ecclesiae, quae in schemate magis ut magistra (societas docens) quam ut mater praesentata est nobis. Oportet autem ut credatur et confiteatur tamquam mater spiritualis animarum omnium. Haec autem Ecclesiae maternitas praesertim inest manibus et cordi Beatissimae Virginis et intime coniungitur cum munere Mediatricis. Credimus proinde Mariam esse Matrem totius Ecclesiae ut societatis, praesertim autem earum eiusdem partium, quae maxime dolent, ipsae enim etiam maxime indigent cura materna. Credimus deinde eam esse Matrem cuiuslibet animae humanae, cuiuslibet personae — et haec eius maternitas in efficienda consistit assimilatione erga Christum Filium Dei eiusque Primogenitum. Eadem Mater filios sibi similes vult pro-

creare et habere. Ope ergo Maternitatis universalis Beatissimae Virginis homines in Ecclesia speciali modo coalescunt in unum: Maternitas eius constituit intimam iuncturam Corporis Christi Mystici.

83

Exc.mus P. D. PAULUS YÜ PIN

Archiepiscopus Nanchimensis

Constitutio *de Ecclesia* iure meritoque tractat de relationibus inter Ecclesiam et Statum (in cap. IX) ut inde clare pateant principia directiva circa hanc rem tum pro pastoribus quum pro christifidelibus. Attamen dolendum est doctrinam ibi descriptam hodiernis exigentiis minime correspondere: ita v. g. ne unum quidem verbum invenitur de legitimis aspirationibus et iuribus populorum ad independentiam nuper constitutorum, dum omnes homines magnopere sese occupant de nationibus sic dictis minus evolutis vel melius, ut legitur in litteris Enc. *Mater et Magistra* Ioannis XXIII, feliciter regnantis, in via evolutionis. Isti populi multum sperant ab Ecclesia ad sua iura rite agnoscenda, praesertim ob dolorosam experientiam colonialismi. Quod si in hoc Concilio Ecclesia negligat circa hanc rem, maximum periculum mundo incumbebit ut novae nationes inspirentur ideologia Communismi athei et materialistici. Proh dolor, hoc periculum iam in actu est apud aliquos populos! Missio catholica, vel florentissima, immensum patitur damnum. Laeto quidem animo recordor nuntii telegraphici Papae Pii XI ad populum sinensem diei 1 augusti anni 1928, quando tota Respublica sinica, posito fine belli civilis, unionem politicam est adepta, ubi legitur: « Sanctus Pater est primus ad tractandos Sinas non solum in perfecta aequalitate, sed etiam cum vera et specialissima sympathia... Exoptat insuper ut populi sinensis iura plene agnoscantur ». Vox praeclara, sed rara! Hodie omnino necessarium est ut Ecclesia sit prima inter societates perfectas ad vindicanda, tutanda iura novorum Statuum, qui plerumque sunt ex territoriis missionum.

Ad rem intime connectitur aliud problema in hac constitutione *de Ecclesia* tractatum: dico tractatum, sed modo valde imperfecto. Problema scilicet muneris fidelium relate ad Statum proprium. Habetur quidem in cap. VI, n. 25, pag. 41, lin. 2 ad 8, aliqua pericopes ad exhortandum laicos ut libenter suscipiant onus in politica societatis ordinatione bonum commune temporale efficaciter et apte promovendi et activam et faustam praesentiam exerceant, ad prosperitatem tum propriae nationis, tum totius communitatis internationalis. Si talis commendatio sufficit pro Statibus, ubi catholici constituunt vel totalitatem vel saltem maioritatem populi, pro missionibus nullo modo sufficiens dici potest: nam rerum conditio postulat ut in politica societatis ordinatione praesentia catholicorum sit indispensabilis: ius enim Ecclesiae facile labefactatur et in crisim ponitur si qui sortem populi administrant, omnes sunt a religione catholica alieni et, quod non raro accidit, ideis materialismi

plene imbuti, v. g. leges statuendo contra religionem catholicam, limitando libertatem missionariorum, fovendo theorias principiis moralibus contrarias et ita porro. Quamquam praxis seu modus, quo laici educari, adduci ad hoc onus suscipiendum, opportunius tractabitur in schematibus praeparatis a commissione de apostolatu fidelium, principium tamen circa hanc rem debet in lucem poni in hac constitutione *de Ecclesia,* et quidem cum verbis magis praecisis atque evincentibus.

84

EXC.MUS P. D. IGNATIUS ZIADÉ

Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Tribus abhinc annis, fere unanimiter postulaverunt episcopi ut constitutio aliqua de episcopis veniat coram Concilio Oecumenico Vaticano II, quam Vaticanum I, tempore opportuno edicere non potuit, postquam proclamavit Romani Pontificis primatum et infallibilitatem. Gratias agamus Deo et Romano Pontifici feliciter regnanti, qui acquievit Patrum postulationibus et annuit ut schema *de Ecclesia,* ubi etiam de episcopis, coram vobis veniat et citius veniat.

In hoc schemate legimus sub n. 13 (pag. 22): « Quos ipse Christus... voluit usque ad finem temporum successores apostolorum, in munere doctorum et pastorum... eosdem Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. Qui episcopi singuli, tanquam vicarii et legati Christi, singulas sibi commissas ecclesias, propria, ordinaria et immediata potestate episcopali, in unitate cum Romano Pontifice et sub eius auctoritate regunt »; et in pag. 23 legitur: « longe autem a vero aberrant qui asseverant... episcopos habere tantum delegatam potestatem et non esse iuris divini ».

His auditis, et quidem cum gaudio, veniamus, Patres conciliares, ad praxim. De facto, usque dum episcopi nesciunt quid possint. Regendo oves suas, quotidie experiuntur necessitatem recurrendi sive ad facultates quinquennales sibi delegatas, sive ad delegatum vel nuntium apostolicum, sive ad ipsam Sanctam Sedem. Liceat in hac materia aliqua exempla afferre.

Episcopus proclamatur iure divino propriae ecclesiae doctor; attamen, nonobstante hoc divino munere, indiget S. Officii licentia, ut propriis fidelibus concedat facultatem legendi libros prohibitos.

Episcopus est pastor ordinarius; attamen potestatem missam celebrandi media nocte non habet, nec aliis concedere potest licentiam celebrandi extra locum et tempus determinatum.

Episcopus potestate ordinaria regit propriam ecclesiam; attamen etiam in minimis recurrere debet ad Congregationes Romanas. Latinus episcopus recurrere debet ad dispensationem obtinendam ab impedimento spiritualis cognationis, a quo semper dispensatur; recurrere etiam debet ad dispensandum fratrem sacerdotem, etiam gravi de causa, ab officio divino recitando.

Per libellum quinquennalem, episcopo, modo habituali, restituuntur facul-

tates, quas habebat potestate ordinaria, et quibus nunc uti debet potestate delegata.

Quamobrem mirantur et presbyteri et fideles videntes ordinarium eorum pastorem esse non « vicarium et legatum Christi » ut supra audivimus, sed vicarium Vicarii Christi factum, vel ipsius legatorum.

His dictis, liceat mihi tria proponere:

1. Ut facultates quinquennales vel decennales, communiter delegatae, supprimantur.

2. Ut episcopus habeat veram potestatem pascendi oves suas, quin recurrat ad nuntium apostolicum vel ad dicasteria romana, nisi rarissime, i. e. in rebus maximi momenti. Hoc proponendo, non negatur ius Romani Pontificis sibi reservandi casus expresse determinatos, nec ius ipsius aut Concilii Oecumenici reservandi patriarchis et primatibus alios casus etiam expresse determinatos; quibus tamen exceptis, potestas episcopi restringi non debet legibus generalibus.

3. Ut breviter saltem in hoc ipso schemate affirmetur principium generale quo successores apostolorum, suos subditos etiam a legibus generalibus dispensare possint, quibusdam gravioribus bene determinatis exceptis.

Ita et episcopis maior facilitas, necessitatibus sui gregis providendi conceditur, et Congregationibus Romanis atque nuntiis apostolicis plus temporis remanebit quo, sine mora, graviora negotia expedire possint.

85

CONFERENTIA EPISCOPALIS GERMANIAE-AUSTRIAE

Beatissime Pater,

diebus 5 et 6 februarii Patres Conciliares linguae germanicae Monachium convenerunt et consilium de laboribus Concilii durante intervalli tempore efficaciter promovendis habuerunt. Res erat praesertim de obsequendo suasioni Patribus in fine primae sessionum periodo communicatae, scilicet ut Patres usque ad finem mensis februarii animadversiones suas ad schema *de Ecclesia* in ultima hebdomada disceptatum in scriptis transmittere vellent.

Quo profundius atque accuratius suas adnotationes elaborare et eo ipso aptiora proposita commissioni de Fide et Moribus facere possint, Patres linguae germanicae non singuli separatim, sed collatis viribus in praefato conventu et notas criticas et propositiones positivas ad schema praeiacens emendandum paraverunt, adhibito consilio theologiae dogmaticae et exegeseos S. Scripturae peritorum complurium optime notorum.

Opportunum duxi pro filiali affectu quo omnes Patres linguae germanicae Sanctitati Tuae adhaerent, fructum laborum nostrorum Sanctitati Tuae via directa transmittere.

Primus fasciculus cum titulo « Adnotationes criticae ad schema *de Eccle-*

sia » continet praecipuas rationes, propter quas schema profundae emendationi subiiciendum esse videtur; alter fasciculus (« Adumbratio schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* ») continet propositiones positivas seu schematis emendationis adumbrationem, in qua elaboranda conati sumus mediam viam ingredi inter diversas tendentias, quae hac in materia durante disceptatione conciliari apparuerunt.

In casu quaestionis vehementer discussae de notione « membri Ecclesiae » accuratius describenda duplicem propositionem fecimus, quarum una conceptum membri evitat, de quo praecise definiendo fortasse consensus sufficiens difficile tantum effici poterit.

Insuper sive in distribuenda materia sive in ipsis rebus pertractandis pro viribus contendimus, ut exacte observaremus propositiones a commissione de Concilii laboribus coordinandis de hoc schemate in sessione mensis ianuarii factas.

Humiliter petere audeo Sanctitatem Tuam, ut elaborationes transmissas benigne accipere dignetur. Eodem tempore eaedem transmittuntur em.mo praesidi commissionis de Fide et Moribus, adnexis precibus ut eas commissioni proponere velit ad examen et usum, in quantum eis utilia quaedam et ad emendandum schema opportune adhibenda inventa fuerint.

Hanc occasionem nactus mihi permitto Sanctitatem Tuam de novo certiorem facere me toto animo paratum esse ad fideliter serviendum Ecclesiae et sedulo collaborandum in Concilii negotiis meque profiteor

Sanctitati Tuae
obsequiosissimum servum ac filium
IULIUM card. DÖPFNER

ADNOTATIONES CRITICAE AD SCHEMA DE ECCLESIA

Variis ex rationibus schema *de Ecclesia* ut totum nobis placere non potest. Nolumus in dubium vocare laborem vere positivum quem commissio theologica in praeparando schemate adhibuit. In aperto enim est aspectum positivum, oecumenicum, pastoralem, qui in schemate nimis desideratur, nonnisi ultimis mensibus et inaugurato ipso S. Concilio ut munus speciale huius S. Synodi ab omnibus cognitum et agnitum esse. Rationes autem, propter quas schema hodie noniam acceptabile esse videtur et quae in sequentibus tribus partibus proponuntur, sunt:

primo generales ex indole totius schematis provenientes;
secundo speciales, sed tamen fundamentalis momenti;
tertio singulares enuntiationes respicientes.

I. *Generalia, ex indole totius schematis provenientia.*

1. Schema *non proponit organicam et totam doctrinam* de Ecclesia. Verum quidem est non debere omnia et singula, quae dici possunt, in conciliari constitutione de Ecclesia proponi. Tamen quaedam organica unitas et totalitas

eorum, quae ad Ecclesiam pertinent, exspectatur. Hoc iam in Concilio Vaticano I propositum erat, et negari nequit doctrinam de primatu Romani Pontificis propterea, quod separata ab aliis capitibus de Ecclesia mansit, aspectum minus perfectum habere. Enuntiationes singulares, etsi in se sumptae sunt verae, a veritate tota deficiunt, nisi tractantur in connexione cum toto. Immo ansam praebere potest falsae interpretationi enuntiatio pro se sola sumpta, dislocata ex ambitu reliquarum enuntiationum, in quarum connexione suum recipere debet accentum. Tale quid apparet in nostro schemate e. g. eo, quod de episcopis et ministerio sacro fuse tractatur, quin maior sermo sit de fidelibus, ad quos laici non minus pertinent quam ministri.

2. Quae tamen tractantur in singulis capitibus schematis, *sine sufficienti ordine* ex visceribus rei desumpto proponuntur. Unum iuxta aliud ponitur, quin sufficienter appareat, quomodo propositiones singulae inter se cohaereant.

3. Non tantum electio thematum, sed etiam modus de iis loquendi *indolem nimis negativam* prae se fert. Principium, secundum quod themata eliguntur, et modus de iis loquendi, desumpta esse videntur ex haeresibus vel erroribus reiiciendis. Secundum finem autem, quem Summus Pontifex Concilio statuit, et secundum indigentias hodierni temporis doctrina de Ecclesia positive et modo vere pastorali proponi debet, quin reticeri debeant errores.

4. Quae *inquisitiones theologiae* fundamentalis, exegeticae et dogmaticae de Ecclesia ultimis decenniis elaboraverunt, *non satis respiciuntur et adhibentur*. Hoc valet e. g. de natura Ecclesiae, quae in S. Scriptura variis imaginibus proponitur neque in uno conceptu componi potest, de sacramentalitate, de relatione Ecclesiae ad regnum Dei, de charactere eschatologico Ecclesiae, de Ecclesia ut realitate historica, de interno sensu structurae hierarchicae Ecclesiae, de relatione inter ministerium et charismata et multa alia. Praesertim autem S. Scriptura in hoc schemate non bene adhibetur (e. g. pag. 37, lin. 10; pag. 61, linn. 11-14).

5. Schema *de Ecclesia* nimis « essentialistice » loquitur, i. e. Ecclesiam proponit ut realitatem semel pro semper aedificatam et perfectam. Nihil dicitur de Ecclesia ut realitate historica, quae essentiam suam operatione Sancti Spiritus, sed etiam humana, realizare debet. Id quod non omnibus temporibus aeque perfecte fit. Ecclesia tota apparere debet non tantum quatenus hodie per totum mundum et omnes homines extenditur, sed etiam quatenus per historiam continuatur.

6. Schema tacet de eo, quod in decursu historiae *veritas revelata* et realitas a Christo instituta *non semper aeque complete realizantur*. Quaedam elementa, quae ad Ecclesiam pertinent, quibusdam temporibus fere oblivioni tradi possunt, cum alia nimis efferantur. Si tale quid non respicitur, non attenditur possibilitas, quod quaedam elementa, quae apud nos nimis negliguntur, fortasse apud christianos separatos magis, immo nimis pronuntiantur. Hac in re apparet et in schemate dici deberet, quomodo respectus oecumenicus inservire possit cognitioni perfectae Ecclesiae catholicae.

7. Schema *nihil dicit de valore theologico,* quem singulae enuntiationes habeant. Ne oriantur magnae difficultates pro interpretatione constitutionis conciliaris, dici debet, quomodo intelligantur propositiones, num proponatur dogma an res proponantur ea auctoritate, quam iam ex magisterio ordinario vel aliis definitionibus habent. Fortasse in prooemio haec vel similia dici possunt: « Quae sequuntur, tali ratione dicta et tali cum respectivi assensus obligatione imposita intellegantur oportet, qualis fide bene edoctis nota iam est ex praedicatione magisterii ordinarii Ecclesiae, nisi aliud explicite statuitur ».

II. *Specialia, quae tamen indolem generalem tangunt.*

1. *Doctrina de natura Ecclesiae.*

a) Ex diversis imaginibus, quae S. Scriptura adhibet ad describendam Ecclesiam, solummodo imago corporis Christi adhibetur. Hoc insufficiens est, quia unaquaeque imago specialem praebet accentum, qui omnes coalescere debent, ut cognoscatur, quid sit Ecclesia.

b) Schema utitur imagine corporis Christi, quasi esset conceptus logicus et non imago. Deducit ex tali conceptu proprietates, quin quaerat, utrum ipsa S. Scriptura hoc permittat.

c) Ipsam autem imaginem corporis Christi non sufficienter adhibet secundum S. Paulum, qui utitur imagine corporis Christi aliter in epistolis ad Romanos et Corinthios, aliter in epistolis captivitatis.

d) Imago Spiritus Sancti animae corporis Christi cautius adhiberi debet, ut evitetur monophysitismus ecclesiologicus (cf. Leo XIII, *Satis cognitum*: *A.S.S.* 28 [1896], 710). Saltem relatio inter Christum caput et Spiritum Sanctum animam Ecclesiae explicare debet; secundum S. Scripturam Christus functionem capitis per Spiritum Sanctum exercet ita, ut etiam ipse appareat quasi anima Ecclesiae.

2. *De membris Ecclesiae eiusque necessitate ad salutem.*

a) Titulus ordinem rerum convertit: Ex necessitate Ecclesiae ad salutem resultat quaestio, qui sint eius membra.

b) Doctrina in n. 8 de voto proposita melius explicari deberet. Theologi hodie vident difficultates in iis, quae dicuntur de voto baptismatis vel Ecclesiae.

c) Magis aperta relinquatur quaestio de sorte infantium sine baptismate morientium. Fortasse deleatur pericopa pag. 15, linn. 5-9, et dicatur: « Eadem necessitas, quae baptismo aut eius voto pro salute convenit, etiam asserenda est de Ecclesia » vel similiter.

d) Quae dicuntur de membris Ecclesiae, cautius dici debent. Estne ratio membri in indivisibili, quasi aut homo sit sensu pleno membrum Ecclesiae aut omnino non realiter sit eius membrum? Alternativa talis non videtur poni posse: nam etsi quidam non omnia tria vincula habet, sed tantum unum vel alterum, tamen pro sua parte realiter, etsi non sensu pleno et perfecto ad Ecclesiam pertinet et imperfecte dici potest eius membrum. Ergo: aut dicatur 15, 18 et 20 loco « vero et proprio sensu » « pleno et perfecto sensu » aut

simpliciter evitetur terminus « membrum » et describantur tantum concrete diversi casus, qui diversimodam relationem hominis ad Ecclesiam determinant.

e) Necessitas Ecclesiae describi deberet non tantum pro salute hominis singularis individualistice considerati, sed etiam pro genere humano ut collectiva unitate. Ecclesia est sacramentum generis humani, quod est magni momenti etiam quoad eos, qui non baptismate ad eam pertinent.

f) Quae dicuntur pag. 16, linn. 16-18: « Sp. S. sua virtute, non exclusa gratia sanctificante, etiam extra venerandum illud Corpus agit... », oppugnant vetustissimo illi principio « extra Ecclesiam nulla salus », quod, etsi hodie noniam sensu Cypriani interpretamur, tamen negare non possumus.

3. *De episcopatu ut supremo gradu sacramenti ordinis et de sacerdotio.*

a) Quaeri potest, utrum sacramentalitas ordinationis episcopalis sit gravissima quaestio quoad episcopos. Certissime non est unica. Tractanda videtur ut pars totius doctrinae de episcopali munere in Ecclesia.

b) Priusquam de ministerio (episcopali) tractatur, desideratur expositio de populo fideli in Ecclesia, cuius saluti ministri inserviunt. Finis ministerii enim in Ecclesia est parare Deo populum suum.

c) Ad explicandam essentiam muneris episcopalis in Ecclesia incipi debet a collegio apostolorum, quod Christus sub Petro capite instituit cuique collegium episcoporum sub Summo Pontifice succedit.

d) Si tractatur de sacramentalitate ordinationis episcopalis, exspectabitur etiam expositio de discrimine inter ordinationem episcopalem et presbyteralem. Utique de hac re inter theologos adhuc multum disputatur. Saltem dici potest episcopum ordinatione cooptari in collegium episcopale ideoque participem reddi potestatis pastoralis totius collegii. Sic etiam episcopis consecratis titularibus realis praebetur locus.

4. *De episcopis residentialibus.*

a) Si de singulis muneribus episcoporum tractatur, praemittenda videtur expositio munerum Ecclesiae ipsius, quibus opus Christi in Ecclesia perenne redditur (Denz. 1821). Sermo esse debet de ministerio verbi, ministerio sacramentorum et regimine, et quidem ita, ut ostendatur regimen esse non tantopere munus iuxta ministerium verbi et sacramentorum positum, sed illa pertransiens. Ita sensus catholicus munerum verbi et sacramentorum opponi posset sensui protestantium, quatenus secundum fidem catholicam verbum et sacramenta administrantur sub regimine episcoporum.

b) De collegio episcoporum primo loco, non ultimo sermo esse debet. Nam quid sit episcopatus, quidque eius positio in Ecclesia, solummodo apparet ex eo, quod describitur collegium episcoporum sub Summo Pontifice.

c) Relatio episcoporum ad Summum Pontificem describi debet non tantum negative, determinando limites potestatis episcoporum. Dici debet Summum Pontificem esse caput collegii episcoporum ita, ut neque collegium episcoporum a Summo Pontifice neque Summus Pontifex a collegio episcoporum possit separari.

d) Quae dicuntur in n. 16 de collegio episcoporum, partim bona sunt, sed suppleri debent. Non sufficit dicere potestatem collegii ordinariam solummodo modo extraordinario exerceri. Existit realis collegialitas etiam extra Concilium et antecedenter ad explicitam voluntatem Summi Pontificis.

e) Ex eo, quod de collegio episcoporum tractatur sub titulo « de episcopis residentialibus » videtur dici solummodo ipsos esse membra collegii, non autem episcopos consecratos titulares. Re vera autem iam ipsa ordinatione episcopus assumitur in collegium et particeps redditur potestatis pastoralis collegii, etsi non habet plenam iurisdictionem.

f) Relatio singulorum episcoporum ad totam Ecclesiam insufficienter explicatur. Iam antecedenter ad subiectivam curam pro tota Ecclesia talis relatio obiective existit, quatenus singuli episcopi ut membra collegii participant potestatem collegii sub Summo Pontifice in totam Ecclesiam. Quae potestas non est participatio potestatis Summi Pontificis.

5. *De statibus acquirendae evangelicae perfectionis.*

a) Hoc caput falso videtur poni loco. Non debet poni in una linea cum sacro ministerio ex una et laicis ex altera parte; nam distinctio inter homines consilia evangelica sequentes et homines in mundo versantes fit secundum respectum prorsus alium quam distinctio inter ministerium et laicatum: haec ultima provenit ex institutione Christi, illa autem ex charismatica vocatione. Propterea de statu evangelicae perfectionis agendum esset in connexione cum charismatibus in Ecclesia eorumque functione pro existentia eschatologica Ecclesiae.

b) Magis agendum esset etiam de iis, qui consilia evangelica sequuntur extra communitates religiosas.

c) Hoc caput multum abbreviari posset.

d) Magis explicite dici debet perfectionem, ad quam status consiliorum evangelicorum ducat, non esse aliam quam perfectionem omnium christianorum, scil. perfecta caritas.

e) Clarius dici debet media ista, etsi in se meliora sunt, tamen pro concreta indole et situatione determinati hominis minus apta esse posse ad prosequendam perfectionem caritatis.

6. *De laicis.*

a) De laicis agitur hic nimis exclusive quatenus missionarice cooperantur cum munere hierarchico. Deest descriptio laici, quatenus intra Ecclesiam ut membrum populi Dei coram ministris tanquam repraesentantibus Christi ponitur et vivit. Deest etiam descriptio situationis specifice laicalis, eius vitae saecularis in mundo, qua ex una parte fini intramundano ex voluntate Dei inservitur et ex altera parte modo specifice christiano vivitur. Ex his defectibus resultat spiritus quidam clericalis huius capitis.

b) Examinanda est relatio huius capitis ad schema *de apostolatu laicorum* a respectiva commissione elaboratum.

N.B.: De capp. VII-XI secundum normas pro labore Concilii statutas a commissione coordinativa hic nihil dicitur.

III. *Quaedam singularia* (ad singulas schematis sententias).

Pag. 9, lin. 14 s.: vox « redemptores » in tali connexione satis inusitata est in Ecclesia. Melius: Dei adiutores vel cooperatores.

Pag. 9, lin. 23: episcopus aegre dicitur « rex ». Melius: pastor. Simili modo pag. 10, lin. 6 loco « gubernii » dicatur « ministerium ».

Pag. 10, lin 15: cum etiam episcopi spectent ad fundamentum Ecclesiae, hi nominandi sunt: « super Petrum atque collegium apostolorum eorundemque successorum, in quibus idem Petrus et sub eo idem collegium... essent... superstites ».

Pag. 10, lin. 22: Ecclesia et regnum Dei non possunt simpliciter identificari.

Pag. 10, lin. 27: loco « principem locum » dicatur « insignem locum » vel simile quid.

Pag. 11, lin. 22 s.: non dicatur « gratia », quia etiam « virtus fidei » gratia est. Secundum communiorem sententiam ii, qui interne tantum virtutem fidei amiserunt, adhuc sunt membra Ecclesiae, dummodo non deficiat professio fidei externa.

Pag. 11, lin. 24 s.: quaestio de peccato in Ecclesia non adaequate solvitur. Peccatum membri Ecclesiae non quidem tollit sanctitatem essentialem Ecclesiae, ex altera parte autem non est tantum « offensio » quasi ab extrinseco illata, sed vere illam afficit (cf. citata ex S. Augustino et S. Chrysostomo in annotatione 40 huius capitis).

Pag. 12, lin. 23: loco « catholica romana » dicatur melius « catholica », et quidem ex his rationibus: ut Romana exhibetur iam antea par. 14, lin. 21 s.; nemo negat unice nostram Ecclesiam nuncupari romanam; romanitas non pertinet ad notas traditionales Ecclesiae; non constat romanitatem qua talem esse iuris divini.

Pag. 15, lin. 25: hoc incisum de excommunicatione deleatur. Disputatur, utrum excommunicatus vitandus adhuc sit membrum Ecclesiae an solummodo iura membri noniam habeat.

Pag. 15, lin. 30 et pag. 16, lin. 6: desiderium inscium: videtur esse contradictio. Dicatur « implicitum desiderium ».

Pag. 20, lin. 4: dicatur « pascendi » loco « gubernandi ». Hoc melius consonat cum charactere ministeriali muneris episcopalis.

Pag. 20, linn. 15-19: haec cautius dici possent propter rationes et speculativas (potestne Ecclesia apponere validae ministrationi sacramentorum condiciones valoris?) et historicas (reordinationes simoniace ordinatorum).

Pag. 20, lin. 31: sacerdos agitne vere « vices » episcopi an eum adiuvat? Episcopus retinet immediatam necessitudinem ad omnes homines, qui eius gregem constituunt.

Pag. 23, lin. 7: ut dignitati episcoporum et iuri divino episcopatus magis

correspondeatur, dicatur loco: « a regimine Ecclesiae supremo » melius « mediante regimine supremo ». Deinde evitetur quaestio hodie adhuc disputata, utrum nominatio determinati episcopi per Romanum Pontificem sit collatio potestatis a potestate S. Pontificis derivandae an designatio personae eiusque cooptationis in collegium episcopale, qua particeps fiat potestatis iure divino in collegio residentis.

Pag. 32, lin. 9: loco « sine proprio » dicatur « pauperem vitam agere ». Hoc enim enuntiant ipsa verba Domini, et praeterea abdicatio proprietatis est potius medium paupertatis quam res in seipsa bona.

Pag. 32, lin. 10: loco « in castitate » dicatur « celibes »; nam omnes christiani debent caste vivere.

Pag. 32, lin. 11: dicatur « liberam Eius assumptionem formae servi » (*Phil.* 2, 8); nam consilium evangelicum explicari debet tanquam repraesentatio liberae descendentiae Filii in formam servi.

Pag. 33, linn. 36-38: deleatur, quia difficile est diversas formas et instituta vitae religiosae secundum maiorem vel minorem perfectionem diiudicare.

Pag. 37, lin. 9 s.: loco « proprii quoque nominis » dicatur « ministeriales »; nam sacerdotium universale non est tantum metaphora.

Pag. 37, lin. 21: etiam laici regnum sacerdotale diffundunt; directio huius regni non est functio sacerdotii ministerialis qua sacerdotii, sed functio muneris pastorum per iurisdictionem.

Pag. 37, linn. 25-35: duplex acceptatio vocabuli « laicus » evitari debet. Cf. pagg. 33, 34 s.

Pag. 37, lin. 36 ad pag. 38, lin. 3: ordo debet inverti. Munus apostolatus non est primum elementum status laicalis.

Pag. 38, linn. 1-8: multa disparata hic sine apto ordine enumerantur.

Pag. 38, lin. 22: sententia nimis apodictica et universalis. Etiam laici in continuatione missionis salutaris Christi auctoritatem habere possunt, e. g. parentes, educatores (cf. etiam pag. 40, lin. 13).

Pag. 38, lin. 38 ad pag. 39, lin. 37: id, quod sub *c*) dicitur, primo loco ponendum est.

Adumbratio schematis constitutionis dogmaticae « de Ecclesia »

seu propositio positiva
quomodo schema *de Ecclesia* emendari et compleri possit

Index

Prooemium.

Conditiones Ecclesiae in mundo hodierno. Intentio huius schematis.

Prologus: *Ecclesia in oeconomia salutis divina.*

1. Dei Patris consilium.
2. Filius incarnatus principium unionis generis humani.
3. Spiritus Sanctus principium Ecclesiae.

Caput I: *De mysterio Ecclesiae.*

4. Ecclesia populus Dei.
5. Ecclesia templum seu domus Dei in Spiritu Sancto aedificata.
6. Ecclesia ut Corpus Christi.
7. Ecclesia sancta civitas Hierusalem.
8. Synthesis.
   a) Ecclesia summa totius actionis salutaris Dei. Ecclesia ut fructus huius actionis - et ut medium.
   b) Ecclesia una - apostolica.
   c) Ecclesia coniunctio elementi humani et divini.
   d) Ecclesia mysterium fidei.
   e) Ecclesia sacramentum fundamentale et universale et eschatologicum salutis.
   f) Ecclesia catholica - eius munus missionarium.

Caput II: *De membris Ecclesiae.*

9. De necessaria cum Ecclesia coniunctione.
10. Ecclesia signum unum et complexum salutis.
11. Diversa coniunctio cum Ecclesia, signo salutis uno et complexo.
12. Coniunctio perfecta cum Ecclesia. (Alternative: Membrum perfectum Ecclesiae).
13. Coniunctiones imperfectae cum Ecclesia. (Alternative: Membrum imperfectum).
14. De Ecclesiae elementis extra Ecclesiam datis.

Caput III: *De ministeriis in Ecclesia et de ministris, imprimis de episcopis.*

15. De dignitate communi omnium membrorum populi Dei et corporis Christi.

§ 1. *De ministeriis in Ecclesia.*

16. De ministeriis in genere.
17. De ministerio verbi seu de magisterio Ecclesiae.
18. De infallibilitate huius ministerii verbi.
19. De ministerio sacramentorum.
20. De indefectibilitate huius ministerii sacramentorum.
21. De ministerio gubernandi.

§ 2. *De ministris in Ecclesia.*

22. De ministris Ecclesiae in genere.
23. De apostolis seu de collegio « duodecim ».
24. De episcopis successoribus apostolorum.
25. De collegio apostolorum et de collegio episcoporum.
26. De potestate collegii episcopalis.
27. De Romano Pontifice eiusque primatu et infallibilitate.
28. De singulari episcopo eiusque constitutione.

29. De sacramentalitate ordinationis episcopalis.
30. De munere episcopi singularis et praesertim residentialis.
31. De presbyteris.
32. De sacerdotibus exemptis.
33. De diaconis.
34. De Ordinibus inferioribus.

Caput IV: *De laicis.*

35. Introductio.
36. Munus fidelium in aedificanda Ecclesia ipsa.
37. Munus laicorum in sanctificando mundo.
38. De sana autonomia civitatis terrenae.
39. Usus temporalium rerum christianus.
40. Dona charismatica extraordinaria.
41. Adhortatio.

Caput V: *De statu sequelae Christi secundum consilia evangelica.*

42. De statibus in Ecclesia.
43. De origine consiliorum evangelicorum.
44. De sequela Christi per consilia evangelica.
45. De consiliis evangelicis tamquam signis Ecclesiae.
46. De servitio ecclesiastico eorum, qui consilia evangelica profitentur.

ADUMBRATIO SCHEMATIS CONSTITUTIONIS DOGMATICAE « DE ECCLESIA ».

Prooemium.

Lumen gentium cum sit Ecclesia, haec Sacra Synodus in Spiritu Sancto congregata omnibus hominibus, imprimis autem illius filiis in caligine huius saeculi viventibus, Dei bonum verbum in Iesu Christo Ecclesiae ipsi concreditum annuntiare vult. Ab eodem enim Christo Iesu Ecclesia mandatum accepit praedicandi evangelium omni creaturae.[1] Conditiones autem huius temporis huic mandato novam urgentioremque addunt vim et instantiam. Homines enim, qui hucusque in diversis orbis terrarum partibus segregati et hinc sibi invicem nimis ignoti vixerunt, hodie novis vinculis oeconomicis, socialibus, politicis, culturalibus intime connexi et alii ab aliis dependentes, ut unam tantum familiam efforment, vocantur. Eadem sorte aut fortunae aut interitus coniunguntur. Ideo ipsa quoque Ecclesia vicinior omnibus facta reapse mundi totius Ecclesia evadit. Cum vero sese ut sacramentum intimae unitatis totius generis humani in se eiusque unionis cum Deo, omnium principio et fine, cognoscat, propriam naturam instantius fidelibus suis et mundo universo praedicare intendit, non ut gloriam suam coram hominibus quaerat, sed ut fidelius suam ad mundum missionem impleat et fidem hominum facilius inveniat.

Quae sequuntur tali ratione dicta et tali cum congruentis assensus obligatione imposita intelligantur oportet, qualis in fide bene edoctis nota iam est ex praedicatione magisterii ordinarii Ecclesiae, nisi contrarium expresse dicitur.

Prologus: Ecclesia in oeconomia salutis divina.

1. (Dei Patris consilium). Aeternus Unigeniti Pater nunquam quidem, neque post peccatum in initio generis humani commissum, desiit colligere sibi ad intimam unitatem vitae divinae illos, quos creavit, semperque eos intuitu futuri Christi sui illa prosecutus est caritate, quae omnes ad se trahit. Quam voluntatis suae salvantis et unientis historiam, ut propinquius adduceret ad illum, qui est unio et pax nostra, Deus constituit foedus cum populo Israël, ut in illo omnes gentes benedicerentur,[2] ponens iam istud foedus typum et praeparationem illius communionis universalis et definitivae, quam in Filio suo condere volebat. Cum ergo Pater liberrimo eoque arcano sapientiae et caritatis suae consilio statuisset mundum a se conditum incarnatione Filii sui ad intimam suam vitam et gloriam asciscere et genus humanum per peccatum Adami protoparentis ex statu iustitiae originalis misere delapsum sibi reconciliare,[3] in plenitudine temporis misit hunc Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus et haeredes Dei essemus.[4]

2. (Filius incarnatus principium unionis generis humani). Missum est igitur Verbum Dei Patris aeternum, per quod omnia facta sunt,[5] in mundum, ut sit lumen ad revelationem gentium et gloria plebis suae Israël.[6] Venit ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.[7] Cum enim Salvator noster unus Deus, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, unum mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Iesum, constituerit eumque fecerit dare redemptionem semetipsum pro onmibus,[8] ut sit primogenitus in multis fratribus,[9] generi humano validissimum et firmissimum principium unitatis, quo cum Deo et ita in se coniungeretur, immisit. In sanguine Christi in cruce morientis et ex sepulchro resurgentis, Deus Pater novum Foedus instituit [10] novumque genus humanum creavit, quod non secundum carnem, sed in Spiritu Christi ad unitatem coalesceret, ut esset novum Israël Dei.[11] Sicut vero Israël secundum carnem, qui in deserto peregrinabatur, Dei Ecclesia appellatus est,[12] ita et Christus Israël Dei, qui in praesenti saeculo incedens, futuram eamque manentem civitatem inquirit [13] et hanc spem fide profitetur et caritate amplectitur, Ecclesiam suam nuncupavit,[14] quippe quam suo sanguine adquirere,[15] suo Spiritu implere,[16] aptisque mediis visibilibus seu socialibus unionis instruere vellet, eam super Petrum [17] et apostolos [18] aedificando. Congregatio eorum, qui in Iesum auctorem salutis et pacis et unitatis principem [19] credunt, est Ecclesia Christi ab ipso convocata et legitime constituta, ut sit sacramentum universale et visibile et ultimum huius salutiferae unitatis.

3. (Spiritus Sanctus principium Ecclesiae). Deus Pater hominem Iesum, qui est Verbum suum incarnatum, Spiritu Sancto unxit [20] et « Christum » eum fecit.[21] Virtute huius Spiritus hic Christus Regnum Dei annuntiavit et opere suo adduxit,[22] apostolis suum verbum [23] et suam potestatem [24] tradidit. Dextera Dei exaltatus et promissione Spiritus Sancti accepta a Patre effudit hunc [25] in die Pentecostes super discipulos suos, quo omnes replerentur,[26] ita ut di-

spersio gentium et linguarum in unitate novi populi tolleretur.[27] Non solum Ecclesia ex domo Israël adquisita consolatione Sancti Spiritus replebatur,[28] sed et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est.[29] Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei sive gentiles, sive servi sive liberi, et omnes in uno Spiritu potati sumus.[30]

Ita Ecclesia est communio illorum, qui in Spiritu Sancto « in novissimis diebus » [31] iunguntur et a Deo Patre in filios assumuntur, ita ut in divisione gratiarum et ministrationum et operationum,[32] in diversis muneribus et ministeriis [33] ubertatem gratiae Dei in mundum effusae ostendant et continuo mundo communicent. Quod mysterium Ecclesiae in Sacra Scriptura diversis imaginibus et figuris explicatur.

Caput I: *De mysterio Ecclesiae.*

4. (Ecclesia populus Dei). Communitas eorum, quos Pater in sua gratia per Christum in Spiritu sibi paravit, secundum testimonium Sacrae Scripturae est Ecclesia Dei,[1] Israël Dei,[2] grex Dei.[3] Ipse enim sibi voluit praeparare genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum adquisitionis... qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei est.[4] Communitas christiana adeo est opus Dei Patris, ut sit Dei agricultura,[5] eiusque vinea, quae olim veteri Israël concredita nunc aliis agricolis data est, qui reddant ei fructum temporibus suis.[6] Ecclesia ita est heres populi duodecim tribuum, sancta civitas Hierusalem *Nova* descendens de caelo a Deo,[7] cuius murus habet fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni.[8] Deus ergo auctor utriusque Testamenti ipse collegit nos in Christo, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.[9] Congregatus populus iste a Deo patre, adquisitus a Christo, commissus est ut grex Petro pastori,[10] ut sit in Christo unum ovile et unus pastor.[11]

5. (Ecclesia templum seu domus Dei in Spiritu Sancto aedificata). Quia Deus in medio populi sui inhabitat,[12] ideo Ecclesia est domus Dei spiritalis [13] et templum Dei vivi,[14] habitaculum Spiritus Dei,[15] id est Spiritus filiationis et libertatis, qui fugat spiritum servitutis.[16] Non enim sumus hospites tantum et advenae, sed cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu; in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo coaedificamur in habitaculum Dei in Spiritu.[17] Ibi adoratur Deus in Spiritu et veritate [18] agiturque sacerdotium sanctum offerens spiritales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.[19]

6. (Ecclesia ut corpus Christi). Ecclesia vero est populus Dei ut corpus Christi, et est corpus Christi ut iste populus adquisitionis. Singuli quidem christifideles nova creatura sunt in Christo,[20] nova nativitate geniti,[21] at novam suam exsistentiam non habent nisi in nova communitate fundata in Christo Iesu, vivificata a Spiritu Sancto. Nemo est Christi, quin pertineat ad corpus Christi.[22] Sumus vero corpus et corpus Christi, quia in uno Spiritu omnes in

unum corpus baptizati... et omnes in uno Spiritu potati sumus.[23] Ideo vero imprimis coalescimus in corpus, quia Ecclesia in se ab ipso Domino ut pignus unionis concreditum habet verum corpus Christi, quo in Eucharistia omnibus fidelibus datur. Quoniam enim unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.[24] Haec unitas corporis postulat diversitatem membrorum: Nam et corpus non est unum membrum, sed multa... Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.[25] Membra huius corporis inter se distinguuntur et simul iunguntur ratione ministeriorum et munerum, etiam stabilium, et charismatum,[26] quae singulis ab uno Spiritu Christi in utilitatem totius corporis impertiuntur.[27]

Christus vero est caput huius corporis, quia cum Ecclesia format unum totum, sicut caput et corpus unum totum sunt, distinctione tamen non sublata. Nam Christus simul est Dominus Ecclesiae, cui subiecta est (*Eph.* 5, 23), qui corpus suum gubernat et format: veritatem autem facientes in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.[28] Inter caput et corpus viget unitas vitae et activitatis, sicut inter vitem et palmites.[29] Sors capitis est sors corporis, in passione et in gloria.[30] Quia vero Christus caput in caelis cum Ecclesia corpore suo in terris intima unione iunctus est, hoc corpus Christum in terris repraesentat et praesentem reddit. Sicut Christus est pleroma seu vas plenitudinis Dei,[31] ita etiam Ecclesia est pleroma seu receptaculum plenitudinis Christi inhabitantis et ita etiam plenitudinis Dei ipsius.[32]

7. (Ecclesia sancta civitas Hierusalem). Ecclesia autem peregrinans in terris perficieteur in illam sanctam civitatem Hierusalem, quae descendit a Deo.[33] Haec est civitas sanctorum undequaque perfecta, cuius templum est Dominus et Agnus, quae illuminatur claritate Dei et cuius lucerna est Agnus.[34] In Deo ipso ergo et in Christo colligitur et consummatur populus sanctus Dei. Hora nuptiarum Agni [35] venit, cui Ecclesia consummata adducitur ut sponsa et uxor,[36] illud novum Israël, quod sponsum tempore probationis non dereliquit. Adeo haec spes firma est, ut iam fideles Ecclesiae peregrinantis in terra accessisse se sciunt « ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Hierusalem caelestem... ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis... ».[37] Iam considerare se possunt ut conservos et fratres Sanctorum,[38] qui consummati sunt in testimonium propriae vocationis.

Dum autem Ecclesia in suis membris, apostolis et fidelibus, adhuc peregrinatur a Domino, per fidem ambulans et non per speciem,[39] manet quidem sortis Christi patientis particeps,[40] at tribulationes et odium huius mundi [41] in patientia et gaudio Spiritus Sancti patitur. Crucifigitur quidem cum Christo ex infirmitate, vivit tamen cum illo ex virtute Dei.[42] Intrabunt quidem in eam « lupi rapaces... non parcentes gregi », immo ex medio fratrum exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se;[43] inveniuntur in ea

falsi fratres [44] et falsi prophetae;[45] nihilominus portae inferi non praevalebunt adversus eam.[46] Quamvis ipsa ex potestate tenebrarum erepta [47] et per sanguinem Christi salvata,[48] vocata tamen est, ut sit sancta et immaculata, non habens maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi.[49] In medio eorum, qui ignorant Deum, est lumen gentium et lux mundi, quia continuo in ea agitur cultus adorationis Dei in Spiritu et veritate.[50] Vocata ad ministerium verbi et gratiae Dei tamen cura pauperum et indigentium in caritate Christi saeculo exhibet suae missionis testimonium.[51] In mundo, sed non de mundo exsistens,[52] praedicat Evangelium Christi omnibus gentibus usque ad consummationem saeculi.[53]

8. (Synthesis). Quae imagines et figurae, quamvis diversae, quibus describitur Ecclesia, opus oeconomiae divinae, ad eundem fere sensum, mysterii vero plenum reducunt:

a) Ecclesia sive exhibetur ut populus Dei, sive ut templum vel domus vel civitas Dei, sive ut corpus Christi, sive ut sponsa Agni; in omnibus apparet ut summa et complexio totius actionis salutaris Dei Patris, coeptae iam in Vetere Testamento, vel iam in ipsis initiis historiae humanae, peractae plene in vita, morte et exaltatione Christi, consummatae et consummandae in communicatione Spiritus Patris et Christi usque ad finem temporum.

Hac in actione Dei Ecclesia simul est *fructus* salutis et *medium* activum ad salutem mundo communicandam. Id enim, quod Deus salutifera sua actione per Christum in Spiritu Sancto operatur, est « Ecclesia », id est genus humanum redemptum, professione unius fidei et cultu et uno pastore unitum et manifestatum. Simul autem ipsa haec Ecclesia vocatur in opus Christi eique ut Mater fidelium inservit et sacris institutionibus et Spiritu, ut mundum universum Deo lucrifaciat.

b) Cum Ecclesia sit summa totius actionis salutaris Dei, constituta per unum Dominum in uno Spiritu, una fide, uno baptismate et una Eucharistia, aedificata supra unum Petrum et fundamentum apostolorum, necessario *una est,* sicut est etiam *apostolica,* semperque una manet et quidem in sua intima vita et in suo sociali et historico aspectu, idque in distinctione et diversitate membrorum et munerum et donorum et in successione temporum. Cum vero Ecclesia ex altera parte nata sit, ut omnes filios Dei congreget in unum, illam unitatem adhuc quaerit, quae est universitas omnis vitae et salutis a gratia Christi procedentis.

c) Sicut in Capite et Domino Ecclesiae in unitate eiusdem personae divina et humana concurrunt, inconfuse et inseparabiliter, sic Ecclesia, licet dissimili similitudine, id est secundum analogiam, utrumque coniungit: humanum et divinum, terrenum et caeleste, externum et internum, temporale et aeternum; habet in se peccatores, et tamen est *sancta,* cum virtute sanguinis Christi omne peccatum abluat. Ex una parte Ecclesia ergo est communitas in terris exsistens, professione unius fidei et sacris signis et muneribus stabilibus exstructa et manifestata, et simul ex altera parte divinum possidet Spiritum, qui est intima eius vita et propria eius realitas. Ecclesia ergo in se elementum

visibile cum realitate invisibili coniungit, et quidem indissolubiliter. Ita Ecclesia quidem semper est visibilis, at non est visibilis ad modum realitatis mere terrestris, sed visibilis est ad modum signi sacramentalis, quod internam gratiam significat et praesentem reddit.

d) Ecclesia visibilis, cum recte non intelligatur nisi prout est signum perenne et vas electum illius divinae vitae, quam Deus Pater per Filium suum in Spiritu Sancto mundo communicare vult, necessario participat rationem *mysterii* Dei Patris et Christi et Spiritus Sancti, quod fide tantum percipi potest. Fides vero in Ecclesiam excitatur et progreditur ab elemento eius visibili et historico, quod vi institutionis Christi *per se ipsum* est tale, ut rationem profundiorem eamque divinam postulet. Membra vero Ecclesiae id studere debent, ut signum, quod est Ecclesia, semper in sua puritate lucere faciant.

e) Hoc modo Ecclesia sacramentum salutis mundi totius evadit. In aspectu suo visibili et historico, seu in verbo, sacramento et lege, est *signum* a Deo per Christum *levatum,* quo mysterium voluntatis salvificae divinae in terris definitive et irrevocabiliter manifestum et praesens factum est, illius voluntatis scilicet, qua Deus per Christum in Spiritu Sancto mundo divinam vitam gratuita donatione conferre decrevit. Istud autem signum, cum Ecclesia sit fructus salutis, indefectibili modo coniunctum est cum re ipsa, quae hoc signo manifestatur. Hinc Ecclesia, Corpus Christi, prout est perennis repraesentatio Christi Salvatoris et vivum organum actionis salutiferae Dei Patris per Christum in Spiritu Sancto peragendae, ita ut salutem mundo irrevocabiliter et visibiliter communicet, iure dicitur in nostra oeconomia *sacramentum fundamentale et universale et eschatologicum* salutis mundi.

f) Ut signum unicum et universale voluntatis salvificae divinae totum mundum amplectentis Ecclesia missa est ad omnes gentes ideoque munus *missionarium* illi semper incumbit. Ecclesia non sibi vivit, sed saluti totius mundi inservit. Ideo est *catholica* idque eo magis, quod in dies profundius ut fermentum toti massae mundi immittitur, donec fermentatum sit totum. Missio haec est opus totius Ecclesiae, non solum pastorum, sed totius populi fidelium. Ita tantum mysterium Ecclesiae lumen gentium esse potest.

Caput II: *De membris Ecclesiae.*

(Nota: Hoc caput obiectum, de quo agitur, duplici modo exhibet: *primo modo,* in quantum fieri potest, terminus « membri » evitatur et sermo est de *coniunctione* cum Ecclesia tantum; *altero modo,* qui sc. alternative proponitur, terminus *membri* inducitur).

9. (De necessaria cum Ecclesia coniunctione). Cum Deus in Ecclesia irrevocabiliter suam voluntatem salvificam universalem mundo protestetur, Ecclesia omnes homines ad se trahere debet. Ideo coniunctio cum Ecclesia eadem ratione ad salutem necessaria dici debet, qua ex antiqua professione Ecclesiae sacramentum baptismatis necessarium est (cf. *Mc.* 16, 16). Proinde, qui neque re neque voto huius signi salutis, quod est Ecclesia, particeps est,

salutem nullatenus consequi potest. Voto autem ad Ecclesiam ordinantur non catechumeni dumtaxat,[1] qui Spiritu Sancto movente, conscio et explicito desiderio ad Ecclesiam aspirant, sed ii quoque, qui etsi ignorantes Ecclesiam veram et unicam Christi, tamen gratia Dei movente, implicito desiderio simile praestant,[2] sive quod sincera voluntate id volunt quod vult Christus, sive quod ignorantes Christum, sincere adimplere desiderant voluntatem Dei et Creatoris sui. Gratiae enim caelestis dona nequaquam illis defutura sunt, qui luce divina recreari sincero animo velint ac postulent.[3]

Ut intelligatur efficacitas huius voti Christi et Ecclesiae etiam impliciti, attendendae sunt condiciones salutis omnium, quales sunt: universalitas voluntatis salvificae Dei,[4] unitas generis humani et historiae eius,[5] unitas realis Christi cum isto genere humano vi incarnationis,[6] redemptio obiectiva omnium hominum. Quae condiciones etiam afficiunt Ecclesiam ut est signum salutis universale in mundo.

10. (Ecclesia ut signum unum et complexum salutis). Ut Ecclesia constituatur ut signum distinctum et explicitum salutis in mundo, elementa plura et determinata requiruntur. Ecclesia vero est signum et medium salutis complexum, continens in se diversa elementa, licet inter se arctissime coniuncta.[8] Primum elementum, symbolicum quod vocatur, est professio unius fidei.[9] Secundum elementum, sacramentale quod vocatur, est legitima administratio baptismatis, quo Ecclesia hominem recipit,[10] et reliquorum sacramentorum et legitima coena Domini.[11] Tertium elementum hierarchicum, quod vocatur, est auctoritas apostolica Petri et apostolorum legitima successione accepta.[12] Ibi plenum signum salutis seu vera Ecclesia est, ubi haec tria elementa unius signi, scilicet una fides, unum baptisma, unum regimen, simul et plene verificantur, id est in una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia, quae a successore Petri una cum collegio episcoporum nomine Christi regitur.

11. (Diversa coniunctio cum Ecclesia, signo salutis uno et complexo). Teste Sacra Scriptura [13] et Traditione Patrum et experientia Ecclesiae coniunctio singulorum hominum cum his tribus elementis unius signi, quod est Ecclesia, ex arcana Dei providentia et dispositione alia et alia esse potest, prout quis aut fidem profitetur aut insuper baptisma recepit aut etiam regimini Ecclesiae subiicitur, idque etiam in iis hominibus, qui absque sua culpa Ecclesiam non agnoscunt.[14] * Secundum positivam necessitudinem ad haec tria elementa aliam et aliam homines diverso gradu Ecclesiae coniunguntur.

(*Vel alternative*: * Secundum positivam necessitudinem ad haec tria elementa aliam et aliam homines diverso gradu Ecclesiae *uniuntur,* adeo ut nomen membri in lingua Ecclesiae hodiernae non simpliciter denegari debeat iis, qui imperfecte tantum Ecclesiae uniuntur).

12. (Coniunctio perfecta cum Ecclesia). Perfecte, sicut plene correspondet voluntati Christi et naturae Ecclesiae, ille coniungitur huic familiae visibili, qui signum, quod est Ecclesia catholica, in hoc ordine signi perfecte percipit, agnoscit et amplectitur, et iustificatus interne insuper vivit id, quod signo externo profitetur, vitam scilicet Spiritus Christi. In ordine visibili et sociali

signi ipsius ille plene coniungitur Ecclesiae, qui, licet donis gratiae internis careat, Ecclesiam participat unam fidem profitendo, unum baptisma suscipiendo et hierarchiae successorum Petri et apostolorum in Ecclesia catholica sese subiciendo.[15]

(*Vel alternative*: [Membrum perfectum Ecclesiae]. Membrum perfectum huius familiae visibilis est ille, qui signum, quod est Ecclesia catholica, in hoc ordine signi perfecte percipit et agnoscit et amplectitur. Quod in illis impletur, qui Ecclesiam participant unam fidem profitentes, unum baptisma suscipientes et hierarchiae successorum Petri et apostolorum in Ecclesia catholica sese subiicientes.[15]

Licet tale membrum perfectum constituatur iam per illud triplex vinculum, quo quis cum Ecclesia visibiliter iungendus est, tamen, cum triplex hoc vinculum sit significativum gratiae internae, qua homo Spiritus Sancti Ecclesiae particeps fit, membrum Ecclesiae etiam ut tale vocationem non perfecte assequitur, nisi interne vivit quod signo externo profitetur, vitam scilicet Spiritus Christi).

Quamvis ergo externa professio fidei catholicae et communio cum Ecclesia hierarchica in baptizatis sufficiat ad qualitatem membri perfect*e* (*vel alternative*: perfect*i*) retinendam, Ecclesia tamen nec viva, nec plene Ecclesia Dei exstat, nisi in veris fidelibus, Evangelio conversis.[16] Laudabilis igitur et obligatorius mos baptizandi infantes, omnino nequit officere obligationis vinculo, quo baptismati conversio fidesque personalis et vivax coniungitur, ita ut christianus infantili aetate baptizatur et sic fidelis effectus, gravi onere obligetur, ut ex suo libero assensu fidelis fiat et libera spirituali conversione iustificationem baptismalem in adulta aetate sua ratam habeat. Gravi onere obligantur sacerdotes totis viribus praedicatione sua curaque pastorali adlaborare, ut populus sibi commissus ad vivam fidem personalem perveniat et sacra eucharistica communione Christo plene incorporetur, seipsum cum eo et in eo Deo Patri offerens spiritalem hostiam.[17]

13. (Imperfectae coniunctiones cum Ecclesia). Qui voto Christi et Ecclesiae saltem implicito ducuntur, aliquo modo etiam ad Ecclesiam ordinantur,[18] praesertim si fide, spe et caritate iustificati exsistunt per arcanam Dei gratiam, qui nemini sese denegat, qui eum sincero corde quaerit (Denz. 1677). Qui explicite et firmiter profitetur Deum salutis et Christum ipsum Filium Dei, Revelatorem Patris et Salvatorem, iam vinculo symbolico iungitur Ecclesiae. Id valet primo de catechumeno in Ecclesia catholica;[19] sed secundo dici etiam potest de illo in Christum credente, qui nondum plenitudinem huius revelationis profitetur, sicut ab Ecclesia catholica proponitur.

Qui vinculo sacramentali, id est baptismate iungitur Ecclesiae, « constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et officiis, nisi ad iura quod attinet, obstet obex ecclesiasticae communionis vinculum impediens ».[20] Qui baptisma validum suscepit, quin etiam iungatur Ecclesiae vinculo symbolico perfecto et vinculo hierarchico, ex una parte non perfecte, sicut oportet, Ecclesiae unitur, ex altera parte non caret vinculo eximio,

quo Ecclesiae verae adstringitur. Cum etiam vinculum sacramentale et vinculum hierarchicum diverso gradu verificari possint, prout vera coena dominica aliaque sacramenta praeter baptisma et aliquid successionis apostolicae habentur aut deficiunt, coniunctio cum Ecclesia etiam sub hoc duplici respectu maior aut minor evadit.

Ista elementa, quibus Ecclesia ut signum salutis constituitur, ex natura sua ad se invicem ordinantur et vicissim se postulant. Ideo homini, qui ratione signi huius imperfecte tantum cum Ecclesia coniungitur, ex una parte, bona fide supposita, iam tota salus interna a Deo offertur, quam Ecclesia ut signum significat; ex altera parte iam significationem unius vinculi cum Ecclesia iungentis infructuosam quoad totam salutem internam reddit is, qui mala fide alia vincula et ita coniunctionem perfectam cum Ecclesia respuit.

(*Vel alternative*: 13. [Membrum imperfectum]. Qui explicite et firmiter profitetur Deum salutis et Christum ipsum Filium Dei Revelatorem Patris et Salvatorem, iam vinculo symbolico iungitur Ecclesiae, ita ut dignitate membri non simpliciter careat. Id valet primo de catechumeno in Ecclesia catholica;[19] sed secundo dici etiam potest de illo in Christum credente, qui nondum plenitudinem huius revelationis profitetur, sicut ab Ecclesia catholica proponitur.

Qui vinculo sacramentali, id est baptismate Ecclesiae iungitur, « constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et officiis, nisi ad iura quod attinet, obstet obex ecclesiasticae communionis vinculum impediens »,[20] et hinc dignitas membri Ecclesiae ei iure adiudicatur.[20-a] Qui baptisma validum suscepit, quin etiam iungatur Ecclesiae vinculo symbolico perfecto, id est tota fide Ecclesiae, et vinculo hierarchico, ex una parte non caret quidem ratione membri Ecclesiae, ex altera parte tamen membrum perfectum nullatenus dici potest. Cum etiam vinculum sacramentale et vinculum hierarchicum diverso gradu verificari possint, prout vera coena dominica aliaque sacramenta praeter baptismum et aliquid successionis apostolicae habentur aut deficiunt, ratio membri Ecclesiae etiam sub hoc duplici respectu maior aut minor evadere potest.

Ista elementa, quibus Ecclesia ut signum salutis constituitur, ex natura sua ad se invicem ordinantur et vicissim se postulant. Ideo homini, qui in statu membri imperfecti vivit, ex una parte, bona fide supposita, iam tota salus interna a Deo offertur, quam Ecclesia ut signum significat; ex altera parte iam significationem unius vinculi cum Ecclesia iungentis infructuosam quoad totam salutem reddit is, qui mala fide alia vincula et ita dignitatem membri perfecti Ecclesiae respuit).

14. (De Ecclesiae elementis extra Ecclesiam datis). Quo magis variae communitates religiosae christianae retinent elementa, quibus Ecclesia ut signum constituitur, fidem scilicet, sacramenta et successionem apostolicam, eo magis etiam accedunt ad Ecclesiam Christi. Cum insuper vera Christi Ecclesia non tantum sit una, sed etiam uniens, haec elementa Ecclesiae extra compagem visibilem suam data, non tantum sincere ut dona Christi agnoscit, sed etiam satagit,

ut sibi ipsi uniantur, cum ita non solum illa perfectionem propriam inveniant, sed etiam Ecclesia ipsa augeatur et ditescat.

Cap. III: *De ministeriis in Ecclesia et de ministris, imprimis de episcopis.*

15. (De dignitate communi omnium membrorum populi Dei et corporis Christi). Ecclesia ut unum corpus ex multis membris compositum certam ostendit structuram, quae variis muneribus et ministeriis designatur. Quae munera et ministeria non sunt nisi ad bonum totius corporis. Quicumque igitur membrum populi Dei est, iam ex hoc suo statu plena dignitate hominis christiani gaudet, quae ex sese essentialem diversitatem inter singula membra non ponit: « Non est iudaeus neque graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina. Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu ».[1] Quilibet gradus ministerii in Ecclesia hac fundamentali dignitate innititur, quae sola fundat hereditatem caelestem, ut pulcherrime dicit S. Augustinus: « Ubi me terret, quod vobis sum, ibi me consolatur, quod vobiscum sum. Vobis enim sum episcopus: vobiscum sum christianus. Illud est nomen suscepti officii, hoc gratiae; illud periculi est, hoc salutis ».[2] Omnia membra populi Dei pertinent ad genus electum et regale sacerdotium,[3] quia Christus « fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo ».[4] Omnes ergo christiani participes sunt sacerdotii Christi eiusque dignitatis regalis. Omnes cum illo in caelis regnabunt. In hac ergo communi dignitate fundatur vera aequalitas membrorum Ecclesiae, cuius signum sit illa fraternitas, quae primos discipulos Christi distinxit.[5] Haec dignitas sit norma, secundum quam singula membra aestimentur etiam in vita sociali Ecclesiae: « Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum anulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum qui indutus est veste praeclara et dixeritis ei: Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum; nonne iudicatis apud vosmetipsos et facti estis iudices cogitationum iniquarum »[6]?

§ 1. *De ministeriis in Ecclesia.*

16. (De ministeriis in genere). Ad aedificandum corpus suum, ad augendum et nutriendum populum Dei Christus Ecclesiae dedit charismata varia, inter quae munera et ministeria etiam stabilia sunt: « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, ad aedificationem corporis Christi ».[7] Sine damno aequalis vocationis omnium membrorum corporis sui Christus in Ecclesia ministerium instituit, quo suum munus magni pastoris a Patre constituti per visibiles vicarios nomine et Spiritu suo exercendum perpetuum reddere voluit. Cum enim corpus suum unum et visibile sit, cumque ut populus Dei multis personis liberis constituatur, Ecclesia tali ministerio carere nequit. Tale ministerium in Ecclesia peregrinante vere est « ministerium ». Non veni ministrari, sed ministrare, aiebat Dominus (*Mt.* 20, 28); et discipulus non est supra magistrum (*Mt.* 10, 24; *Lc.* 6, 40). Ut ministerium vere adimpleri possit, datur necessaria potestas et

auctoritas, quae tota est ad salutem et propter salutem procurandam. Minister proinde hac potestate uti debet ad Ecclesiae aedificationem, ad voluntatem Christi adimplendam, non autem arbitrarie et turpis lucri gratia. Iuxta naturam huius Ecclesiae ministerium hoc pastorale, quo in finem suum dirigitur, triplex elementum continet: ministerium praedicandi, sanctificandi et gubernandi.

17. (De ministerio verbi seu de Magisterio Ecclesiae). Primo condidit ministerium verbi, eo quod Ecclesiae per apostolos tradidit sermonem seu verbum suum,[8] ut discipuli in veritate sanctificati sint.[9] Deus Pater ipse per Christum mundo indiderat « verbum reconciliationis »,[10] ut hoc in verbo nova creatura fieret, sicut in initio Deus omnia per verbum creaverat.[11] Ultimus fons huius ministerii verbi est ergo Deus Pater, ex quo verbum Dei,[12] Dei Evangelium,[13] Dei testimonium [14] in mundo praesens factum est, et quidem per Christum Verbum Dei caro factum (*Io.* 1, 14). Christus ergo ipse est primus minister verbi ita, ut sermo Patris sit proprie verbum Domini, id est Christi,[15] vel Evangelium Christi,[16] vel testimonium Iesu Christi.[17] Sicut autem Christus annuntiat verba Patris, ita verba sua praedicanda commisit apostolis, in quibus hoc ministerium verbi et magisterium instituit, quod apostoli nomine diaconiae vel oeconomiae verbi insignant.[18] Agitur enim de munere praedicandi verbum ratione mandati et auctoritatis illis proprium,[19] ita ut apostoli sint ministri Novi Testamenti et ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei.[20] Quo ministerio donum charismaticum testificandi Christum non excluditur,[21] cum econtra omnes ad testimonium verbi vocati sint. Ministri Christi annuntiant vivum sermonem Dei et efficacem et penetrabiliorem omni gladio ancipiti et pertingentem usque ad divisionem animae et spiritus... et discretorem cogitationum et intentionum cordis,[22] verbum Dei ipsius, qui operatur in eis, qui audiunt.[23] Ministrorum verbi est non seipsos annuntiare, sed Christum, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis,[24] et exemplo propriae vitae, ne forte, cum aliis praedicaverint, ipsi reprobi efficiantur.[25] Eorum est persecutiones pro verbo pati in gaudio,[26] ut in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus et angustiis virtus verbi manifestetur.[27] Exercitium huius ministerii verbi mundum dividit, quia his est odor mortis ad mortem, aliis autem odor vitae in vitam.[28]

Sicut autem verbum Dei et Christi est in Apostolis, ita etiam est in eorum cooperatoribus [29] et successoribus destinatis, quibus ministerium verbi concreditum est: « Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina ».[30] Episcopus secundum S. Paulum aptus esse debet ad docendum.[31] Ipsi vero successores immediati aliis ministerium verbi tradere debent: « ... quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere ».[32]

18. (De infallibilitate huius ministerii verbi). Quia Deus in Christo mundum sibi reconciliavit novum et aeternum foedus condens, verbum Christi in Ecclesiae fide numquam ita deficiet, ut Ecclesia tota veritatem Christi vere prodat. Verbum Dei et Christi permanere debet in aeternum.[33] Cum autem

ministri verbi habeant thesaurum istum in vasis fictilibus [34] et nihilominus populum Dei auctoritative docere debeant,[35] ideo ministerium verbi in Ecclesia speciali auxilio Christi instruitur, ut sublimitas sit virtutis Dei et non ex nobis.[36] Deus autem, isque solus, potens est depositum apostolicum servare usque in diem Domini per Spiritum Christi.[37] Spiritus hic veritatis apostolos introduxit, in omnem veritatem a Christo revelatam,[38] ille Spiritus veritatis, qui a Patre procedit et testimonium perhibet de Christo et ipsorum apostolorum testimonium infallibile reddit.[39]

Haec infallibilitas ministerii Christi et Dei in Ecclesia est pignus fidelitatis Dei ipsius et manifestatio virtutis verbi divini, quod manet in aeternum.[40] Cum Ecclesia maneat columna et firmamentum veritatis [41] et Christus nobiscum sit omnibus diebus usque ad consummationem saeculi [42] cumque ex Christi promissione Spiritus veritatis apud Ecclesiam eius semper maneat,[43] hoc verbum apostolorum fidele et omni acceptione dignum (1 *Tim.* 1, 15; 4, 9) semper apud Ecclesiam manere debet et quidem apud eos, qui nomine Christi ministerium verbi exercent.

19. (De ministerio sacramentorum). Iam in verbo suo apostolis commisso Christus eis tradidit suam potestatem sanctificandi homines, et quidem in veritate,[44] ex qua verus cultus Dei Patris in spiritu et veritate oritur.[45] Totus vero fuit Christus in hoc, ut opere suo mundum consecraret ut sacerdos, sanguine suo effuso.[46] Plenitudinem huius potestatis sanctificandi posuit in Ecclesia ut sacramento fundamentali et ita in sacramentis huius Ecclesiae, quibus ipse non passionis et resurrectionis suae participes reddere voluit. Ut vero hoc ministerium sacramentorum continuo in Ecclesia ageret, apostoli illud impositione manuum tradiderunt.[47]

20. (De indefectibilitate huius ministerii sacramentorum). Sicut verbum Dei Ecclesiae traditum deficere non potest, ita etiam ministerium sacramentorum nomine Ecclesiae applicatum id dat, quod signum exprimit, in iis omnibus, qui obicem non ponunt. Sicut Ecclesia ut tota pignus indefectibile est voluntatis Dei salvificae, ita etiam singula sacramenta demonstrant et exhibent caritatem Dei Patris in nos et veritatem suae promissionis. Sicut Christus Caput in sacramentis Ecclesiae agit per ministros suos, ergo ipse quoque est, qui ut sacerdos inter nos cultum divinum per ministrum suum peragit et sacrificium suae crucis in Ecclesia repraesentat.[48]

21. (De ministerio gubernandi). Sicut Deus pastor populi sui, ipse invisibilis manens, Christum in carne posuit pastorem et episcopum animarum,[49] ita Christus ipse Ecclesiae suae regimen visibile repraesentans dignitatem suam Capitis et Regis dedit ad ordinandum ministerium verbi et sacramentorum et ad dirigendum vitam socialem Ecclesiae. Adeo pastores gregis sui secum coniungit, ut quicquid ligaverint vel solverint in terra, ligatum vel solutum sit in caelis.[50] Simul cum ministerio verbi et sacramentorum apostoli secundum voluntatem Christi etiam potestatem gubernandi aliis tradiderunt, « quos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo ».[51] Regimen hoc pastorale si in Ecclesia ita deficeret, ut grex Christi

pascua eius non iam invenire posset et a lupis dispergeretur,[52] ipse Deus Pastor et Christus Pastor Bonus, qui semper gregem suum pascere pergit [53] derelinquerent, quod est contra promissiones Dei et Christi.[54]

§ 2. *De ministris in Ecclesia.*

22. (De ministris Ecclesiae in genere). Unum illud ministerium Christi secundum eius voluntatem variis gradibus in Ecclesia exercetur.

23. (De apostolis seu de collegio « duodecim »). Dominus Iesus Christus Israël Dei in terris conservare et perficere volens duodecim elegit apostolos, ut essent cum ipso et ut mitteret eos praedicare nuntium Evangelicum.[55] Misit autem eos primo ad filios Israël,[56] deinde ad omnes gentes.[57] Apostoli seu *duodecim* ut *collegium* instituti sunt cum Petro capite.[58] Ita secundum voluntatem Christi sunt fundamentum Ecclesiae, missione et potestate collata ab ipso Domino, qui semper manet caput corporis Ecclesiae, eius principium et primogenitus ex mortuis.[59] Hanc suam potestatem non ad modum meri charismatis seu inspirationis religiosae receperunt, sed ad modum muneris stabilis, quamvis eorum ministerium nonnisi in Spiritu Sancto exerceri possit, uti correspondet naturae et fini Ecclesiae in ipsis conditae. Ut testibus Christi resurrectionis immediatis et ut fundamento Ecclesiae duodecim, id est collegio cum suo capite, dignitas prorsus singularis convenit, quae successoribus transmitti non potuit. At eorum ministerium verbi et sacramentorum et regiminis a Christo pro tota Ecclesia institutum est, ita ut apostoli sibi viros eligerent, qui essent eorum successores et repraesentantes.[60] Ab his apostolis Ecclesia habet totum thesaurum revelationis Christi et sacramentorum et auctoritatis, legitima successione traditae, ita ut Ecclesia vere dici debeat apostolica.[61]

24. (De episcopis successoribus apostolorum). Apostoli igitur, ab ipso Domino instructi « acceptis mandatis... constituerunt episcopos... eorum, qui credituri erant... et ordinem successionis eorum », pro doctrinae, sacri cultus et sacramentorum et gubernationis ministerio.[62] Vi huius potestatis acceptae episcopi vicario et instrumentali modo munera ipsius Christi Magistri, Sacerdotis et Regis seu Pastoris per tempora et regiones in bonum Ecclesiae exercent.

25. (De collegio apostolorum et de collegio episcoporum). Cum apostoli ex voluntate Christi constituant collegium « duodecim »[63] cum Petro capite, etiam successores eorum fundamentaliter et primarie potestatem suam habent ut collegium, cuius caput est successor Petri, Episcopus Romanus. Singuli ergo episcopi legitime in hoc collegium recepti pollent potestate sua ut partem habentes potestatis ipsius collegii episcopalis. Ut totum autem hoc collegium potestatem suam habet vi institutionis Christi. Sicut singularis episcopus suam potestatem episcopalem habet ut membrum collegii, sic ipsum caput, successor Petri, suam propriam potestatem habet ut caput huius collegii. Ratione vero collegii immediate a Christo instituti singularis episcopus est mandatarius Christi, nec delegatus Summi Pontificis,[64] et nihilominus stat sub Petro,

quia est membrum huius collegii tantum, in quantum hoc collegium cum capite institutum est et singuli episcopi legitime in hoc collegium assumuntur.

26. (De potestate collegii episcopalis). Ipsum hoc collegium episcoporum una cum capite totam regit Ecclesiam, etiamsi singulis episcopis pars gregis dominici assignatur. Cum caput tum membra collegii eundem gregem pascunt, nempe totam Ecclesiam, sed pro sua parte vel capitis vel membri. Collegium ex pluribus compositum varietatem populi christiani, collegium sub uno capite collectum unitatem gregis Christi repraesentat.[65] Populus Dei ita ordinem suum authenticum habet. Proinde tum intra tum extra Concilium Oecumenicum collegium episcoporum una cum eius capite « suprema pollet in universam Ecclesiam potestate »[66] et supremum in Ecclesia exercet magisterium.[67] Certum enim est collegium episcoporum fungi magisterio ordinario debitis sub conditionibus infallibili. Cum talis infallibilitas non componi possit ex multis magisteriis singulorum episcoporum de se fallibilium computatis, cumque infallibilitas totius Ecclesiae credentis in ordine exsecutionis nitatur infallibilitate Ecclesiae docentis et obligantis et non vice versa, infallibilitas, quae huic doctrinae convenit, non potest provenire nisi ex eo, quod sit qualitas actus *collegii* episcoporum qua talis. Ecclesiae ipsius et in specie Romani Pontificis est accuratius determinare normas et methodos, secundum quas collegium hoc una cum suo capite supremam hanc potestatem in praxi pro temporum adiunctis exercere potest et debet.

27. (De Romano Pontifice eiusque primatu et infallibilitate). Romanus Pontifex, cum ut Vicarius Christi caput totius Ecclesiae et collegii episcopalis exsistat, ex una parte ut tale caput agit et agere debet, si eius actio Ecclesiam catholicam aut eiusdem partem praeter dioecesim romanam spectat. Ipse enim praecise perpetuum unitatis principium ac visibile fundamentum constitutus est, ut episcopatus ipse unus et indivisus esset.[68] Ex altera parte secundum testimonium Sacrae Scripturae[69], secundum doctrinam et praxim traditionis et sollemnem definitionem Concilii Vaticani I non est tale caput collegii episcopalis, quod unice impulsu aut ex mandato reliquorum episcoporum hanc suam potestatem exercere posset.[70] Episcopus Romanus est potius caput collegii episcopalis ex sese activum, quod hanc suam functionem et suum mandatum in collegio et pro collegio et respectu reliquorum membrorum collegii ex mandato Christi ipsius exercet.

Hinc Romanus Pontifex praecise iis officiis et iuribus pollet, quibus collegium episcopale in ministerio verbi et sacramentorum ac cultus et regiminis instructum est, suo tamen gradu ut capitis. Quapropter plena et suprema iurisdictione universali, immediata et vere episcopali utitur in totam Ecclesiam et etiam in singulos episcopos. Si fungitur suprema sua potestate ut magistri, ex cathedra loquens, ea infallibilitate pollet, qua Redemptor noster Ecclesiam et corpus episcopale in definienda doctrina de fide vel de moribus instructam esse voluit.[71] Cum haec in docendo infallibilitas ei competat prout est caput visibile et activum Ecclesiae et collegii episcopalis, potestate hac suprema utens neque indoli privatae fidens « ex sese » et non ex consensu episcoporum vel

fidelium infallibiliter docet;[72] nihilominus nec debet nec potest exhibere nisi eam doctrinam, quae divinitus revelata iam in Ecclesia adest, quippe cum novas revelationes publicas Pontifex divinitus non accipiat.[73] Ipse potius mediis functioni muneris sui correspondentibus ex Ecclesiae doctrina et fide haurire debet. Hinc in suis definitionibus ex cathedra eosdem habet fontes quos habet Ecclesia, Scripturam et Traditionem; immo consensio praedicationis praesentis totius magisterii Ecclesiae unitae cum capite est regula fidei etiam pro definitionibus Pontificis.[74] Unde, Romanus Pontifex, pro officio suo et rei gravitate tenetur media apta adhibere ad veritatem rite indagandam et apte enuntiandam: et eiusmodi media sunt concilia vel etiam consilia episcoporum, cardinalium, theologorum etc. Quem modum agendi sapienter et laudabiliter Sancta Sedes secuta semper est ad unitatem spiritus in vinculo pacis servandam. Attamen, ipsae definitiones ex sese, non ex consensu Ecclesiae, infallibiles et irreformabiles evadunt.

Romani Pontificis authentico magisterio, etiam cum non ex cathedra loquitur, religiosum voluntatis et intellectus obsequium praestandum est, quo nempe magisterium eius supremum reverenter agnoscatur, et sententiae ab eo propositae sincere adhaereatur, idque iuxta mentem et voluntatem manifestatam ipsius,[75] quae se prodit praecipue vel ex indole documentorum, vel ex frequenti propositione eiusdem doctrinae, vel ex dicendi ratione.

28. (De singulari episcopo eiusque constitutione). Aliquis in collegium episcoporum cooptatur, eo quod manuum impositione consecratur et a collegio episcopali et eius capite ut membrum legitimum huius collegii suscipitur; quae susceptio aut, ut de more ordinario, legitima assignatione certi territorii regendi perficitur aut fit legitima consecratione intuitu similis muneris in Ecclesia exercendi. Iam enim apostoli Ecclesias locales, quae vocari possunt, in civitatibus condiderunt eisque singulis singulos praepositos ut suos vicarios praeposuerunt. Et singuli hi coetus locales fidelium iuxta testimonium Sacrae Scripturae non tantum quasi particulares provinciae unius Ecclesiae universalis sunt, sed ipsi eodem nomine Ecclesiae iuste insigniuntur (cf. 1 *Cor.* 1, 2; 2 *Cor.* 1, 1).

Ipsi enim repraesentant in certo loco *totam* Ecclesiam, praesertim cum et ipsi actum supremum huius totius Ecclesiae peragunt, mysterium Corporis et Sanguinis Domini.

29. (De sacramentalitate ordinationis episcopalis). Haec manus impositio, qua ita constituitur episcopus, est ritus vere sacramentalis et supremus gradus sacramenti ordinis, sicut ex traditione, praesertim ex liturgicis ritibus Ecclesiae tum orientis tum occidentis innotescit. Praeterea episcopus consecratus ita charactere sacramentali ordinis ornatur, ut nunquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri, vel potestatem valide conferendi sacramentum confirmationis et ministros Ecclesiae ordinandi amittere possit. Proinde Sancta Synodus declarat episcopos, etiam sola vi sacramenti suscepti, presbyteris, in hierarchia nempe ordinis, superiores esse.

30. (De munere episcopi singularis et praesertim residentialis). Episco-

pus singularis et praesertim residentialis participat ut membrum collegii pro sua parte et suo modo potestatem illam supremam in totam Ecclesiam, quae collegio episcopali cum et sub suo capite convenit, licet haec potestas essentialiter collegialis maneat et non a singulis pro seipsis, sed a collegio toto tantum exerceri possit. Nihilominus ex hac sua indole membrorum huius collegii singuli episcopi etiam ut tales erga universam Ecclesiam vera sollicitudine tenentur, quae summopere confert ad Ecclesiae universalis emolumentum. Debent enim promovere et tueri unitatem fidei et disciplinam toti Ecclesiae communem, fideles suos edocere ad amorem totius mystici Corporis Christi, praesertim membrorum dolentium et eorum, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (cf. *Mt.* 18, 12 ss.), ac tandem promovere omnem actuositatem, quae toti Ecclesiae communis est, praesertim ut fides incrementum capiat et lux plenae veritatis oriatur super eos, qui in tenebris et in umbra mortis sedent (cf. *Lc.* 1, 79). Ceterum hoc sanctum est, quod bene regendo propriam suam Ecclesiam ut partem Ecclesiae universalis, ad bonum totius Mystici Corporis quod teste S. Basilio etiam est corpus Ecclesiarum, efficaciter conferunt.[76]

Hanc vero sibi commissam Ecclesiam localem episcopus nomine Christi tanquam eius legatus et vicarius ordinaria et immediata potestate episcopali regit ut pater et pastor gregis sui, memor semper Petri moniti: « Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam ».[77] Licet hoc munus suum ordinarium episcopi residentiales sub Romano Pontifice exerceant, erga cuius iurisdictionem singuli officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur (Denz. 1827), nihilominus ministerium suum non nomine Romani Pontificis ut vicarii eius adimplent, sed ut vicarii Christi et membra collegii iuris divini. Quapropter iurisdictio immediata Romani Pontificis in singulos episcopos et dioeceses, sicut non potest abolere episcopatum universum, sic ius singularis episcopi ordinarie ita restringere nequit, ut iste nomine proprio dioecesim suam regere iam non valeat.

Episcopus ex Christi nomine mandato exercet ministerium verbi. Licet ut singularis episcopus infallibilitatis praerogativa non polleat, testis tamen authenticus et magister est fidei Ecclesiae per orbem dispersae; annuntiat bonum nuntium et eis, qui foris sunt et Christi fidelibus; exhibet universim verbum Christi efficax, quod, cum gratia divina utpote fructu redemptionis fulciatur, affert iam, quod edicit; curat, ut verbum divinum tali modo praedicetur, ut revera corda inveniat eorum, qui praecise huic Ecclesiae pro temporum et locorum varietate concrediti sunt; ducit verbis suae praedicationis ad illud verbum ex opere operato efficax, quod ipse eiusque cooperatores in nomine Christi eloquuntur in sacramentis; praedicat verbum reconciliationis, solatii, vitae futurae, arguit, obsecrat, increpat in omni patientia;[78] nihil loquitur nisi Iesum Christum et hunc crucifixum.[79] Episcopi igitur de rebus fidei et morum authenticum magisterium, dum in communione cum Apostolica Sede ceteris-

que catholicae Ecclesiae episcopis exercetur, a fidelibus interno religiosoque animi assensu accipiendum et tanquam divinae et catholicae veritatis testimonium venerandum est.

Episcopus ministerium sanctificationis exercet, cum una cum suis in sacerdotio cooperatoribus et cum grege sibi concredito in oratione et praesertim in dominica coena summum Ecclesiae cultum latreuticum Deo exhibet et administer principalis omnium sacramentorum existit. Intra limites universalium Ecclesiae normarum episcopus est rector liturgiae sacrae, quae ubique in sua dioecesi peragitur; septiformi praesertim Spiritu in sacra confirmatione roborat et consecrat fideles, ut fidem non erubescant, sed vitae testimonio mundum Deo et Christo lucrifaciant et consecrent.

Episcopus ministerio regiminis fungitur. Pastor enim etiam est, quatenus cetera membra sacrae hierarchiae sibi ut cooperatores coniuncta exemplo, exhortatione et praeceptis in fideli executione ministeriorum et dirigit et unit. Pastor insuper fidelium omnium est, quatenus non solum verbi praedicatione, exercitio cultus et administratione sacramentorum eis inservit, sed etiam in eis, quae socialem vitam Ecclesiae spectant, fideles vera potestate in conscientia obligante regit, qua tamen nonnisi ad gregis bonum uti potest. Meminerit oportet semper hoc in regimine pastorali ad eius munus etiam spectare, ut caritate Christi motus, quantum fieri potest, suis fidelibus pauperibus, aegrotis, vagantibus etiam in eorum indigentiis temporalibus subveniat.

31. (De presbyteris). Potestas ministerialis tum ordinis tum iurisdictionis, quae tota et plena residet in collegio episcopali cum suo capite pro condicionibus temporum et regionum ex voluntate Christi per partes variis subiectis in Ecclesia legitime demandari potest.[80] Quapropter Ecclesia semper sibi adiudicavit potestatem varios gradus sacri ministerii instituendi,[81] ut perfecte obligationi satisfacere possit, quae inest in potestate ei a Christo collata. Actus proinde, quo talis potestas participata et partialis confertur, potest, licet non semper debeat, habere indolem illius sacramenti, quo potestas ordinis episcopalis manuum impositione transmittitur.[82]

Episcoporum cooperatores proximi, qui maximam partem sacrae potestatis episcopalis participant, vocantur presbyteri aut sacerdotes secundi ordinis.[83] Sacramentali ordinatione [84] per manus impositionem et characteris sacerdotalis collationem [85] participes fiunt potestatis suae. Constituunt ad modum collegii quasi senatum episcopi, pro cuius auxilio ordinati sunt. Repraesentant sub uno capite, quod est episcopus, multitudinem gregis et munerum, quorum diversitatis semper in Ecclesia ratio habenda est. Iuxta hanc igitur quasi « relativam » ordinationem ministerium presbyterorum ordinari et mensurari debet. Cum coetui fidelium eucharisticum sacrificium agenti praesunt, quod sine eis legitime peragi nequit, veri sacerdotes ministeriales sunt.[86] Administrant, episcopo auxilio additi, ministerium sanctificandi exercentes, sacramenta tanquam ministri baptismatis et poenitentiae et unctionis infirmorum ordinarii; et ita et ipsi in persona Christi agunt.[87] Alia sacramenta conferre possunt, prout valida et licita eorum administratio eis ab Ecclesia legi-

time demandari potest.[88] Vita vere sancta coram hominibus (cf. *Mt.* 5, 16) et orationis intercessione apud Deum [89] repraesentant totam Ecclesiam. Exercent ministerium verbi; curam animarum exercentes nomine episcopi proprii partem gregis eius iuxta mandatum eius pascunt.

32. (De sacerdotibus exemptis). Cum Romanus Pontifex polleat iurisdictione episcopali et immediata in omnes fideles,[90] fas ei est pro temporum condicionibus et exigentiis Ecclesiae et salutis animarum sibi ipsi immediate adsciscere tales cooperatores presbyteriales, qui « exempti » vocantur. Isti autem, cum Romanus Pontifex semper caput collegii episcopalis existat, nihilominus in cura animarum necessario etiam referuntur (modo a iure accuratius determinando) ad episcopos tanquam eorum collaboratores, intra quorum dioecesim curam animarum exercent. Et eadem ex ratione presbyteri incardinati, qui dicuntur, intime etiam referuntur ad Romanum Pontificem partemque habent eiusdem ministerii. Duplex ergo relatio omnis presbyteratus ad Romanum Pontificem et ad episcopos diverso incardinationis et exemptionis iure non tollitur.

33. (De diaconis). Sacramentali ordinatione,[91] licet gradu inferiore, in ministerium episcopi vocantur etiam ei, qui diaconi dicuntur.[92] Licet sacerdotes non sint et hinc actus iuxta traditionem apostolicam specifice sacerdotales exercere non possint, tamen ad sacram hierarchiam vere pertinent,[93] inserviunt sacro sacrificio, ministri extraordinarii baptismatis sollemnis et eucharistiae [94] existunt, et varia officia hierarchiae propria, caritatis scilicet, praedicationis, administrationis, exercere possunt, prout eis a competenti auctoritate in Ecclesia iuxta temporum et locorum diversitatem assignantur. Licet hodie magna ex parte in Ecclesia diaconatus habeatur solummodo ut gradus, quo ad sacerdotium ascenditur,[95] id non ubique ita est in Ecclesia neque latina [96] neque orientali, et diaconatus etiam in futuro tanquam proprius gradus hierarchiae exerceri potest, si Ecclesia pro necessitate curae animarum aut in certis regionibus aut ubique id expedire censebit. Ecclesiae in tali casu erit decernere utrum etiam tales diaconi sacra coelibatus lege teneantur necne.

34. (De ordinibus inferioribus). Tum iuxta temporum tum iuxta regionum necessitates varios Ecclesia instituit ordines inferioris ministerii sui.[97] Qui, aut pleniorem vim ut iterum obtineant aut « ordinatissima dispositione »[98] adaptentur indigentiis huius temporis, haec Sancta Synodus vehementer exoptat. Curandum in genere erit, ut diversi gradus ministerii ordinatione collati quam optime correspondeant officiis et muneribus stabilibus, quae de facto in Ecclesia exercentur tanquam spectantia ad ministerium unum et totale Christi, quod est in Ecclesia.

Caput IV: *De laicis.*

35. (1. Introductio). Quodsi Sancta Synodus ministerii sacri dignitatem et munera praedicat, minime tamen intendit diminuere id, quod ad aedificandam Ecclesiam Dei Christoque testimonium reddendum in mundo et coram

mundo universo simul cum clericis et religiosis alia membra populi Dei et viri et mulieres conferre vocati sunt. Ut eis omnibus inserviant in Domino, ministeria enim ecclesiastica instituta sunt. Omnes enim fideles sacramento baptismatis aequaliter tamquam membra corpori Christi inseruntur et confirmatione ad plenitudinem vitae et testimonii christiani roborantur et his eisdem sacramentis arcano ac analogico sed vero et reali quodam modo participes redduntur regalis sacerdotii Christi viribusque et donis spiritualibus abunde ditantur, ut, cooperantibus omnibus membris Christi, « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta » constituatur.[1] Ad populum Dei vocati et in uno corpore Christi sub uno capite constituti quicumque sunt, ut viva membra ad Ecclesiae incrementum eiusque continuam sanctificationem vires suas omnes, beneficio creatoris et gratia redemptoris acceptas conferre tenentur, non tamquam parvuli fluctuantes, sed secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum corporis facientes, donec perveniant omnes ad aetatem plenitudinis Christi.[2]

36. (2. Munus fidelium in aedificanda Ecclesia ipsa). Commune omnibus membris Ecclesiae ius et officium est, ut verbum Dei fideliter audiant, pieque suscipiant sacramenta Ecclesiae; ut inde secundum operationem Spiritus in mensuram uniuscuiusque membri, et sub eis, quos idem Spiritus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei [3] « in omni conversatione sancti »,[4] sobrie, pie et caste in hoc saeculo vivant,[5] parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in eis est, spe.[6] Etiam laicorum est, verbo et opere dare salutis a Christo acceptae testimonium non tantum coram infidelibus, sed multo magis adhuc coram invicem iuxta illud: « Consolamini invicem et aedificate alterutrum ».[7] Ius habent, ut secundum capacitates suas opus salutare Ecclesiae etiam operose participent. Ius habent, ut de fide sua verbo et scriptis testimonium reddant. Ius habent a pastoribus adiumenta ad salutem necessaria accipiendi eisque necessitates et desideria sua reverenter patefacere possunt.[8] Pastores Ecclesiae, memores verborum Sacrae Scripturae: « Probate spiritus, si ex Deo sunt »[9] et: « Spiritum nolite exstinguere »,[10] coepta et vota a fidelibus proposita attente in Christo considerent, et fidelibus officium testimonium vitae integraliter christianae praebendi indesinenter inculcent.

Per baptisma enim in filios Dei regenerati, fidem christianam profitentur et ad cultum religionis christianae charactere deputantur. Sacramento confirmationis ad fidem, quam ab Ecclesia acceperunt simul diffundendam et defendendam roborantur. Sacrificium eucharisticum participantes, vota sua cum votis ministri litantis iungentes divinam victimam per manus sacerdotis Deo offerunt et hac maxima ratione partes activas in liturgia agunt. Simul sese Deo devoventes sui abnegatione regnum peccati in seipsis et in aliis impugnant. Ita de munere Christi sacerdotali, prophetico et regali suo modo participes facti, mandatum eius novum et fundamentale observant, caritatem videlicet, qua proximos amamus ea dilectione, qua ipse dilexit nos, praesertim minimos

fratres, quos Dominus sibi speciatim identificat. Ita autem missionem eius salutarem non quidem auctoritate, sed dilectione continuant.

37. (3. Munus laicorum in sanctificando mundo). Iis autem ex his membris, qui perfectionem christianam appetunt in mediis mundi negotiis constituti eademque fide et caritate ad laudem Dei vertentes, quin a Deo vocentur ad sacerdotium ministeriale nec ad hoc, ut via consiliorum evangelicorum futuram regni Dei figuram his iam in terris profiteantur, prae aliis incumbit opus Ecclesiae toti commissum, ut mundum quoque temporalem immo materialem universum utpote creaturam ingemiscentem et parturientem usque adhuc,[11] disponant, donec perfecte liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Quos in sensu stricto laicos vocare consuetudo est Ecclesiae.

Quorum vitae testimonio fidem Christi non raro sine verbis praedicante, Christi virtus in omnem ambitum vitae humanae, privatae et publicae, invadit, etiam in illum, cui continuo vires suas immediate applicare status clericorum et religiosorum propriae rationi minus conveniens est; laicorum augmento in gratia, familiaritate Christi et caritate eius suavis et efficax, etsi non semper attenta, praesentia in mundo paratur. Familiam christianam evolventes laici peculiari ratione naturalis cum supernaturali ordine occursum fovent filiosque suos christiano modo progignentes et educantes et humanam familiam ditant et familiam Dei. Officia et negotia sua in fide et caritate agentes laborem terrestrem in laudem vertunt divinam. Discretione sua et caritate, quae « omnia sperat »,[12] vias sternere possunt, ut oves omnes, imprimis qui perierint, per pastores Ecclesiae pastorum principi,[13] iterum occurrant.

38. (4. De sana autonomia civitatis terrenae). In mundo a Deo creato et Christi passione redempto, humana societas suis propriis principiis ad finem suum immediatum, bonum scilicet temporale commune, praesertim per laicorum operositatem, perducenda est. Ex una parte laici confusionem vel indebitam permixtionem religionis et Ecclesiae cum rebus mere civilibus sedulo vitabunt; ex altera parte totali separationi earundem vel immo oppositioni societatis terrenae contra Deum eiusque Ecclesiam legitime adversabuntur, memores omnem activitatem humanam etiam in re profana Dei legibus subesse. Unde sicut merito probari debet indoles laica terrenae civitatis, quae saecularibus curis iure addicta, propriis regitur principiis, ita infensus « laicismus » seu « saecularismus » qui societatem extra omnem religionem exstruere contendit, et libertatem christianam impugnat et eruit, merito proscribitur.[14]

39. (5. Usus temporalium rerum christianus). Laici gloriam Dei et Christi eiusque regnum in omnibus temporalium bonorum saeptis et institutis, servatis naturaliter eis inditis legibus, promovere possunt. Iis enim imprimis committitur executio illius mandati, quod ab initio Deus hominibus impertivit: « Crescite et multiplicamini, replete terram et subicite eam ».[15] Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disci-

plinae:[16] haec omnia subicere valent in Christo ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.[17]

Omnibus tamen dicta sunt illa apostoli: « Ut et qui habent uxores tamquam non habentes sint, et qui flent, tamquam non flentes, et qui gaudent tamquam non gaudentes, et qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur: Praeterit enim figura huius mundi ».[18]

40. (6. Dona charismatica extraordinaria). Aliquando ad maiorem efficaciam incrementi Ecclesiae et apostolatus Spiritus Sanctus confert laicis, sicut et aliis fidelibus, dona charismatica extraordinaria; quae cum sint media peculiaribus necessitatibus Ecclesiae accommodata, non sunt tamen temere exspectanda neque praesumptorie ab eis speranda operarum fructus apostolicarum, sed cum a Deo conceduntur, humilitate et consolatione accipienda sunt et Ecclesiae iudicio et disciplinae subicienda.

41. (7. Adhortatio). Agnoscant igitur laici suam in Ecclesia dignitatem atque vocationem, agnoscant suam cum omnibus aliis membris in ea commune opus communemque responsabilitatem, agnoscant specialem suam in eius vita et mundo evolvendam partem, quae ab aliis neque praestatur neque praestari potest, agnoscant etiam auctoritatem pastorum, quos Dominus in Ecclesia sua posuit. Agnoscant autem ministri in Ecclesia, quidquid Spiritus Sanctus etiam in laicis et per laicos effecit et efficere vult, et cum eis unum testimonium Ecclesiae coram mundo adintegrent.

Caput V: *De statu sequelae Christi secundum consilia evangelica.*[1]

42. (De Statibus in Ecclesia). Duo in Ecclesia status seu conditiones fundamentales habentur, clericorum sc. et laicorum, i. e. eorum, qui in salutem populi Dei ministeriis sacris sunt addicti, et reliquorum membrorum Corporis Christi. Uterque secundum suam vocationem[2] et dona a Deo sibi data sub hierarchia ad Ecclesiam aedificandam et mundum redimendum conferre debet. Status vero sequelae Christi secundum consilia evangelica qui vocatur non eodem sensu praedictis illis statibus ut tertius status adnumerari potest neque intermedius est inter illos, cum et clericos et laicos aequo modo amplectatur. Est ergo status sui generis. Cum enim distinctio inter clericos et laicos ex institutione divina sit,[3] utpote quae ex positiva Christi ordinatione procedat, status sequelae Christi secundum consilia evangelica Christum quidem auctorem habet, ut infra ostendetur (n. 2), ut institutio tamen canonica iuris ecclesiastici est. Cum specialis iste modus sequelae Christi sit donum, « quod non omnes capiunt, sed quibus datum est »,[4] prae ceteris vocari potest status charismaticus in Ecclesia. Licet christiani gratia Dei impellente consilia evangelica sive ex parte sive ex toto privatim quoque sequi possint et inde a primaevis Ecclesiae temporibus secuti sint, de essentia tamen huius vitae, prout statum ecclesiasticum constituit, est vera coram Ecclesia professio istorum consiliorum stabili obligatione observandorum.

43. (De origine consiliorum evangelicorum). Quae consilia originem ducunt a Christo Domino, qui illa non solum praedicavit et per Spiritum suum

ad ea suscipienda quos elegit vocat,[5] sed et ipse exemplum pauperis, caelibis et obedientis, i. e. salutis hominum servitio secundum voluntatem Patris addicti,[6] dedit. « Oportuit »[7] autem Christum vitam pauperem, caelibem et obedientem agere. Nam « Deus mittens filium suum in similitudinem peccati et de peccato damnavit peccatum in carne ».[8] Hinc paupertas, caelibatus et obedientia Iesu significant et inchoant exinanitionem crucis. Sed et praefigurant resurrectionem et gloriam eius. Manifestant enim regnum Dei in Christo iam advenisse; manifestant « novum hominem »[9] « ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et ex tota virtute » Patrem et homines diligentem;[10] manifestant novam fraternitatem et vitam familiae Dei futuram,[11] in qua filiis unius Patris omnia communia erunt. Sic persona et vita Christi est norma et regula consiliorum evangelicorum.

44. (De sequela Christi per consilia evangelica). Christus quidem omnes ut se sequantur vocavit. Ideo omnes quoque obligantur, ut in hac Christi sequela regnum Dei suscipientes perfecti evadant, sicut Pater caelestis perfectus est.[12] Quae obligatio eo magis urget, quod ex Christi adventu in carne et eius morte in cruce regnum Dei instat. Quapropter monet apostolus: « Tempus breve est: reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes: et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim figura huius mundi ».[13] Quosdam tamen vocat Christus, ut se, quem diligunt et in omnibus imitari desiderant, arctius sequantur quique externo etiam et sociali vitae habitu illam mentem a sollicitudinibus huius saeculi liberam manifestent, quae omnibus ad salutem necessaria est. Hi ipsa sua vocatione, sequendo sc. Christum pauperem, caelibem et oboedientem, admonent fratres suos illius Domini Nostri verbi in sermone montano: « Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius »,[14] et alterius ad Martham: « Unum est necessarium ».[15]

Unde patet consilia evangelica non esse ipsam perfectionem, sed tantum media ad illam assequendam.[16] Finis enim vitae evangelicae eiusque perfectionis omnibus christianis communis proponitur. Habent tamen consilia ista singularem dignitatem et eos, quibus datum est,[17] quique animo libenti id in dies magis exsequi student, quod eis concreditum est, roborant contra triplicem concupiscentiam, quae in mundo est.[18] Sunt enim sancita et sanctificata per exemplum Christi. Et eum, qui fide et caritate Domino coniunctus est, illius efficaciae redemptricis participem reddunt, quae paupertati, caelibatui et obedientiae Iesu propria fuit.

Meminerint ergo omnes ad sequelam Christi per consilia evangelica peculiariter vocati suum esse officium, ut maiorem in dies caritatem desiderent et hac caritate Christum melius commonstrent vel in monte contemplantem, vel concionantem ad populos, vel sanantem aegros et saucios, ac peccatores ad frugem bonam convertentem, vel denique bene facientem omnibus.[19]

45. (De consiliis evangelicis tamquam signis Ecclesiae). Cum Ecclesia, Corpus Christi mysticum, sit sacramentum praesentiae Christi in hoc mundo,

numquam ei deerunt, qui profitentur consilia evangelica, quibus testimonium vivum crucis et resurrectionis et supernae Hierusalem vitae, quam exspectamus [20] exhibetur. Est enim Ecclesia signum illius salutis, quam Deus in Christo mundo donavit, signum rememorativum passionis et resurrectionis Christi, demonstrativum gratiae et prognosticum futurae gloriae.[21] Hoc autem sacramentale suum mysterium Ecclesia non tantum testificare debet per doctrinam et istituta, sed etiam professione talis vitae, quae Spiritu Christi interne animatur et figura insuper visibili et sociali exhibetur.

Ita illud signum salutis mundi eximia cum virtute et « motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile » erit.[22]

Unde consilia evangelica suos asseclas intime cum Ecclesia eiusque mysterio coniungunt. Spiritualis ergo eorum, qui consilia ista profitentur, vita non utilitati individuali, sed bono totius Ecclesiae devota esse debet. Quare admonet S. Bernardus: « Nemo nostrum sibi arrogare praesumat, ut animam suam quis audeat sponsam Domini appellare; quoniam tamen de Ecclesia sumus, quae merito hoc nomine et re nominis gloriatur, non immerito gloriae huius participium usurpamus »;[23] nam — sic argumentatur: « Non propter animam unam, sed propter multas in unam Ecclesiam colligendas, in unicam astringendas sponsam, Deus tam multa fecit et pertulit, cum operatus est in medio terrae ».[24]

46. (De servitio ecclesiastico eorum, qui consilia evangelica profitentur). Qui ergo profitentur consilia evangelica in media Ecclesia tantum locum suum habent, totique destinati ad servitium fratrum omnibus viribus in aedificationem Corporis Christi niti debent. Ideo Sancta Synodus exspectat, ut omnes, qui Christum secundum consilia evangelica sequuntur, Ecclesiae maiori vi ac novis apostolatus viis succurrant, quia « regiones albae sunt iam ad messem ».[25]

NOTAE

ad adumbrationem schematis constitutionis dogmaticae *De Ecclesia*

Prooemium.

[1] *Mc.* 16, 15; cf. *Mt.* 28, 19. 20.

Prologus.

[2] Cf. *Gn.* 12, 3; 22, 18; 28, 14. Cf. *Gal.* 3, 8.

[3] Cf. 2 *Cor.* 5, 18. 19.

[4] *Gal.* 4, 4. 5. 7.

[5] *Io.* 1, 3.

[6] *Lc.* 2, 32.

[7] *Io.* 11, 52.

[8] Cf. 1 *Tim.* 2, 4-6.

[9] *Rom.* 8, 29.

[10] Cf. *Mt.* 26, 28; *Mc.* 14, 24; *Lc.* 22, 20; 1 *Cor.* 11, 25; *Hebr.* 7, 22; 9, 15. 20; 12, 24.

[11] Cf. *Gal.* 6, 16; 4, 22-31.

[12] Cf. *Nm.* 20, 4; *Dt.* 23, 2 ss.
[13] Cf. *Hebr.* 13, 14.
[14] *Mt.* 16, 18.
[15] Cf. *Act.* 20, 28.
[16] 1 *Cor.* 12, 4 ss. 13; cf. *Rom.* 8, 9-11.
[17] *Mt.* 16, 17-19; *Io.* 21, 15-17.
[18] *Mc.* 3, 13-19; *Mt.* 10, 1-4; *Lc.* 6, 12-16; *Mt.* 18, 18.
[19] *Hebr.* 2, 10; cf. *Is.* 9, 6.
[20] *Act.* 10, 38; cf. 4, 27; *Lc.* 4, 18.
[21] *Act.* 2, 36.
[22] Cf. *Lc.* 4, 18. 19; cf. *Mc.* 1, 14. 15; *Lc.* 11. 20.
[23] Cf. *Io.* 14, 26; 16, 13.
[24] Cf. *Io.* 20, 21-23.
[25] *Act.* 2, 33.
[26] *Act.* 2, 1-47.
[27] Cf. *Act.* 2, 4-11.
[28] Cf. *Act.* 9, 31.
[29] *Act.* 10, 45. 47.
[30] 1 *Cor.* 12, 13.
[31] *Act.* 2, 17.
[32] Cf. 1 *Cor.* 12, 4-6.
[33] Cf. *Eph.* 4, 11. 12.

Caput I.

[1] *Act.* 20, 28; 1 *Cor.* 1, 2; cf. 10, 32; 11, 22; 15, 9; *Gal* 1, 13; 1 *Tim.* 3, 5. 15.
[2] *Gal.* 6, 16.
[3] 1 *Petr.* 5, 2; cf. *Act.* 20, 28; *Io.* 21, 15-17.
[4] 1 *Pt.* 2, 9. 10.
[5] 1 *Cor.* 3, 9.
[6] Cf. *Is.* 5, 7; *Ir.* 2, 21; *Mt.* 21, 41. 43; etiam *Io.* 15, 1 s.
[7] *Apoc.* 21, 2; cf. 21, 10.
[8] *Apoc.* 21, 14.
[9] *Tit.* 2, 14.
[10] *Io.* 21, 15-17.
[11] Cf. *Io.* 10, 16.
[12] 2 *Cor.* 6, 16.
[13] 1 *Petr.* 2, 4.
[14] 2 *Cor.* 6, 16; 1 *Cor.* 3, 16 s.; *Eph.* 2, 21.
[15] *Eph.* 2, 22.
[16] *Rom.* 8, 15-17; *Gal.* 4, 4-7; 5, 1.
[17] *Eph.* 2, 19-22; cf. 1 *Cor.* 3, 16 s.; 2 *Cor.* 6, 16-18.
[18] Cf. *Io.* 4, 23. 24.
[19] 1 *Petr.* 2, 5.
[20] 2 *Cor.* 5, 17.
[21] *Io.* 1, 13; 3, 5; *Tit.* 3, 5; 1 *Petr.* 1, 3. 23; 2, 2; cf. *Iac.* 1, 18.
[22] In prioribus epistulis Paulinis sermo tantum est de Ecclesia corpore, vel de corpore Christi, in quo omnes membra sunt: 1 *Cor.* 12, 12-27; cf. 6, 15; 10, 17;

Rom. 12, 4. 5. In *Eph., Col.,* relatio Christi ad hoc corpus (*Eph.* 1, 23; 4, 4. 12. 16; 5, 23. 30; *Col.* 1, 18. 24; 2, 19; 3, 15) explicatur sub titulo capitis: *Eph.* 1, 22; 4, 15. 16; 5, 23; *Col.* 1, 18; 2, 19.

[23] 1 *Cor.* 12, 13; cf. *Eph.* 4, 4-6.

[24] 1 *Cor.* 10, 17.

[25] 1 *Cor.* 12, 14-20; cf. *Rom.* 12, 4-8.

[26] 1 *Cor.* 12, 12-31; *Rom.* 12, 4-8; *Eph.* 4, 11-16.

[27] 1 *Cor.* 12, 4-31.

[28] *Eph.* 4, 15. 16.

[29] *Io.* 15, 5.

[30] *Rom.* 6, 3-11; *Eph.* 1, 20-23; cf. 2, 5 s.; *Rom.* 8, 17; *Phil.* 3, 10 s.; 2 *Cor.* 4, 10 s.

[31] *Col.* 1, 19; 2, 9; *Eph.* 4, 13.

[32] *Eph.* 1, 23; cf. 3, 19; *Col.* 2, 10.

[33] Cf. *Apoc.* 21, 2. 10.

[34] *Apoc.* 21, 11. 23.

[35] *Apoc.* 19, 7.

[36] *Apoc.* 21, 9.

[37] *Hebr.* 12, 22. 23.

[38] Cf. *Apoc.* 6, 11.

[39] 2 *Cor.* 5, 6. 7.

[40] Cf. 2 *Cor.* 1, 5; *Phil.* 3, 10. 11; 1 *Petr.* 4, 13.

[41] *Io.* 15, 18. 19; 16, 33.

[42] Cf. 2 *Cor.* 13, 4.

[43] *Act.* 20, 29. 30.

[44] *Gal.* 2, 4; 2 *Cor.* 11, 26.

[45] *Mt.* 7, 15; 24, 11; cf. 2 *Cor.* 11, 13 (pseudoapostoli); 2 *Petr.* 2, 1; 1 *Io.* 4, 1.

[46] *Mt.* 16, 18.

[47] *Col.* 1, 13.

[48] *Eph.* 5, 23; *Act.* 20, 28; *Rom.* 5, 9; *Eph.* 1, 7; 2, 13.

[49] *Eph.* 5, 27.

[50] Cf. *Io.* 4, 23. 24.

[51] Cf. *Act.* 6, 1-6; cf. *Io.* 13, 35.

[52] *Io.* 17, 11. 14.

[53] *Mt.* 28, 19; *Mc.* 16, 15; *Rom.* 10, 18.

Caput II.

[1] C.I.C., c. 1239 § 2. DENZ. 388. 413.

[2] PIUS XII, Encycl. *Mystici Corporis*: A.A.S., 35 (1943), pp. 242-243; Epist. S. C. S. Officii ad Archiep. Boston., 8 aug. 1949.

[3] Cf. DENZ. 1648.

[4] 1 *Tim.* 2, 4; *Mt.* 26, 28; *Mc.* 14, 24; *Mc.* 10, 45; *Io.* 1, 29; 3, 16 ss.; 12, 47; *Rom.* 5, 19.

[5] *Act.* 17, 26-28.

[6] *Rom.* 8, 29; *Hb.* 2, 11-15.

[7] 2 *Cor.* 5, 18. 19; *Rom.* 5, 18. 19; *Mt.* 26, 28.

[8] Pius XII, Encycl. *Mystici Corporis*: A.A.S., 35 (1943), p. 202 s.; Denz. 2286.

[9] *Eph.* 4, 5; cf. notam 8.

[10] *Eph.* 4, 5; Denz. 696. 864. 2203. C.I.C., c. 87.

[11] 1 *Cor.* 10, 17; Denz. 698. 873 a. 875.

[12] *Mt.* 16, 18. 19; 18, 18; cf. notam 8.

[13] Cf. *Act.* 10, 15. 34-35. 44. 47; 11, 17.

[14] Ambrosius, *De obitu Valentini,* 51: PL 16, 1374; Augustinus, *De Bapt.* IV, 21, 28: PL 43, 172; Denz. 388. 413. 796; C.I.C., c. 737 § 1; Denz. 1647. Epist. S. C. S. Officii ad Archiep. Boston., 8 aug. 1949.

[15] Omittimus hic mentionem facere illorum, qui « ob gravissima delicta a Corporis Mystici compage seiuncti sunt », quippe cum neque absolute constare videatur talem excommunicationem ferri aut ferri posse nisi propter culpam haereseos aut schismatis et, etiamsi id fieri possit, talem excommunicationem eodem modo et gradu tollere rationem membri, sicuti fit per defectum horum trium vinculorum.

[16] Cf. *Mc.* 16, 16; *Rom.* 10, 9 s.

[17] Cf. *Rom.* 12, 1 ss.

[18] Epist. S. C. S. Officii ad Archiep. Boston.: « Neque enim putandum est quodcumque votum Ecclesiae ingrediendae sufficere ut homo salvetur. Requiritur enim ut votum, quo quis ad Ecclesiam ordinetur perfecta caritate infirmetur, nec votum implicitum effectum habere potest, nisi homo fidem habeat supernaturalem (*Hebr.* 11, 6; Conc. Trid.: Denz. 801) ». (Haec nota in alternativa forma n. 13 deest!).

[19] Ambrosius, *De obitu Valentini,* 51: PL 16, 1374; Augustinus, *De Bapt.* IV, 21, 28; 22, 29; PL 43, 172-174; Denz. 388. 413; C.I.C., c. 1239 § 2.

[20] C.I.C., c. 87.

[20a] 1 *Cor.* 12, 12 ss.; *Gal.* 3, 27 s.; Denz. 324. 696. 864. 895. Benedictus XIV, Epist. *Singulari nobis,* 9-2-1749: C.I.C., Fontes II, 394; C.I.C., c. 87; Pius IX, Epist. *ad Imp. Guilelmum I,* 7-8-1873: C. Mirbt, *Quellen zur Geschichte des Papsttums und des römischen Katholizismus* (Tübingen ed. 5, 1934) pp. 469-470; Pius XII, Encycl. *Mediator Dei*: A.A.S., 39 (1947), p. 555. Notum est neque hic negatur in aliis et multis quidem documentis Ecclesiae iis rationem membri Ecclesiae abiudicari, qui carent, licet baptizati sint, vinculo symbolico et hierarchico. Sed si res ipsa et tenor horum documentorum perpenduntur, facile elucet in eis sermonem de facto esse de ratione membri undequaque perfecti, prouti plene et perfecte constitutioni Ecclesiae correspondet. Documenta a nobis allata non quidem semper loquuntur de ratione membri in omnibus baptizatis, sed de omni baptizato dicunt ea, quae vix aut ne vix quidem sine multis distinctionibus et ambagibus intelligi et sustineri possunt, si baptizato, qui vinculo symbolico et hierarchico caret, omnis ratio membri abiudicatur.

Caput III.

[1] *Gal.* 3, 28.

[2] Augustinus, *Serm.* 340: PL 38, 1483; hic cit. sec. ed. Sermonum S. Caesarii Arelatensis; Corpus Christianorum, v. 10, p. 919.

[3] 1 *Pt.* 2, 9.

[4] *Apoc.* 1, 6; cf. 20, 6.

[5] *Act.* 4, 32; 2, 44.
[6] *Iac.* 2, 2-4.
[7] *Eph.* 4, 11. 12; cf. 1 *Cor.* 12, 4-11. 28-31.
[8] *Io.* 17, 14. 20; cf. *Gal.* 2, 7; 1 *Thess.* 2, 4; 1 *Tim.* 1, 11.
[9] *Io.* 17, 19; cf. 1 *Tim.* 4, 5.
[10] 2 *Cor.* 2, 19 b.
[11] 2 *Cor.* 5, 17; cf. *Eph.* 3, 8-11; 2 *Cor.* 4, 6.
[12] 2 *Cor.* 2, 17; 4, 2; *Phil.* 1, 14.
[13] *Rom.* 1, 1. 15. 16; 2, 16; 1 *Cor.* 2, 6 s.; 2 *Cor.* 11, 7; 1 *Thess.* 2, 8. 9.
[14] 1 *Cor.* 2, 1.
[15] 1 *Thess.* 1, 8; 2 *Thess.* 3, 1.
[16] 1 *Thess.* 3, 2; 2 *Thess.* 1, 8; *Gal.* 1, 7; *Rom.* 15, 19 et alii loci.
[17] 1 *Cor.* 1, 6; cf. 2 *Tim.* 1, 8.
[18] *Act.* 6, 4; 1 *Cor.* 9, 17; 4, 1.
[19] *Mc.* 16, 15-18; *Mt.* 28, 19. 20; cf. *Luc.* 10, 16; *Io.* 20, 21; 2 *Cor.* 3, 2.
[20] 2 *Cor.* 3, 6; 1 *Cor.* 4, 1; cf. 1, 17.
[21] Cf. 1 *Cor.* 12, 28-30; *Eph.* 2, 20; 3, 5; 4, 11.
[22] *Hb.* 4, 12; cf. *Eph.* 6, 17.
[23] Cf. 1 *Thess.* 2, 13. 14; 1 *Cor.* 1, 18; 1 *Pt.* 1, 23. 25.
[24] 2 *Cor.* 4, 5; 1 *Cor.* 2, 4. 5; cf. 1 *Thess.* 1, 5.
[25] 1 *Cor.* 9, 27.
[26] Cf. 1 *Cor.* 4, 9 ss.; 15, 30 s.; 2 *Cor.* 1, 4 ss. et alii loci.
[27] 2 *Cor.* 12, 9. 10.
[28] 2 *Cor.* 2, 16; cf. 2 *Cor.* 4, 4; 1 *Cor.* 1, 18; *Lc.* 2, 34 .
[29] Cf. 1 *Thess.* 3, 2 var.; *Phil.* 2, 25; 4, 3.
[30] 1 *Tim.* 5, 17.
[31] 1 *Tim.* 3, 2; cf. *Tit.* 1, 9.
[32] 2 *Tim.* 2, 2; cf. 1 *Tim.* 4, 6.
[33] 1 *Pt.* 1, 23. 25; 1 *Io.* 2, 14. 24; 2 *Io.* 2, 9.
[34] 2 *Cor.* 4, 7.
[35] *Mc.* 16, 15. 16; *Mt.* 28, 19. 20; *Lc.* 10, 16; *Io.* 13, 20; *Gal.* 1, 8.
[36] 2 *Cor.* 4, 7.
[37] Cf. 2 *Tim.* 1, 12.
[38] *Io.* 16, 13.
[39] *Io.* 15, 26. 27.
[40] Cf. *Is.* 40, 8; 1 *Pt.* 2, 25; *Apoc.* 19, 9.
[41] 1 *Tim.* 3, 15; *Mt.* 16, 18.
[42] *Mt.* 28, 20; cf. *Hb.* 13, 8.
[43] *Io.* 14, 16. 17.
[44] *Io.* 17, 17. 19.
[45] *Io.* 4, 23.
[46] *Hb.* 10, 29; 13, 12.
[47] Cf. *Act.* 14, 23 a; cf. 20, 28; 1 *Tim.* 4, 14; 2 *Tim.* 1, 6; *Hb.* 6, 2.
[48] Denz. 938.
[49] *Mt.* 2, 6; 9, 36; 26, 31; *Io.* 10, 11-18; *Hb.* 13, 20; 1 *Pt.* 2, 25.
[50] *Mt.* 16, 19; 18, 18.
[51] *Act.* 20, 28; cf. 1 *Pt.* 5, 2; *Eph.* 4, 11.
[52] Cf. *Mt.* 7, 15; 10, 16; *Io.* 10, 9. 12; *Act.* 20, 29.

[53] 1 *Pt.* 5, 4; *Hb.* 13, 20.
[54] *Mt.* 28, 20.
[55] Cf. *Mc.* 3, 13-19; *Lc.* 6, 12-16; *Mt.* 10, 1-5.
[56] *Mt.* 10, 5b-7.
[57] *Mt.* 28, 19; *Mc.* 16, 15.
[58] *Mc.* 3, 14-19; *Mt.* 10, 2-5; 16, 13-19 par.; *Io.* 21, 15-17.
[59] *Col.* 1, 18.
[60] 1 *Tim.* 4, 14; 2 *Tim.* 1, 6.
[61] *Mc.* 3, 14; *Lc.* 6, 13; *Mt.* 10, 2; *Io.* 6, 70; *Apoc.* 21, 14.
[62] 1 *Clem.* 42, 3. 4 ed. Funk I, p. 153, linn. 8-14; cf. 44, 2: Funk, ibid., p. 155, linn. 20 ad 157, lin. 1.
[63] Cf. *Act.* 8, 14; 1 *Cor.* 15, 5; *Mc.* 3, 14. 16.
[64] Cf. schema *de Ecclesia,* p. 25 s., nota 3.
[65] Cf. *Eph.* 4, 11-13; 1 *Cor.* 12, 4-31.
[66] C.I.C., c. 228.
[67] DENZ. 1792; C.I.C., c. 1321 § 1.
[68] DENZ. 1821.
[69] *Mt.* 16, 18; *Io.* 21, 15-17.
[70] DENZ. 1822-1831.
[71] DENZ. 1839.
[72] Ibid.
[73] DENZ. 1836.
[74] Sic Ep. V. Gasser, in Congreg. Gen. 84. Vat. I, 11 iul. 1870. MANSI 52, 1216 D.
[75] Cf. Concilium Vat., Constit. Dogm. *Dei Filius,* monitum post canones: DENZ. 1820; can. 1324; LEO XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae Christianae*: A.S.S., 22 (1889-90), p. 395; PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* 31 dec. 1930: A.A.S., 22 (1930), p. 580: « Et ne auxilio a Deo tam liberali benignitate collato se ipsi privent, necessario hanc oboedientiam praestare debent non solum sollemnioribus Ecclesiae definitionibus, verum etiam, servato modo, ceteris constitutionibus et decretis, quibus opiniones aliquae ut periculosae aut pravae proscribuntur et condemnantur ».
[76] S. BASILIUS, *In Isaiam,* 15, 296: PG 30, 637, collato S. GREGORIO MAGNO, *Moral.* 4, 7. 12: PL 75, 643. Similia apud Clem. Alex., Cyrill. Alex., Io. Damasc., alios.
[77] 1 *Pt.* 5, 2-4.
[78] 2 *Tim.* 4, 2.
[79] 1 *Cor.* 2, 2.
[80] Schema evitat accuratiores quaestiones, quomodo historice orti sint presbyteratus et alii ordines inferiores; quinam ex eis sint iuris divini immediate a Christo conditi; quinam non ita censendi sint, quo sensu id possit dici etc. Statuit normam, quae et doctrinae dogmaticae receptae et factis evolutionis historicae sat complicatae correspondet. Aperta enim relinquitur quaestio, utrum « voluntas » Christi generalem potestatem tribuerit Ecclesiae annon et in quibus casibus, pro suo prudenti iudicio partiendi ministerium in Ecclesia, utrum Christus ipse explicite talem partitionem mandaverit annon et in quibus casibus.
[81] Cf. DENZ. 958. 962. C.I.C., c. 109.
[82] Cf. DENZ. 2301. 956 a. 959. 963 et 966.

[83] DENZ. 98. Sacra Scriptura et prima traditionis testimonia norunt semper presbyteros in plurali, qui una cum episcopo agunt, quibus non an principio certa pars territorii ab Episcopo demandatur: 1 *Tim.* 4, 14; *Iac.* 5, 14; *Tit.* 1, 5. In quantum presbyteri distingui possunt ab episcopis semper numero plurali apparent. Cf. IGNATIUS ANTIOCHENUS, *epist. ad Trallianos* 3, 1: Funk I, p. 245, 10-13: Cuncti similiter revereantur diaconos ut Iesum Christum, sicut et episcopum qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur.

[84] DENZ. 959 s.; 961 et 963.

[85] DENZ. 964.

[86] DENZ. 960. 961. 964.

[87] DENZ. 2275. 2300.

[88] DENZ. 573 s.; 697. C.I.C., c. 782 § 2.

[89] C.I.C., c. 135.

[90] DENZ. 1827.

[91] Cf. DENZ. 356. 966. 2301.

[92] DENZ. 958. 966.

[93] DENZ. 966.

[94] C.I.C., cc. 741. 845 § 2.

[95] DENZ. 962.

[96] Cf. C.I.C., c. 973 § 2.

[97] DENZ. 962.

[98] DENZ. 958.

Caput IV.

[1] Cf. 1 *Pt.* 2, 9 s.; *Apoc.* 1, 6; 5, 10.

[2] Cf. *Eph.* 4, 11-16.

[3] Cf. *Act.* 20, 38.

[4] 1 *Pt.* 1, 16.

[5] Cf. *Tit.* 2, 12.

[6] 1 *Pt.* 3, 16.

[7] 1 *Thess.* 5, 11.

[8] C.I.C., c. 682; PIUS XII, Alloc. *De quelle consolation,* 14 oct. 1951: A.A.S., 43 (1951), 789; Alloc. *L'importance de la presse catholique,* 17 febr. 1950: A.A.S., 42 (1950), 256.

[9] 1 *Io.* 4, 1.

[10] 1 *Thess.* 5, 19.

[11] Cf. *Rom.* 8, 22.

[12] Cf. 1 *Cor.* 13, 7.

[13] 1 *Pt.* 5, 4.

[14] LEO XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: A.S.S., 18 (1885), 166 ss.; Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: A.S.S., 22 (1889/90), 397 ss.

[15] *Gn.* 1, 28.

[16] Cf. *Phil.* 4, 8.

[17] 1 *Cor.* 15, 28.

[18] 1 *Cor.* 7, 29-31.

Caput V.

[1] Iam S. Thomas professionem consiliorum evangelicorum vocat « sequelam Christi »: *Summa Theol.,* II-II, q. 188, a. 7 c.
[2] Cf. 1 *Cor.* 7, 20.
[3] C.I.C., c. 107.
[4] *Mt.* 19, 11.
[5] *Mt.* 19, 12. 21. 29; 20, 26 s.; *Mc.* 10, 43 ss.; *Lc.* 14, 26; 18, 29.
[6] *Mc.* 10, 45; *Lc.* 9, 58; *Phil.* 2, 6 ss.; *Hb.* 10, 7.
[7] Cf. *Lc.* 2, 49; 24, 26.
[8] *Rom.* 8, 3.
[9] Cf. *Eph.* 4, 24; *Col.* 3, 10.
[10] Cf. 12, 30. 33.
[11] Cf. *Mt.* 12, 48.
[12] *Mt.* 5, 48.
[13] 1 *Cor.* 7, 29 ss.
[14] *Mt.* 6, 33.
[15] *Lc.* 10, 42.
[16] S. THOMAS, *Summa Theol.,* II-II, q. 184, a. 3 ad 1 et passim.
[17] *Mt.* 19, 11.
[18] 1 *Io.* 2, 16.
[19] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: A.A.S., 35 (1943), pp. 214-215.
[20] Cf. *Apoc.* 21.
[21] S. THOMAS, *Summa Theo*l. III, q. 60, a. 3 c.
[22] DENZ. 1794.
[23] *Cant. Serm.* 12, 11.
[24] *Cant. Serm.* 68, 4.
[25] *Io.* 4, 35.

PRIMAE PERIODI CONCLUSIO

Die 8 decembris anni 1962 in festo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, solemni sacro prima periodus Concilii Oecumenici Vaticani II conclusa est.

Hora decima, praesente Summo Pontifice, in altari Concilii Missam pontificalem celebravit em.mus card. Paulus Marella, archipresbyter patriarchalis basilicae S. Petri, rev.mis DD. Pfister presbytero assistente, Altaballa Gracia diacono, Aluffi Pentini subdiacono. Cantus exsecuti sunt Patres Conciliares modis gregorianis (*missa de angelis*), partes vero Missae proprias aliqui religiosi ex Ordine S. Benedicti.

Missa expleta, Summus Pontifex, post « oboedientiam » em.morum cardinalium, Patres allocutus est, et benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria impertivit.

Allocutio Summi Pontificis Ioannis XXIII

Prima Sessio Concilii Oecumenici Vaticani secundi, quae initium cepit cum liturgicum celebrabatur festum Divinae Maternitatis beatissimae Virginis Mariae, fauste concluditur sacratissimo hoc die, quo Immaculata Conceptio Deiparae celebratur, magnis coruscantibus splendoribus, qui a Dei hominumque Matre emanant.

Mysticus quidam caelestis arcus coniungit sacrum coetum, qui hodie peragitur, cum Oecumenici Concilii rutilanti primordio, quod contigit die undecimo elapsi mensis Octobris; hae duae liturgicae celebritates iucundam quamdam suppeditant occasionem gratiarum actionibus, quae Deo persolvi debent.

Praeterea, intimus qui subest huic eventui sensus suavior exsistit, ubi in memoriam redigitur Decessorem Nostrum Pium IX Concilium Vaticanum primum hoc eodem die auspicatum esse.

Iuvat has congruentias temporis perpendere, quae si considerantur, licet intellegi magnos Ecclesiae eventus obtingere lucente veluti sidere ac materne protegente Maria.

Concilium reapse est actus, quo in Deum creditur, legibus eius obtemperatur, Divinae Redemptionis consilio sincere obsequi studetur: consilium dicimus, quo *Verbum caro factum est de Maria Virgine*. Cum igitur hodie Immaculata *Virgo de radice Iesse* recolatur, a cuius radice flos ascendit,[1] ingenti gaudio animi nostri perfunduntur: etenim magis

---

[1] Cf. *Is.* 11, 1.

magisque cernimus hunc florem apparere, praesertim cum sacri Adventus tempus decurrat.

Cum Antistites quinque continentium terrarum ex hac Petriana Aula ad dilectas Dioeceses profecturi sunt — ut perfungi pergant officio pastorum, qui greges suos sequuntur — in cogitatione versantur ea, quae adhuc effecta sunt; atque, sumptis viribus ac perpensis agendi normis, futurum prospicitur, dum in exspectatione est emetiendum iter, ut magnum inceptum perfecte in rem deducatur.

Tria capita Noster sibi sermo proponit: scilicet Concilii Oecumenici initium, progressum, atque exspectatos fructus, ut fides, sanctitudo, apostolatus in Ecclesiam et in civilem consortionem radios emittant.

Mentibus nostris penitus adhuc inhaeret ipsum initium Concilii Oecumenici, videlicet spectaculum amplissimi illius conventus sacrorum Antistitum, e toto terrarum orbe huc congregatorum. Quod per saeculorum decursum ad haec usque tempora fieri contigit numquam. Scilicet *una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia* hominibus se obtulit coruscantem fulgore, qui a perenni munere ipsi constituto exoritur, ostendens compagis suae firmitudinem, exercens flexanimam ac blandam vim institutorum suorum. Meminisse etiam iuvat e plurimis gentibus advenisse, qui, nomine suae cuiusque Civitatis Moderatorum, sollemnibus ob ineundum Concilium interessent. Ac liceat Nobis gratum animum iterum iterumque profiteri, quod nostri temporis homines cum admiratione exordium universalis huius Synodi spectaverunt; atque undique allatae sunt ad Nos significationes eorum, qui singulari cum studio, magna cum reverentia et existimatione, tantum eventum conspiranter sunt recordati.

I. *Concilii initium.*

Die igitur illo memorabili undecimo mensis Octobris Patrum mutua et socia opera est inchoata. Primo vero gradu temporis in Concilii Oecumenici celebratione absoluto, expedit iam ut de rebus actis paulisper recogitemus.

Prima Sessio, modo quodam lento et sollemni, quasi aditum aperuit ad magnum ipsum opus Concilii; fuit scilicet initium, unde Patres alacri animo se penitus in ipsam causam et in intimam rationem huius negotii, seu divini consilii insinuarent. Oportebat sane ut fratres e longinquis regionibus advecti et in eandem hanc vetustam Sedem congregati, se necessitudine attingerent; oportebat ut invicem se intuerentur ad mutuos animorum sensus comperiendos; oportebat ut scientiam, quam quisque experiendo sibi comparaverat, cum ceteris considerate et frugi-

fere communicaret, quasi significationem earum rerum, quae variis in locis hominumque ordinibus, ad apostolatum quod attinet, effici contigit.

Facile intellegitur in tam amplo consessu nonnihil temporis necessarium fuisse ut ad consensionem de rebus perveniretur quae, salva caritate, causam praebuerant discrepantiae, minime quidem mirandae sed animos paulum sollicitantis.

Id ipsum e provido Dei consilio propterea evenit, ut veritas in sua luce poneretur et coram universa hominum societate manifesta fieret sancta libertas filiorum Dei, quae in Ecclesia viget.

Neque fortuito coeptum est ab expendendo schemate de sacra Liturgia, utpote quae ageret de rationibus, quae inter hominem ac Deum intercedunt. Sunt enim hae summi momenti rationes, quae in solido fundamento Revelationis et Magisterii apostolici innitantur oportet, ut opus impendatur in bonum animorum amplissima illa cum iudicandi ratione, quae non sapiat nimiam illam levitatem et festinationem, saepe propriam rationum inter solos homines.

Deinde quinque schemata proposita sunt, de quibus disceptatum est et sententiae latae, quas utilissimas esse arbitramur ad certam ac definitam compositionem approbationemque singularum constitutionum perficiendam, ita ut merito colligi possit bona initia posita esse eorum de quibus adhuc erit disputandum.

II. *Concilii progressus.*

En inde, venerabiles Fratres, oculi Nostri ad operam illam convertuntur, quae proximo novem mensium intervallo, licet tecta silentio nec tamen minore cum gravitate, insumetur, postquam ad honoris vestri Sedes reversi eritis.

Dum unumquemque vestrum in sua quisque dioecesi contemplamur, commoto oblectamento animus perfunditur Noster, cum sciamus vos, ex hac Urbe redeuntes, fiduciae et caritatis fulgentem veluti facem commissis populis elaturos esse, atque Nobiscum Deum impensius usque deprecaturos, ita ut in memoriam suavissime reducantur verba Libri Ecclesiastici de Summo Sacerdote Simone: « et ipse stans iuxta aram, et circa illum corona fratrum ».[2]

Ut videtis, mutua hac precum voluntatumque conspiratione navitas nostra procedit.

Coniuncta opera ob sollemnem hanc celebritatem non intermittitur: immo labores, qui nos omnes manent, maioris certo ponderis et momenti

---

[2] *Eccli.* 5, 13.

aestimandi sunt, quam in ceteris Oecumenicis Conciliis fuerunt, dum intervalla fiebant. Verum enimvero hodiernae vitae condicionibus singulorum hominum ac rerum ad apostolatum spectantium sedulae communicationes omne genus faciliores redduntur.

Etiam nova Commissio nuper constituta, in quam delecti viri e Cardinalium Collegio atque ex Episcoporum coetu cooptati sunt, ut universalis Ecclesiae partes gererent, id plane testatur: nempe labores Concilii non interquiescere. Etenim huius Commissionis proprium erit, proximis mensibus laboribus adesse et moderari, atque, collatis consiliis cum singulis Concilii Commissionibus, valida velut fundamenta iacere, ut Oecumenica Synodus ad felicem exitum perveniat. Concilium ergo nostrum proximis novem mensibus, quibus sessiones intermittentur, coeptum iter actuosissime perget.

Singuli Episcopi, etsi pastoralis officii sollicitudine astricti, proposita nunc schemata, aliamque materiem, quae opportuno tempore mittetur, attente meditabuntur atque perpendent. Quam ob rem Sessio, quae proximo mense Septembri continget — cum omnes Concilii Patres Romam iterum optatissimi convenient — secure, constanter atque expeditius procedet, praesertim cum maiorem rerum usum hauriat ex coetibus in hac prima Sessione habitis; indeque sperare licet, fore ut postero anno, qui erit quater centesimus ab exitu Concilii Oecumenici Tridentini, laborum conclusio, quam Nostri dilectissimi populi exspectant, inter sacrata gaudia diei Natalis Domini Nostri Iesu Christi habeatur, cum gloriam Verbi Dei, quod caro factum est, videbimus et adorabimus.

III. *Exspectati Concilii fructus.*

Dum igitur praesaga mente hanc peramplam munerum provinciam complectimur, quae magna cum fiducia consociatae navitati patet, enixa exspectatione afficimur, percupientes ut effectum magna illa consilia tandem consequantur, quae in animo habuimus dum Concilium indicebamus: nempe ut « Sancta Ecclesia, firma in fide, in spe solidata, et caritate ardentior, novo quodam ac iuvenili floreat vigore; atque, sanctissimis legibus munita, in amplificando Christi Regno sit magis efficax atque expedita ».[3]

Quamvis, ut patet, nondum habeantur normae Concilii Oecumenici, quae post eiusdem Concilii labores iam absolutos promulgabuntur, nihilominus iuvat salutares fructus inde orituros iam nunc sitienti animo

---

[3] *Epistula autographa ad Germaniae Episcopos,* die XI mensis Ianuarii MCMLXII.

praecipere. Faxit Deus, ut hi fructus non solum a catholicae Ecclesiae filiis percipiantur, sed etiam redundent in ipsos fratres nostros, qui christiano censentur nomine, immo in innumeros illos homines, christianae lucis nondum compotes, qui antiquissimo ac praestantissimo civilis cultus patrimonio a maioribus accepto gloriantur. Qui quidem nihil habent quod timeant ab Evangelii luce; quae, contra — ut praeteritis aetatibus saepe contigit — valde conferre poterit ad excolenda evolvendaque fecundissima illa religiosi sensus civilisque cultus germina, quae apud eos reperiuntur.

Praesagus animus Noster iam illuc prospicit, venerabiles Fratres; ac probe novimus, vos eadem ac Nos affici sollicitudine.

Cum illud tempus advenerit, tunc necesse erit ut in omnes navitatis Ecclesiae campos, atque etiam in rei socialis provinciam, ea omnia deducantur, quae in Oecumenica Synodo statuta fuerint, ac normis ab eadem Synodo conditis prompto generosoque animo obtemperetur.[4]

Quod quidem opus, maximi sane momenti, a sacris Pastoribus postulabit, ut viribus unitis impensissimam dent operam sanae doctrinae praedicandae et Concilii legibus sollerter exsequendis. Ad id efficiendum, advocanda erit etiam adiutrix opera sacerdotum ex utroque Clero, Institutorum Religiosorum, necnon laicorum hominum pro suo cuiusque munere atque facultate. Quorum omnium munus hoc erit, ut Concilii Oecumenici laboribus christifideles alacri fidelique voluntate respondeant.

Tunc procul dubio exoptata illucescet nova Pentecoste, quae Ecclesiam spiritualibus viribus uberius ditabit eiusque maternum afflatum salutaremque vim per omnes humanae navitatis provincias latius propagabit. Tunc Regnum Christi in terris novo amplificabitur incremento. Tunc denique altius ac suavius in orbe laetus resonabit humanae Redemptionis nuntius, quo confirmantur suprema Omnipotentis Dei iura, fraternae caritatis vincula inter homines, pax, quae his in terris promissa est hominibus bonae voluntatis.

Venerabiles Fratres.

Hi sunt commoti animi sensus, quibus urgemur, quique magnam spem supplicationemque Nostram alunt. Peractis huius Sessionis laboribus, ad Nationes vestras, ad dilectissimos vobis commissos greges iam reversuri estis; dum igitur proficiscentes vos votis omnibus prosequimur, cupimus ut vestris sacerdotibus atque fidelibus impensam benevolentiam significetis Nostram, ominum atque votorum diserti interpretes

---

[4] Cf. *Oratio ad Spiritum Sanctum pro Concilio Oecumenico.*

facti. Quam ob rem, nunc Nos renovare iuvat bene precantia verba, quibus Decessor Noster Pius nonus, in Oecumenico Concilio Vaticano primo, Episcopos quondam effatus est: « Videtis, dilectissimi Fratres, quam bonum et quam iucundum sit ambulare in domo Dei cum consensu. Sic ambulate semper. Et quoniam Dominus noster Iesus Christus pacem Apostolis dedit, sic et ego Vicarius indignus nomine suo do vobis pacem. Pax, ut scitis, expellit timorem. Pax, prout scitis, claudit aures sermonibus imperitis. Ah! ista pax vos comitetur omnibus diebus vitae vestrae ».[5]

Superioribus qui abierunt mensibus, una simul congregati, suavissima hac delectatione fruiti sumus, quae ab his Pii noni verbis tam apte declaratur.

Adhuc longum est iter nobis emetiendum: sed sciatis, Supremum Ecclesiae Pastorem ad unumquemque vestrum amantissimas cogitationes continenter convertere, dum in pastoralia munera incumbetis, quae a perficiendi Concilii curis et sollicitudinibus minime disiunguntur. Triplicem laborum nostrorum campum, communi navitati propositum, hodie vobis indicavimus, ut animum vobis adderemus: fulgenti Concilii initio primus aditus patefactus est ad magnum illud opus inchoandum; coniuncta opera proximis hisce mensibus alacris et cogitata perget, ut Oecumenica Synodus optatissimos fidei, spei caritatisque fructus in universa hominum familia aliquando edat. Triplex huiusmodi nota singulare Concilii momentum et gravitatem praedicat.

Magni ergo ponderis negotia et onera nos exspectant; sed in itinere Deus ipse nos sustentabit.

Nobiscum semper sit Immaculata Virgo Maria; item castissimus eius Sponsus Ioseph, Concilii Oecumenici Patronus, cuius nomen ex hodierno die in Canone Missae refulget, nos comitetur in via, qui Nazarethanae Familiae comes atque auxiliator divinitus est datus; et cum ipsis sint Sancti Petrus et Paulus, una cum Sancto Ioanne Baptista, cum universis Pontificibus, Pastoribus ac Doctoribus Ecclesiae Dei.

Versamur in hac principe christianae familiae Basilica, apud Apostolorum Principis sepulcrum; sed meminisse iuvabit Romanae dioecesis cathedrale templum Lateranensem esse Basilicam, matrem et caput omnium Ecclesiarum, quae Divino Servatori Iesu dicata est. Ipsi ergo Regi saeculorum et populorum, immortali et invisibili, gloria et imperium in saecula saeculorum.[6]

---

[5] *Mansi,* 1869-70, p. 765, 158.
[6] 1 *Tim.* 1, 17; *Apoc.* 1, 6.

In hac suavi commotione iucunditatis, Caelum patescit supra capita nostra, atque illinc splendor aulae caelestis ita super nos collucet, ut securam spem, supernaturalem fidei constantiam, laetitiam pacemque placidissimam nobis inferat.

Hos superno illustrati lumine, dum vestrum praestolamur reditum, vos omnes, venerabiles Fratres, salutamus « in osculo sancto »,[7] divinorum munerum affluentiam vobis enixe implorantes, quorum pignus et auspicium esto Apostolica Nostra Benedictio.[8]

---

[7] Cf. *Rom.* 16, 16.
[8] *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 35-41.

APPENDIX

APPENDIX*

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE DEPOSITO FIDEI PURE CUSTODIENDO

PROOEMIUM [25]

1. [*Grave officium custodiendi depositum*]. Sancta Vaticana Synodus secunda, coram Deo et humani generis Redemptore, sibi plene conscia est, Ecclesiam minime implere posse quod superne accepit mandatum docendi, sanctificandi atque regendi ut esset sal terrae et lux mundi (cf. Mt. 5, 13-14), nisi depositum fidei purum inviolatumque conserveretur. Cuius quidem sacri depositi custodia, non solum singulis pastoribus committitur velut officium, de quo rationem Domino reddituri sunt (cf. Hebr. 13, 17), sed maxime competit Episcopis universis, per Spiritum Christi et sub Romano Pontifice in unum coetum apostolicum congregatis.

Ad hoc enimvero instituta est sacra hierarchia ecclesiastica cum suis pastoribus et doctoribus, ut « occurramus omnes in unitatem fidei » et iam non simus parvuli fluctuantes qui circumferuntur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris (cf. Eph. 4, 11-14). In hanc porro hierarchiam apte cadunt quae Apostolus monet Timotheum: « Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidem promittentes, circa fidem exciderunt » (1 Tim. 6, 20-21).

2. [*S. Synodi mens*]. Non praeterit autem S. Synodum mentes hominum nostrae aetatis variis perniciosisque doctrinis turbari, praesertim circa primarias veritates de humanae existentiae ratione, scilicet de origine, natura ac fine vitae hominis super terram et de via qua possit quisque ad Deum et ad intimam plenamque felicitatem pervenire. Novit insuper eadem S. Synodus

* Tria schemata referuntur, quae ad Patres missa sunt ante Sacrosanctum Concilium inchoatum (cf. vol. I, pars I, pag. 262, nota), tamen in Concilio discussa non sunt.

[25] plura alia spargi errorum semina, indeque fieri ut ipsi fideles interdum anxietatibus premantur utque multi sanam doctrinam iam non sustineant, sed a veritate auditum avertant et ad fabulas convertantur (cf. 2 Tim. 4, 4). Quamobrem conciliares Patres, ut religiose munere sibi commisso fungantur et hominibus huius temporis viam ostendant qua secure Deum Filiumque eius Unigenitum quaerere et invenire possint, suum esse existimant ex
[26] deposito a Deo S. Ecclesiae concredito nonnullas proferre veritates, de iis imprimis quae ad ipsius religionis fundamenta spectent, atque easdem, ad utilitatem fidelium omniumque Deum sincero animo quaerentium, in capitibus quae sequuntur concinne exponere et ab erroribus vindicare.

[27]

Caput I

DE COGNITIONE VERITATIS

3. [*Fundamentum theologicum*]. Cum fides illuminet rationem eandemque ab erroribus tueatur,[1] S. Synodus, innixa divinae revelationi de dignitate hominis ad imaginem Dei creati (cf. Gen. 1, 26-27; Sap. 2, 23; Eccl. 17, 1); de missione Christi, qui veritate nos liberavit (cf. Io. 8, 32); de Spiritu Sancto a Domino misso ut nos doceret omnem veritatem (cf. Io. 16, 13); de Ecclesia columna et firmamento veritatis (cf. 1 Tim. 3, 15), docet hominem natura sua gaudere sublimi facultate adipiscendae veritatis, quandoquidem, si haec aptitudo excludatur, ipsa ratio humana corruit, immo et revelatio et fides perimuntur. At vero Ecclesia, a Spiritu veritatis edocta, non solum firmiter agnoscit hominem facultate pollere intelligendi res prouti in se sunt,[2] sed insuper credit intellectum humanum ita a Deo elevari posse et elevari, ut fide illuminatus veritates percipere valeat captum cuiusvis creatae mentis excedentes, donec in patria Primam Veritatem, nempe Deum Unum et Trinum, lumine et claritate visionis beatificae, facie ad faciem intueatur.[3]

4. [*De veritate primorum principiorum*]. Quemadmodum autem Ecclesia, divino eloquio iugiter freta, semper tenuit veritatem non esse quid mere subiectivum,[4] sed potius existimandam esse humanae mentis singularem perfectionem, qua rerum universitati eadem mens conformari potest, iuxta illud Augustini: « Non enim ratiocinatio talia facit, sed invenit »; [5] ita

pari firmitate semper agnovit hominis intellectum facultate ditari [27] veritates necessarias et immutabiles assequendi [6] et de illis propositiones enuntiandi quae mutationi non sint obnoxiae.[7] Quia vero super principia illa universalia, quae identitatis, contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis efficientis et finalis ab eruditis vocari solent,[8] quaeque tam perspicua sunt, ut quasi sponte cuilibet innotescant, integrum aedificium cognitionis humanae innititur, immo ipse ordo doctrinae fidei quodammodo superstruitur,[9] ideo Sacrum Concilium docet, principia illa a nemine in dubium ullatenus vocari posse.

5. [*Obscuratae veritatis remedia*]. Ex quo autem in servi- [28] tutem ignorantiae et cupiditatum, primi lapsus causa, incidit homo, lumen naturalis rationis obnubilatum est,[10] proindeque nunc difficilior redditur cognitio veritatis, in iis praecipue quae ad religionem et mores pertinent (cf. Sap. 9, 13-19; Rom. 1, 18-32). Quocirca, non obstante miro progressu hodierno omnium scientiarum, solummodo « divinae revelationi tribuendum est, ut quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint ».[11] Attamen Ecclesia, iure quidem ac merito, utilitatem quoque atque efficacitatem bonarum totius animi dispositionum ad veritates religiosas ac morales plene cognoscendas et amplectendas semper affirmavit: immo semper docuit huiuscemodi dispositionum defectum causam esse posse cur intellectus, cupiditatibus praeterea et mala voluntate detentus, non recte videat et a veritate aberret.[12]

NOTAE

[1] Cf. Conc. Vat., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 4: Denz. 1799.

[2] Cf. S. Thomas, *In Ioh.* cap. 18, n. 11. Insuper Pius XII, *Alloc. iis qui interfuerunt Primo Symposio Internationali Geneticae Medicae,* 7 sept. 1953: AAS 45 (1953) p. 601: « La pensée de tous les temps, basée sur la saine raison, et la pensée chrétienne en particulier sont conscientes de devoir maintenir le principe essentiel: la vérité est l'accord du jugement avec l'être des choses déterminé en lui-même ».

Cf. Ioannes XXIII, *Nuntius Radiophonicus,* 22 dec. 1960: AAS 53 (1961) pp. 7-8.

Cf. S. Thomas, *Summa Theol.* I, q. 16, a. 1.

[3] Cf. Conc. Vat., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 4: Denz.

[28] 1795-1796; PIUS IX, Epist. *Gravissimas inter,* 11 dec. 1862 (contra Iac. Frohschammer): DENZ. 1673.

[4] S. C. S. OFFICII, Decr. *Lamentabili,* 3 iulii 1907, prop. 58: DENZ. 2058, damnatur: « Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur ».

[5] S. AUGUSTINUS, *De vera religione,* c. 39, n. 73: PL 34, 155.

[6] PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2320: « certae et immutabilis veritatis assecutionem ».

[7] Cf. S. C. S. OFFICII, Decr. *Lamentabili,* prop. 58: DENZ. 2058.

[8] PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* l. c.: « Quae quidem philosophia in Ecclesia agnita ac recepta, et verum sincerumque cognitionis humanae valorem tuetur, et metaphysica inconcussa principia — rationis nempe sufficientis, causalitatis et finalitatis – ac demum certae et immutabilis veritatis assecutionem »;

[29] Cf. *Alloc. ad medicos,* 7 sept. 1953: AAS 45 (1953) p. 601; *Alloc. ad Univ. Greg.,* 17 oct. 1953: AAS 45 (1953) p. 685;

S. THOMAS, *Summa contra Gent.,* II, c. 83: « Intellectus noster cognoscit *ens* et ea quae sunt per se entis, inquantum huiusmodi: in qua cognitione fundatur primorum principiorum notitia; ut, *non esse simul affirmare et negare,* et alia huiusmodi. Haec igitur sola principia intellectus noster naturaliter cognoscit, conclusiones autem per ipsa ».

[9] CONC. VAT., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 4: DENZ. 1799: « Neque solum fides et ratio inter se dissidere numquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum *recta ratio fidei fundamenta demonstret...* ».

Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2321-2322.

[10] CONC. TRID., Sess. V, Decr. *De peccato orig.*: DENZ. 788: « Totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse »;

Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* I, q. 95, a. 1.

[11] CONC. VAT., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 2: DENZ. 1786;

Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* I, q. 1, a. 1.

[12] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2324.

CAPUT II [30]

DE DEO

6. [*Cognitio Dei, finis ultimi hominis*]. Ecclesia, testimoniis innixa divinae revelationis, semper tenuit in cognitione naturali existentiae Dei Creatoris reponendum esse totius vitae religiosae fundamentum, quatenus in ea habetur veluti praeambulum ad Dei ipsius cognitionem, quae per fidem obtinetur. Profitetur insuper Deum, qui caritas est (cf. 1 Io. 4, 8) et lux veritatis (cf. 1 Io. 1, 5), atque ideo fons omnium bonorum, a quo et creati sumus et aeternam beatitudinem expectamus, ad veritatem tanti momenti perviam reddendam, sese hominibus manifestasse, tum suae Providentiae operibus supernaturalibus, tum etiam communibus creationis operibus, quae ita sapienter disposuit, ut apertum de se ipso redderent testimonium. Non enim longe est ab unoquoque nostrum (cf. Act. 17, 27) et « non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra » (Act. 14, 17).

7. [*Affirmatur Dei cognoscibilitas*]. Porro eadem sancta Mater Ecclesia credit et docet invisibilis Dei exsistentiam vel solo naturali rationis lumine per visibilia creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci adeoque et demonstrari posse;[1] « Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus et divinitas » (Rom. 1, 20).

8. [*Argumentum ex perfectionibus mundi*]. Profecto sancti Patres et Doctores Ecclesiae[2] variis atque firmissimis argumentis demonstrarunt Deum esse et « causam constitutae universitatis, et lucem percipiendae veritatis et fontem bibendae felicitatis ».[3] Re enim vera incomparabilis magnificentia et pulchritudo, quae in mundo conspiciuntur, item ac mirus ordo quo omnia firmiter constanterque ad finem suum contendunt, certissime proclamant sapientissimum ac potentissimum Auctorem ac Gubernatorem,

[31] Deum nempe personalem,[4] ita ut vani censendi sint qui, operibus attendentes, non agnoscant quis sit artifex, et illorum specie delectati, non cogitent quanto his dominator eorum speciosior sit (cf. Sap. 13, 1-5).[5]

9. [*Argumentum ex imperfectionibus creaturarum*]. Imperfectiones quoque, quae omnibus huius mundi rebus insunt, v. g. mutabilitas, inconstantia, dependentia causalis, contingentia, limitatio et id genus aliae, plane ostendunt eiusmodi res nec a seipsis neque ab aliis mundanis principiis, quae iisdem imperfectionibus laborent, esse progenitas, sed a Creatore mundum transcendente, qui omnimodis perfectionibus polleat, originem traxisse. Ceterum Ecclesia, quamquam ista argumenta potiora habet, non negligit neque parvi facit alia, e. g. quae promuntur ex innata propensione hominis ad felicitatem vel ex absoluta obligatione legis moralis, cum et haec sua efficacitate ditentur et saltem quorundam hominum ingenio sint valde accommodata.

10. [*Errorum reprobatio*]. Cum igitur exsistentia unius veri Dei tam egregie resplendeat, eo magis deploranda est caecitas eorum qui Deum misere abiiciunt.[6] Quapropter imprimis Sancta Synodus damnat errorem eorum qui, unum et universale principium in materia reponentes, Deum esse omnino negant,[7] quinimmo impie satagunt, etiam vi adhibita, Dei nomen ex humanis mentibus eradicare. Etiam eorum reprobat errorem qui, falsi nominis philosophia vel scientia abutentes, loco Dei personalis figmenta impersonalia vel mere idealia et adeo inania substituunt, vel, reiecta demonstratione in obiectiva veritate fundata, in subiectiva tantum et mere voluntaria mentis adhaesione Dei exsistentiam niti profitentur.[8]

11. [*Doctrina de Deo commendatur*]. Demum Sacra Synodus fideles enixe hortatur ut rectam quam acceperunt de Deo doctrinam quibuslibet bonis anteponant, sollicite custodiant, ab impugnationibus defendant, tamquam totius vitae normam assumant atque ingenii vires non in obnubilandis rationibus, quibus mens humana ad Deum elevatur, sed iis elucidandis potius impendant.[9] Denique semper meminerint omnes se esse baptizatos in nomine Dei vivi, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut Deo, qui propter nimiam caritatem suam se manifestavit nobis in Domino Iesu, credant eique serviant (cf. 1 Io. 1, 1-3; Eph. 2, 4).

NOTAE [32]

[1] Pius IX, Epist. *Gravissimas inter* (contra Iac. Frohschammer), 11 dec. 1862: Denz. 1670;

Conc. Vat., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 2: Denz. 1785; coll. can. 1: Denz. 1806;

Iusiurandum contra errores modernismi, 1 sept. 1910: Denz. 2145;

Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: Denz. 2317.

[2] S. Gregorius Nazianz., *Orat.* 28, nn. 6 et 16: PG 36, 31 et 45.

S. Ioannes Chrysost., *In Ep. ad Rom. hom.* 3, 2: PG 60, 412-413.

S. Augustinus, *Confess.* XI, 4, 6; PL 32, 811; *Sermo* 141: PL 38, 776-778; *De lib. arb.* II, 7, 15 usque 15, 39: PL 32, 1249-1262.

S. Thomas, *Summa Theol.* I, q. 92, a. 3; *In Ev. Ioh.,* Prol. in prol. S. Hieronymi.

Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Studiorum ducem,* 29 iun. 1923: AAS 15 (1923) p. 317;

Pius XII, *Alloc. ad Pont. Acad. Scient.,* 22 nov. 1951: AAS 44 (1952) pp. 31 s.

[3] S. Augustinus, *De Civ. Dei,* VIII, 10, 2: PL 41, 235.

[4] Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis*: Denz. 2317; cf. *ibid.*: Denz. 2325;

Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 mart. 1937: AAS 29 (1937) p. 149.

[5] Cf. etiam Rom. 1, 20-21.

[6] Pius XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge*: AAS 29 (1937) pp. 148-150; cf. S. C. S. Officii, Decr. *De partibus communistarum,* 1 iulii 1949: AAS 31 (1949) p. 334.

[7] Conc. Vat., Sess. III, Const. dogm. *De fide dogm.*, c. 1: Denz. 1782-1784 et canones correspondentes: Denz. 1801-1805;

Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis*: Denz. 2306 et 2323.

[8] S. Pius X, Litt. Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: Denz. 2072-2074;

Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis*: Denz. 2325.

[9] Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) pp. 525-526.

[33]

Caput III

DE CREATIONE ET EVOLUTIONE MUNDI [1]

12. [*Mundi creatio initio temporis*]. Cum divinitus inspirata narratio de creatione mundi vi et momento summopere excellat tum ad rectam Dei notionem consequendam, tum ad veram religionem profitendam, quandoquidem in huiusmodi creatione nititur supremum Dei dominium in homines, S. Vaticana Synodus secunda, verbi Dei scripti et traditi suffulta testimonio, doctrinam ab Ecclesiae Magisterio compluries assertam rursum confirmat atque asseverat universum mundum ita a Deo ex nihilo creatum esse, ut quondam suae exsistentiae cursum inchoaverit. Solus enim « verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam, per bona quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam ».[2]

13. [*Reprobatio evolutionismi tum materialistici, tum pantheistici*]. Cui doctrinae maxime adversatur evolutionismus materialisticus, asserens mundum, qui incessanter mutatur et progreditur, nec a Deo originem traxisse nec ab eo gubernari, atque eius progressu id tantummodo effici ut materia non facta continuo immutetur ex eademque aliae aliis perfectiores proferantur compagines, quae propterea in ipsa materia non facta quodammodo praecontinebantur. Dogma autem creationis aperte detorquetur etiam ab eo evolutionismo pantheistico, cuius assertores admittunt quidem mundum procedere a principio uno et immateriali, quod divinum vocant, at perperam rem concipiunt quasi mundus non esset nisi summa immutationum quae ab hoc principio gradatim sese evolvente, maxime in vita humani spiritus, producuntur. Ex quibus sententiis, prima Dei et religionis notionem omnino perimit, altera ea quae ad religionem pertinent plane permiscet, cum Deo mundana humanaque assignet, homini vero et mundo divina tribuat.

14. [*Sententiae hodiernae de creatione et evolutione mundi, a fidelibus praecavendae*]. [34] Caveant insuper Ecclesiae filii ne, aberrantibus opinionibus decepti, quamlibet ex veritatibus revelatis depravent. Creationis notionem ne corrumpant, sibi fingentes hanc in eo consistere quod Deus gradatim in unitatem redigat quamdam primordialem multiplicitatem rerum, iam exsistentium ante omnem divinam actionem. Doctrinam catholicam de mundi subsistentia in seipso deque omnimoda Dei simplicitate et summa perfectione ne labefactent, asserere audentes Deum ita dirigere mundi evolutionem, ut res universas in seipsum gradatim colligat et easdem sibi quodammodo iungat ac proinde mundanae compositionis quadamtenus particeps fiat. Neque enim investigatio scientifica, neque sana philosophia apta argumenta praebere possunt, quibus falsae huiusmodi opiniones sustineantur.

15. [*Doctrina fidei et investigatio verae scientiae de evolutione*]. Ea autem quae veri nominis scientia de mundi evolutione prudenter investigat et non per modum coniecturae, sed ut reapse certa proponere valeat, sive de formatione figurae universi, sive de historia terrae et de multiplici vitae progressu in ea, sive demum de origine et incremento humani generis, nullum prorsus detrimentum inferunt doctrinae fidei; quin contra aptum praebent subsidium ad eam illustrandam. Etenim « nulla... unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit ».[3] Species autem contradictionis, quae nonnumquam inter cultores scientiae sacrae et profanae oritur, ex eo potissimum provenit « quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur ».[4] Attamen conclusiones huiusmodi indagationum scientificarum cedunt dignitate et certitudine sententiis fidei, quibus, lumine gratiae adiuti, assensu maxime firmo adhaeremus, Deo ipso innixi, qui summa veritas est. Quapropter quaestiones quaedam ad evolutionem mundi pertinentes, quae directe aut indirecte fidem catholicam tangunt, summa cautela tractandae sunt, ne genuinis fidei assertis contradicatur, neve eadem asserta in periculum adducantur; singuli autem fideles parati sint oportet sese submittere iudicio Ecclesiae, cui a Christo munus demandatum est depositum fidei custodiendi atque interpretandi.[5]

[35] 16. [*De creatione hominis et evolutione vitae*]. Quod igitur attinet ad investigationem scientificam de initiis vitae, ratione praesertim habita quaestionis sitne humani generis origo quodammodo repetenda ab aliquo organismo vivo praeexistente, imprimis servanda est doctrina catholica de compositione hominis spiritu et corpore, essentialiter inter se differentibus, itemque de divina et immediata productione animae cuiusvis hominis ex nihilo, ita ut nullo modo admitti possit animam humanam ab alio quocumque principio vitali iam antea quomodolibet exsistente ortam esse. Insuper de ipsa corporis humani prima origine cum summa moderatione et cautela tractandum est, nam hoc argumentum non tantum ad scientias naturales, sed partim etiam ad philosophiam spectat, immo plures veritates tangit quae in divinae revelationis fontibus continentur, ut puta fidei effata de speciali Dei interventu in formandis corporibus protoparentum ac de miro iustitiae originalis statu in quo iidem primum constituti sunt.[6]

NOTAE

[1] In tribus primis huius Capitis paragraphis agitur in primis de creatione mundi *universim* secundum *fidem catholicam* et deinde de doctrinis *philosophicis* quae hac in re eidem fidei adversantur.

In duabus ultimis paragraphis agitur de *doctrina fidei* circa creationem, maxime autem circa *creationem hominis* et de eius relatione cum *investigatione scientifica.*

[2] CONC. VAT., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 1: DENZ. 1783; cf. CONC. LATERAN. IV, c. 1: DENZ. 428.

[3] CONC. VAT., Sess. III, Const. Dogm. *De fide cath.,* c. 4: DENZ. 1797.

[4] Ibid.

[5] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2326.

[6] Cf. PIUS XII, *ibid.*: DENZ. 2327.

Caput IV [36]

DE REVELATIONE PUBLICA ET DE FIDE CATHOLICA

17. [*Notio catholica revelationis*].[1] Revelatio externa et publica, qua obiectum fidei catholicae divinitus communicatum est cum Ecclesia, est locutio qua benignissimus Deus, olim in prophetis, novissime in Filio (cf. Hebr. 1, 1), semetipsum, mysteria salutis veritatesque connexas testatus est (cf. Io. 3, 11), « oboeditionem fidei » (Rom. 16, 26) omnibus praecipiens.[2] Externae autem revelationis dono, Deus, qui interius etiam docet, ut singuli « verbum salutis » (Act. 13, 26) sicut oportet suscipere queant, illuminationem inspirationemque gratiae adiungit quae suavitatem confert in consentiendo et credendo veritati.[3]

18. [*Revelatio et historia salutis*]. Longa illa series eventuum salutarium, quae in vita, morte et resurrectione Christi fastigium suum tandem attigit, inter obiecta divinae revelationis conspicuitate et momento eminet, in eademque nobis altissima mysteria annuntiata sunt. Quapropter, etsi agnoscendum sit revelationem nobis datam esse in humanae salutis historia, sive praenuntiata sive narrata: [4] tamen minime sentiendum est, revelationem meris istis eventibus iam ita constitutam esse, ut sermone Christi, Filii Dei, aliorumque Dei legatorum secundarie tantum compleatur. Nam ad revelatum ordinem salutis ii eventus non pertinent, nisi per veritates quae in iis latent aut cum iis connectuntur, sermone Christi et legatorum Dei declarandas atque a nobis fide tenendas.[5]

19. [*Revelatio et doctrina*]. Insuper revelatio, praeter mysteria, in singularibus factis historiae salutis exhibita, continet etiam veritates universales tum naturalis, tum supernaturalis ordinis, atque primarie respicit Deum ipsum, quem electi in ineffabili mysterio trium Personarum divinarum in patria conspecturi sunt. Ideo Patres primae Synodi Vaticanae summam veritatum revelatarum iure nuncupaverunt « doctrinae fidei » nomine,[6] vestigiis

[37] inhaerentes Domini nostri qui asseverat: « Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me » (Io. 7, 16), necnon Apostoli qui scribit ad Titum de vita sancta a christifidelibus agenda, ut dignis moribus, « doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus » (Tit. 2, 10).[7]

20. [*Revelatio et manifestatio Christi*]. Divinae revelationis plenitudo in Christo Filio Dei recte dicitur apparuisse,[8] non solum quia ipse, auctor et consummator fidei (cf. Hebr. 12, 2), praecipuas fidei veritates homines docuit, sed insuper quia per totam vitam suam nobis viam salutis monstravit. Nihilominus verum manet in ipsa doctrina Christi, Verbi Dei incarnati, causam reponendam esse cur tota eius vita habeat indolem divini testimonii, totumque mysterium Christi propter auctoritatem Dei qui nec falli nec fallere potest, sit credendum. Proinde teneri non potest fidem divinam et catholicam constitui primarie experientia, qua totum mysterium Christi in eoque omne revelatum verum percipiatur, et secundarie tantum in actu consistere quo, per conceptus et verba, ea exprimantur quae prius altiori gradu experientia attigerit. Quin potius catholica fides complectitur et agnitionem magisterii Dei et assensum, propter ipsius auctoritatem, veritatibus revelatis, prout ab Ecclesia credendae proponuntur.[9] Eadem autem fides, caritate et donis Spiritus Sancti perfecta, augeri potest sensu Christi (cf. 1 Cor. 2, 16), ad veritates revelatas profundius intelligendas, immo quadam fruitione obscura mysterii Filii Dei, qui cum Patre et Spiritu Sancto animam iustorum inhabitat.[10]

21. [*Errores qui notioni catholicae revelationis plane adversantur*]. Catholica revelationis notio penitus abiicitur ab iis qui falso contendunt Deum non posse, per legatos ab ipso eruditos aut inspiratos, communicare cum hominibus prolatis verbis aut Sacris etiam Litteris. Idem dicendum est de aliis quibusdam, opinantibus divinam revelationem non tantum religionem Veteris Novique Foederis, sed, etsi imperfectius, omnes religiones protulisse, eamque in eo consistere quod homines religiosi, ut ad absolutum, ad quod mens humana defertur, aliqua ratione spectare queant, res sacras sibi eligant, notionesque sibi effingant, quae, etsi conformitate cum re careant, inservirent tamen ad Deum quodammodo mente prosequendum.[11]

22. [*Recens relativismi forma*]. Periculose etiam a vero discedunt qui sentiunt enuntiationes et conceptus quibus, etsi utique incomplete et imperfecte, veritates revelatae communicantur, impares esse ad res divinas omnino vere significandas; sed consideranda esse ut approximationes semper mutabiles semperque denuo corrigendas prout postulet sive altior quidam sensus mysterii quod creditur, sive mutata inter homines cogitandi ratio. Dum contra Deus revelans et Ecclesia quae, Deo adiuvante, munus exercet custodis et interpretis totius revelatae veritatis, saepe aperte significant se, non symbolice tantum, sed etiam proprie vereque loqui velle propterea que assensum plenum immutabilemque postulant doctrinae fidei illo sensu intellectae quem eorum sermones declarationesque exhibent.[12] [38]

23. [*Externa revelationis signa*]. Etsi fides salutaris, qua Deo credimus, secundum illud Ioannis: « Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius » (1 Io. 5, 20), procedit a lumine divinitus in mentem immisso, nihilominus, cum illa gratia fidei lateat in mente, sapientissimus Deus, volens ut obsequium fidei nostrae, quae est ex auditu, rationi consentaneum esset (cf. Rom. 10, 17 et 12, 1), internis Spiritus Sancti auxiliis coniunxit multiplicia revelationis signa, eaque imprimis externa, atque indoli publicae revelationis et naturae sociali hominum, qui ad fidem vocantur, accommodata. Quae quidem signa efficiunt, ut recta ratio divinam revelationis originem certis argumentis probare valeat.[13]

24. [*Primatus quidam miraculorum et prophetiarum*]. Inter ea signa, momento et perspicuitate argumenti quod praebent, eminent miracula et prophetiae,[14] ut sapientissime docuit Concilium Vaticanum primum.[15] Quae nonnisi ob praeiudicatas falsas opiniones vel absolute negantur, vel nimium extenuantur; at vero de illis Dominus noster declaravit: « Opera enim, quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me » (Io. 5, 36) etiamque: « Scrutamini Scripturas, ... illae sunt quae testimonium perhibent de me » (Io. 5, 39).

25. [*Resurrectio Christi, prophetiae messianicae, Christus ipse*]. Ecclesia autem maximum in genere signorum semper habuit et habet resurrectionem corporalem Christi quae, ab Ipso

[39] clare praenuntiata, ob sepulchrum deprehensum vacuum apparitionesque ipsiusmet Redivivi, fulgens signum historicum facta est. In genere autem argumentorum ex prophetiis desumptorum, Ecclesia plurimum semper aestimavit admirandam in Christo Iesu adimpletionem propheticae exspectationis Messiae et regni eius. Quod argumentum ipse Dominus prius adhibuit (cf. Lc. 24, 13-32) et de eo scripsit insuper S. Petrus: « Habemus firmiorem propheticum sermonem cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat » (2 Petr. 1, 9). Nec praetereundum est praefulgens signum divinum, quod praesertim humiles corde sua claritate allicere valet, esse ipsum Iesum Magistrum, cuius sublimis sapientia et summa sanctitas testimonium quod de se perhibuit adeo solide confirmant, ut ipse, distinguens inter se et miracula sua, asseverare potuerit: « Si mihi non vultis credere, operibus credite (Io. 10, 38).[16]

26. [*Praestantia quaedam signi Ecclesiae*]. Ecclesia ipsa, pro sua etiam nunc in orbe terrarum praesentia ac pro abundantia donorum quibus Christus eam ornare numquam destitit, per se inter revelationis signa praestat. « Ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis »,[17] ac veluti signum levatum in nationes.[18]

27. [*Testimonia signaque interna*]. Sic fit, ut iis qui Dei moventis gratia fidem quaerunt, aut iis qui a Deo fidei lumen iam acceperunt, largus aditus pateat ad congruam notitiam acquirendam eamque augendam externorum signorum et probationum quae divinam revelationem invicte demonstrant. Quibus signis et argumentis accedunt plures formae interni testimonii internaeque vocationis ad credendum, iisque Deus ita mentem percellere potest, ut confirmare et corroborare etiam valeant ea quae obscura interdum manent in notitia signorum externorum; immo interdum, peculiarem gratiam Deo largiente, ipsa signa externa supplere possunt.[19] Talia autem interna testimonia atque signa, quibus Deus, ut ait sanctus Paulus, in cordibus illucet (cf. 2 Cor. 4, 6), non sunt quidem praetermittenda: at cavendum etiam est ne plus aequo extollantur neve exinde despiciantur manifestiora signa externa. Synodus enim Vaticana Prima, de signis christianae revelationis agens, sollemniter prohibuit ne

quis censeret « sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere ».[20] [40]

28. [*Credere Deo, Deum et in Deum*]. Quod si fides salutaris argumentis quae divinam revelationis originem probant, praeparatur atque protegitur, non tamen eisdem acquiritur; quin immo consensu humili suscipitur ut donum gratiae Dei. Fide enim non amplectimur divinam revelationem, nisi postquam haec ut credenda exhibita est ope iudicii ex divino lumine procedentis; immo ipse fidei actus est plenum intellectus et voluntatis obsequium, quo homo, impulsus et tractus gratia Dei (cf. Io. 6, 44), credit Deo, Deum et in Deum: Deo nempe ut infallibili magistro innititur, Deum in tota doctrina revelata affirmat, in Deum salutem nostram sancto desiderio libere movetur.[21]

NOTAE

[1] Quod revelatio sit locutio Dei cui correspondeat fides, constat imprimis ex Sacra Scriptura. Vide Io. 3, 11; 8, 25-28; 8, 38; 12, 50; 14, 10; 17, 13; Rom. 10, 17 de fide ex auditu, et Hebr. 1, 1, citatum etiam in Conc. Vatic. Adde quod depositum fidei, in quo continetur tota revelatio credenda, vocatur « verbum Dei scriptum et traditum ». Quod ad S. Magisterium attinet, haud inutile erit eos adducere textus, qui directe aut indirecte conferunt ad confirmandam notionem revelationis ut locutionis Dei attestantis prouti declaratur in Constitutione. Quae declaratio opportuna videtur, ut traditionalis revelationis notio, in Sacra Scriptura etiam fundata, protegatur contra sententias minus rectas in quas, praeeuntibus auctoribus protestantibus, aliqui etiam catholici theologi inclinant. Sequuntur nunc textus Magisterii:

1. *Symbolum Epiphanii*: Denz. 13: « Credimus et in Spiritum Sanctum, qui *locutus est* in lege, et per prophetas praedicavit, et ad Iordanem descendit, in apostolis *locutus est,* et in sanctis habitat ».

2. *Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum*: Denz. 86: « Credimus ... et in Spiritum Sanctum, ... qui *locutus est* per sanctos Prophetas ».

3. Conc. Constantinop. II: Denz. 212: « Confitemur fidem tenere et praedicare ab initio donatam a magno Deo et Salvatore nostro Iesu Christo sanctis Apostolis et ab illis in universo mundo *praedicatam,* quam et sancti Patres confessi sunt et explanaverunt... ».

4. Conc. Lateran. IV: Denz. 428-429: « Haec sancta Trinitas, ... primo per Moysen et sanctos Prophetas aliosque famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, *doctrinam humano generi tribuit salutarem.* Et tandem unigenitus Dei Filius Iesus Christus ... viam vitae manifestius demonstravit ».

5. Conc. Florent.: Denz. 706: « Sacrosancta Romana Ecclesia ... unum atque eumdem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, Legis

[41] et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem; quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti *Sancti locuti sunt* ».

6. CONC. TRID., Sess. IV, Decr. *De can. script.*: DENZ. 783: « ... puritas ipsa Evangelii ... quod *promissum* ante per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Iesus Christus Dei Filius *proprio ore primum promulgavit,* deinde per suos Apostolos tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae *praedicari* iussit ».

7. CONC. TRID., Sess. VI, Decr. *De iustificatione,* c. 6: DENZ. 798: « Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum ... fidem *ex auditu* concipientes, libere moventur in Deum ».

8. PIUS IX, Litt. Encycl. *Qui pluribus,* 9 nov. 1846: DENZ. 1636: « Et sane cum sanctissima nostra religio non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clementissime *patefacta,* tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex eiusdem Dei *loquentis auctoritate omnem suam vim acquirere* ».

9. PIUS IX, *ibid.*: cf. DENZ. 1637.

10. CONC. VAT., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.*, c. 2: DENZ. 1785: « Eadem sancta mater Ecclesia tenet ac docet ... placuisse eius [Dei] sapientiae et bonitati, ... seipsum et aeterna voluntatis suae decreta humano generi *revelare,* dicente Apostolo: " Multifariam multisque modis olim Deus *loquens* patribus in Prophetis: novissime diebus istis *locutus est* nobis in Filio " (Hebr. 1, 1 s.) ».

11. CONC. VAT., *ibid.*: DENZ. 1787: « Haec porro supernaturalis revelatio ... continetur in *libris scriptis* et sine scripto traditionibus, quae ipsius *Christi ore* ab Apostolis acceptae, aut (ab) ipsis Apostolis *Spiritu Sancto dictante* quasi per manus *traditae,* ad nos usque pervenerunt ».

12. CONC. VAT., *ibid.*, c. 3: DENZ. 1792: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae *in verbo Dei scripto vel tradito continentur* »; DENZ. 1793: « Ecclesiam instituit (Deus per Filium suum) ... ut ea tamquam custos et magistra *verbi revelati* ab omnibus posset agnosci ».

13. CONC. VAT., *ibid.*, c. 4: DENZ. 1800: « *Fidei doctrina,* quam Deus revelavit, ... tanquam divinum depositum Christi Sponsae *tradita* »; cf. Sess. IV, Const. dogm. *de Ecclesia Christi,* c. 4: DENZ. 1836: « *Traditam revelationem* seu fidei depositum ».

14. CONC. VAT., *ibid.*, c. 3: DENZ. 1791: « Nemo tamen " *evangelicae praedicationi* consentire " potest, sicut oportet ad salutem consequendam, " absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati " »; coll. CONC. ARAUSIC. II (a. 529): DENZ. 178 s.

15. LEO XIII, Ep. *Testem benevolentiae,* 22 ian. 1899: DENZ. 1967: « Id autem non de vivendi solum disciplina, sed de *doctrinis* etiam, quibus fidei depositum continetur, intelligendum esse multi arbitrantur ».

16. *Iusiurandum contra errores modernismi*: DENZ. 2145: « *Fidei doctrinam* ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque *transmissam,* sincere recipio... Certissime teneo... fidem... (esse) verum assensum intellectus veritati *extrinsecus acceptae ex auditu,* quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac Domino no-

stro *dicta, testata et revelata* sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis ».

17. Decr. S. C. S. OFFICII *Lamentabili,* 3 iul. 1907: DENZ. 2059, damnatur prop. 59: « Christus determinatum *doctrinae corpus* omnibus temporibus cunctisque hominibus acceptabile non docuit, sed potius inchoavit motum quendam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum ». [42]

18. CIC, can. 1322, 1: « Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa Spiritu Sancto iugiter assistente, *doctrinam* revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret ».

19. PIUS XI, Litt. Encycl. *Mortalium animos,* 6 ian. 1928: AAS 20 (1928) p. 8: « Liquet inde, veram religionem esse posse nullam praeter eam quae *verbo Dei* revelato nititur ». *Ibid.,* pp. 11-12: « Utrumque Christi praeceptum... alterum scilicet *docendi,* alterum *credendi* ad aeternae salutis adeptionem, ne intelligi quidem potest, nisi Ecclesia *evangelicam doctrinam* proponat integram ac perspicuam, sitque in ea proponenda a quovis errandi periculo immunis ». *Ibid.,* p. 14: « *revelatae doctrinae* ».

20. PIUS XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 mart. 1937: AAS 29 (1937) p. 156: « Revelatio sensu christiano est *verbum Dei ad homines* [Offenbarung im christlichen Sinn ist das Wort Gottes an die Menschen] ».

[2] Vide CONC. VAT., Sess. III, Canones *De fide cath.*: DENZ. 1810: « Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit, A. S. ».

[3] Cf. CONC. ARAUSIC. II, can. 7: DENZ. 180;

CONC. VAT., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 3: DENZ. 1791.

[4] Ad rem S. AUGUSTINUS, *De vera religione,* c. 25, n. 46; PL 34, 142: « Quid autem agatur cum genere humano, per historiam commendari voluit [Deus] et per prophetiam ».

[5] Constitutio intendit ex una parte agnoscere ea quae vera sunt in eis quae multi dicunt de indole historica obiecti revelationis, sed ex altera parte improbare ea vult quae falso de ea re dicuntur. Non desunt qui, anti-intellectualismo imbuti, velint statuere revelationem constitutam esse eventibus salutaribus, quibus sermones legatorum Dei subsidiarie tantum additi essent; quod significat fidem christianam iis sermonibus adiuvari posse, sed non regi debere. Scripsit G. TYRREL, *Through Scylla and Charybdis,* London, p. 287: « Revelation is not a statement, but a " showing ". God speaks by deeds not by words ». Plures protestantes similia placita proferunt; quidam catholici periculose efferunt solum adspectum historicum, solos eventus in divina revelatione.

[6] CONC. VAT., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 4: DENZ. 1800.

[7] Iam modernistae opponebant revelationem ut experientiam et impressionem eventuum, quam admittebant, revelationi ut doctrinae divinitus propositae ad credendum, quam reiiciebant. « Revelation — ita iterum TYRREL [*op. cit.,* p. 280] — belongs rather to the category of impressions, than to that of expression »; itemque [p. 213]: « Faith is now an intellectual assent to this revealed theology as deriving directly from the divine

intellect; it is no longer the adhesion of the whole man, heart, mind and soul, to the divine spirit within—primarily a spirit of life and love, and only thereby a guide or beacon leading the mind gradually to a fuller
[43] instinctive apprehension of the religious truth implicit in the inspirations of grace ».

Non desunt catholici qui ab huiusmodi placitis non satis caveant, cum dicant Deum non revelasse doctrinam, et obiectum fidei esse historiam, non doctrinam.

[8] PIUS XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 17 mart. 1937: AAS 29 (1937) p. 150: « In Jesus Christus, dem menschgewordenen Gottessohn, ist die Fülle der göttlichen Offenbarung erschienen ».

[9] CONC. VAT., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 3: DENZ. 1789 et 1792.

[10] Tendentiae quae corriguntur in hoc numero 20 sunt veluti applicatio, ad adventum Christi, propensionum de quibus Constitutio egit sub duobus numeris praecedentibus. Quae hic corriguntur indebite efferunt adspectum mysticum fidei indebiteque deprimunt adspectum eius doctrinalem. Plura huiusmodi inveniuntur apud auctores protestantes, quorum opinione aliqui catholici quadamtenus moventur.

[11] Haec opinio, non adeo differens ab aliis, iam damnatis in Decr. S. C. S. OFFICII *Lamentabili* et in Litt. Encycl. *Pascendi* (cf. DENZ. 2020 et 2075), desumitur ex auctore H. DUMERY, qui inter alia sequentia habet: « Le sujet pénétré en son fond par la présence de l'Absolu, ne peut la reconnaître qu'en la réfléchissant; il la projette sur les objets extérieurs (le sacré) ou sur ses objets intérieurs (sanctification de ses intentions, de ses actes psychologiques, de ses conduites) » [*Philosophie de la religion,* t. II, p. 189, n. 4];

« Il n'y a de religion que révélante et révélée: le processus de révélation se confond avec la suite des démarches que la conscience doit accomplir pour viser l'Absolu *par* et *dans* les représentations qu'elle parvient à s'en faire » (*op. cit.,* p. 254, n. 4);

« Le christianisme obéit à une règle générale: il établit une visée de Dieu sur une sélection de faits ou d'objets " révélateurs de Dieu " selon le processus de toutes les hiérophanies connues dans l'histoire. Sa supériorité éclate néanmoins dans l'excellence de son choix: il n'insinue pas le sacré dans les choses, il ne le dépose pas sur des êtres dépourvus de raison; il le dépose sur des hommes — les écrivains bibliques — spécialement sur un homme en qui la " révélation " culmine parce qu'il professe l'universel de la charité et qu'on ne voit rien qui puisse être ajouté au commandement de l'amour » (*Encyclopédie française,* t. XIX, art. *Foi, dogmes et sacrements,* 19, 38, 10).

[12] Ea est relativismi dogmatici et theologici forma quae reprobatur a PIO XII in Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: AAS 42 (1950) pp. 565-567.

[13] Vide CONC. VAT., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 4: DENZ. 1795, et can. 4 *De fide*: DENZ. 1813.

Haec paragraphus praesentis Constitutionis non multa nova addit (quaedam tamen circa congruentiam signorum externorum cum natura hominis).

Est autem fere necessaria ad praeparanda ea quae sequuntur de diversis signis.

[14] Quod vox « opera » indicat miracula, patet ex Io. 9, 4-7; 10, 12, 15, 24; etc.

[15] CONC. VAT., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 3: DENZ. 1790. [44]

[16] Recolitur doctrina CONC. VAT., quia a pluribus oblivioni mandatur (DENZ. 1795, 1813). Praeterea explicatur in quo consistat primatus miraculorum et prophetiarum. Additur, quia hodie valde opportuna esse videtur, aliqua nota circa resurrectionem Iesu ut signum historicum et circa prophetias messianicas. Additur etiam aliquid de signo quod ipse Iesus cum sua sapientia et sanctitate constituit, ne videatur Concilium hoc signum neglegere quod tanti momenti est multis fidelibus, divina gratia in Christum attractis.

[17] CONC. VAT., Sess. III, Const. Dogm. *De fide cath.,* c. 3: DENZ. 1794.

[18] Explicatur in quo consistat primatus signi quod est Ecclesia. Nihil additur descriptioni signi Ecclesiae a Concilio Vaticano I datae, quia additio deberet rem perficere, sed nulli sententiae privatae magis quam alii etiam licitae favere. Hoc autem videtur difficile.

[19] Audiamus S. THOMAM, in: *Summa Theol.,* II-II, q. 2, a. 9, ad 3: « Ille qui credit habet sufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae, et, quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis, unde non leviter credit. Tamen non habet sufficiens inductivum ad sciendum. Et ideo non tollitur ratio meriti »;

Quodlib. II, q. 4, a. 6, ad 3: « Interior instinctus, quo Christus poterat se manifestare sine miraculis exterioribus, pertinet ad virtutem Primae Veritatis, quae interius homines illustrat et docet »; cf. etiam *loc. laud.* ad 2.

In Adnotationibus in Schemata prosynodalia Concilii Vaticani, haec habentur: « Tenendum etiam est, gratiam Dei internam supplere id, quod pro huiusmodi hominibus (rudibus) deficit in propositione fidei externa, Sed non propterea propositio fidei per motiva captui accommodata et diligentia necessaria negari ac totum ad internam experientiam et ad internum instinctum revocari potest » (*Coll. Lac.,* t. VII, col. 1623).

[20] CONC. VAT., Sess. III, Canones *De fide cath.*: DENZ. 1812

[21] Cf. CONC. TRID., Sess. VI, Decr. *De iustificatione,* c. 6: DENZ. 798.

[45]

CAPUT V

DE PROGRESSU DOCTRINAE

29. [*Thesaurus veritatis a Christo accipiendus est*]. Sancta Vaticana Synodus secunda firmiter profitetur thesaurum veritatis, quo vita christiana usque ad finem mundi alenda est, a Christo Iesu, auctore et consummatore fidei (cf. Hebr. 12, 2), hac ratione fuisse acceptum ut, postquam cum Apostolis completus fuit,[1] in seipso augeri amplius non possit.[2] Apostoli enim, illustrati a Paraclito, qui eos docebat omnia, iisque suggerebat omnia, quaecumque dixerat Magister (cf. Io. 14, 26), praedicaverunt ubique quae ille audiverat a Patre (cf. Io. 15, 15), eaque successoribus tradiderunt tamquam pretiosum depositum (cf. 1 Tim. 6, 20), ab Ecclesia, Spiritus Sancti in se inhabitantis auxilio freta, fideliter custodiendum.[3]

30. [*Custodiendi thesauri fidei ratio*]. Hic autem thesaurus efficaciter fructuoseque non custoditur quidem mera librorum conservatione et verborum repetitione, sed viventi magisterio, quo Ecclesia fidem et mores reapse dirigat,[4] prout sane postulent tum sincera revelatorum intellegentia,[5] tum fidelium pietas ad altiorem divitiarum Christi investigationem impellens,[6] tum errantium impugnationes,[7] tum demum novae temporum necessitates novaeque quaestiones solvendae.[8] Quamobrem docet Sancta Synodus ipsam naturam sacri magisterii secum ferre et investigationem revelationis fontium, et sedulam ac piam sobriamque ipsorum fidei mysteriorum perscrutationem.

Quae inquisitio mentes a divina revelatione minime avellit; nam nullatenus contendit divinitus tradita humanis inventis mutare aut quomodolibet subrogare,[9] sed eo potius spectat ut divitias in ipsa revelatione latentes scrutetur atque declaret,[10] iis sane viis quae connexionem cum revelatis adamussim servent.[11]

31. [*Progressus doctrinalis affirmatio*]. Quapropter Sancta Synodus agnoscit et profitetur in Ecclesia Christi verum in doctrina fidei intellegenda et proponenda progressum peragi, adeo ut
[46] etiam novae definitiones veritatum revelatarum haberi valeant;[12] sed illum tantum legitimum declarat, qui in incremento humanae

dumtaxat cognitionis de revelatione consistit, non vero in ipsius [46] depositi augmento. Illud enim in seipso immutatum permanet, cum quaelibet veritas quae ab Ecclesia noviter proponatur, saltem implicite ibidem contineatur, ideoque auctoritate divina fulciatur.

NOTAE

[1] Conc. Trid., Sess. IV, *Decr. De can. script.*: Denz. 783; Decr. S. C. S. Officii *Lamentabili,* 3 iul. 1907, prop. 21: Denz. 2021.

[2] Pius IX, Breve *Eximiam tuam* ad Archiep. Coloniensem, 15 iun. 1857 (contra Guenther): Denz. 1656; *Syllabus* prop. 5: Denz. 1705; Conc. Vat., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 4: Denz. 1800.

[3] Conc. Vat., *ibid.*; Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: Denz. 2307, 2313, 2314.

[4] Leo X, Bulla *Exsurge Domine,* 15 iun. 1520: Denz. 767; Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis*: Denz. 2313.

[5] Conc. Vat., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 4: Denz. 1796; Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis*: Denz. 2314.

[6] Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: AAS 35 (1943) p. 196.

[7] S. Simplicius, Epist. *Quantum presbyterorum,* 9 ian. 476: Denz. 159: « ... Hortor (ergo), frater carissime, ut modis omnibus faciendae synodi perversorum conatibus resistatur, quae non alias semper indicta est, nisi cum aliquid in pravis sensibus novum aut in assertione dogmatum emersit ambiguum: ut in commune tractantibus, si quae esset obscuritas, sacerdotalis deliberationis illuminaret auctoritas... »;

S. Gelasius I, Epist. *Licet inter varias,* 28 iul. 493 (?): Denz. 161;

Pius IX, Ep. *Gravissimas inter* ad Episc. Monaco-Frising. (contra Frohschammer), 11 dec. 1862: Denz. 1675;

Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis*: Denz. 2308; Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: AAS 35 (1943) pp. 197-198.

[8] Maxime in re morali, progrediente cultura, oriuntur nova problemata; attamen etiam in ordine magis speculativo progressus fit ob necessitates religiosas recenter exortas: cf. Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: *ibid.,* pp. 196-197.

[9] Pius IX, Breve *Eximiam tuam,* 15 iun. 1857: Denz. 1656; *Syllabus,* prop. 5: Denz. 1705;

Conc. Vat., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 4: Denz. 1800; Sess. IV, Const. dogm. I *De Eccl. Christi,* c. 4: Denz. 1836; « ... Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent ».

[10] S. Simplicius, epist. *Quantum presbyterorum*: Denz. 159; S. Gelasius I, epist. *Licet inter varias*: Denz. 161.

[11] Conc. Vat., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 4: Denz. [47] 1800; coll. can. 3: Denz. 1818;

[47] Decr. S. C. S. Officii *Lamentabili,* 3 iul. 1907, prop. 59-65: Denz. 2059-2065; S. Pius X, Litt. Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: Denz. 2080.

[12] Pius IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: Denz. 1641;

Conc. Vat., Sess. IV, Const. dogm. I *De Eccl. Christi,* c. 3: Denz. 1831; c. 4: Denz. 1838;

Pius XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: Denz. 2332.

[48]

Caput VI

DE REVELATIONIBUS PRIVATIS

32. [*Privatarum revelationum valor*].[1] Cum ipse Dominus significaverit charismata et miracula semper fore in Ecclesia, Apostolus vero monuerit: « Spiritum nolite extinguere » (1 Thess. 5, 19), revelationes privatas necnon alia dona charismatica, dummodo idonea divinae originis signa ostendant, Ecclesia reverenter suscipit secundum verba Doctoris gentium: « Omnia autem probate, quod bonum est tenete » (1 Thess. 5, 21).

Circa privatas autem revelationes, quae post mortem Apostolorum contigisse ferantur, Sancta Synodus declarat eas iudicio Pastorum Ecclesiae penitus subiiciendas esse, ne fideles seducantur, cum Christus monuerit: « Pseudoprophetae surgent, et seducent multos » (Mt. 24, 11); item declarat tunc solum consideratione dignas esse, cum omnino congruant veritatibus in publico fidei thesauro contentis et ad vitam christianam agendam, sub Pastorum ductu, impellant; praebere autem non posse occasionem ad instituta ecclesiastica quaelibet proferenda, nisi aliunde fundamentum dogmaticum habeant; numquam demum licere earum causa novas induci doctrinas, vel nova incoepta, invita Ecclesia, inchoari.

Insuper docet revelationibus privatis, etsi approbatis, non debere, nec posse a nobis exhiberi assensum fidei catholicae, sed tantum fidei humanae, iuxta regulas prudentiae, secundum quas praedictae revelationes sunt probabiles et pie credibiles.[2]

Proinde christifideles strenue cohibeant immoderatam curiositatem circa mira, non satis probata ab Ecclesiae Pastoribus. Sunt enim qui talia prosequantur perinde ac si ipsum fidei Depositum insufficiens esset ad vitam christianam fovendam, vel quasi extra Depositum uberiora pascua ovibus Christi paterent.

33. [*Praxis perniciosa spiritismi*]. Curiositas illa prorsus [48]
perniciosa evadit, quando fideles, ea permoti, sese tradunt divinationi superstitiosae, cuiuslibet formae, praesertim autem spiritismo, quo cum spiritibus vel animabus separatis sensibilis communicatio humanis industriis provocare intenditur ad varias notitias variaque auxilia consequenda. « Nec inveniatur in te (ait [49]
Dominus Deus) qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem. Omnia enim haec abominatur Dominus » (Deut. 18, 10-12).[3] Apostolica vero Sedes non praetermisit variis suis documentis spiritismi malo apta opponere remedia.[4]

34. [*Reprobatio praxium*]. Cum autem constet multis in regionibus late serpere atque magis in dies diffundi superstitionem, etiam nonnumquam dolo malo sub falso titulo parapsychologiae, seu illius disciplinae cuius est ea explicare facta, quae legibus ordinariis psychicis contradicere videntur: Sacrum Concilium divina lege omnino prohibitum declarat, utpote peccatum gravissimum contra religionem, velle tum animas mortuorum evocare, tum perceptibilem cum iisdem vel quibuscumque aliis spiritibus communicationem ad quemlibet finem consequendum velle instituere, quocumque modo id fiat, publice vel privatim, etiamsi habeatur intentio sese dirigendi ad solos spiritus bonos atque tota exhibitio speciem honestatis, pietatis religionisque prae se ferat. Vetat insuper omnes christianos, ne vel ex mera curiositate sessionibus spiritisticis aut aliis huius generis conventibus intersint aut quocumque modo faveant.

35. [*Cultus fidelium defunctorum et Angelorum custodum*]. Omnes autem fideles S. Synodus hortatur, ut exemplum piae Matris Ecclesiae imitantes, preces effundant pro fidelibus defunctis, ut iidem visionem Dei consecuti pro nobis apud eum intercedant; item ut sese commendent sanctis Angelis, qui ex paterna Dei providentia custodiunt humanum genus, singulisque hominibus praesto sunt, ne succumbant invidiantibus hostibus, gubernatione, auxilio, illuminationibus.[5]

[49] NOTAE

[1] BENEDICTUS XIV: *De servorum Dei beatif. et beat. canoniz.*, Prati, 1840, l. III, c. 52-53. Ita, cap. 53, n. 15: « Revelationibus [privatis], etsi approbatis, non debere, nec posse a nobis exhiberi assensum fidei catholicae, sed tantum fidei humanae, iuxta regulas prudentiae, iuxta quas praedictae revelationes sunt probabiles et pie credibiles »;

Cf. etiam, *ibid.*, II, 32.

[50] BENEDICTUS XV, Litt. Decr. *Ecclesiae consuetudo,* 13 maii 1920: AAS 12 (1920) p. 486.

S. PIUS X, Litt. Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: ASS 40 (1907) p. 649: « Quum autem de piis traditionibus iudicium fuerit, illud meminisse oportet: Ecclesiam tanta in hac re uti prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto narrari permittat nisi cautione multa adhibita praemissaque declaratione ab Urbano VIII sancita; quod etsi rite fiat, non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad credendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, abhinc annis XXX, edicebat [Decr. 2 maii 1877]: " Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam ". Hoc qui teneat, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis religio, prout factum ipsum spectat et relativa dicitur, conditionem semper habet implicitam de veritate facti: prout vero absoluta est, semper in veritate nititur, fertur enim in personas ipsas Sanctorum qui honorantur ».

PIUS XI, Litt. Encycl. *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1928: AAS 20 (1928) pp. 177-178.

PIUS XII, Litt. Encycl. *Haurietis aquas,* 15 maii 1956: AAS 48 (1956) pp. 328, 346-348; cf. *ibid.,* p. 340: « non proprie rationem habens privatae cuiusvis patefactionis divinitus patratae... ».

[2] Cf. BENEDICTUS XIV: *l. c.*

[3] Vide etiam Lev. 19, 31 et 20, 6; Is. 8, 19-20; Ier. 27, 9; Act. 8, 9-23; 16, 16-19 et 19, 13-20; Gal. 5, 20; Apoc. 21, 8.

[4] Praeter documenta antiquiora ALEXANDRI IV, *Quod super nonnullis,* 27 sept. 1258; IOANNIS XXI, dicti XXII, *Super illius,* anni 1326; INNOCENTII VIII, *Summis desiderantes,* 5 dec. 1484; LEONIS X, *Supernae dispositionis,* 5 maii 1514, *Honestis petentium,* 13 febr. 1521; SIXTI V, *Coeli et terrae,* 5 ian. 1585; GREGORII XV, *Omnipotentis Dei,* 20 mart. 1623; URBANI VIII, *Inscrutabilis,* 11 apr. 1631, conferas imprimis Encycl. S. C. S. OFFICII, *De magnetismi abusu,* 4 aug. 1856: ASS 1 (1865) pp. 177-178: DENZ. 1653-1654; Responsionem S. C. S. OFFICII 24 apr. 1917: AAS 9 (1917) p. 168: DENZ. 2182; CIC, can. 1399, 7°. De spiritismo et rebus annexis in CONC. VAT., vide MANSI 53, 773; CL VII, 784.

[5] Cf. *Catech. Romanus,* IV, 9, 4; Hymnus: *Custodes hominum;* Orat. *Angele Dei.*

Caput VII [51]

DE ORDINE NATURALI ET SUPERNATURALI

36. [*Deus auctor naturae et largitor gratiae*]. Cum, iuxta Scripturae sanctorumque Patrum doctrinam, « quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo »,[1] credit et profitetur Sacrosancta Synodus omnipotentem Deum, cuius essentia bonitas, hominem creasse ad imaginem et similitudinem suam eumque ad sui visionem beatificam per donum gratiae consequendam destinasse.

37. [*Magna hominis dignitas, qui natura sua ordinatur ad servitium Dei*]. Homo quidem, universitatis rerum visibilium caput et corona (cf. Ps. 8, 6-9) [2] utpote anima praeditus rationali, in qua imago Dei resplendet (cf. Gen. 1, 27),[3] sua ipsa natura ordinatur ad serviendum Deo eique cultum praestandum adorationis, amoris et laudis.

Voluit autem Deus, liberrimo suae voluntatis consilio, hominem ad consortium divinae naturae sublimare, ut qui natura potius est servus, adoptionis gratia esset filius, idemque, virtutibus fidei, spei et caritatis auctus, Creatorem suum coleret non solum tamquam Dominum, verum etiam tamquam Patrem, atque, exacto probationis tempore, ad vitam sempiternam in perfecta possessione et fruitione Dei unius et trini perveniret.[4]

38. [*Mysterium nostrae elevationis ad ordinem supernaturalem*]. Porro Sacrosancta Synodus dilectionis divinae mysterium agnoscens atque summas grates largitori Deo rependens, fideles docet tantum donum simul esse prorsus gratuitum et naturae humanae mire conveniens.[5]

Hominis quippe exaltatio in consortium divinae naturae per adoptionis gratiam, quae hisce in terris est aeternae gloriae quaedam inchoatio, excedit omnes vires et exigentias humanae naturae, ideoque gratuitum Dei beneficium dicenda est, seu, ut aiunt Ecclesiae Doctores, sanctorum Patrum doctrinae inhaerentes, donum supernaturale.[6] « Oculus non vidit, inquit Apostolus, nec

[52] auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum » (1 Cor. 2, 9).

Eorundem tamen Patrum ac Doctorum praeeunte doctrina, agnoscenda est in humana natura non solum capacitas ad supernaturale hoc donum suscipiendum,[7] verum etiam admirabilis convenientia. Homo enim ad imaginem Dei creatus, naturale gerit desiderium felicitatis quod in nullo bono finito ex toto quiescere potest,[8] atque ultimam ac perfectam beatitudinem, qua adepta nihil remaneat appetendum, Dei visione consequitur.[9]

39. [*Finis supernaturalis est unicus finis ad quem, etiam post peccatum, homo ordinatus manet*]. Ex summa vero benignitate, qua nos Deus ad ordinem supernaturalem vocavit, id consequitur, ut homo nonnisi unum habeat ultimum finem, ad quem ex Dei consilio, etiam post peccatum, ordinatus manet; quodsi eum non attingat, nihil ei prodest naturae bonis plurimum affluxisse, cum ne naturalem quidem finem consequatur (cf. Mt. 16, 26).

40. [*Gratia perficit naturam*]. In supernaturali autem fine et naturalis, ad quem viribus suae naturae homo pervenire potuisset, continetur tamquam perfectibile in perfecto, et ipsius bona naturae, quae caelesti statui congruunt, plene servantur ac perficiuntur. Etenim ordo supernaturalis nec destruit nec extenuat naturalem ordinem, sed potius extollit perficitque,[10] quippe qui eidem potiora auxilia praestet atque in eo insitas capacitates compleat.

41. [*Errores reprobantur*]. Igitur Sacrosancta Synodus tum eorum reprobat errores, qui, non apte inter ordinem naturalem et supernaturalem distinguentes, vocationem hominis ad statum gratiae et gloriae debitam esse naturae humanae, aut ei a Deo necessario concedendam asseverent; tum eorum, qui, naturalismo aut falso humanismo caecati, eo usque ingratitudinis in gratiam Dei procedant, ut eadem dona aut spernant aut summe esse appetenda negent.

NOTAE

[1] S. Leo M., *Sermo* 12, 1: PL 54, 168. Huc faciunt omnes textus S. Scripturae qui de *reconciliatione, restitutione, renovatione*... per Christum operata loquuntur, qui tamen omnes apte in verbis citatis S. Leonis perstringi videntur.

[2] Vide etiam Sap. 9, 2-3 et 10, 1-2; Gen. 1, 28-30; Eccli, 17, 1-2. [53]

[3] Vide quoque Eccli. 17, 1; 1 Cor. 11, 7; Col. 3, 10.

[4] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: AAS 35 (1943) p. 232.

[5] Urgendi videntur duo limites veritatis catholicae circa mysterium nostrae elevationis ad ordinem supernaturalem, nempe gratuitas et summa convenientia, extra quos limites manet tantummodo libertas erroris.

[6] Cf. damnatos errores Baii, prop. 21: DENZ. 1021; Paschasii Quesnel, prop. 35: DENZ. 1385; Synodi Pistoriensis, prop. 16: DENZ. 1516;

S. PIUS X, Litt. Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: DENZ. 2103, necnon PII XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2318.

[7] S. PIUS X, Litt. Encycl. *Pascendi*: DENZ. 2103: « Hic autem queri vehementer Nos iterum oportet, non desiderari e catholicis hominibus, qui... in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam ».

S. AUGUSTINUS, *De Trin.,* XIV, 8, 11: PL 42, 1044: « Eo quippe ipso imago eius est, quo eius capax est eiusque particeps esse potest »;

ID., *De Trin.,* XIV, 4, 6: PL 42, 1040: « quia summae naturae capax est, et esse particeps potest, magna natura est [homo] ».

S. THOMAS, *Summa Theol.,* I-II, q. 113, a. 10: « et quantum ad hoc, iustificatio impii non est miraculosa, quia naturaliter anima est gratiae capax, eo enim ipso quod facta est ad imaginem Dei, capax est Dei per gratiam, ut Augustinus dicit »;

ID., *Summa Theol.,* III, q. 9, a. 2, ad 3: « Visio seu scientia beata est quodammodo supra naturam animae rationalis, in quantum scilicet propria virtute ad eam pervenire non potest; alio modo vero est secundum naturam ipsius, in quantum scilicet capax est eius, prout scilicet ad imaginem Dei facta est, ut supra dictum est [in corp. art.] ».

[8] S. AUGUSTINUS, *Confess.* I, 1, 1: PL 32, 661: « Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ».

S. THOMAS, *Summa contra Gent.*, III, c. 50: « Nihil finitum desiderium intellectus quietare potest ».

[9] S. AUGUSTINUS, *De Civ. Dei,* XII, 1, 3: PL 41, 349: « ... in tanta excellentia creata est (rationalis natura), ut ... (non) expleat indigentiam suam nisi utique beata sit, eique explendae non sufficiat nisi Deus ».

S. THOMAS, *Summa Theol.,* I-II, q. 3, a. 8: « Ultima et perfecta beatitudo non potest esse nisi in visione divinae essentiae »; *Ibid.,* I-II, q. 2, a. 8: « Impossibile est beatitudinem hominis esse in aliquo bono creato ».

Eadem recinunt auctores qui de hominis fine ultimo, qui totaliter quietet appetitum, loquuntur idem adhibentes S. Thomae argumentum.

[10] PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: DENZ. 2206.

[54]

CAPUT VIII
DE PECCATO ORIGINALI IN FILIIS ADAE [1]

42. [*Introductio*]. Cum nostro etiam tempore de peccato originali eiusque transfusione in omnes homines opiniones circumferantur, quae genuinam fidei notionem corrumpunt et ipsa fundamenta vitae christianae laedunt profanis vocum novitatibus (cf. 1 Tim. 6, 20), sacrosancta Vaticana Synodus secunda necessarium esse ducit doctrinam a superioribus Conciliis definitam quoad idem originale peccatum iterum confirmare et pressius declarare.

43. [*Dogma de peccato originali mysterii velamine obtectum est*]. Primum quidem enixe monet Christi fideles, ut meminerint, ad multarum aberrantium opinionum resecandam radicem, peccatum originale esse dogma fidei, cui perscrutando humana ratio non sufficit.

Licet enim de exsistentia peccati, quo ab origine genus humanum infectum est, etiam ipsa vita hominum, aerumnis et tentationibus plena, testimonium quoddam praebeat, eiusdem tamen peccati intima natura, prout a revelatione credenda proponitur, mysterii velamine obtecta est; quod autem mysterium solidarietate, ut aiunt, generis humani cum Iesu Christo Redemptore aliquo modo illustratur (cf. Rom. 5, 17-21).

Igitur, etiam qui experiuntur difficultatem quaestionis, regantur oportet gubernaculo auctoritatis, quod est regula fidei; etsi enim natura peccati originalis non facili ratione pervideatur, nec expedite sermone explicetur, « verum tamen est quod antiquitus veraci fide catholica praedicatur et creditur per Ecclesiam totam ».[2]

44. [*Peccatum originale, quo homines infecti nascuntur, veram habet peccati rationem*]. Porro semper credit et praedicat Ecclesia universa, quemadmodum et consuetudo baptizandi etiam infantes ostendit, peccatum, quod ab uno homine in omne genus humanum propagatione seu generatione transfunditur, non esse ut quorundam ferunt placita modernorum, defectum ex limitatione humanae naturae manantem, vel privationem unionis cum

societate hominum Deo servientium, vel ipsam varietatem divisionemque qua universum genus humanum inde ab initio laborat, vel solum propensionem in malum, quam omnes a nativitate experiuntur, sed esse, licet diversa ratione ac peccatum personale, vere et proprie peccatum, quod homines reos tenet eosque, nisi per regenerationem deleatur quod generatione contractum est, in perditionem vitae aeternae trahit. [55]

Novimus enim, docente fide, homines nasci expertes vita Dei, iniustos, mortuos quantum ad animam, natura filios irae (cf. Eph. 2, 3), eosdemque, nisi per meritum Christi Deo reconcilientur et in Christo renascantur, vitam aeternam, ad quam destinati sunt, consequi non posse: « Per unius delictum, ait enim Apostolus, in omnes homines in condemnationem » (Rom. 5, 18).

45. [*Quanam causa peccatum originale habeat rationem peccati*]. Credit praeterea ac profitetur Ecclesia originale peccatum, quod inest unicuique proprium, non ex eo habere peccati rationem, quod homo nascendo fit membrum societatis hominum corruptae, sed ex eo quod homo generatur in natura peccato Adami infecta, quippe qui fuit principium, caput et fons totius humanae naturae.[3] « In primo quidem Adam (Deum) offendimus, inquit venerandae traditionis testis Irenaeus,[4] non facientes eius praeceptum », et similiter Ecclesiae Doctor Ambrosius: « Omnes, inquit, in primo homine peccavimus, et per naturae successionem culpae quoque ab uno in omnes transfusa successio est ».[5]

46. [*Per peccatum originale genus humanum in deterius commutatum est*]. Item credit et profitetur Ecclesia per illam praevaricationem primi parentis universum genus humanum non solum innocentiam amisisse indeque id obvenisse ut omnes homines debitae iustitiae expertes deinceps necessario nascantur, verum etiam ipsum genus humanum, quoad corpus et animam, in deterius mutatum esse.

Amissa enim originali iustitia, quam sibi et universae suae propagini mandatum Dei transgrediendo Adam perdidit, homines imperio mortis etiam corporalis subacti sunt et vulnera susceperunt concupiscentiae et ignorantiae; quibus liberum eorum arbitrium, etsi minime exstinctum fuerit, adeo tamen attenuatum est ac talem ad malum proclivitatem contraxit ut non solum ad opera salutis facienda nihil valeat sine gratiae praevenientis auxilio, dicente Domino: « Sine me nihil potestis facere » (Io. 15, 5), sed

[56] etiam ad totam legem naturalem servandam diuque peccata vitanda, nisi divinitus liberatum adiutumque, impares habeat vires. Minime autem hominibus post praevaricationem Adae desperandum est; nam ipse Adam forma fuit futuri (cf. Rom. 5, 14), scilicet Christi Domini, qui nos de potestate peccati redemit et gratiam largitus est multo magis abundantem. Nam « non sicut delictum, ita et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit » (Rom. 5, 15); in omnes videlicet, qui renascuntur per ipsum ex aqua et Spiritu Sancto (cf. Io. 3, 5).

47. [*Peccatum originale revelatum continetur in Epistola ad Romanos*]. Tenet insuper ac profitetur sacrosancta Synodus, doctrinam Concilii Tridentini et superiorum Conciliorum confirmans ac declarans,[6] veritatem de peccato originali, quod in omnes homines pertransiit, ab Apostolo doceri in *Epistola ad Romanos,* cap. 5, 12-19, prout verba illa Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit.

48. [*Doctrina de communi origine generis humani*]. Cum exstent, etiam inter Ecclesiae filios, qui, nostris diebus, unitatem originis humani generis aut negent aut in dubium vocent, sacrosancta Vaticana Synodus secunda ad integritatem tutandam doctrinae supra expositae, qua credimus peccatum originale illud ab uno [7] in omnes generatione transfundi,[8] et ad fovenda necessitudinis caritatisque vincula inter omnes populos, qui ad unam Christi gratiam vocantur quemadmodum ab uno fonte promanant, profitetur et docet, quod universa Ecclesia, divina innixa revelatione, semper tenuit et docuit, homines nempe hisce in terris (post Adam viventes), quamlibet gerant corporis formam vel colorem, communem suae naturae habere originem sicut communem salutis habent auctorem.[9] Ait enim Apostolus: « Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae » (Rom. 5, 18) et ulterius: « Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur » (1 Cor. 15, 22).

Deus quippe, ut idem ait Apostolus, huius praeco veritatis, « fecit ex uno omnes genus hominum inhabitare super universam faciem terrae » (Act. 17, 26) formans « primum hominem » (cf. 1 Cor. 15, 45),[10] Adam, eiusque uxorem, quae « mater cunctorum viventium » (Gen. 3, 20) appellata est, ut bini illi coniuges

totius humani generis naturale essent principium, ex quo scilicet qui ubilibet nascerentur homines generatione descenderent. [57]

49. [*Opiniones contra monogenismum reprobantur*]. Reprobat igitur sacrosancta Synodus eorum placita, qui asseverant vel post Adam hisce in terris veros homines exstitisse, qui non ab eodem protoparente naturali generatione originem duxerint, vel per Adam multitudinem quamdam protoparentum significari, cum huiusmodi opiniones contradicant doctrinae catholicae. Nequaquam enim apparet, quomodo huiusmodi sententiae componi queant cum iis, quae fontes revelatae veritatis et acta Magisterii Ecclesiae proponunt de peccato originali, quod procedit ex peccato vere commisso ab uno Adamo, quodque generatione in omnes transfusum, inest unicuique proprium.[11]

NOTAE

[1] Ad singulas paragraphos notes:

Ad § 43: *Peccatum originale naturam induit mysterii.*

Si considerentur omnia elementa, quae a revelatione de peccato originali perhibentur, nempe quod est verum peccatum et non solum poena peccati, quod est voluntarium voluntate primi parentis, quod generatione transfunditur etiam a parentibus quibus iam est remissum, quod in privatione iustitiae originalis consistit, negari non posse videtur in peccato originali naturam mysterii latere.

Tamen cavendum est ne declarando peccatum originale esse mysterium quaestionem disputatam definire velimus, scilicet utrum sola ratione ex malis huius vitae exsistentia peccati originalis demonstrari possit. Novimus S. AUGUSTINUM adhibuisse hoc argumentum (cf. v. g. *Contra Iulianum,* IV, 16, 82). S. THOMAS scribit quod « satis probabiliter probari potest huiusmodi defectus [mortem et concupiscentiam] esse poenales; et sic colligi potest humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum » (*Summa contra Gentes,* IV, 52). S. BONAVENTURA existimat « catholicis doctoribus non solum fide sed etiam rationum evidentia certitudinaliter [apparere] » humanam naturam in praesentis vitae conditionem deiectam esse merito primae praevaricationis (*In II Sent.* d. 30, a. 1, q. 1).

Quapropter necessarium erat distinguere inter exsistentiam peccati originalis, cui et vita hominum plena tentationibus et aerumnis testimonium saltem probabile, nemine, quantum scitur, diffitente reddit, et definitam seu accuratam notionem peccati originalis, quae tegitur mysterii velamine.

Item placuit citare verba S. Augustini, quae occasione disputationum de peccato originali contra rationalismum Iuliani Eclanensis prolata sunt.

Ad § 44: *Peccatum originale veram habet peccati rationem.*

Peccatum originale veram habere rationem peccati definitum fuit in Concilio Arausicano II, can. 2 (DENZ. 175), et in Concilio Tridentino, Sess.

[58] V, Decr. *De peccato orig.,* can. 2 (DENZ. 789). Quam notionem peccati multis modis Concilium Tridentinum exprimit; loquitur enim de *reatu* peccati originalis qui in baptismate remittitur (DENZ. 792), de peccato originali quod mors est animae (DENZ. 789), quod homines a conceptione iniustos facit (DENZ. 795), impios (DENZ. 796), Deo inimicos (DENZ. 799), filios irae (DENZ. 793), qui Deo indigent reconciliari per Dominum Christum (DENZ. 790). Praeterea Concilium Lugdunense II (DENZ. 464) et Concilium Florentinum (DENZ. 693) definierunt illorum animas qui in actuali mortali peccato vel *solo originali* decedunt, mox in infernum descendere, poenis disparibus puniendas.

Quae omnia urgenda esse videntur propter eorum opiniones qui reatum peccati originalis aut negare aut enervare contendunt, existimantes peccatum originale nihil esse aliud quam defectum humanae naturae ex eius finitudine provenientem (malum radicale), aut defectum communitatis religiosae cui ex dispositione divina homo pertinere deberet, aut propensionem vehementem qua homines ad malum feruntur, aut (obscura est sententia) rerum multiplicitatem antequam multiplicitas ope evolutionis ad unitatem redigatur.

Ad § 45: *Peccatum originale est voluntarium voluntate primi parentis.*

Urgendum videtur tum propter quorundam opiniones, qui dicunt homines trahere peccatum originale quia nascendo inseruntur in societatem hominum qui non Deo serviunt sed peccato, tum propter eos, qui polygenismum defendere conati sunt vel saltem demonstrare certum non esse quod a fide catholica excludatur.

Ad § 46: *Per peccatum originale totus homo in deterius commutatus est.*

In § 46 redigenda, iuxta desiderium a quibusdam membris Subcommissionis expressum, facta est distinctio inter amissionem gratiae sanctificantis et necessitatem moriendi vulneraque ignorantiae et concupiscentiae.

Quod homo per peccatum originale sit in deterius commutatus, cf. CONC. ARAUSIC. II, can. 1 (DENZ. 174) et CONC. TRID., Sess. V, Decr. *De peccato orig.*: DENZ. 788.

De vulneribus peccati originalis praeclare S. THOMAS, *Summa Theol.,* I-II, q. 85, a. 3.

De libero arbitrio non exstincto quidem, sed attenuato et inclinato, cf. CONC. TRID., Sess. VI, Decr. *De iustif.*: DENZ. 793.

Tandem haec ipsa verba CONCILII TRIDENTINI explicantur per doctrinam de necessitate gratiae tum ad opera salutis facienda, cum ad peccata contra legem Dei naturalem diu vitanda, quae urgenda videntur propter eos qui doctrinam pelagianam de viribus liberi arbitrii exaltantes gratiae spernunt necessitatem.

Ad § 47: *Peccatum originale revelatum in Epistula ad Romanos continetur.*

Compertum est quam diversae perhibeantur interpretationes de pericope ad Rom. 5, 12. Porro rem dogmatice considerando, videtur Magisterium Ecclesiae authentice interpretatum fuisse verba Apostoli ita ut non liceat in alios sensus illa detorquere. Nam:

a) Concilium Carthaginense a Zosimo Summo Pontifice approbatum,

postquam egit de peccato originali quod infantes nascendo trahunt, haec [58]
addit: « Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: " Per [59]
unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt ", nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit » (DENZ. 102). Haec ipsa verba repetit CONC. TRID., Sess. V, Decr. *De peccato orig.*: DENZ. 791.

b) CONC. ARAUSIC. II asserit eos qui negant peccatum originale, quod mors est animae, in omnes pertransire, contradicere Apostolo dicenti: Per unum hominem, etc. (DENZ. 175). Etiam haec verba repetit CONC. TRID., *ibid.*: DENZ. 789.

Addendum est in CONCILIO TRIDENTINO inter errores, quos refellendi causa decretum de peccato originali editum est, tertio loco istum recenseri: « Tertius est Pelagianorum, quem etiam secutus est Erasmus, Paulum ad Rom. 5 huius peccati originalis nullam prorsus facere mentionem ».

[2] S. AUGUSTINUS, *Contra Iulianum,* VI, 5, 11: PL 44, 829.

[3] Cf. S. THOMAS, *Ad Roman.* 5, 12, lect. 3; *Q. D. de Malo* IV, 1, ad 1.

[4] S. IRENAEUS, *Adv. Haeres.* V, 16, 3: PG 7, 1177.

[5] S. AMBROSIUS, *Apologia prophetae David,* II, 12, 71: PL 14, 915, CSEL 32, 2, 276.

[6] Cf. CONC. TRID., Sess. V, Decr. *De peccato orig.*: DENZ. 789 et 791; CONC. CARTH. anni 418, approbatum a Zosimo Papa: DENZ. 102 et CONC. ARAUSIC. II, can. 2: DENZ. 175.

[7] Quod peccatum originale ab *uno homine* in posteros transfunditur et non intellegi potest ut peccatum a *multitudine* quadam hominum commissa, cf. CONC. TRID., *ibid.*: DENZ. 788: « Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus... »; Sess. VI, Decr. *De iustific.,* c. 4: DENZ. 796: « Quibus verbis iustificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae... per secundum Adam, Iesum Christum »; Sess. V, Decr. *De peccato orig.* 2: DENZ. 789: « Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non eius propagini asserit nocuisse; acceptam a Deo sanctitatem... sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse... A. S. »; PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis*: vide infra, not. 11.

[8] Peccatum originale transfundi in posteros per GENERATIONEM est in S. Traditione ante controversiam pelagianam: cf. TERTULL., *De testimonio animae* 3: PL 1, 613; CYPRIAN., *Epist.* 64, 5: PL 3, 1018-1019; NOVATIAN., *De Trinit.* 29: PL 3, 944; ORIGEN., *In Levit. hom.* 8, 3: PG 12, 496; ATHAN., *In Psalm.* 50, 7: PG 27, 240; DIDYM. ALEX., *Contra Manich.* 8: PG 39, 1096; APHRAAT., *Demonstr.,* 6, 14: PS 1, 291; *ibid.* 23, 3: PS 2, 6; EPHRAEM, *Hymni de instaur. Eccl.* 4, 1: *Lamy,* 3, 974; HILAR., *In Psalm.* 118, apud AUGUST., *Contra Iulian.* I, 3, 9: PL 44, 645; AMBROS., *Apolog. proph. David.,* I ,11, 56: PL 14, 873; *Exp. in Luc.* 2, 56: PL 15, 1573; AMBROSIAST., *In Rom.* 5, 12: PL 17, 92; GREGOR. NAZ., *Orat.* 38, 16 et 40, 8: PG 36, 330 et 367; IDEM apud AUGUST., *Contra Iulian.* I, 5, 15: PL 44, 649; CHRYSOST., *In Ep. ad Rom.,* hom. 10, 2: PG 60, 476-477. - In ipsa controversia pelagiana cardo quaestionis erat, utrum peccatum Adae

[59] transiret in posteros *imitatione* vel *propagatione*. Cf. AUGUST., *De pecc. merit. et remiss.*, I, 9, 9: PL 44, 114; *ibid.*, I, 9, 10: PL 44, 115; *Opus imperf. contra Iulian.* I, 48: PL 45, 1071. - S. Thomas clare docet transfu-
[60] sionem per generationem esse *de fide* credendam, cf. *Summa Theol.* I-II q. 81, art. 1 et 3 collato art. 4.

Quod spectat ad magisterium Ecclesiae conferas praeter LEON. MAGN., *Sermo* 22, 3: PL 54, 196:

CONC. ARAUSIC. II, confirmatum a Bonif. II, can. 2: DENZ. 175: « Si quis soli Adae praevaricationem suam non et eius *propagini* asserit nocuisse... ».

CONC. TRID., Sess. V, Decr. *De peccato orig.*, can. 2: DENZ. 789, repetit canonem praedictum Arausicani II. Quid vero Tridentinum nomine propagationis intellexerit, clare apparet ex Decr. *de iustificatione*, cap. 3: DENZ. 795: « Nam sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahunt: ita nisi in Christo renascerentur, numquam iustificarentur » et Decr. *de pecc. orig.* 4: DENZ. 791 de infantibus baptizandis dicitur: « ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt ».

[9] De unitate generis humani cf. Gen. 1, 27 et 2, 5-25; Act. 17, 26; Rom. 5, 12-21; 1 Cor. 15, 45-47. - Quod ad Patres attinet, clare loquuntur IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 23, 2: PG 7, 961; EPHRAEM, *Interpr. in S. Script.*: *in Genes.* 2: *Lamy*, 1, 129; AMBROS., *De Paradiso* 10, 48: PL 14, 298; THEODORET., *Graec. affect. curatio*: serm. 5: PG 83, 944. S. Augustinus aperte docet veritatem de unitate generis humani esse de fide: cf. AUGUST., *De Gen. ad litt.* IX, 11, 19: PL 34, 400 et *De pecc. orig.* 24, 28: PL 44, 398. Vide etiam *De Civ. Dei* XVI, 8 et XVI, 9: PL 41, 486-487, quibus in locis de distinctione stirpium et de antipodis. - Consentit S. Magisterium, cf. PELAG. I, *Ep. ad Childebert,* 1 apr. 557: DENZ. 228[a]; LEO XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae,* 10 febr. 1880: ASS 12 (1879-1880) p. 386; PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: AAS 31 (1939) pp. 426-427.

[10] CONC. CARTHAGIN. (XVI), can. 1: DENZ. 101, coll. 1 Cor. 15, 45.

[11] PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani Generis,* 12 aug. 1950: AAS 42 (1950) p. 576: DENZ. 2328: « Non enim christifideles eam sententiam amplecti possunt, quam qui retinent asseverant vel post Adam hisce terris veros homines exstitisse, qui non ab eodem prouti omnium protoparente, naturali generatione originem duxerint, vel Adam significare multitudinem quamdam protoparentum: cum nequaquam appareat, quomodo huiusmodi sententia componi queat cum iis, quae fontes revelatae veritatis et acta Magisterii Ecclesiae proponunt de peccato originali, quod procedit ex peccato vere commisso ab uno Adamo, quodque generatione in omnes transfusum, inest unicuique proprium ».

Theologi Concilii Vaticani I praeparaverant canonem, cf. CL VII, 1637: « Si quis universum genus humanum ab uno protoparente ortum esse negaverit: anathema sit ». In annotationibus, *ibidem* col. 544-545 extollunt « gravissimum momentum huius dogmatis de unitate et communi

origine totius generis humani, quam nostra aetate ab hominibus quibusdam [60] ex levissimis rationibus geologicis et ethnographicis in dubium vocatum esse, nemo ignorat ». Vide etiam CL VII, 515^{a-b}, 555-556, 1633^{a-b}.

CAPUT IX [61]

DE NOVISSIMIS

50. [*Prooemium*]. Sacrosancta Vaticana Synodus secunda in Spiritu Sancto congregata, volens Ecclesiae filios in fide quam receperunt confirmare erroresque arcere, qui in perniciem animarum, nostra etiam tempestate, de doctrina novissimarum rerum sparguntur, eandem de rebus novissimis doctrinam, quam Christus Dominus et sancti Apostoli instantissime praedicarunt, Ecclesia vero sive ordinario sive sollemni magisterio credendam proposuit, rursum inculcare pressiusque declarare statuit, ut depulsis erroribus « sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi » (Tit. 2, 12-13).

51. [*Tempus merendi vel demerendi morte finitur*]. Primum quidem illud omnes meminerint oportet, quod Ecclesia tamquam dogma fidei divinitus revelatum tenet ac docet, tempus nempe merendi vel demerendi seu, ut aiunt, statum viae qua pergimus ad aeternum finem, morte desinere, nec esse, post hanc quam gerimus in terris, alteram vitam, in qua homo possit suae consulere saluti. « Statutum est hominibus, ait Apostolus, semel mori, post hoc autem iudicium » (Hebr. 9, 27).[1]

Mox autem post mortem, ut sacra Concilia non semel docuerunt, illorum animae qui in gratia Dei decedunt, nihil de commissis vel omissis satisfaciendum habentes, vel, si quid satisfaciendum habent, postquam purgatae fuerint, in caelum recipiuntur; illorum vero qui in statu actualis peccati mortalis vel solius originalis decesserint, ad inferos descendunt poenis disparibus puniendae.[2]

Sciant igitur fideles reincarnationis seu, ut aiunt, metempsychoseos doctrinam falsam esse et exsecrandam [3] eamque omnino devitent totoque animo Apostoli monitum: « dum tempus habemus operemur bonum » (Gal. 6, 10), in usu habere nitantur

[61] « Venit enim nox, ait Dominus, quando nemo potest operari » (Io. 9, 4).

[62] 52. [*Poenae damnatorum sine fine erunt*]. Non sola divina misericordia in iis qui salvi fiunt consideranda est, verum etiam divinae iustitiae mysterium agnoscendum et adorandum venit in illis qui pereunt seu in illis omnibus qui in peccato mortali ex hac vita decedunt.

Fide enim catholica credendum est poenas a damnatis in inferno luendas, quas ipsi suis contra legem aeternam praevaricationibus meruerunt, fore perpetuas. « Et ibunt hi, ait Dominus, in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam » (Mt. 25, 46). « Utrumque aeternum, inquit S. Augustinus, unde quia vita aeterna sanctorum sine fine erit, supplicium quoque aeternum quibus erit, finem procul dubio non habebit ».[4] Eorum igitur sancta Synodus tamquam alienas a fide catholica reprobat opiniones, qui negant damnatorum poenas, tum hominum cum angelorum, esse sine fine seu perpetuas.[5]

Item fide credendum est poenas damnatorum, qui cum reatu culpae personalis decesserint, non solum privatione visionis Dei, sed etiam, pro culparum diversa gravitate, gehennae cruciatibus constare, illo nempe igne, qui, iuxta verba Domini, « paratus est diabolo et angelis eius » (Mt. 25, 41): hi vero cruciatus, post resurrectionem iudiciumque universale, in quo omnibus adstandum erit « ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum » (2 Cor. 5, 10),[6] ad damnatorum corpora extendentur.

53. [*Caelestis beatitudo est aeterna*]. De beatitudine vero illa, quam iustorum animae consequentur in caelis, ubi nullum erit malum nullum latebit bonum, quandoquidem « absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor » (Apoc. 21, 4), et torrente deliciarum suarum potabit eos (cf. Ps. 35, 9), hoc docet sancta Mater Ecclesia, ipsam videlicet esse vitam aeternam, quam nobis promisit promeruitque Dominus Iesus quaeque in visione Dei unius et trini (cf. 1 Cor. 13, 12), in amore summo (cf. 1 Cor. 13, 8) et in gaudio ineffabili (cf. Mt. 25, 21; Io. 16, 22) consistit. Deus enim « finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur ».[7]

Qua adepta beatitudine, iustorum animae inaestimabilem

illam consequentur libertatem (cf. Io. 8, 36), quae excludit facultatem peccandi,[8] et sic semper cum Domino erunt de beatitudinis qua fruuntur aeternitate certissimae. [62]

De qua interminabili fruitione loquitur S. Petrus cum dicit nos esse regeneratos « in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem... conservatam in caelis... paratam revelari in tempore novissimo » (1 Petr. 1, 4). [63]

54. [*De resurrectione carnis*]. Haec beatissima Dei fruitio non impeditur nec minuitur ex eo quod beatorum animae « redemptionem corporis » (Rom. 8, 24) sui exspectant, quae erit « in regeneratione » illa (Mt. 19, 28), qua « novissima inimica destruetur mors » (1 Cor. 15, 26). Morte vero destructa per resurrectionem carnis in consummatione saeculi ad adventum Christi,[9] non solum anima beatitudine, verum etiam corpus plena donabitur immortalitate. « Oportet enim, ut ait Apostolus, corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem » (1 Cor. 15, 51) ut totus homo salvus fiat, qui totus perierat: « quoniam quidem, ut ab eodem edocemur Apostolo, per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur » (1 Cor. 15, 21).

55. [*Consideratio novissimorum et fiducia in Dei misericordia commendatur*]. Fideles autem enixe monet sancta Synodus, ut novissima sua memorentur assidue ad peccata vitanda; quod si autem noverint se deliquisse, rigore divinae iustitiae salubriter concussi, in Dei misericordiam toto animo confugiant in eaque spem ponant firmissimam, scientes nullum esse vel gravissimum peccatum cuius remissionem per merita Christi obtinere non possint, si divina excitante atque adiuvante gratia sincero corde ad Deum convertantur, eumque implorent, qui neminem vult perire, sed omnes percupit ad paenitentiam reverti (cf. 2 Petr. 3, 9).

NOTAE

[1] Textus Apostoli additur non intuitu iudicii particularis, cum non constet Apostolum de iudicio hic loqui particulari, sed intuitu doctrinae confirmandae secundum quam homo post mortem in statum ultimum et definitivum redigitur cum ei nonnisi semel mori contingat — sicut Christus semel mortuus est — et post mortem exspectare iudicium.

[63] [2] CONC. LUGDUN.: DENZ. 464; CONC. FLORENT.: DENZ. 693. Cf. IOANNES XXII, Litt. *Nequaquam sine dolore,* 21 nov. 1323: DENZ. 493 *a*; BENEDICTUS XII, Const. Apost. *Benedictus Deus,* 29 ian. 1336: DENZ. 530; LEO X, Bulla *Exsurge Domine,* 15 iun. 1520: DENZ. 778.

[64] In textu fere ad verbum doctrina redditur Conciliorum; loco tamen dicendi « in infernum descendunt », maluimus scribere « ad inferos descendunt », quia vox « infernum » insinuare videtur, prout hodie communiter intelligitur, non solum poenam damni, sed etiam poenam sensus, quam dicunt.

[3] Reincarnationis doctrinae nostro etiam tempore adhaerent, proh dolor, multi spiritismi aut theosophismi cultores.

[4] *De civitate Dei,* XXII, 23; PL 41, 736.

[5] Aeternitas poenarum in inferno olim negata est et nunc diversa ratione sive pro omnibus sive pro aliquibus damnatorum negatur.

[6] Etsi 2 Cor. 5, 10 intelligi potest de utroque iudicio, particulari et universali, tamen de iudicio ultimo adhibetur in *Symb. fidei* CONC. TOLET. II et in Const. Apost. *Benedictus Deus* BENEDICTI XII, ubi de visione beata: DENZ. 286 et 531.

[7] S. AUGUSTINUS, *De civitate Dei,* XXII, 30, 1; PL 41, 802.

[8] Factum de beatorum impeccabilitate proponitur, relinquendo theologis quaestionem de modo seu intima impeccabilitatis ratione.

[9] Resurrectionem omnium non fieri statim post mortem, sed in fine saeculorum cum Christus venturus est iudicare vivos et mortuos, ita continetur in Fontibus Revelationis et in Magisterio Ecclesiae, ut haec veritas ad finem pertinere dicenda sit. Cf. *Symbolum « Athanasianum »* et Const. Apost. PII XII *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: AAS 42 (1950) p. 770.

[65]

CAPUT X

DE SATISFACTIONE CHRISTI

56. [*Christus, Dei Verbum, in assumpta carne patiendo et moriendo, pro peccatis hominum Deo vere et proprie satisfecit*]. Divini Redemptoris Sponsa, memor verborum S. Pauli: « Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret » (Eph. 5, 25-26), iugiter Crucem Domini gratissime agnovit ut fontem bonorum omnium supernaturalium hisce in terris et in caelis. In ea et per eam Salvator Ecclesiam acquisivit Sanguine suo (cf. Act. 20, 28), seipsum Patri obtulit pro totius mundi salute, pro genere humano intercessit clamore valido et lacrymis (cf. Hebr. 5, 7), exemplum heroicum dedit virtutum omnium, Ecclesiae meruit inexhauribilem gratiarum fontem, pro peccatis hominum satisfecit, idque superabundanter. Quare Ec-

clesia, ex latere secundi Adae velut in Cruce dormientis orta,[1] [65] ferre nequit mysterium salvationis nostrae quibusdam doctrinae corruptionibus maculari. Ob errores autem qui hodie evulgantur, nunc in hac Vaticana Synodo secunda, ne officio suo matris et magistrae deficiat, peculiari modo confirmat, tamquam veritatem quae inter praecipuas christianae religionis merito ponenda est, valorem piacularem mortis Christi, declaratque Dei Verbum, in assumpta humana natura patiendo et moriendo, pro peccatis nostris Deo vere et proprie satisfecisse.[2] « Omnes enim, ait Apostolus, peccaverunt, et egent gloria Dei, iustificari gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius » (Rom. 3, 23-25).[3]

57. [*Peccatum est vera et propria iniuria Deo allata*]. Revera, saltem in praesenti oeconomia salutis, nulla creata vis hominum sceleribus plene expiandis erat satis, nisi humanam naturam Dei Filius reparandam assumpsisset.[4] Peccatum enim, iuxta Spiritus Sancti oracula, est iniquitas ac iniuria in Deum; nam peccator, legem divinam violans, coram Deo peccat eumque contemnit, divinam maiestatem laedit et Dei inimicus fit.[5] Unde pariter edocemur quod iniquitates nostrae nos a Deo nostro seiungunt, clamant vindictam coram Deo, efficiunt homines Deo [66] debitores et filios irae, egentes misericordia Dei qua gratis reconcilientur illi.[6] Proinde ad reparandam iniuriam divinae maiestati illatam, ipse Dei Filius proprium sanguinem aeterno Patri per Spiritum Sanctum obtulit (cf. Hebr. 9, 14) ac ita per mortem suam Deo nos reconciliavit (cf. Rom. 5, 10). Ei etenim uni, utpote innocentissimo ac Deo Patri dignitate aequali, congruunt verba Ioannis Baptistae: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi » (Io. 1, 29).

58. [*Christus satisfactione vicaria pro cunctis hominibus iustitiam Dei placavit*]. Opus vero mirae caritatis Dei et Christi erga nos, quo peccatum mundi tollitur, contemplans Ioannes Evangelista, divino Spiritu actus fatetur: « In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris » (1 Io. 4, 10). Propitiatio autem illa, quae est Iesus Christus iustus, pro peccatis totius mundi (cf. 1 Io. 2, 2), efficaciam satisfactoriam, quam « vicariam » vocant, revera habuit. Non solum enim Re-

[66] demptor noster « semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis » (1 Petr. 3, 18), sed etiam ut Caput nostrum et novus Adam, nomine et loco totius humani generis, peccatum originale atque culpas omnium hominum et poenas iisdem debitas expiavit, quatenus, ex amore et oboedientia patiendo, longe maiorem gloriam Deo reddidit, quam exigeret recompensatio totius offensae humani generis.[7] Hoc Redemptoris munus iam praecinerat Isaias propheta, qui de Servo Iahweh ait: « Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit » (Is. 53, 4). Apertius autem docet Apostolus: « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno; ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Iesu » (Gal. 3, 13-14). Quamvis enim Deus, ex suprema sua bonitate, potuisset delicta hominum contra se commissa absque satisfactione dimittere, amoris miserentis propensiones tantum persecutus,[8] maluit tamen ad suam misericordiam etiam in iustitia superabundanter manifestandam (cf. Rom. 5, 20) atque ad dignitatem hominis plenius servandam, mittere Filium suum in mundum, ut per ipsum, Deum-hominem, mundum non quidem iudicaret, sed salvaret; idcirco proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (cf. Rom. 8, 32). Christus vero, decreto Patris mise-
[67] rentissimi ac iustissimi oboediens usque ad mortem crucis (cf. Phil. 2, 8), « dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis » (Eph. 5, 2). Concors igitur fuit voluntas Patris in decernendo, et Filii incarnati in offerendo sacrificio crucis pro salute humani generis, ita ut Apostolus integrum mysterium redemptionis complexus sit his verbis: « Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum » (2 Cor. 5, 18).

59. [*Reprobantur opiniones pervertentes notionem peccati, prout est offensa Dei, et satisfactionis a Christo pro nobis exhibitae*]. Quapropter haec Sancta Synodus, doctrinam de humana redemptione ex purissimis divinae revelationis fontibus hauriens praelucente perenni Ecclesiae magisterio,[9] reiicit opiniones illorum, qui falso aestimantes peccato nullam veri nominis offensam Deo inferri, affirmare praesumunt sacrificium Christi in cruce valorem tantummodo et efficaciam habuisse exempli, meriti et liberationis, non autem verae et proprie dictae satisfactionis pro

humanis sceleribus, quasi hoc divinae iustitiae repugnaret, dum [67] e contra tam misericordiae quam iustitiae aeterni Patris maxime congruit.[10]

NOTAE

[1] Cf. Leo XIII, Litt. Encycl. *Divinum illud,* 9 maii 1897: ASS 29 (1897) p. 649.

[2] Conc. Vat., *Schema secundae Constitutionis dogmaticae De fide catholica,* can. IV, 3. *De mysterio Verbi Incarnati*: « Si quis negaverit ipsum Dei Verbum, in assumpta carne patiendo et moriendo, pro peccatis nostris Deo vere et proprie satisfecisse, nobisque gratiam et gloriam meruisse; aut affirmare praesumpserit, satisfactionem vicariam, unius scilicet Mediatoris pro cunctis hominibus, iustitiae divinae repugnare, A.S. » (Mansi 53, 294).

[3] Cf. e. g. Fr. Ceuppens, *Quaestiones selectae ex Epist. S. Pauli* (1951) pp. 32-36. Cl. Auctor his verbis mentem Apostoli reddit (cum S. Thoma et, inter recentiores exegetas, M. J. Lagrange, A. Lemonnyer, J. Sickenberger, G. Ricciotti): « Deus ab aeterno voluit Christum ut expiationis victimam exhibere ac propitiationis, et hominem huius expiationis participem fieri per fidem in sanguine, seu in efficacia sanguinis Christi, quae fides conducit homines ad iustificationem » (p. 34).

[4] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1928: AAS 20 (1928) p. 170.

[5] Cf. 1 Io. 3, 4; Ps. 50, 6; Lc. 15, 18; 1 Reg. 2, 30; Deut. 9, 23; Ez. 20, 8; 20, 21; Rom. 5, 10.

[6] Cf. Is. 59, 2; Gen. 4, 10; Iac. 5, 4; Rom. 12, 19; Mt. 6, 12; Eph. [68] 2, 3; Rom. 3, 23; Col. 1, 21.

[7] S. Thomas, *Summa Theol.* III, q. 48, a. 2: « Christus autem, ex caritate et oboedientia patiendo, maius aliquid Deo exhibuit quam exigeret recompensatio totius offensae humani generis ».

[8] S. Thomas, *Summa Theol.* III, q. 46, a. 2, ad 3: « Si voluisset (Deus) absque omni satisfactione hominem a peccato liberare, contra iustitiam non fecisset... Sed Deus non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum et commune bonum totius universi. Et ideo, si dimittat peccatum, quod habet rationem culpae, ex eo quod contra ipsum committitur, nulli facit iniuriam ».

[9] Meminisse iuvabit:

a) Inter SS. Patres:

S. Augustinus, *Contra Faustum,* XIV, 4: PL 42, 297: « Suscepit autem Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum et finiret etiam supplicium nostrum »;

Id., *De Trin.,* IV, 13, 17: PL 42, 899: « Morte sua quippe uno verissimo sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat unde nos principatus et potestates ad luenda supplicia iure detinebant, purgavit, abolevit, exstinxit »;

S. Gregorius M., *Moralia,* XVII, 30, 46: PL 76, 33: « Fecit

[68] [Filius Dei] pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quae et humanitate mori et iustitia mundare potuisset ».

b) Inter Doctores Ecclesiae:

S. THOMAS, *Summa Theol.* Suppl., q. 13, a. 1, ad 1: « Satisfactio non respondet peccato nisi secundum quod est offensa Dei ».

c) Magisterium Ecclesiae:

CONC. EPHES.: DENZ. 122: « Si quis dicit, ... (Dei Verbum) pro se obtulisse semetipsum oblationem et non potius pro nobis solis ... A.S. »;

CONC. TRID., Sess. V, Decr. *De peccato orig.*: DENZ. 790, loquitur de merito « Iesu Christi qui nos Deo reconciliavit, ... factus nobis iustitia, sanctificatio et redemptio (1 Cor. 1, 30) »;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Tametsi futura,* 1 nov. 1900: ASS 33 (1900-1901) p. 275: « Sane cum divini venisset maturitas consilii, unigenitus Filius Dei, factus homo, violato Patris Numini cumulatissime pro hominibus uberrimeque *satisfecit* de sanguine suo, tantoque redemptum pretio *vindicavit* sibi genus humanum »;

PIUS XII, Litt. Encycl.*Orientales Ecclesias,* 15 dec. 1952: AAS 45 (1953) p. 13: « Ad propitiandam tot tantisque iniuriis offensisque laesam divinam maiestatem ».

[10] F. CEUPPENS, congruis textibus ex utroque Testamento allatis, probat Deo iustitiam distributivam, quae remunerativam et vindicativam in Deo tantum complectitur, *formaliter* convenire (*De Deo Uno,* vol. I, 1938, pp. 226-227).

Cf. acta praesynod. CONC. VAT., text. cit. nota 2;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: AAS 42 (1950) p. 570: « Nec satis: nam peccati originalis notio, definitionibus tridentinis
[69] posthabitis, pervertitur, unaque simul, peccati in universum, prout est Dei offensa, itemque satisfactionis a Christo pro nobis exhibitae »;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Haurietis aquas,* 15 maii 1956: AAS 48 (1956) p. 322 ubi refertur textus S. Thomae ex *Summa Theol.* III, q. 46, a. 1, ad 3: « Hominem liberari per passionem Christi, conveniens fuit et misericordiae et iustitiae eius. Iustitiae quidem, quia per passionem suam Christus satisfecit pro peccato humani generis; et ita homo per iustitiam Christi liberatus est. Misericordiae vero, quia, cum homo per se satisfacere non posset pro peccato totius humanae naturae, ... Deus ei satisfactorem dedit Filium suum »;

S. AUGUSTINUS, *De Trin.* XIII, 10, 13: PL 42, 1024, ostendit ad liberandum genus humanum: « Non alium modum possibilem Deo defuisse... sed sanandae nostrae miseriae convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse »; cf. A. HACAULT, *La satisfaction du Christ-Jésus à la lumière de l'Encyclique " Humani generis ",* Montréal, Canada, 1960;

Acta et Documenta Conc. Oecum. Vat. II Appar., Ser. I, vol. IV, P. I, t. 2, pp. 355-363.

2 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE ORDINE MORALI CHRISTIANO [73]

Caput I

DE FUNDAMENTO ORDINIS MORALIS CHRISTIANI

1. [*De indole obiectiva ordinis moralis*]. Deus infinite bonus et infinite sanctus, cum in opere creationis et redemptionis mysterium sanctitatis et amoris sui revelavit, hominibus simul monstravit viam amoris et sanctitatis. Quapropter Sacrum Concilium Vaticanum II, secundum effatum apostolicum: « Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra » (1 Thess. 4, 3),[1] sollemniter profitetur, esse ordinationem ipsius Dei infinite boni et infinite sancti, qua mensurantur honestas vel inhonestas actuum humanorum. Haec ordinatio divinae sapientiae, quam homines per cognitionem participant, iisdem fit regula et norma sanctitatis, ut, quemadmodum Sacra Scriptura monet, sancti sint, sicut Ipse Deus sanctus est. Hunc ordinem moralem observans auxilio Dei, sine quo nemo divinae servire potest voluntati,[2] homo suam voluntatem conformat ad voluntatem Dei; idemque participans legem libertatis (cf. Iac. 1, 25) non solum fit servus fidelis Dei, sed gaudet quoque illa filiorum Dei libertate, vi cuius solutus a servitute peccati [3] tendere potest in finem suum ultimum, qui in hac oeconomia salutis est ipse Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, in patria contemplatione et amore possidendus. Ordo igitur moralis non est mentis humanae fictio, sed reapse exsistit, sicut reapse exsistit voluntas Dei, infinite sapientis, boni ac sancti.

2. [*Ordo moralis absolutus*]. Praeterea ordo moralis est absolutus, id est semper et ubique viget independenter a circumstantiis, vario tamen modo et gradu. Procedit enim ex ordinatione Dei, qui ob infinitam suam sanctitatem necessario amat bonum et odio habet malum, et « apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio » (Iac. 1, 17). Refertur quoque in finem unicum eumque absolute fixum, qui in hoc consistit, ut homo cum Deo maneat inseparabiliter coniunctus. Ordo moralis dicendus est absolutus etiam ad normas fundamentales quod attinet; quae quidem non dependent ab adiunctis mutabilibus rerum, sed radicitus inhaerent in ipso Deo, summa sanctitate et aeterna sapientia; atque relationes statuit, quae necessario inter-

[74] cedere debent sive inter ipsas creaturas rationales, sive praesertim inter creaturas rationales et ipsarum Creatorem. Suo quoque modo absolutus ille ordo est in iis quae Deus in hac oeconomia salutis, etsi in se non necessaria, pro dominio suo immutabiliter statuere voluit, licet aliter statuere potuisset. Nec solum absolutus dicendus quoad praecepta et vetita, sed etiam quoad consilia divina, quippe quae ab omnibus magno debeant haberi honore, etsi non omnes ea servare tenentur. Quam ob rem, non obstantibus aspectibus diversis quos ordo moralis olim habuit in paradiso terrestri, habet nunc hic in terra in genere humano lapso et redempto, et habebit tandem in patria, ac non obstantibus quoque diversis normarum applicationibus in diversis vitae adiunctis, tamen ordo moralis nullo modo relativus dici debet, et S. Synodus reprobat quamlibet doctrinam qua eidem sive in toto sive in quavis parte essentiali abiudicetur valor absolutus.

3. [*Deus custos, iudex, vindex ordinis moralis*]. Deus qui universum mundum sua sapientia dirigit, homini donavit legem libertatis, ut sequendo Creatoris et Redemptoris sui ordinationem, natura et gratia participatam, veram virtutem veramque dignitatem assequi possit. Sic sanctitas ipsius Dei et ipsius hominis bonum immutabiliter exigunt ut omnis quoque libera operositas regatur lege aeterna.[4] Quare Deus ordinis moralis non tantum est auctor et finis, sed est et necessario esse debet etiam eiusdem custos, iudex et vindex,[5] secundum ea quae Patres Concilii Vaticani Primi docuerunt de providentia, qua Deus universa quae condidit tuetur quoque atque gubernat.[6]

4. [*Ordinis moralis duplex manifestatio*]. Docet quoque et profitetur S. Synodus ordinem moralem duplici modo creaturis fieri manifestum: primum per legem naturalem, quatenus videlicet voluntas Dei, qua iubemur esse sancti sicut Ipse sanctus est, innotescit per lucem naturale rationis, reflectentis in humanam naturam eiusque tendentias et essentiales relationes, et quidem imprimis ad suum Creatorem; deinde per revelationem Dei supernaturali lumine fidei participatam, qua lex naturalis confirmatur ac perficitur atque, quod maius est, innotescit lex illa divina, quae ex misericordi Dei voluntate est oeconomiae salutis propria. Quod autem Apostolus de gentibus testatur, eas nempe, licet legem Moysis non habeant, tamen, nisi sint obscurati corde, quae

legis sunt naturaliter facere (cf. Rom. 1, 21-22 et 2, 14), id sana [75] ratione et experientia comprobatur communi. In obviis enim, communibus et quotidianis adiunctis, quid honestum sit et licitum, quid inhonestum et prohibitum, homines sani iudicii, etiam inculti, veluti sponte et innata quadam inclinatione ducti, diiudicant et agunt. Revelatione autem Deus effecit, ut lex naturalis ab omnibus filiis Adae, peccato protoparentis in rebus moralibus cognoscendis et exsequendis misere obscuratis et debilitatis, expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci posset.[7] Loquens tandem per Filium suum, qui non venit solvere sed adimplere praecepta Decalogi, gentibus quoque naturaliter cognita licet imperfectius, legem naturalem restauravit, declaravit, perfecit, sanctificavit et ad altiorem ordinem evexit. Nulla igitur oppositio est inter legem naturalem et legem evangelicam: sed lex naturalis in lege evangelica continetur eaque perficitur.[8] Hac quoque de causa ad magisterium Ecclesiae, cui Christus depositum fidei concredidit et per Paraclitum tradit omnem veritatem (cf. Io. 16, 13), ius et officium pertinent legem etiam naturalem auctoritative explicandi et definitive interpretandi,[9] aut, ubi id postulat commune Ecclesiae bonum, decretis disciplinaribus controversias de obscurioribus exortas, in determinatum sensum non sine auxilio Spiritus Sancti, dirimendi.

5. [*Ea quae ordine morali continentur*]. Continet autem ordo moralis, prout per gratiam Christi apparet in lege evangelica, omnia quibus homo indiget, ut simpliciter vel facilius vitam aeternam obtineat, scilicet praescripta, vetita, permissa, consilia: quae quidem Christus Dominus in duo illa maximi momenti mandata, nempe dilectionis Dei et proximi, veluti in compendium redegit.[10] Immo perficiens legem Veteris Testamenti mandato novo, quo fideles tamquam Christi veri nominis discipuli agnoscendi essent (cf. Io. 13, 34 et 15, 12), voluit ut iidem omnes homines, inimicis non exceptis (cf. Lc. 19, 18; Mt. 5, 43), diligerent et quidem ea dilectione, qua ipse dilexit nos. Hac autem caritate qua Deum amamus super omnia hominesque universos propter Deum, quemadmodum illud impletur, ut ipse Dominus testatur (cf. Mt. 5, 43-48), praeceptum divinum: « Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est » (Mt. 5, 48), ita pariter omnibus baptizatis demonstratur regalis et praecellens via ad perfectionem acquirendam. Insigne vero testimonium in laudem legis gratiae et caritatis est illa specialis acquiren-

[76] dae perfectionis christianae via, qua fideles a Deo vocati ad consiliorum evangelicorum observationem amplectendam, Christum pauperem, castum, ad mortem usque oboedientem, quam proxime sequi et quam maxime imitari conantur. Testatur igitur S. Synodus observationem consiliorum, a divino Conditore commendatorum, pretiosum esse Sponsae Christi decus atque ornamentum.[11]

6. [*Reprobantur errores*]. Gaudet S. Synodus ob magnum numerum filiorum Ecclesiae, qui in ordine morali legeque evangelica observandis, toto corde adhaerent Deo Filioque eius Unigenito; dolet quod multi, magis ex fragilitate quam ex pravitate, haud raro tamen non sine gravi culpa, legem divinam transgrediuntur. Summopere etiam horrescit animadvertens ubique terrarum propagari errores, quibus dilatatur via perditionis, clauditur porta salutis. Sunt qui negant Deum personalem, atque adeo legem naturalem privant suo fundamento; [12] sunt qui repudiando missionem Christi, reiiciunt legem evangelicam; [13] sunt qui ordinem moralem unice explicant principiis humanis innixi, ideoque eum spoliant genuina et ultima obligatione et sanctione; [14] sunt qui denegant in re morali intellectum certitudine re vera gaudere posse; [15] sunt qui asserunt legem moralem etiam in rebus fundamentalibus esse vicissitudinibus evolutionique obnoxiam; [16] sunt qui docent personam humanam esse tam excelsa dignitate praeditam, ut nulli legi a Deo vel ab Ecclesia sibi impositae, sit subiecta, vel ut legem christianam propriis viribus sine auxilio gratiae amplecti implereque valeat;[17] sunt qui statuunt legem moralem vigere non posse nisi ex conventione quae procedit vel a collectivitate vel a « totalitate »,[18] sive haec ut maior pars civium, sive ut Status, sive ut populus, sive ut stirps, sive ut natio, sive ut factio, sive ut classis consideretur socialis. Sunt etiam qui censeant legem moralem mere proficisci ex nuda, crassa, et bruta potestate, atque hanc suam ideologiam opere exsequuntur.[19] Qui omnes etsi inter se in pluribus discrepant, hoc tamen commune habent, ut suis placitis claudant portam regni caelorum, nec sinant alios introire (cf. Mt. 23, 13). Accedit quod error serpens versicolor est et capite multiplici praeditus; veritas autem, quae liberabit nos (cf. Io. 8, 32), est una, ut unus est Christus. Sed quod olim de semetipso testatus est Ecclesiae Conditor, id ipsum hodie Ecclesiae coram mundo profiteri potest: « Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis » (Io. 5, 43).

NOTAE [77]

[1] 1 Thess, 4, 3 non agit de sola castitate, sed de sanctitate in genere, ut patet ex versiculo sexto, ubi de dolo et fraude. Notat S. THOMAS in *Commentario* ad vers. 3: « Omnia praecepta Dei sunt ad hoc quod sitis sancti. Sanctitas enim dicit munditiem et firmitatem. Et omnia praecepta Dei inducunt ad ista, ut quis mundus sit a malo, et firmus in bono ».

Cf. etiam Lev. 11, 44: « Ego enim sum Dominus Deus vester: sancti estote, quia ego sanctus sum »;

Lev. 20, 7-8: « Sanctificamini et estote sancti, quia ego sum Dominus... qui sanctifico vos »;

Eph. 1, 4: « ... in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate »;

1 Petr. 1, 14-15: « ... quasi filii oboedientiae, non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis; sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum: et ipsi in omni conversatione sancti sitis: quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum »;

1 Io. 3, 3: « Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est »;

Io. 17, 17-19: « Sanctifica eos in veritate... Et pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate ».

[2] Cf. CONC. ARAUSIC. II, can. 23 *De voluntate Dei et hominis*: DENZ. 196.

[3] Cf. Rom. 6, 20 ss.: « Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae... Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam aeternam. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro »;

Col. 1, 13: « Qui eripuit nos de potestate tenebrarum »;

Io. 8, 31-36: « Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Responderunt ei: Semen Abraham sumus, et nemini servivimus umquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis? Respondit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati, servus autem non manet in domo in aeternum: filius autem manet in aeternum. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis »;

1 Io. 3, 7-8: « Qui facit iustitiam, iustus est; sicut et ille iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat »;

Rom. 6, 18: « Liberati autem a peccato, servi facti estis iustitiae »;

CONC. TRID., Sess. VI, Decr. *De iustific.*, c. 11: DENZ. 804;

CONC. MOGUNT. (a. 1549): MANSI 32, 1407 (*Doc. Eccl. Christ. Perf.*, n. 347);

S. THOMAS, *Summa Theol.* I-II, q. 108, a. 1, ad 2: « Quia igitur gratia Spiritus Sancti est sicut interior habitus nobis infusus inclinans nos ad recte operandum, facit nos libere operari ea quae conveniunt gratiae, et vitare ea quae gratiae repugnant ».

[4] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* I-II, q. 91, a. 1.

[5] Ps. 7, 12: « Deus iudex iustus, fortis, et patiens »; cf. Ps. 118;

[78] Act. 10, 42: « Et praecepit nobis praedicare populo, et testificari quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum »;

2 Tim. 4, 8: « In reliquo reposita est mihi corona iustitiae quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum eius »;

1 Thess. 4, 6: « ... Quoniam vindex est Dominus de his omnibus... »;

Rom. 12, 19: « ... Scriptum est enim: mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus »;

Mt. 25, 31-46, ubi de iudicio ultimo;

Apoc. (passim);

Videas quae in S. Scriptura de peccato, de peccatore, de iudicio, de Deo iudice, de remuneratione, etc. dicuntur.

Pius IX, Allocutio *Maxima quidem,* 9 iun. 1862: Acta I, vol. I, p. 454: « Quare hi turbulentissimi perversorum dogmatum cultores blaterant, morum leges divina haud egere sanctione, et minime opus esse, ut humanae leges ad naturae ius conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant, ac propterea asserunt, nullam divinam existere legem ».

[6] Conc. Vat., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 1: Denz. 1784: « Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, *attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter* (cf. Sap. 8, 1). " *Omnia* enim *nuda et aperta sunt oculis eius* " (Hebr. 4, 13), ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt »;

Pius XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: AAS 31 (1939) p. 423: « Haec naturalis lex veluti fundamento innititur Deo... eodemque et supremo perfectissimoque legum latore et sapientissimo iustissimoque humanarum actionum vindice » (Denz. 2279).

[7] Conc. Vat., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 2: Denz. 1786: « Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint »;

Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: Denz. 2305: « Quapropter divina " revelatio " moraliter necessaria dicenda est, ut ea, quae *in rebus religionis et morum* rationi per se impervia non sunt, in... ».

[8] Mt. 5, 17: « Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere »;

Pius XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: AAS 22 (1930) p. 58 (Denz. 2206): « ... supernaturalis ordo, in quo iura Ecclesiae nituntur, tantum abest, ut naturalem ordinem, ad quem alia pertinent, quae memoravimus, iura, destruat atque extenuet, ut, contra, eumdem extollat ac perficiat, quorum quidem ordinum alter auxilium et quasi complementum alteri praestat, suae cuiusque naturae ac dignitati consentaneum, cum ambo a Deo profluant, qui non constare sibi non potest... », coll. *Prima Romana Synodus,* 1960, art. 300, n. 1.

[9] Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis*: Denz. 2325: « Has quidem a veritate aberrationes deplorare supervacaneum esset, si omnes, etiam de rebus philosophicis, qua par est reverentia, ad Magisterium Ecclesiae animum intenderent, cuius profecto est, ex divina institutione, non solum

veritatis divinitus revelatae depositum custodire et interpretari, sed ipsis [78]
etiam philosophicis disciplinis invigilare, ne quid detrimenti ex placitis [79]
non rectis catholica patiantur dogmata »;

CONC. VAT., Sess. IV, Const. dogm. *De Eccl. Christi,* c. 4: DENZ. 1839;

CONC. VAT., Primum Schema Const. dogm. *De Eccl. Christi*: MANSI 51, 580.

[10] Mt. 22, 37; Mc. 12, 30; Lc. 10, 27 collato Deut. 6, 5.

[11] PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954: AAS 46 (1954) pp. 161-191.

[12] Iam PIUS IX, Allocutio *Maxima quidem,* 9 iunii 1862: Acta I, vol. I, pp. 451 s. et. 454, deinde: « Atque eo opinandi temeritate progrediuntur, ut omnem veritatem, omnemque legem, potestatem et ius divinae originis audacissime denegare non metuant. At vero eo impietatis et impudentiae deveniunt, ut caelum petere, ac Deum ipsum de medio tollere conentur. Insigni enim improbitate ac pari stultitia haud timent asserere, nullum supremum sapientissimum providentissimumque Numen divinum exsistere ab hac rerum universitate distinctum... »; cf. supra notam 5;

Idem, Litt. Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: DENZ. 1691;

Syllabus, propp. 3, 56, 58: DENZ. 1703, 1756, 1758.

[13] Iam antea PIUS IX, Allocutio *Maxima quidem*: loc. cit., p. 453: « Summa praeterea impudentia asserere non dubitant, divinam revelationem non solum nihil prodesse, verum etiam nocere hominis perfectioni... »;

Syllabus, propp. 6, 57: DENZ. 1706, 1757.

[14] Cf. supra notas 12 et 13;

PIUS IX, Allocutio *Maxima quidem*: loc. cit., p. 454: « ... affirmant, humanam rationem, nullo prorsus Dei respectu habito, unicum esse veri et falsi, boni et mali arbitrium, eademque rationem sibi ipsi esse legem »;

Syllabus, prop. 56: DENZ. 1756.

[15] PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2320-2321.

[16] Ibid.: DENZ. 2306.

[17] PIUS IX, Litt. Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: DENZ. 1690;

PIUS XII, Allocutio 10 apr. 1958: AAS 50 (1958) pp. 268 ss.

[18] PIUS IX, Litt. Encycl. *Quanta cura*: DENZ. 1691.

Syllabus, prop. 39: DENZ. 1739.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Redemptoris,* 19 martii 1937: AAS 29 (1937) pp. 65-106; Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 martii 1937: AAS 29 (1937) pp. 145-167;

PIUS XII, Allocutio 13 sept. 1952: AAS 44 (1952) pp. 779-789; Allocutio 30 sept. 1954: AAS 46 (1954) pp. 587-598, praesertim pp. 590 ss.

[19] PIUS IX, Litt. Encycl. *Maxima quidem*: « ... nihil dubitant in veri legitimique iuris locum substituere falsa ac mentita virium iura, ac morum ordinem rerum materialium ordini subiicere... »;

Syllabus, prop. 59-61: DENZ. 1759-1761;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Firmissimam constantiam,* 28 martii 1937: DENZ. 2278.

[80]

CAPUT II
DE CONSCIENTIA CHRISTIANA

7. [*Conscientiae notio*]. Ordo moralis christianus, de quo fideles rationis et revelationis ope edocentur, eosdem dirigit et ducit in iudiciis practicis de honestate suarum actionum per singulorum conscientiam, quippe quae si recte sit efformata, momento electionis ipsis patefacit, quid secundum Dei voluntatem iudicandum et agendum sit.[1] Cum autem Dei voluntas nobis clarius appareat per doctrinam Christi et magisterium Ecclesiae, sub Spiritus Sancti illustratione, conscientia veluti praeco Dei, Christi et Ecclesiae constituitur.[2] Ac praeterea, cum tota christifidelium vita, ad mores quod spectat, conscientiae singulorum subsit, eiusque dictamine regatur ac ducatur, ad conscientiam quoque accommodari possunt quae Christus asserit: « Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit » (Lc. 11, 34).

8. [*De conscientia recte efformanda*]. Pariter ad conscientiam accommodari licet verba Christi, quae sequuntur: « Si (oculus) autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit: Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebrae sint » (Lc. 11, 34-35). Quae quidem verba manifestant quam gravis sit causa cur in recte efformanda conscientia sedula habenda sit diligentia: etenim absque recta conscientiae efformatione, rectitudo vitae haberi nequit. Curandum autem imprimis est ut conscientia sit recta seu prudenter efformata, seria, sincera et vera. Vera autem non erit propterea quod efformetur ad singulorum placitum personalemque persuasionem, quantumvis seriam et sinceram: sed quia concordat cum normis a Deo constitutis, prout reapse sunt, ideoque Dei voluntatem nobis patefacit voluntate, doctrina, vita Christi clare expressam.[3] In efformanda igitur conscientia homo non est autonomus, sed voluntati Dei subiectus: nec quisquam audeat dicere voluntatem Dei placitis hominum esse aptandam, cum e contra homo adaptandus sit Deo.[4]

9. [*De conscientia erronea*]. Principium fundamentale, quod

statuit normam efformandae conscientiae esse ordinem moralem [81] obiectivum, non autem persuasionem mere subiectivam, minime derelinquitur in casu conscientiae male efformatae. Errare etenim etiam christifidelis potest in efformanda conscientia; at dictamen conscientiae erroneae non mutat, ne respectu quidem ipsius errantis, ordinem moralem obiectivum, sicut etiam non solvit vinculum quo errans huic ordini adstringitur, etiamsi forsitan inculpabiliter secundum falsum dictamen conscientiae errorem exsequatur. Minime igitur in casu erroris bona fide commissi, homo sibi in foro conscientiae fit fons atque norma moralitatis. Immo quod homo conscientiam suam erroneam non solum sequi potest sed etiam debet, hoc non ex subiectiva persuasione oritur, sed ex ipso ordine obiectivo, quo graviter prohibetur voluntas peccandi, quam demonstrat homo eo ipso, quod conscientiam suam, etiam erroneam, sequi renuit. Quare de conscientia agens dicit Apostolus: « Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est » (Rom. 14, 23). Tanta igitur est ordinis obiectivi utcumque apprehensi in conscientia vis et valor. Qui igitur bona fide circa honestatem obiectivam errat, tamdiu a culpa alienus manet, quamdiu persuasio illa sine culpa perdurat. Cum vero talis inculpabilis error haberi nequeat sine aliquo damno ipsius errantis vel communitatis, immo cum tale damnum aliquando notabile esse possit, christiani erga formationem rectae conscientiae aliorum se indifferenter habere non possunt.[5]

10. [*De pseudoconscientia autonoma*]. Cum ne conscientia quidem bona fide erronea subiectionem illam tollat qua conscientia legibus in ordine obiectivo contentis subordinatur, multo minus illam tollere valet eorum impium tentamen, qui semetipsos scienter et volenter subtrahere conantur huic ordini obiectivo, inepte provocando ad propriae conscientiae ius, libertatem, dignitatem.[6] Tale enim ius, talis libertas, talis dignitas neque in humana natura exsistunt, neque in homine ut persona est: etsi contrariam sententiam plures, falsis principiis et ideologiis ducti, non sine animarum gravi damno contendunt.[7] Vera autem libertas filiorum Dei et vera personae creatae dignitas non habentur nisi in libera dependentia a Deo.

11. [*Conscientia signata Christi veritate et caritate*]. Monet tandem S. Synodus, ut in conscientia dirigenda non solum veritas, sed etiam caritas christiana prae oculis habeatur: scientia

[82] enim absque caritate, teste Apostolo (cf. 1 Cor. 8, 1), inflat, non vero aedificat. Quare, postquam omnibus viribus adnisi sumus, ut fratres sui erroris conscii fiant, non solum cum caritate iudicium ferre debemus de iis qui bona fide errant et legem Dei transgrediuntur, sed etiam eorum nobis ratio habenda est, qui erronee ibi peccatum vident, ubi peccatum non est; ne forsan iis scandalo simus, exemplo nostro eos conducentes ad ea quae erronee peccatum existimant.[8] Vera enim caritas exigit, ut cum fratres de errore convincere omnino nequimus, semper, salvis utique iuribus veritatis, iustitiae et boni communis, omnia ea omittamus, quibus lucriferi nequeant Christo, qui propter eos quoque mortuus est. Genuina conscientia christiana signetur oportet Christi veritate et caritate.

NOTAE

[1] Cf. Gen. 3, 7-10; 4, 12 ss.; 2 Sam. 24, 10; Ps. 25, 1-7; Sap. 12, 18; Iob. 27, 6; Mc. 9, 44, 46, 48; Rom. 2, 15: Gentes « qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum... »; Rom. 13, 5: « Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam »; Rom. 14, 20-23; 1 Cor. 8, 7-12; 1 Tim. 1, 5: « Finis autem praecepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta »; 1 Tim. 3, 9; Act. 24, 16: « In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, et ad homines semper »;

Pius XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 martii 1952: AAS 44 (1952) pp. 270-278; *Allocutio* 18 apr. 1952: AAS 44 (1952) pp. 413-419.

[2] Pius XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 martii 1952: l. c., pp. 272-275; *Allocutio* 18 apr. 1952: l. c., pp. 418 ss.

[3] Pius XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 martii 1952: l. c., pp. 272-276; *Allocutio* 18 apr. 1952: l. c., pp. 418 s.

[4] Gregorius XVI, Litt. Encycl. *Mirari vos,* 15 aug. 1832: Denz. 1613: « Atque ex hoc putidissimo indifferentismi fonte absurda illa fluit ac erronea sententia seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet libertatem conscientiae »;

Pius IX, Allocutio *Maxima quidem,* 9 iunii 1862: Act. I, vol. I, p. 454: « ... homini quoddam veluti primarium ius tribuunt, ex quo possit libere de religione cogitare et loqui, eumque Deo honorem et cultum exhibere, quem pro suo libito meliorem existimat »;

Syllabus, prop. 15: Denz. 1715;

Leo XIII, Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: ASS 20 (1887) pp. 608-609.

[5] Rom. 14, 22 s.: « Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo. Beatus, qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem

quod non est ex fide, peccatum est »; Io. 9, 41: « Numquid et nos caeci [83]
sumus? Dixit eis Iesus: Si caeci essetis, non haberetis peccatum, nunc vero dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet »; Io. 15, 22: « Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo »;

ALEXANDER VIII: Decr. S. C. S. OFFICII, 7 dec. 1690, *Errores Iansenistarum,* prop. 2: DENZ. 1292: « Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali »;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: DENZ. 1875: « Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet, ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia quod sapienter Augustinus monet: " Credere non potest (homo) nisi volens " »;

PIUS IX, Allocutio *Singulari quadam,* 9 dec. 1854: DENZ. 1647: « ... sed tamen pro certo pariter habendum est; qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini »;

PIUS IX, Litt. Encycl. *Quanto conficiamur moerore,* 10 aug. 1863; DENZ. 1677: « Notum Nobis vobisque est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo oboedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur, quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat ».

[6] Cf. supra notam 1: PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus* necnon *Allocutio* ibidem citata;

PIUS IX, cf. supra notam 4; GREGORIUS XVI, *ibid.*

[7] INNOCENTIUS XI: Decr. S. C. S. OFFICII, 4 martii 1679, *Errores varii de re morali,* prop. 4: DENZ. 1154: « Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili ».

[8] 1 Cor. 8, 12-13: « Sic peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem ».

[84]

Caput III

DE SUBIECTIVISMO ET RELATIVISMO ETHICO

12. [*Lex evangelica et conditiones individuales*]. Fundamentales Legis evangelicae obligationes partim iam in ipsa natura humana immutabili innituntur, partim vero, quatenus nempe excedunt obligationes Legis naturalis, inhaerent in indole propria ordinis supernaturalis, a divino Redemptore constituti, qua de causa illae obligationes valent, ubicumque et quibusvis in conditionibus homo christianus versetur.[1] Quamvis igitur humana actio necessario sit singularis, temporisque ac locorum adiunctis subiecta, tamen ipsa indoles Legis evangelicae postulat, ut per hanc Legem singulis conscientiis imperetur, quid in singulis casibus et in variis circumstantiis decernere debeant.[2] Numquam ergo, si quid divinus Legislator imperaverit aut interdixerit, illud in deliberatione poni poterit, sed semper vim habent verba a primaevis martyribus prolata: « In re tam iusta nulla est consultatio ».[3] Quodsi in casu particulari, norma universalis applicanda rerum temporumque adiuncta transcendens, qua diiudicetur actionis honestas, non clare appareat, prudentiae virtus est maxime necessaria; [4] haec enim virtus non tantum universalia sed etiam particularia considerat, ut ex accurata et diligenti consideratione finis atque mediorum, quid in casu liceat vel non, statuatur.

13. [*Necessaria cognitio individualium*]. Haec autem diligens rerum inquisitio postulat ut conscientia recte efformetur non circa legem evangelicam dumtaxat eiusque obligationes, sed etiam circa ea, quae singulorum hominum sunt propria.[5] Attamen pro certo habeant fideles hanc individualem diversitatem, quae ex diverso sexu et aetate proficiscitur et ex vario loco, quem singuli in Christi Corpore mystico occupant, inter certos iustosque limites circumscribi, nec secum ferre in natura humana discrepantiam: secus enim Iesus Christus per Ecclesiam suam Dominus, Caput, Magister uniuscuiusque hominis, aetatis et conditionis esse non posset, nec virtutum omnium pro omnibus exemplar altissimum exstaret.

14. [*Effata falsa*]. Caveant igitur christifideles a falsis effatis quae hodie nimium vulgantur. Ex his aliquod statuit actum conscientiae non esse proprie loquendo dictamen sed habendum esse ut conclusionem intimi et immediati dialogi cum Deo, cui colloquio nulla externa lex, nulla auctoritas, nulla confessio religiosa sese interponere possit.[6] Aliud autem, falsam statuens oppositionem inter Deum Patrem et Deum legislatorem, suggerit, potius audiendam esse Patris vocem quam Legislatoris praecepta, ideoque ultimam agendi rationem non esse ordinem obiectivum rectum,[7] sed intimum uniuscuiusque sensum, quo quis in singulis rerum adiunctis sciat, quid sibi agendum sit, seu potius quid agi a Deo non postuletur. Quam perniciosa sint animorum saluti huiusmodi dicta, ex eorum fructibus cognoscere possumus, ut Salvator nos docet; ex praetextu enim servandi sinceritatem erga semetipsum et coram Deo, deducitur licitum esse ea perficere quae graviter atque universaliter prohibentur, ut sunt catholicam fidem cum alia commutare, divortium attentare, abortum procurare,[8] auctoritati legitime iubenti oboedientiam recusare, suicidium directe committere. Ne igitur sinant fideles se decipi per philosophiam in sublimitate quidem sermonis, sed inani fallacia (cf. Col. 2, 4-8). Pater, qui revera filios amat, praecipit ut mala in omni casu caveantur. Nec minus perniciosum est aliud quoque effatum, quod affirmat Deum scrutatorem et iudicem conscientiarum unice ad intentionem attendere et ad habitudinem fundamentalem, qua quis generatim loquendo a Dei offensione abhorreat. Ipsa enim intentio hominis non est recta, si quis negligat investigare et implere divinam voluntatem mandatis Dei expressam, opusque bonum perficere a Deo requisitum. Secus enim homo per opera sua bona vel prava, nec melior nec peior fieret,[9] omniaque essent bona, dummodo « intentio amoris » vel « habitudo generaliter bona » retineretur. Ex hac agendi ratione oritur vir ille duplex animo, inconstans in omnibus viis suis, de quo loquitur Iacobus Apostolus (cf. Iac. 1, 8). « Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic, teste eodem Apostolo, beatus in facto suo erit » (Ibid. 1, 25). [85]

15. [*Falsum effatum de amore utpote unico criterio moralitatis*]. Sunt tandem qui amorem ita faciunt unicum criterium moralitatis normamque eius unicam, ut alias virtutes parvipen-

[86] dant. Reapse divina caritas, qua iusti Deum super omnia diligunt et proximum propter Deum, fide, spe ceterisque virtutibus « maior » est (cf. 1 Cor. 13, 13): attamen nec has nec illas virtutes tollit, sed ita eas nutrit et fovet, ut perveniamus « in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (Eph. 4, 13). Monet igitur S. Concilium, ut omnes christifidelium actiones « in caritate fiant » (1 Cor. 16, 14). Ne tamen iidem falso exinde aestiment, ex solius caritatis motivo hominem « modo christiano agere », ceterasque virtutes esse parvipendendas, quasi Deus nonnisi actum explicitum caritatis coronaret. Nam iustorum actus ex alio motivo vel impulsu honesto immediate procedentes modo condigno augmentum gratiae et gloriae merentur, non tamen sine ipsa caritate.[10] Pariter cavendum est, ne simplices, ex effato illo: « Ama et fac quod vis » male intellecto, falso putent nonnisi unum praeceptum, videlicet: « Diliges » in christiana vita esse retinendum. Talis enim vita ad incertum quemdam amoris affectum reducitur, neglecta omnino praeceptorum observantia, contradicente ipso Domino, qui asseruit: « Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata » (Mt. 19, 17), et alibi: « Qui habet mandata mea et servat ea: ille est qui diligit me » (Io. 14, 21).

NOTAE

[1] Conc. Trid., Sess. VI, Decr. *De iustif.*, c. 11: Denz. 804: « Nemo autem, quantumvis iustificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet »; *ibid.* can. 20: Denz. 830: « Si quis hominem iustificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum ad credendum...; A. S. »;

Pius XII, *Allocutio* 18 apr. 1952: AAS 44 (1952) p. 417: « On demandera comment la loi morale, qui est universelle, peut suffire, et même être contraignante dans un cas singulier, lequel en sa situation concrète est toujours unique et d'" une fois ". Elle le peut et elle le fait, parce que justement à cause de son universalité la loi morale comprend nécessairement et " intentionnellement " tous les cas particuliers, dans lesquels ses concepts se vérifient... »;

Instr. S. C. S. Officii 2 febr. 1956: AAS 48 (1956) pp. 144-145.

[2] Pius XII, *Allocutio* cit., *ibid.*, pp. 414 s.

[3] Acta Proconsularia S. Cypriani, n. 3: Kirch, *Enchir.* n. 303;

Passio Martyrum Scillitanorum, *ibid.* n. 72: « In re tam iusta nulla est deliberatio »;

S. Ignatius Loyol., *Exerc. Spirit.*: De tribus humilitatis modis.

[4] Pius XII, *Allocutio* cit., *ibid.*, p. 418: « Là où il n'y a pas de normes absolument obligatoires, indépendantes de toute circonstance ou éventualité, la situation d'" une fois " en son unicité requiert, il est vrai,

un examen attentif pour décider quelles sont les normes à appliquer et en quelle manière. La morale catholique a toujours et abondamment traité ce problème de la formation de la propre conscience avec examen préalable des circonstances du cas à décider. Tout ce qu'elle enseigne offre une aide précieuse aux déterminations de conscience, tant théoriques que pratiques. Qu'il suffise de citer les exposés, non dépassés, de S. Thomas sur la vertu cardinale de prudence et les vertus qui s'y rattachent » (S. Thomas, *Summa Theol.* II-II, q. 47-57). [87]

[5] Pius XII, *Allocutio* cit., *ibid.,* p. 418: « L'éducation chrétienne de la conscience est bien loin de négliger la personnalité, même celle de la jeune fille et de l'enfant, et de juguler son initiative... ».

[6] Pius XII, *Allocutio* cit., *ibid.,* pp. 415 s.

[7] S. C. S. Officii, Instr. 2 febr. 1956: AAS 48 (1956) p. 144.

[8] Pius XII, *Allocutio* cit., *ibid.,* pp. 416-417.

[9] Conc. Senonen., prop. 13: « Quod propter opera nec melior nec peior efficiatur homo » (Denz. 380).

[10] Clemens XI, Const. dogm. *Unigenitus,* 8 sept. 1713, propp. 53-56: Denz. 1403-1406:

« 53. Sola caritas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum et Iesum Christum.

54. Sola caritas est, quae Deo loquitur; eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat nisi caritatem: qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat nisi caritatem: quoniam caritas sola Deum honorat ».

Caput IV [88]

DE PECCATO

16. [*Quo sensu regnum peccati sit destructum*]. Dominus Noster Iesus Christus piissima morte sua regnum sive peccati sive mortis destruxit: et quoscumque Spiritu baptizavit, vere liberavit a dominio peccati, si ipsi Spiritu ambulent, quemadmodum Apostolus testatus est: « lex enim spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis » (Rom. 8, 2). Nihilominus, quamdiu in terris peregrinamur, a Fonte vitae recedere possumus per peccatum quod est transgressio legis, iniquitas (cf. 1 Io. 3, 4) et iniuria Deo illata.[1] Dum autem peccato mortali amicitia inter Deum et homines destruitur et homo iterum fit filius irae (cf. Eph. 2, 3),[2] per peccatum veniale, in quod, teste Synodo Tridentina, frequentius labimur, caritatis fervor refrigescit, immo nonnumquam, maxime si iteratur, anima ad mortale peccatum disponitur.[3]

[88] 17. [*Peccatum mortale cum et ex contemptu*]. Ne autem quis in errorem incidat cum detrimento animae suae immortalis, Sacra Synodus docet peccatum mortale haberi posse, etiam si homo Deum explicite contemnere renuat nec Deum odio habeat: si videlicet amplectatur plena advertentia plenoque consensu quod amicitiae divinae omnino repugnet, et si deserat media, quae ad verum finem consequendum per se et absolute necessaria sunt. Non igitur ad idem redit peccatum cum contemptu et ex contemptu Dei. Extremum talis malitiae hoc est, ut hominem similem reddat diabolo: at negari nequit etiam peccata gravia, quae non ex tali contemptu procedunt, natura sua fieri cum contemptu legislatoris, ideoque eius amicitiam dissolvere.[4]

18. [*Peccata ex debilitate*]. Offendit igitur graviter doctrinam Ecclesiae, qui dicat omne peccatum sub influxu sensibilium virium hominis patratum, semper esse peccatum tantum veniale.[5] Nec tolerari potest eorum opinio qui asserunt peccatum grave, quod formale appellant, haberi non posse nisi in eo, qui liber ab omni influxu affectuum, scienter renuat deponere malam con- [89] suetudinem, qua culpabiliter laborat.[6] Haec si essent vera, vix aliquando contingeret peccatum mortale, formale et imputabile: quod quidem aperte repugnat praxi Ecclesiae et Spiritui quo illa regitur. Ecclesia enim tamquam reapse lapsos et gravi peccato detentos eos semper habuit, qui persecutionis tempore Christum ob timorem tormentorum negaverunt. Et ipse S. Petrus culpam suam amare deflevit (cf. Mt. 26, 75; Lc. 22, 62).[7]

19. [*Falsae theoriae psychologicae*]. Licet peccatum grave generet mortem (cf. Iac. 1, 15) eoque nihil sit detestabilius, tamen conscientiae remorsus et peccati conscientia sunt magna Dei dona, peccatoribus concessa, ut a via mala recedant et ad fontem divinae misericordiae revertantur. Misericordiae igitur divinae iniuriosum est nullum discrimen ponere inter haec dona salutaria et scrupulosam illam anxietatem aut illos status mere psychicos, qui ex conflictu quodam in conscientia profluere dicuntur.[8] Nec conscientiae remorsus sunt mere effectus insatisfactionis seu, ut aiunt, frustrationis, in via peccati et mali.[9]

20. [*De profectu christifidelis in via iustitiae*]. Ad vitam christianam ita fructuose agendam, ut Christi optatis respondeat, satis non est peccata imprimis letalia vitare, ac si doctrina evan-

gelica indolis esset prorsus negativae, seu mere « ethica actionum prohibitarum », ut aiunt. [89] Etenim omnino necesse est ut « in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus » (Eph. 4, 15). Caritatis autem fervori atque incremento peculiari modo opponuntur peccata illa, quae leviora, quotidiana, venialia dicuntur. Haec etiam, quantum sinit humana fragilitas,[10] christianus vitare debet, ea praesertim quae sunt plene deliberata. Ad vitanda autem venialia, et ad alacriorem quotidie in virtutum semita progressum, maxime commendatum vult Sacrosancta Synodus pium illum non sine Spiritus Sancti instinctu ab Ecclesia invectum crebrae confessionis usum, quo recta sui ipsius cognitio augetur, christiana crescit humilitas, morum eradicatur pravitas, spirituali negligentiae torporique obsistitur, conscientia purificatur, roboratur voluntas, salutaris animarum moderatio procuratur, atque ipsius sacramenti vi augetur gratia.[11]

21. [*Magnum poenitentiae officium*]. Sacra Scriptura testante, militia est vita hominis super terram (cf. Iob. 7, 1).[12] Summa autem militiae christianae est non indulgere corruptis saeculi moribus, immo iisdem constanter repugnare atque resi- [90] stere. Quapropter videant fideles, quantopere sit a professione christiani nominis alienum, prosequi, uti saepe fit, cuiuslibet modi voluptates, horrere virtutis labores, nihilque recusare sibi, quod sensibus suaviter delicateque blandiatur. « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis » (Gal. 5, 24). Itaque non consilium, sed officium est, quod non ad eos dumtaxat pertinet, qui perfectius vitae optaverint genus, sed plane ad omnes, ex virtute Christi pro nobis flagellati, spinis coronati, crucifixi, mortificationem Iesu in corporibus nostris circumferre, ut vita ipsius in nobis manifestetur (cf. 2 Cor. 4, 10-11).[13] Qui autem Deo piacula offert pro peccato, is eo ipso profitetur sanctas esse supremas morum leges, earumque obligandi vim agnoscit atque ius Dei animadvertendi in violatores. Poenitentiae virtus igitur salutare armorum est genus, quibus utuntur strenui Christi milites, parati ad universum morum ordinem defendendum et, ubi opus sit, restaurandum. Quod si christianus divinae legis studio atque fraterno amore reapse flagrat, is non modo suis per poenitentiam peccatis luendis operam dabit, sed etiam aliena peccata in se suscipiet poenitentiae operibus expianda.[14]

[90] 22. [*Errores reprobantur*]. Graviter igitur aberrant, qui ex falso quietismo vel naturalismo vel aliunde, christianam poenitentiam parvipendunt; [15] iniuria autem Ecclesiam et ipsum Christum afficiunt, qui poenitentiam describunt veluti secretum odium carnis, quod olim proprium erat Manichaeorum, vel perversum appetitum doloris, propter se delectabiliter quaesitum.

NOTAE

[1] 1 Io. 3, 4: « Omnis, qui facit peccatum, et iniquitatem facit: et peccatum est iniquitas »; 1 Io. 5, 17: « Omnis iniquitas peccatum est »; 1 Io. 1, 8: « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus »; Iac. 3, 2: « In multis enim offendimus omnes ».

[2] Io. 19, 11; 1 Cor. 6, 9-10; Gal. 5, 19-21; Eph. 5, 5; Iac. 1, 14-15;
Conc. Trid., Sess. VI. Decr. *De iustif.*, c. 14-15: Denz. 807-808; *ibid.*, can. 23, 27-29: Denz. 833, 837-839; *ibid.*, Sess. XIV, Doctr. *De sacr. poenit.*, c. 1 et 5: Denz. 894, 899;
S. C. S. Officii Decr., 24 aug. 1960, prop. 2: Denz. 1290.

[3] Io. 19, 11; Iac. 3, 2;
Conc. Carthag. (XVI), can. 6-7: Denz. 106-107;
[91] Leo X, Bulla *Exsurge Domine,* 15 iun. 1520, prop. 8: Denz. 748; Conc. Trid., Sess. VI, Decr. *De iustif.*, c. 11: Denz. 804; *ibid.,* can. 23: Denz. 833; *ibid.*, Sess. XIV, Doctr. *De sacr. poenit.,* c. 5: Denz. 899; *ibid.,* can. 7: Denz. 917;
Pius VI, Const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, prop. 39: Denz. 1539; CIC can. 902.

[4] Cf. infra notam 7.

[5] 1 Cor. 6, 9-10; Gal. 5, 19-21; Eph. 5, 5;
Pius XII, *Allocutio,* 22 febr. 1944: AAS 36 (1944) pp. 73 s.

[6] Pius XII, *Allocutio,* 23 martii 1952: AAS 44 (1952) p. 275.

[7] S. Thomas, *Comm. in Matth.* 26, 75: « Item notandum, quod inveniuntur quaedam scripta, quae videntur excusare Petrum, quod non peccavit mortaliter, quia dicit Bernardus: " Sopita fuit in eo caritas, non extincta ". Dicendum quod mortaliter peccavit, non tamen fuit ex malitia, sed timore mortis. Et hoc voluit dicere Bernardus quod sopita fuit »; coll. II-II, q. 24, a. 12, ad 2: « Ad secundum dicendum quod caritas amittitur dupliciter. Uno modo directe, per actualem contemptum. Et hoc modo Petrus caritatem non amisit. Alio modo, indirecte: quando committitur aliquod contrarium caritati propter aliquam passionem concupiscentiae vel timoris. Et hoc modo Petrus contra caritatem faciens, caritatem amisit: sed eam cito recuperavit ».

[8] Inde saepius neuroses.

[9] Sic secundum falsas theorias psychoanalyticas.

[10] Conc. Trid., Sess. XIV, Doctr. *De sacr. poenit.,* c. 5: Denz. 899.

[11] Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: AAS 35 (1943) p. 235.

[12] Vide Rom. 13, 12; 2 Cor. 10, 4; Eph. 6, 10-20 coll. Mt. 10, 34-39. [91]

[13] Cf. LEO XIII, Epist. *Exeunte iam anno,* 25 dec. 1888: ASS 21 (1888) p. 328.

[14] PIUS XI, Litt. Encycl. *Caritate Christi compulsi,* 3 maii 1932: AAS 24 (1932) p. 190.

[15] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: AAS 35 (1943) pp. 234-325, coll. p. 245.

CAPUT V [92]

DE NATURALI ET SUPERNATURALI DIGNITATE PERSONAE HUMANAE

23. [*Homo factus ad imaginem Dei*]. Humanae personae dignitas in eo sita est, quod homo ad imaginem et similitudinem Dei factus, et natura sua immediate ad Creatorem ordinatus, rationis lumen, liberae electionis potestatem, amoris flammam, rerumque corporalium dominium a Deo accepit.[1] Immo consors divinae naturae (cf. 2 Petr. 1, 4) factus, vocatur ad eam participationem filiationis divinae Christi, qua et nos filii Dei nominamur et sumus (cf. 1 Io. 3, 1). Haec autem humanae personae dignitas [2] cum verbo Dei proclamatur, tum legibus ecclesiasticis munitur, et non pure splendet nisi in iis, qui fide, spe et caritate atque filiali oboedientia Deo Deique legatis sese subiiciunt. Deo enim servire regnare est.[3]

24. [*Arbitrii libertas vindicatur*]. Arbitrii libertatem Ecclesia catholica inde a suis exordiis contra paganos atque Gnosticos firmiter vindicavit,[4] nec minus firmiter sese opposuit libertati illi, quam Apostolorum Princeps « malitiae libertatem » appellavit (cf. 1 Pt. 2, 16), utpote quae secumferret pravum atque effrenum usum doni pretiosi libertatis. Veram autem libertatem peccati originis labe minime exstinctam eadem Ecclesia sollemni iudicio Tridentinae Synodi declaravit.[5] Et licet a multis quoque coaevis nostris extra Ecclesiae septa degentibus magni habeatur,[6] tamen haud minor hodie urget necessitas eam defendendi. Propagantur enim sententiae prorsus repudiandae, quibus docetur sive immania hodiernae vitae adiuncta, sive passionum affectuumque vim, sive ingentem influxum modernae propagationis ideologicae in mentem et in affectus hominis, sive praesertim passim

[92] atque in dies invalescentes morbos psychopathicos, eiusmodi esse, ut plerique in hodiernis conditionibus non tantum censendi sint deminutae libertatis, sed plane incapaces ponendi actum vere liberum: ideoque rarissime hodie inveniri homines qui reapse adulti in ordine morali dici possint. Neminem latet per huiusmodi effata non solum evanescere humanam libertatem, sed cum eadem etiam meritum ac demeritum, moralem et iuridicam
[93] responsabilitatem, ideoque christianae vitae possibilitatem necessario pessumdari. Facta et causas, ex quibus erronee procedunt praedictae sententiae, dolet pia Mater Ecclesia, et pro suis viribus remedia afferre contendit, vehementer exoptans, ut theologiae pastoralis cultores una cum peritis in disciplinis quae ad medicinam, psychologiam, rem socialem spectant, coniunctis viribus adlaborent ad malorum causas melius perspiciendas aptisque remediis removendas. Immo nec ignorat eadem Mater Ecclesia sententias illas ex zelo quodam incauto exoriri: sublata videlicet responsabilitate, tolli quoque offensionem formalem Dei et vitae aeternae periculum. At iam Apostolus (cf. Rom. 10, 2) reprehendit zelum, qui non sit secundum scientiam. Praeterea animadvertendum est, aliud esse libertatem minui, et aliud eam tolli; hac sublata homo privatur sua dignitate, Dei autem gloria obscuratur.

25. [*Defensio dignitatis humanae contra artificia falsa*]. Ad libertatem humanam tuendam, providet quoque Sancta Ecclesia, ut quaecumque eidem repugnant, a praxi morum arceantur. Etiam iis, qui publica vel iudiciaria potestate potiuntur vel iudiciorum instructioni praesunt, numquam licet adhibere sive per se sive per alios media physica, chimica, psychica, quae iuri naturali personae humanae opponuntur, ad corporis mentisque integritatem retinendam.[7] Insuper nemini licet semetipsum inconditionate et indiscriminatim psychiatricis clinicis subiicere, neve iis medicis se tradere, qui aegrotis consulant ut rebus utantur, quae praeceptis catholicis obstent.[8]

26. [*Scientia, artes liberales, technica*]. Dignitas personae humanae modo prorsus singulari elucet non solum in filiatione divina consortioque divinae naturae, verum etiam in eo, quod a Deo homo constitutus est supra opera manuum suarum, adeoque Angelis paulo minor sit dicendus, ut ait Psalmista (cf. Ps. 8, 6-7). Quare cum gaudio Sacra Synodus probe novit, Ecclesiam de

scientia et artibus liberalibus semper alte et gratulanter cogitavisse, [93] non solum quia multopere inserviunt gloriae Dei et saluti animorum provehendis, sed etiam quia eaedem suapte natura sunt adumbratio quaedam divinae scientiae et pulchritudinis. Pariter disciplinas exactas, quae dicuntur, et artes technicas magni aestimat. Cum enim Deus initio homini mandatum impertitus sit ut rebus creatis dominaretur (cf. Sap. 9, 2 coll. Gen. 1, 28-30), per se laudanda sunt tentamina, quibus homines naturae secreta [94] perscrutantur, et ingentes naturae vires in bonum humanitatis convertere magis magisque contendunt.[9] Ex hac investigatione multa commoda ad vitae humanae profectum gignuntur, atque technicae disciplinae, si recte pertractentur, ad Deum iuvante gratia perducere possunt; [10] immo ad ipsam doctrinae christianae diffusionem et gloriam Dei augendam inservire possunt ac debent. Quare omnibus viribus conandum est, ne ea quae Deus ad suam gloriam hominumque felicitatem temporalem destinavit, deturpentur per superbiam humanam, quae id efficit ut proprio hominum ingenio tribuantur, quae sunt tribuenda Deo, et inserviant errori depravatisque humanae naturae passionibus: quae quidem passiones, si rectae rationi subsint, conferunt homini, ut in veritatis et honestatis via multum proficiat.

27. [*Progressus technicus et Regnum Dei*]. Impium quoque et fidei contrarium est asserere, permagnum culturae humanae incrementum per disciplinas exactas artesque technicas obtinendum idem esse ac propagationem Regni Dei in terris. Nam cultura hominum profana, quamvis excelsa, non constituit Regnum Dei terrestre, sed huic regno modo suo inservire debet. Immo cultura illa prout crescit secundum vel contra legem evangelicam, ita pariter Regni Dei incremento vel detrimento inservire potest. Suo autem modo ei inserviat omnino oportet. Nam quamvis omnia sunt Christi et Dei, omniaque in Christo instauranda (cf. Eph. 1, 10), non tamen eodem modo. Nam res sacrae, ut gratia qua « divinae consortes naturae » efficimur (cf. 2 Petr. 1, 4), Sacramenta et alia huiusmodi, plene et immediate respiciunt vitam aeternam, ad quam vocati sumus; res vero profanae non immediate ad regnum Dei, ad vitam gratiae et gloriae, ordinantur, sed ab homine iusto ad illa referri possunt ac debent, immo Regno Dei suo modo subservire debent.

28. [*Progressus technicus et progressus religioso-moralis*].

[94] Omnino a mente Ecclesiae alienum est dicere Christianos ob spem et amorem rerum aeternarum temporalia bona aestimare non posse, ut oportet, et falso quodam indifferentismo laborare ad mala physica, dolores, famem bellumque quod spectat.[11] E contra Ecclesia semper docuit gratiam supponere naturam, ac generatim se munus suum supernaturale ibi fructuose implere non posse ubi desint conditiones sociales, quae reapse respondeant dignitati
[95] hominis ad imaginem Dei creati. Ex altera parte verum non est, technicarum artium, disciplinarum exactarum et humanae culturae progressus, suapte natura inferre parem progressum etiam in campo morali et religioso. Triplici enim malae concupiscentiae, de qua S. Ioannes Apostolus (cf. 1 Io. 2, 16), tribuendum est, si ea quae inservire debent regno Dei, e contra faveant eius adversariis. Quo fit ut multi potius ab homine quam a Deo et Christo salutem expectent; immo inter christifideles non desunt, qui potius terrena sapiant et terrena sperent quam Salvatorem Dominum nostrum Iesum Christum (cf. Phil. 3, 19-20). Quibus iterum iterumque monita illa in memoriam revocanda sunt: « ... si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ... quae sursum sunt sapite, non quae super terram » (Col. 3, 1-2).

NOTAE

[1] Gen. 1, 26-30; 1 Cor. 11, 7; Iac. 3, 9;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno,* 15 maii 1931: DENZ. 2270;

S. AUGUSTINUS, *De spiritu et littera,* c. 28, n. 48: PL 44, 229.

[2] 2 Cor. 5, 17; Gal. 6, 15; Gal. 5, 22; Rom. 8, 16-17; 1 Cor. 6, 19-20; 1 Io. 3, 1-3; 1 Io. 4, 7-9; Io. 1, 12-13; Phil. 4, 7; Col. 3, 15.

[3] PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: DENZ. 2206; id., *ibid.*: DENZ. 2224; Litt. Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: DENZ. 2237; *Oratio*: « Deus, qui humanae substantiae... ». « Servire Deo regnare est » cf. *Missa pro pace*: *Postcommunio.*

[4] IUSTINUS, *Apologia* I, 43; PG 6, 392 (*Rouët de Journel,* n. 123); id., *Dialogus cum Tryphone Iudaeo,* 102; PG 6, 713 ([*R*] 142);

TITIANUS, *Adv. Graecos oratio,* PG 6, 820 ([*R*] 156);

THEOPHILUS ALEX., *Ad Autolycum* 2, 27; PG 6, 1093 ([*R*] 184): « Liberum enim Deus et sui iuris hominem fecit »;

IRENAEUS, *Adv. Haer.* 4, 37: PG 7, 1099 ([*R*] 244): « ... quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie, et non coactum a Deo »;

PIUS V, Bulla *Ex omnibus afflictionibus*, 1 oct. 1567. Errores M. du Bay, prop. 41: DENZ. 1041: « Is libertatis modus, qui est a necessitate,

sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato »; [95]

PIUS IX, *Ex Decr. S. C. Indicis,* 11 iun. 1855, prop. 2: DENZ. 1650: « Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest... »;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iun. 1888: ASS 20 (1887-1888) pp. 593-613, praesertim pp. 594 ss.

[5] CONC. TRID., Sess. VI, Decr. *De iustif.,* c. 1: DENZ. 793; *ibid.,* cann. 4, 5, 7: DENZ. 814, 815, 817;

Cf. etiam PIUS V, Bulla *Ex omnibus afflictionibus,* propp. 27, 28, 39, [96]
65, 66: DENZ. 1027, 1028, 1039, 1065, 1066;

INNOCENTIUS X, Const. *Cum occasione,* 31 maii 1653, prop. 3: DENZ. 1094;

CLEMENS XI, Const. dogm. *Unigenitus,* 8 sept. 1713, propp. 38-39: DENZ. 1388-1389.

[6] Ut praesertim fautores « existentialismi ».

[7] PIUS XII, *Allocutio,* 3 oct. 1953: AAS 45 (1953) p. 735: « L'instruction judiciaire doit exclure la torture physique et psychique et la narco-analyse... parce qu'elles lèsent un droit naturel, même si l'accusé est réellement coupable ».

[8] *Prima Romana Synodus,* 1960, 239; PIUS XII, *Allocutio,* 13 sept. 1952: AAS 44 (1952) p. 783: « ... pour se délivrer de refoulements, d'inhibitions, de complexes psychiques, l'homme n'est pas libre de réveiller en lui à des fins thérapeutiques, tous et chacun de ces appétits de la sphère sexuelle ».

[9] CONC. VAT., Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* c. 4: DENZ. 1799;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* 15 maii 1931; DENZ. 2270; Litt. Encycl. *Divini illius magistri,* 31 dec. 1929: DENZ. 2205, 2224;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* l. c. p. 608;

PIUS X, Decr. *Lamentabili,* 3 iulii 1907, prop. 57; DENZ. 2057.

[10] CONC. VAT., *ibid.*

[11] Cf. notas praecedentes 9-10.

[99]

3 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE CASTITATE, MATRIMONIO, FAMILIA, VIRGINITATE

PROOEMIUM

1. [*Ecclesia utriusque status exemplar*]. Christifideles universi magnam quandam efficiunt familiam, ex virginali simul et sponsali Ecclesiae cum Iesu Christo unione ortam, cum numquam Salvator Sponsam suam, sanguine acquisitam, castissime fecundam reddere desinat verbo vitae et gratia Spiritus Sancti. Quamobrem S. Synodus in una eademque Constitutione dogmatica nobilitatem extollere tuerique decrevit tam castitatis in solutis eiusque floris pulcherrimi, scilicet virginitatis sacrae, quam casti connubii eiusque fructus caelestis, familiae nempe christianae.

PARS PRIMA

DE CASTITATE

2. [*Praenotanda*]. Cum omnia mox exponenda, ex divina ordinatione, duorum sexuum differentiam eorumque mutuam inter se relationem supponant, pauca quaedam de origine et natura sexus, deque dominio hominis in proprium corpus, quatenus propagationi humani generis inservit, praemittuntur.

CAPUT I

PRAEMITTENDA DE SEXIBUS

3. [*Origo et natura sexus*]. Ipse Deus « fecit hominem ab initio masculum et feminam » (Mt. 19, 4) [1] illisque benedixit dicens: « Crescite et multiplicamini » (Gen. 1, 28). Data autem benedictione vidit omnia quae fecerat esse « valde bona » (Gen. 1, 31).[2] Quo fit, ut etiam ea quae hac ex parte in homine naturaliter inveniuntur, per se bona et honesta sint,[3] ut saepe affirmavit Ecclesia, etiam ad proclamandam sanctitatem et dignitatem nuptiarum. Attamen post Adae peccatum propriam exigunt verecundiam et custodiam (cf. Gen. 2, 25 et 3, 7),[4] excluso tamen omni falso vel scrupuloso pudore. Meritis autem Christi corpora renatorum facta sunt templa Spiritus Sancti: quare in corporibus

quoque humanis Deus glorificari potest ac debet (cf. 1 Cor. 6, [100] 19-20). Liquido igitur sequitur, ut animo simplici, reverenti, pudico et casto res, quae ad sexum pertineant, considerentur atque tractentur oporteat.[5] Firma tamen hac sexus humani originali dignitate, absint oportet falsae superlationes, ac si idcirco quod masculum et feminam Deus fecisset hominem, eum proprie constituisset ad imaginem sui,[6] vel quasi praecipue sexualibus homo ut talis constitueretur.[7] Hac enim in mortali vita, licet sexus humanus gaudeat etiam aliis humanis qualitatibus, primarie tamen ad matrimonium ad eiusque bona spiritualia et temporalia ordinatur, ut docet S. Scriptura (cf. Mt. 19, 4),[8] donec impleatur tempus, quo homines « in resurrectione neque nubent neque nubentur » (Mt. 22, 30), ut dixit Dominus.

4. [*Homo non dominus absolutus corporis*]. Animadvertendum sane est, Deum solum esse dominum absolutum vitae hominis eiusdemque integritatis, nominatim quod attinet ad ea, quae hominem naturaliter aptum reddunt et cum Deo consociant in vitae humanae propagationem.[9] Unde nefasti sunt conatus proprium sexum iam sufficienter determinatum mutandi; nec licet ad sanitatem totius hominis salvandam, eius organa genitalia mutilare[10] vel infoecunda reddere, si aliter eius saluti provideri potest.[11] Nec ullo in casu ius datur vel dari potest transferendi in corpus humanum organa sexualia animalium, cellulas germinativas secundum genus suum producentia, vel ordine inverso;[12] vel etiam germina humana utriusque sexus in laboratorio adhibendi, ut inter se uniantur, etsi, sine violatione pudicitiae et castitatis, solus et verus progressus intendatur scientiae.[13]

NOTAE

[1] Cf. etiam Gen. 1, 27: « Masculum et feminam creavit eos »; Mc. 10, 6: « Ab initio autem creaturae masculum et feminam fecit eos Deus ».

[2] Cf. etiam Eccli. 39, 21: « Opera Domini universa bona valde ».

[3] Cf. Conc. Bracaren. II (I) (a. 561), nn. 11 et 12: Denz. 241-242; Denz. 242: « *Si quis plasmationem humani corporis diaboli dicit esse figmentum* et conceptiones in uteris matrum operibus dicit daemonum figurari, propter quod et resurrectionem carnis non credit, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, A. S. »;

et sequens n. 13: Denz. 243: « Si quis dicit, *creationem universae carnis non opificium Dei,* sed malignorum esse angelorum, sicut Priscillianus dixit, A. S. ».

[101] [4] Ex eo autem quod Deus sexualia in homine dederit non licet tamen deducere, ut quidam praetendunt, quod nullo velamine vel pudore cooperienda sint organa et functiones sexuales. Scribit S. THOMAS, *Summa Theol.,* II-II, q. 151, a. 4: « ... Nomen pudicitiae a pudore sumitur, in quo *verecundia* significatur. Et ideo oportet quod pudicitia proprie sit illa de quibus homines *magis* verecundantur. *Maxime autem verecundantur* homines de actibus venereis, ut Augustinus dicit in XIV *De Civ. Dei...* Verecundatur autem homo non solum de illa mixtione venerea, *sed etiam de quibuscumque signis eius*: ut Philosophus dicit, in II Rhet. Et ideo pudicitia *attenditur proprie circa venerea*: et praecipue *circa signa venereorum,* sicut sunt aspectus impudici, oscula et tactus... ».

[5] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929, ubi plura habentur contra naturalismum, nulla habita ratione labis « a protoparentibus ad omnem posteritatem transmissae ». Atque praesertim quoad puellas Pontifex asserit: « ... sed etiam in gymnicis ludis atque exercitationibus, in quibus christianae peculiari modo modestiae puellarum cavendum, utpote quas ostentare sese atque ante omnium oculos proponere *summopere dedeceat...* », cf. DENZ. 2215.

PIUS XII, *Ad Docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum*: AAS 33 (1951) p. 736: « Antiqui Graeci et Romani ut sermone indicarent quae ad castitatem pertinent, singulari utebantur nomine: " αἰδοῖα - verenda " ea appellabant, si quidem de rebus agitur, quae *reverenti modo rationeque tractari debent* ».

[6] Sunt qui asserunt Deum fecisse hominem ad imaginem Suam, *quatenus* masculum et feminam. Haec non est quaedam solitaria affirmatio, sed invenitur apud plures.

[7] Cf. PIUS XII, *Ad Patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes,* 18 sept. 1951: AAS 43 (1951) p. 733: « Cette propagande menace encore le peuple catholique d'un double fléau, pour ne pas employer une expression plus forte. En premier lieu, *elle exagère outre mesure* l'importance et la portée dans la vie, *de l'élément sexuel* ».

PIUS XII, *Iis qui interfuerunt Conventui internationali quinto de psychotherapia et psychologia,* Romae habito, 13 apr. 1953: AAS 45 (1953) p. 279: « Ces dynamismes peuvent être *dans* l'âme, *dans* l'homme; ils ne sont cependant pas *l'âme,* ni *l'homme* ».

[8] Cf. PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) pp. 849, 852: « Infatti di Dio la S. Scrittura dice che creò l'uomo a sua immagine e lo *creò maschio e femmina,* ed ha voluto — come si trova ripetutamente affermato nei Libri sacri — che " l'uomo abbandoni il padre e la madre, e si unisca alla sua donna, e formino una carne sola ". Tutto questo è dunque vero e voluto da Dio; ma non deve essere disgiunto dalla funzione primaria del *matrimonio,* cioè dal servizio per la vita nuova... *Al presente,* infatti, si suole sostenere, con le parole e con gli scritti (anche da parte di alcuni cattolici), la *necessaria autonomia,* il proprio fine e il proprio valore della sessualità, ... *indipendentemente* dallo scopo della procreazione di una nuova vita ».

Ut habeatur aliqua notitia de mente modernorum, etiam catholicorum,

quoad sexualitatem, cf. Ephem. *Esprit*: fascicul. « La sexualité », nov. 1960, pp. 1695-1962. [101]

N. B.: In Constitutione consulto omissum fuit, matrimonium esse *unicum et solum finem* sexualitatis humanae. [102]

[9] LEO XIII, Epist. *Pastoralis officii* ad Episc. Germaniae et Austriae: Acta Leonis XIII, t. XI, p. 284 (DENZ. 1939): « ...utraque divina lex, tum ea quae naturalis rationis lumine, tum quae Litteris divino afflatu perscriptis promulgata est, districte vetant, ne quis extra causam publicam hominem interimat aut *vulneret, nisi salutis suae defendendae causa, necessitate coactus* ».

PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* 21 dec. 1930: AAS 22 (1930) p. 565: « Publici vero magistratus in subditorum membra directam potestatem habent nullam... Ceterum, quod *ipsi privati homines in sui corporis membra dominatum alium non habeant, quam qui ad eorum naturales fines pertineat, nec possint ea destruere aut mutilare aut alia via ad naturales functiones se ineptos reddere, nisi quando bono totius corporis aliter provideri nequeat, id christiana doctrina statuit atque ex ipso humanae rationis lumine omnino constat* ».

PIUS XII, *Sermo ad medicos,* 21 maii 1948: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. X, p. 98: « ... Il principio è inviolabile. *Iddio solo è Signore della vita e della integrità dell'uomo,* delle sue membra, dei suoi organi, delle sue potenze, *di quelle particolarmente che lo associano all'opera creatrice* ».

PIUS XII, Sermo « *All'unione medico-biologica di S. Luca* », 12 nov. 1944: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. VI, p. 186: « L'uomo invero non è il proprietario, *il signore assoluto del suo corpo,* ma soltanto l'usufruttuario ».

[10] Cf. documenta in superiore nota citata.

[11] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* l. c.; *Decretum* S. C. S. OFFICII, 22 febr. 1940: AAS 32 (1940) p. 73; PIUS XII, *Sermo ad medicos,* 21 maii 1948, l. c.: « ... non è meno illecito... di inaridire o *sterilizzare, mediante un'operazione che nessun altro motivo giustifica, le sorgenti della vita* ».

PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) pp. 843 s.: « *La sterilizzazione diretta* — cioè quella che mira, come mezzo o come scopo, a rendere impossibile la procreazione — è una grave violazione della legge morale, ed è quindi illecita. Anche l'autorità pubblica non ha alcun diritto, sotto pretesto di qualsiasi "indicazione" di permetterla, e molto meno di prescriverlo o di farla eseguire a danno di innocenti. Questo principio si trova già enunciato nella Enciclica summenzionata di Pio XI sul matrimonio. Perciò quando, or è un decennio, la sterilizzazione venne ad essere sempre più largamente applicata, la S. Sede si vide nella necessità di dichiarare espressamente e pubblicamente, che *la sterilizzazione diretta sia perpetua che temporanea, sia dell'uomo che della donna, è illecita, in virtù della legge naturale, dalla quale la Chiesa stessa, come sapete, non ha la potestà di dispensare* ».

Prima Romana Synodus, 1960, art. 493.

[12] PIUS XII, *Allocutio Moderatoribus ac Sociis Sodalitatis italicae oblatorum « corneae »* etc.: AAS 48 (1956) p. 460: « *La transplantation de glandes sexuelles animales sur l'homme est à rejeter comme immorale...* ».

[102] [13] PIUS XII, *Iis qui interfuerunt Conventui universali de fecunditate et sterilitate humana,* Neapoli indicto, 19 maii 1956: AAS 48 (1956) p. 471: « Au sujet des tentatives de fécondation artificielle humaine *" in viro "*,
[103] qu'il Nous suffise d'observer qu'il faut les rejeter comme immorales et absolument illicites ».

Hic tamen Constitutio habet prae oculis omnia illa moderna experimenta, quae fiunt per unionem vitalium germinum humanorum, etiam independenter ab intentione fecundationis artificialis, sed ad alios fines obtinendos. Multi exspectant, ut Ecclesia clare dicat in omni hypothesi illa experimenta esse illicita, quamvis legislationes civiles hucusque, quantum scimus, nihil faciant; immo materialistae occasionem arripiant publice in ephemeridibus principia divina irridendi.

[104]

CAPUT II

DE CASTITATE SOLUTORUM

5. [*De castitate in solutis*]. Omni homini officium grave quidem, sed non minus honorificum incumbit dominandi impetus affectusque sexuales per castitatis exercitium, quo, iuvante Dei gratia, caro et sensus rationi, per quam homo ad altiora evehitur, debite subiiciuntur, et per rationem fide illustratam, legi evangelicae. Sic per castitatem relatio sexuum eorumque commercium ita nobilitantur, ut digna sint homine ad imaginem Dei creato, et christiano. Differt autem castitatis exercitium in solutis et matrimonio iunctis, cum tantum in solutis annexam habeat continentiam; ac praeterea, dum solutos de more ordinario praeparat ad matrimonium vel sacram virginitatem, in matrimonio iunctis est splendor ipsius connubii. Ex divina enim ordinatione, lege etiam naturae manifesta, homo iam non eo ipso quod habet validam sexualem potentiam consequitur ius eandem exercendi. Solummodo enim in legitimo matrimonio, et quidem intra limites regula morum praestitutos, ius illud obtinetur.[1] Grave igitur officium habet homo solutus omittendi actiones, quae, sive solitarie sive cum alio, natura sua constituunt potentiae proprie et specifice sexualis perfectos vel imperfectos exercendi usus aut quae ad huiusmodi usum libera et conscia voluntate ordinantur.[2] Severum attendatur ad monitum Spiritus Sancti per Apostolum dicentis: « Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles neque masculorum concubitores... regnum Dei possidebunt » (1 Cor. 6, 9-10).[3] Immo etiam pravi contra castitatem interni actus deliberati severe prohibentur a Domino

(cf. Mt. 5, 28; 15, 18-19). Neque dicatur haec, praesertim hodie, [104]
vitari non posse. Nam etiam soluti capaces sunt, humiliter im-
plorata et iuvante Dei gratia, servandi castitatem, ut de ipsis iam
declaravit S. Tridentina Synodus,[4] et semper docuit Ecclesia.[5] Non
minus hodie quam olim, etiam pro iuvenibus, valent monita
Apostoli: « Corpus autem non fornicationi sed Domino, et Do-
minus corpori. ... An nescitis quoniam membra vestra templum
sunt Spiritus Sancti...? » (1 Cor. 6, 13, 19-20).[6] « Non enim vo-
cavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem » (1 Thess.
4, 7). Castitas licet neque unicum neque primum sit bonum in [105]
vita morali hominum, tamen sine ea vita moralis integra exsistere
nequit; ac nemo denegare potest quanti momenti sit apud Deum
casta vita illorum, qui, etiam extra matrimonium, puros et imma-
culatos se servant in hoc saeculo; etenim non sine causa cum ipsa
caritate etiam modestia, continentia et castitas inter Spiritus
Sancti fructus adnumerantur (cf. Gal. 5, 22-23).

6. [*Defensio et cura castitatis*]. At castitas, quae tanti momenti est apud Deum, ut revera servetur, efficaciter est amanda, in humilitate vigilanter custodienda, defendenda et promovenda per apta media naturalia et imprimis supernaturalia.[7] Natura quidem iam homines in hoc adiuvat per quemdam nativum pudorem, qui magis crescit et iuvat si spiritu christiano imbuitur. Pudicitia enim vere dici potest prudentia et munimen castitatis.[8] Unde non est sequenda opinio, qua actus impudici, id est natura sua libidini faventes, indifferentes censendi sunt.[9] A fortiori reicienda est illa quorumdam aberratio, qua iidem contra pudicitiam actus commendantur, ut, per directe quaesitam et obtentam quamdam in illis libidinosam delectationem, melius quis posset servare castitatem et vitare peccatum consummatae et perfectae luxuriae.[10] Nec minus damnatur aliud extremum, quo nempe variae rationes afferuntur ordinis naturalis, immo ipsa religio et moralitas invocantur ad defendendum et propagandum proprium quemdam cultum nuditatis, neglecta hominum conditione post peccatum Adae (cf. Gen. 2, 25; 3, 7).[11] Quod autem ad sic dictam « initiationem sexualem » attinet,[12] etsi haec S. Synodus, ut in promptu est, prudentem, pudicam et christianam educationem et institutionem de rebus ad sexum spectantibus pro singulorum conditione et exigentia commendat, immo parentes improbat, qui ob nimiam verecundiam vel falsam pudicitiam hoc grave officium vel negligunt vel leviter adimplent vel, ubi semetipsos incapaces

[105] sentiunt, id personis aptis non committunt; ex altera parte tamen reprobare debet eius generis initiationem, quae fit simul coram pueris et puellis, sine ulla moderatione, modo inverecundo, religione plane posthabita.[13] Insuper cum summa aversione novit haec S. Synodus quot ac quantae sint hodie contra castitatem detestandae insidiae, quibus in hodiernae culturae quamplurimis manifestationibus, etsi datis sub specie ludi, recreationis, scientiae, artis vel laudandae pulchritudinis, de facto animae, sanguine Christi redemptae, singulis momentis et quasi ubique [106] etiam in sinu familiae ad malum incitantur, immo trahuntur.[14] Monet igitur omnes ut contra talia pericula muniant semetipsos, orationibus, ieiuniis, Poenitentiae et S. Eucharistiae sacramentis, pietate erga Virginem Mariam. Fugiant quoque proximas, quas vocant, occasiones.[15] Quomodo enim possunt sincero corde orare: « Et ne nos inducas in tentationem » (Mt. 6, 13), si tentationes ipsi libere quaerunt? Memor autem verborum Domini contra scandalizantes, Ecclesia ius et officium habet repugnandi contra scandalizantes et praesertim contra publicam moralitatis sexualis depravationem.[16] Et etiam auctoritas civilis moralitatem custodire et defendere debet mediis sibi congruis et efficacibus,[17] maxime iuvando conatus omnium, sive singulorum sive inter se unitorum, ad promovendam moralitatem publicam, etiam ubi laeditur scriptis, transmissionibus radiophonicis, televisione aliisque culturae humanae instrumentis.

7. [*Quidam errores censurantur*]. Offendunt igitur graviter Ecclesiae doctrinam qui affirmant, etiam in homine bene sano, fere omnia, inclusis religiosis, moralibus immo supernaturalibus, veluti a priori e sexualibus esse explicanda, addita accusatione pastores animarum habendos esse non idoneos suique officii non capaces, si haec et alia moderna postulata nesciant.[18] Error insuper est, peccatum internum contra castitatem non recognoscere velle, vel ipsum peccatum externum novis, v. g. ex psychoanalysi desumptis, iisque doctrinas Ecclesiae offendentibus mensurare criteriis.[19] Item perfalsae habendae sunt sententiae iniuriose insinuantes actiones quas ethica traditionalis Ecclesiae retinet castitati offensivas, potius exigi ab ipsa natura vel a sana humanae personae evolutione.[20] Pessimum autem est tenere ipsos turpissimos amores erga eiusdem sexus personas ut privilegium altioris culturae.[21] Insuper perniciosos haec S. Synodus declarat eorum errores, iuxta quos, si credis, proprie et apprime in campo casti-

tatis, numquam vel fere numquam essent actiones subiective gra- [106]
viter malae, maxime tempore iuventutis et in habitudinariis, occasionariis et recidivis, quippe qui sufficienti libertate praesumantur carere; immo actiones huiusmodi essent inevitabiles.[22] Eo usque procedit hic error ut ad ipsas actiones obiective graviter malas licitum dicatur aliquem inducere, ubi illa sunt tantum et ad summum peccata materialia.[23] Tandem S. Synodus ut iniuriosos quoque repudiat errores, secundum quos Ecclesia per doctrinam suam de castitate et de pudicitia laederet sanam et robustam
iuventutis educationem. Haec contra Deum directe diriguntur, [107]
cum ipse Deus dicat per Apostolum: « Fornicatio autem et omnis immunditia ... nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos » (Eph. 5, 3).

NOTAE

[1] Pius XII, in cit. *Allocutione* 19 maii 1956: AAS 48 (1956) p. 472 sq. habetur pertractatio specifica de intrinseca malitia peccati contra sextum.

[2] S. Zephyrinus (?) in Tertullianus, *De pudicitia,* cap. 1: Denz. 43.

Conc. Lugdunen. I (a. 1245): Denz. 453: « De fornicatione autem, quam *solutus* cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum, cum tam *fornicarios, quam adulteros a regno Dei* Apostolus asserat *alienos* (1 Cor. 6, 9 s.) ».

Errores de rebus moralibus damnati in Decr. S. C. S. Officii, 4 martii 1679, nn. 48-49: Denz. 1198: « Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, *ut contrarium omnino rationi dissonum videatur* ». Denz. 1199: « *Mollities iure naturae prohibita non est.* Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali ».

Errores Zanini de Solcia, damnati litteris *Cum sicut* 14 nov. 1459, n. 7: Denz. 717 g.: « Extra matrimonium luxuriam non esse peccatum, nisi legum positivarum prohibitione, easque propterea minus bene disposuisse, et sola prohibitione ecclesiastica se fraenari, quominus Epicuri opinionem ut veram sectaretur ».

Conc. Viennen. (a. 1311-1312): *Errores Beguardorum et Beguinarum,* n. 7: Denz. 477: « Quod mulieris osculum, cum ad hoc natura non inclinet, est mortale peccatum; *actus autem carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est,* maxime cum tentatur exercens ».

Alexander VII, *Errores de rebus moralibus damnati,* 18 martii 1666, n. 40: Denz. 1140: « Est probabilis opinio, quae dicit, *esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem,* quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis ».

S. C. S. Officii, *Decretum* 2 aug. 1929: Denz. 2201.

Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* 21 dec. 1930: Denz. 2230.

Cf. etiam *errores Michaëlis de Molinos,* propp. 24, 41, 42, 47-53: Denz. 1244, 1261, 1262, 1267-1273.

[107] Quoad gravitatem actuum turpium, cf. S. THOMAS, *Lectura in Eph.*, c. 5, 4, lect. II: « Tria ergo vitia excludit, scilicet turpitudinem, quae est in *tactis turpibus* et *amplexibus* et *osculis libidinosis*... Et haec omnia sunt *mortalia,* in quantum ad mortalia peccata ordinantur, quia aliquid etiam si bonum sit ex genere, in quantum ad mortale ordinatur, est mortale ».

[3] Cf. etiam Gal. 5, 19; Eph. 5, 5; II Petr. 2, 9 s.; Apoc. 22, 15.

PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 mart. 1954: AAS 46 (1954) pp. 182 s.: « Omnes sancti viri sanctaeque mulieres suorum sensuum cupidinumque motibus impense invigilarunt eosque interdum acerrime cohibuerunt, secundum verba ipsius Divini Magistri docentis: " Ego
[108] autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam " (Mat. 5, 28-29).*Qua admonitione, ut luculenter patet, id a nobis imprimis Redemptor noster postulat ut nempe, ne mente quidem, peccato unquam concedamus,* itemque ut ea omnia a nobis firma voluntate arceamus, quae pulcherrimam eiusmodi virtutem vel levissimo modo commaculare queant. Hac in re nulla nimia diligentia, nulla severitas nimia haberi potest ».

[4] Cf. CONC. TRID., Sess. XXIV, Doct. *De sacr. matrimonii,* can. 9: DENZ. 979.

[5] PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas*: AAS 46 (1954) p. 181: « Verumtamen etsi Deo dicata castitas *ardua virtus est,* eam nihilo secius ii fideliter perfecteque servare possunt, qui Iesu Christi invitationi, re diligenter considerata, generoso respondeant animo, et quidquid possunt ad hanc rem assequendam efficiant. Nam, cum eiusmodi virginitatis vel coelibatus statum capesserint, idcirco hoc donum gratiae a Deo accipient, quo adiuti suum propositum exsequi *possint.* Quapropter, si forte habeantur, " qui non sentiunt se castitatis (etiamsi eam voverint) habere donum " (cf. CONC. TRID., Sess. XXIV, canon 9), *ne ipsi contendant exinde suis obligationibus hac in re satisfacere non posse.* Nam " Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis (cf. S. AUGUSTINUS, *De natura et gratia,* c. 48, n. 50: PL 44, 271) et adiuvat ut possis " (CONC. TRID., Sess. VI, c. 11). Hanc, solacio plenam veritatem eorum quoque in memoriam revocamus, quorum voluntas *ob nervorum perturbationes infirmata est,* et *quibus nonnulli medici, interdum etiam catholici,* nimia facilitate suadent — speciosam interponentes causam, se nempe non posse sine mentis aequilibritatis detrimento castitatem servare — *ut eiusmodi obligatione eximantur* ».

Quoad hos textus obici nequit unice ibidem de illis qui castitatem perfectam voverint sermonem fieri. Nam si possibilitas servandi castitatem valet pro illis qui *perpetuo* se obstrinxerunt, a fortiori valet pro aliis, qui tamen cogitant se in posterum matrimonio iunctum iri.

Alia ex parte expresse de iuvenibus etiam ait PIUS XII in *Nuntio Radiophonico,* 23 martii 1952: AAS 44 (1952) p. 275: « Consapevoli pertanto del diritto e del dovere della Sede Apostolica d'intervenire, quando

bisogni, autorevolmente nelle questioni morali, Noi nel discorso del 29 ottobre del passato anno Ci proponemmo d'illuminare le coscienze intorno ai problemi di vita coniugale. *Con la medesima autorità dichiariamo* oggi agli educatori e *alla stessa gioventù*: *Il comandamento divino della purezza dell'anima e del corpo vale senza diminuzione anche per la gioventù odierna. Anch'essa ha l'obbligo morale, e, con l'aiuto della grazia, la possibilità di conservarsi pura* ». [108]

[6] Cf. etiam Eph. 5, 3 ss.

[7] PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas*: AAS 46 (1954) pp. 182, 187: « Haec autem sunt, quae Divinus ipse Redemptor nobis commendavit adiumenta, quibus virtutem nostram *efficaciter* tueamur: *sedula nempe assiduaque vigilantia,* ... quae ad quaelibet pertinet nostrae vitae momenta et ad quaevis etiam rerum adiuncta, nobis omnino *necessaria* est: " Caro [109] enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem " (Gal. 5, 17). Si quis vero aliquid, etsi parum, corporis illecebris concesserit, facile is ad ea " opera carnis ", quae Apostolus enumerat (cf. *ibid.,* 19-21), et quae turpiora ac foediora sunt hominum vitia, se prolabi sentiet ».

[8] PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas*: AAS 46 (1954) p. 185: « Rectius profecto utiliusque fecerint sacrae iuventutis educatores, si adulescentium mentibus *christianae pudicitiae* praecepta inculcaverint quae quidem tantopere valet ad virginitatis incolumitatem servandam et quae *castitatis prudentia* dici potest. Pudicitia enim et ingruens periculum prospicit, et vetat ne quis se discrimini prodat, et ea etiam rerum adiuncta vitare iubet, a quibus aliquis minus prudens non refugit ». Haec valent, uti patet, non solum pro illis qui se voverunt *sacrae* virginitati: sed etiam pro omnibus solutis, qui castitatem servare debent.

[9] Hic intenditur illa erronea at divulgata praesertim inter iuvenes sententia, vid. in amorosis provocationibus vel occasionibus moralitatem non tangi, si inter se tantum *tactus impudicos agant*: praesertim si fiant ad melius inveniendam propriam coniugem. Haec divulgata et privatorum persuasio invadit campum etiam moralitatis publicae, ubi ipse pudor mensuratur ad beneplacitum depravatae hominum consuetudinis, non vero iuxta dictamina legis naturalis et christianae.

Scribit e contra PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas*: AAS 46 (1954) p. 185: « [Pudicitia] *verba* minus honesta non amat, et ab *immodestia* vel levissima abhorret, atque a *suspecta familiaritate* cum alterius *sexus personis diligenter cavet...* ».

[10] His prae oculis habetur, quod, etiam hodie, aliquando saltem practice contingit, cum nempe in tentationibus contra castitatem quis reputatur sibi licere ad illas superandas, tactus vel visus impudicos circa personam alterius sexus facere, ipsa consentiente. Tali modo falso putant se moderari, uti dicunt, flammam libidinis, et ideo nihil mali peragere atque igitur posse tranquilla conscientia ad sacramenta accedere.

Licet non incidatur directe in errores Michaëlis de Molinos, qui in tentationibus contra castitatem directe invisebat actionem diabolicam, tamen in hac agendi ratione aliqua relatio cum illis erroribus inspici potest. Ita in prop. 47 condemnata ab INNOCENTIO XI: DENZ. 1267, legitur: « Cum huiusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet, ut satanas operetur,

[109] nullam adhibendo industriam nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo; et etiamsi sequantur pollutiones et *actus obscoeni propriis manibus* et etiam peiora, non opus est seipsum inquietare (*Viva*: inquietari), *sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia et timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et prae omnibus non opus est haec confiteri, et sanctissime fit non confitendo*; quia hoc pacto superatur daemon, et acquiritur thesaurus pacis ».

Ut patet, fundamentum erroris *Michaëlis de Molinos* potest esse aliud, sed media et suggestiones erroneae in propositione contentae aliquam habent relationem cum istis novis suggestionibus, ab aliquibus datis vel permissis ad superandas difficultates sexuales.

[11] Hic intenditur etiam « *nudismus* » sive ut doctrina sive ut praxis.
[110] Hodie quam maxime divulgatus est praesertim in aliquibus regionibus: uti in Gallia, in Austria, in Helvetia, in Scandinavia, in America, etc. Adsunt « campi nudistarum » quamplurimi et societates; potest etiam alia appellatione vocari: ut « *naturalismus* » vel « *cultura libera corporis* », etc. Proponitur completa seu totalis nuditas variis rationibus commendata: scilicet philosophicis, hygienicis, paedagogicis, moralibus, socialibus, artisticis. Ipsi cultores « nudismi » non raro accusationes vehementes faciunt sive contra S. Bibliam et S. Paulum in specie, sive contra Ecclesiam, cum videantur non favere « nudismo ».

[12] Vox « initiatio sexualis » invenitur in *Decret. S. Officii,* 21 mart. 1931: AAS 23 (1931) p. 118.

[13] Documenta Pontificia sunt plura:

S. C. S. Officii, *Instructio ad Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis,* 24 nov. 1875 (confirmata a Summo Pontifice Leone XIII), in: *Codicis Iuris Canonici Fontes,* T. IV, pp. 362-365. Ibidem aliquid dicitur in genere de periculo coeducationis.

Pius XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: AAS 22 (1930) p. 71 ss.

S. C. S. Officii, *Decretum,* 21 martii 1931: AAS 23 (1931) pp. 118-119.

Pius XII, *Sermo ad matresfamilias italicas,* 26 oct. 1941: AAS 33 (1941) p. 450.

Pius XII, *Sermo ad patresfamilias gallicos,* 18 sept. 1951: AAS 43 (1951) p. 732 s.

Pius XII, *Sermo ad docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum,* 23 sept. 1951: AAS 43 (1951) p. 736: « Quocirca huiusmodi verecundia non ita accipienda est, ut hac super causa perpetuo aequiparetur silentio utque in impertienda disciplina morum ne sobrius quidem cautusque sermo de iis umquam fiat. His super rebus adulescentes consiliis idoneis *instruantur* eisque *liceat* aperire animum, sine haesitatione quaerere, responsum accipere, quod securum, perspicuum, satis explicatum ipsis lumen et fiduciam iniciat ».

Pius XII, *Iis qui interfuerunt Conventui internationali quinto de psychotherapia et psychologia,* 13 apr. 1953: AAS 45 (1953) p. 282: « Un mot sur la méthode utilisée parfois par le psychologue pour libérer le

moi de son inhibition dans les cas d'aberration dans le domaine sexuel: Nous pensons à *l'initiation sexuelle complète, qui ne veut rien taire, rien laisser dans l'obscurité*. N'y a-t-il pas là une surestimation pernicieuse du savoir? Il existe aussi une éducation sexuelle efficace, qui en toute sécurité enseigne dans le calme et l'objectivité ce que le jeune homme doit savoir pour se conduire lui-même et traiter avec son entourage ». [110]

Pius XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas*: AAS 46 (1954) p. 186: « Verumtamen, nostris hisce temporibus, nonnulli institutores educatoresque nimio saepius sibi officium esse ducunt innocentes pueros puellasque tali modo arcanis humanae generationis initiandi rebus, qui eorum *pudorem* offendat. Atqui iusta hac in re agendi *temperatio* ac *moderatio adhibenda est*, quae a *Christiana pudicitia* requiritur ».

Potest etiam addi *Instructio* S. C. S. Officii, 16 maii 1943, ubi normae reservatae dantur « de agendi ratione confessariorum circa sextum Decalogi praeceptum ». Ibi expresse dicitur: « Itidem ne audeat confes- [111]
sarius, seu sponte seu rogatus, de natura vel modo actus quo vita transmittitur, poenitentes docere, atque ad id nullo umquam praetextu adducatur ». Haec instructio die 4 nov. 1955 a S. C. S. Officii communicata fuit cum omnibus Episcopis.

Quoad *coeducationem*, in se sola spectatam, nihil expresse in Constitutione dictum habetur, quia res est sat difficilis ob particularia adiuncta regionum.

[14] Hic prae oculis habetur severa reprobatio omnium modernorum agendi modorum, qui sunt potius oblectamenta carnis exhibita sive in quibusdam peculiaribus institutis (italice « Istituti di bellezza »), sive in modo se vestiendi, in *choreis* praesertim modernis, in quibusdam *certaminibus pulchritudinis*, in *spectaculis*, in *imaginibus*, in *cantionibus*, in *scriptis*, in *exercitationibus corporalibus indecoris*, in *aquaticis et promiscuis balneis*, in *mundanis sylvestribus relaxationibus*. In omnibus istis pudor saepe offenditur, sine ulla animae christianae respectu. Concilium igitur hac in re silere nequit, sicut nec siluit Christus. Nam hodie scandalum eo magis crescit et divulgatur, quod ope transmissionum radiophonicarum, cinematographei et televisionis id quod prius uno solo loco aspici poterat, nunc ubique terrarum videre est. Nec minus notum est hodiernam *divarum*, quas vocant, latriam occasionem esse scandali. In prima redactione haec erant magis specificata. Postea sententia eorum praevaluit qui magis opportunum esse putaverunt, ut haec omnia in Constitutione solummodo quasi velato dicantur et improbentur, ne ipsa Constitutio nimis cruda aut « veristica » diiudicaretur.

[15] Pius XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas*: AAS 46 (1954) p. 183: « Ad tuendam castimoniam, secundum Hieronymi sententiam, fuga magis valet quam apertum certamen: " Ideo fugio, ne vincar " (S. Hieronymus, *Contra Vigilant.*, 16: PL 23, 352). Quae quidem fuga ita intellegenda est, ut non modo peccandi *occasiones* diligenter arceamus, sed praesertim ut in huius generis certaminibus mentem animumque ad divina erigamus... ».

[16] De isto iure et officio Ecclesiae, quod hodie a laicistis ipsi negatur, nullum dubium moveri potest, uti apparet ex frequentibus Ecclesiae documentis, in quibus contra violatores moralitatis publicae insurgit: cf.

[111] PIUS X, Litt. Encycl. *Editae saepe,* 26 maii 1910: AAS 2 (1910) p. 357.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Firmissimam constantiam,* 28 martii 1937: AAS 29 (1937) p. 189.

PIUS XII, *Ad patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes,* 18 sept. 1951: AAS 43 (1951) pp. 730 ss.

PIUS XII, Litt. *I rapidi progressi,* ad Episc. Italiae, 1 ian. 1954: AAS 46 (1954) p. 18.

PIUS XII, Litt. Encycl. *Miranda prorsus,* 8 sept. 1957: AAS 49 (1957) p. 765 ss.

[17] PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* l. c.

PIUS XII, Litt. *I rapidi progressi*: AAS 46 (1954) p. 20 s.: « Alle autorità pubbliche soprattutto spetta prendere ogni cautela, perchè in nessuna maniera sia recata offesa o turbamento a quell'aura di *purezza* e di *riservatezza* che deve circondare il focolare domestico... Noi nutriamo profonda
[112] fiducia che l'alto senso di responsabilità di coloro che presiedono alla vita pubblica verrà ad impedire le tristi eventualità... ».

Ita etiam in pluribus aliis Magisterii documentis.

[18] Non tangitur hic *expresse* sic dictus *pansexualismus,* cum constet hodie inter psychologos adesse, qui negant et ipsum Freud docuisse vere pansexualismum. Hac de causa increparunt ipsum Pium XII, cum de methodo pansexuali sermonem fecit, ut infra notatur. Ex alia parte constat quod *theoretice* et *practice* in vita hominum plus aequo elementa sexualia producuntur quasi sint unica vel saltem praeeminentia, immo explicativa rerum etiam supernaturalium. Ideo *sexualismus* damnatur eo sensu, quo in Constitutione intelligitur. Pro hac quaestione, quidquid est de pansexualismo freudiano, remanent ut valida documenta sequentia:

PIUS XII, Sermo 14 sept. 1952: AAS 44 (1952) p. 783: « Il n'est pas prouvé, *il est même inexact,* que la méthode pansexuelle d'une certaine école de psychanalyse soit une partie intégrante indispensable de toute psychothérapie sérieuse et digne de ce nom; que le fait d'avoir dans le passé négligé cette méthode ait causé de graves dommages psychiques, des erreurs dans la doctrine et dans les applications en éducation, en psychothérapie et *non moins encore dans la pastorale*; qu'il soit urgent de combler cette lacune, et d'initier tous ceux qui s'occupent de questions psychiques, aux idées directrices et même, s'il le faut, au maniement pratique de cette technique de la sexualité ».

In quodam articulo cui titulus: *A proposito di psicanalisi,* auctoritative edito in *L'Osservatore Romano,* 21 sept. 1952, occasione illius sermonis Summi Pontificis, legitur: « Aggiungono inoltre cotesti psicanalisti, che anche i sacerdoti, in cura d'anime o dedicati alla direzione spirituale delle coscienze, dovrebbero conoscere le parti sostanziali della teoria e della prassi della psicanalisi, così intesa, e persuadersi che questo mezzo non può essere trascurato, benchè essi medesimi, personalmente, non debbano usarlo, ma debbano servirsi dell'aiuto di un competente medico psicoanalista. Altrimenti è da temersi — essi sostengono — che i sacerdoti esercitino il loro ministero spirituale con pericolo e danno delle anime. Purtroppo queste idee vengono *imprudentemente* proposte e difese in articoli, libri

e conferenze anche da alcuni teologi, i quali, più preoccupati dell'aspetto [112]
medico, trascurano le norme stabilite dalla morale cristiana, di nuovo promulgate ed inculcate dal Sommo Pontefice ».

Uti patet, neque Summus Pontifex neque praesens Constitutio vult damnare cognitionem et utilitatem istarum scientiarum, etiam apud sacerdotes; attamen error est omnia per sexum in pastorali animarum explicare, atque accusare pastoralem catholicam ac si hac in re Ecclesia defecerit in essentialibus quoad directionem animarum. In Constitutione scite provisum est, ut, dum damnatur error, pro secunda parte tantum *describatur accusatio,* vitato tamen verbo damnationis, ne Concilium accusetur adversari scientiis. Habetur tamen erroris, de quo in Constitutione, descriptio et reprobatio etiam apud PIUM XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas*: AAS 46 (1954) p. 174 sq.: « Imprimisque a communi probatorum hominum sensu, quem quidem Ecclesia semper in honore habuit, ii *procul dubio aberrant, qui naturalem sexus instinctum considerant quasi potiorem maioremque humanae compagis propensionem* et exinde concludunt hominem non posse
per totius vitae cursum huiusmodi appetitum coërcere sine gravi periculo [113]
eius corporis vitalia potissimumque nervos perturbandi, ideoque humanae personae aequilibritati detrimentum inferendi ». In aliis quoque locis (cf. supra nota 7) reprobatur quaecumque exaggeratio elementi sexualis in vita hominis.

[19] Contra e. g. Dr. HESNARD, *Morale sans péché* et alii eiusdem libri qui ideo in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt. Pro notitia errorum ibidem contentorum, cf.: *L'Osservatore Romano,* 23-24 ian. 1956, *Psicanalisi e mitomorale,* ubi explicatur damnatio trium librorum D.ris Hesnard.

[20] Cf. apud eundem HESNARD et non paucos medicos antiquos et modernos.

PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas*: AAS 46 (1954) p. 174 s.: « ... et exinde concludunt hominem *non posse* per totius vitae cursum *huiusmodi appetitum coercere sine gravi periculo* eius *corporis vitalia* potissimumque nervos perturbandi, ideoque *humanae personae* aequilibritati detrimentum inferendi ».

Idem PIUS XII, in *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 850 s.: « Tutti questi valori secondari della sfera e dell'attività generativa rientrano nell'ambito dell'ufficio specifico dei coniugi, che è di essere autori ed educatori della nuova vita. Alto e nobile ufficio! il quale però *non appartiene all'essenza di un essere umano completo,* come se, non venendo la naturale tendenza generativa alla sua attuazione, si avesse in qualche modo o grado una *diminuzione della persona umana.* La rinunzia a quell'attuazione non è — specialmente se fatta per i più nobili motivi — una mutilazione dei valori personali e spirituali ».

Cf. etiam PIUS XII pluribus aliis occasionibus. Licet aliqua verba directe spectent ad virginitatem et castitatem perpetuam, tamen principium moralis catholicae est sat clarum.

[21] Hodie quoque vitium *homosexualitatis* sat divulgatur; nedum de illo foedissimo vitio horror saltem habeatur, praetenditur illud etiam laudandum et proponendum tamquam signum superioris amoris et altioris culturae. Nam, dicitur, amare personam alterius sexus facile est; sed amare

[113] sexualiter personam eiusdem sexus non est omnium, sed tantum paucorum, qui ad hoc idonei et educati sunt. Sic intelligitur cur factum illud deplorandum propagetur, scilicet etiam homines maioris ingenii huic vitio fuisse addictos.

[22] Hic agitur contra plures modernos, praesertim inter psychologos, qui libertatem sufficientem, maxime in iuvenibus et quoad peccata contra sextum non admittunt; cum e contra libertas in hominibus bene sanis supponenda est quousque non probetur contrarium, ut non una vice edixit PIUS XII:

PIUS XII, *Allocutio,* 26 maii 1957: AAS 49 (1957) p. 406: « Perciò la morale e il diritto non si immobilitano in un'attitudine superata, quando affermano che bisogna dimostrare ove la libertà cessa, e non ove comincia. La sana ragione e lo stesso buon senso si sollevano contro un tale determinismo di fatto che ridurrebbe al minimo la libertà e la responsabilità ».

PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 martii 1952: AAS 44 (1952) p. 275: « *Respingiamo,* quindi come *erronea* l'affermazione di coloro, che considerano *inevitabili* le cadute negli anni della pubertà, le quali così non
[114] meriterebbero che se ne faccia gran caso, *quasi che non siano colpa grave,* perchè ordinariamente, essi aggiungono, *la passione toglie la libertà necessaria,* affinchè un atto sia moralmente imputabile ».

Non sine ratione et relatione ad istos errores damnatus est a S. C. S. OFFICII liber MARC ORAISON, *Vie chrétienne et problèmes de la sexualité,* Paris 1951.

[23] PIUS XII, *Allocutio ad parochos Urbis et concionatores sacri temporis Quadragesimalis*: *De praeceptis Decalogi,* 22 febr. 1944: AAS 36 (1944) p. 73, ubi data opera Pontifex sermonem facit de erroneis conceptibus quoad peccatum grave (de quibus cf. etiam supra in Const. de Ordine Morali). Specifice autem quoad peccata contra sextum sic queritur Pontifex: « Per portare un esempio: le moltiformi deviazioni del sesto comandamento non sarebbero per il credente, il quale nel resto vuol mantenersi unito a Dio e conservarsi amico di Lui, *nessuna grave mancanza, nè importerebbero colpa mortale* ».

PIUS XII, *Allocutio,* 13 apr. 1953: AAS 45 (1953) p. 286, ubi agit ex professo de sic dicto « peccato materiali » et inter alia dicit: « La psychothérapie peut encore moins donner au malade le conseil de commettre tranquillement un péché matériel, parce qu'il le fera sans faute subjective, et ce conseil serait aussi erronné si une telle action devait paraître nécessaire pour la détente psychique du malade et donc pour le but de la cure. On ne peut jamais conseiller une action consciente qui serait une déformation, non une image de la perfection divine ».

Cf. etiam PIUS XII, *Allocutio,* 1 oct. 1953: AAS 45 (1953) p. 728.

PARS SECUNDA [115]

DE MATRIMONIO ET FAMILIA

8. [*Praenotanda*]. In fontibus divinae Revelationis non semel cum unio mystica Christi et Ecclesiae, tum alia religionis mysteria, nuptiarum ac familiae similitudinibus exponuntur.[1] Iam solo hoc facto a Spiritu Sancto innuitur matrimonium et familiam non esse labilia et mutabilia hominum inventa, sed procedere a Deo, qui est auctor naturae et gratiae, et « apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio » (Iac. 1, 17). Hac de causa S. Synodus, non minus Spiritu amoris quam veritatis edocta, ut casti connubii familiaeque christianae institutio, finis, munera, clarius innotescant, ut eorundem momentum, nobilitas, pulchritudo amplius effulgeant, et ab errorum tenebris ubique exsurgentium efficacius defendantur, id proponere intendit quod ipse Deus creando hominem masculum et feminam et dando ei adiutorium simile sibi (cf. Gen. 1, 27; 2, 18-24 et 5, 2; Mt. 19, 4) reapse voluit, et Iesus Christus matrimonium restaurando illudque ad Sacramenti dignitatem elevando, Ecclesiae veluti legem fundamentalem nec umquam mutabilem divinitus consignavit.

CAPUT I

DE ORDINE MATRIMONII CHRISTIANI DIVINITUS CONSTITUTO

9. [*Matrimonii origo, natura, dignitas*]. Providit Deus humani generis multiplicationi per matrimonii institutionem (cf. Gen. 1, 28; 2, 18-25; Mt. 19, 4).[2] Est igitur matrimonium origine, fine, officio, natura sua bonum et sacrum.[3] Immo pro baptizatis Sacramentum, ad cuius dignitatem a Christo est elevatum.[4] Docet autem S. Synodus hoc sacramentum inter Christianos eo ipso constitui, quod duo baptizati, vir et mulier, uno eodemque mutuo ac valido consensu in vero connubio se legitime iungunt.[5] Atque ideo ex ipsa voluntate Dei Patris et Iesu Christi talis humanus consensus, etiam in christiano coniugio, ita est essentialis, ut

[116] sine ipso Sacramentum non habeatur; [6] ita personalis, ut nullo alio consensu vel humana potestate suppleri valeat;[7] ita unus et indivisibilis, ut inter baptizatos nullum dari possit verum atque validum matrimonium, quin sit eo ipso Sacramentum.[8] Hac autem indole sacramentali tanta est sponsorum christianorum dignitas, nobilitas et splendor, ut ipsi non tantum purissimam atque fecundissimam unionem Christi cum Ecclesia repraesentent (cf. Eph. 5, 32-33), sed iidem in persona Christi et Ecclesiae efficiantur per validum consensum mutuo exterius rite manifestatum et acceptum, huius Sacramenti ministri, cum hoc suo consensu signum constituant, quo non ponentibus obicem gratia confertur.[9] Gratia enim, ut docet Synodus Tridentina, quam ipse Christus sua nobis passione promeruit, naturalis amor perficitur, indissolubilis unitas confirmatur coniugesque sanctificantur.[10] Atque ita revera coniuges in proprio suo statu symbolum esse possunt atque debent gratiae et caritatis Salvatoris.[11]

10. [*Matrimonii proprietates*]. Licet matrimonium christianum, in se consideratum, non constituat statum evangelicae perfectionis,[12] tamen suam quoque perfectionem iuxta Christi leges exigit.[13] Atque in primis ordo vigens divinus circa eius proprietates, fines et bona est servandus, etiam si, hac de causa, opus sit actibus heroicis.[14] Restaurando quod corruerat, Christus statuit, ut non solummodo matrimonium christianum, sed etiam matrimonium pro omnibus, sit stabiliter unum; insuper ita indissolubile, ut numquam voluntate partium, immo nulla auctoritate mere humana dirimi queat.[15] Unitas ergo et indissolubilitas ita sunt cuiusque matrimonii proprietates intrinsecae et essentiales,[16] ut ne contrahentium quidem contrariae voluntati obnoxiae esse possint, ideoque ab eo qui vult verum matrimonium contrahere, necessario et perpetuo recipi debeant.[17] Omnia igitur, quae ab hominibus, hac in re quavis potestate destitutis, contra matrimonii unitatem vel indissolubilitatem proponuntur vel fiunt, nec respondent exigentiis naturae vel bono societatis, nec ad humanae culturae progressum pertinent, sed potius actus nullius valoris censendi sunt, ex quibus apparet hominis peccatoris in ordine morali ab originali iustitia miserrimus regressus. Quae enim laedunt ordinem divinum, nec individuo, nec familiae, nec societati civili prodesse ullo modo valent.[18]

11. [*Matrimonii fines*]. Habet insuper matrimonium in se,

independenter scilicet ab intentione contrahentium, suos fines obiectivos divinitus statutos.[19] Inter quos si attente considerentur divina ipsius matrimonii institutio nec non ipsa natura et Ecclesiae magisterium,[20] finis primarius unice est prolis procreatio atque educatio,[21] etiamsi matrimonium particulare fecundum non sit.[22] Hunc finem persequendo homo cum Deo, creatore et sanctificatore animarum, per paternitatis et maternitatis dignitatem sociam confert operam ad humani generis propagationem et sanctificationem. Hac de causa prolis procreatio, licet non sit obiectum consensus matrimonialis, tamen ita est per se omni coniugio connaturalis, immo hoc sensu essentialis, ut in quovis valido consensu, ius perpetuum et exclusivum ad actus per se ad prolis generationem naturaliter aptos veluti obiectum proprium tradendum includatur;[23] ita demum est primaria et praevalens, ut ab aliis finibus intentis, licet a natura indicatis, non dependeat, immo cum illis nec aequiparari nec confundi queat.[24] Alii autem matrimonii fines obiectivi, ex indole ipsius matrimonii oriundi sed secundarii, sunt mutuum coniugum adiutorium solatiumque in vitae domesticae communione et remedium, quod dicitur, concupiscentiae. In matrimonio enim concupiscentia per fidem coniugalem recte dirigitur, ideoque rationi subiecta castitati inservit et nobilitatur.[25] Qui fines debite intenti iura quamvis subordinata in matrimonio constituunt,[26] et ideo etsi secundarii in se non sunt spernendi vel parvi pendendi, sed debito modo in vera caritate promovendi.[27] [117]

Dum prolis procreatio modo legitimo unice in matrimonio obtinetur, concupiscentia etiam extra matrimonium divinae gratiae ope vinci potest.[28] Quatenus tamen mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae in ipso matrimonio sunt consequenda, participant naturam specificam unionis coniugalis, quippe quae a quocumque alio adiutorio, etiamsi ex amicitia proveniat, specifice differat.[29] Alii autem fines subiectivi, quibus homines non raro proxime et prima ratione[30] moventur ad coniugium ineundum, non obstant matrimonio, dummodo finibus ab ipsa natura indicatis non contradicant, sed eis subordinentur.[31]

Meminerint autem fideles omnes matrimonii fines, cum obiectivos tum subiectivos, etiam primarium illum, quo homines cum Deo consociantur in opera eius creatrice, perfecte attingi non posse, nisi connubium informetur vero ac recto amore coniugali; qui in connubiis christianis, caritate supernaturali et gratia Christi ditatus, magis magisque confert ad finium assecutionem.

[118] 12. [*Ecclesiae potestas*]. Matrimonium, utpote pertinens ad ordinem divinum, non singulis hominibus, sed Ecclesiae Christus concredidit, ut doctrinam et normas quibus regitur custodiret, explicaret, determinaret.[32] Hanc autem potestatem Ecclesia non solum exerceat oportet in bonum animarum, sed etiam in fidei christianae commodum [33] et Mystici Corporis incrementum.[34] Hac de causa Christus, qui voluit ut Ecclesia quam maxime defenderet indissolubilitatem matrimonii ab ipso restauratam, eidem Ecclesiae etiam dedit potestatem [35] solvendi, intra limites et conditiones iure divino statutas, vinculum omnium aliorum coniugiorum, cum naturalium, tum sacramentalium, excepto tamen et semper matrimonio post utriusque partis baptismum consummato.[36]

13. [*Auctoritatis civilis competentia*]. Legitima auctoritas civilis absque dubio competentia gaudet circa effectus mere civiles matrimonii, etiam baptizatorum, ad normam legis naturalis secundum boni communis rectas exigentias.[37] Gaudet etiam potestate vi proprii iuris, ex sua quoque parte et in suo campo, enuntiandi, applicandi, urgendi postulata matrimonialia iuris naturalis. Nulla vero potestate gaudet sive circa solutionem vinculi cuiusvis matrimonii valide initi,[38] sive circa matrimonii christiani indolem sacramentalem,[39] sive circa alia bona cum matrimonio divinitus coniuncta,[40] sive circa impedimenta ab Ecclesia posita,[41] sive circa sententias iudiciales ab Ecclesia prolatas.[42] Haec enim, utpote Dei et non Caesaris propria, unice Ecclesiae competunt (cf. Mt. 22, 21).[43]

14. [*Errores reprobantur*]. Scit S. Synodus quantopere salus Corporis Christi mystici etiam ab ordine divino quoad matrimonium recte agnito dependeat.[44] Quam ut tueatur, imprimis officii sui esse ducit condemnare radicales illos omnes eorum errores, qui retinent matrimonium, in sua origine et constitutione, esse absque ullo valore naturali vel supernaturali quoddam phaenomenon mere sociale in continua evolutione; non vero procedere a Deo et a Christo neque in nova salutis oeconomia potestati Ecclesiae esse subiectum.[45] Item damnat errores illos, quibus tenetur matrimonium christianorum vel non esse sacramentum vel ipsum sacramentum esse quid accessorium aut separabile ab ipso contractu.[46] Reprobat etiam eorum sententiam qui asserunt matrimonii usum esse medium specificum attingendi perfectionem eam, qua revera ac proprie homo sit imago Dei et Sanctissimae Trini-

tatis.[47] Severe improbat errores et theorias, quibus negatur ordo [119] divinus immutabilis circa proprietates et fines matrimonii. Atque nominatim ut summam calumniam refellit assertum, matrimonii indissolubilitatem non procedere a Deo, sed esse crudele inventum Ecclesiae, non minus crudeliter retentum.[48] Improbat denique theorias, quibus recto ordine valorum subverso, finis primarius matrimonii postponitur valoribus biologicis et personalibus coniugum [49] et amor coniugalis, in ipso ordine obiectivo, proclamatur tamquam finis primarius.[50]

NOTAE

[1] Cf. Mt. 9, 15; 22, 2; 25, 1; Eph. 5, 22-23; Apoc. 19, 7-9 cet.

[2] Cf. Leo XIII, Litt. *Ci siamo,* 10 iulii 1879: Acta Leonis XIII, Romae 1881 ss., t. I, pp. 236-247; Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880: Acta Leonis XIII, t. II, pp. 10-40.

Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: AAS 22 (1930) pp. 539-592 (passim): Denz. 2225-2250.

[3] Cf. Conc. Bracaren. II, can. 11: Denz. 241;

Conc. Lateran. II, can. 23: Denz. 367;

Professio fidei Durando de Osca et sociis eius Waldensibus praescripta: Denz. 424.

Conc. Florent., *Decretum pro Armenis*: Denz. 702; Errores Armenorum 19: Denz. 537.

Leo XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae*: Acta Leonis XIII, t. II, pp. 22 s.: « Etenim cum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel *a principio* quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo *sacrum* et *religiosum* quiddam, non adventitium, sed *ingenitum,* non ab hominibus acceptum, sed natura *insitum...* Igitur cum matrimonium sit *sua vi, sua natura, sua sponte sacrum,* consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium ».

Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* l. c.

Prima Romana Synodus, 1960, art. 490, § 1.

[4] Conc. Trid., Sess. XXIV, Doctr. *De sacr. matrimonii,* can. 1: Denz. 971.

[5] Conc. Florent.: *Decretum pro Armenis*: Denz. 702: « *Causa efficiens* matrimonii regulariter est *mutuus consensus per verba de praesenti expressus* ».

Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: Denz. 2225: « At, quamquam matrimonium suapte natura divinitus est institutum, tamen *humana* quoque *voluntas* suas in eo partes habet easque *nobilissimas*; nam *singulare* quodque matrimonium, prout est coniugalis coniunctio inter hunc virum et hanc mulierem, non oritur nisi *ex libero utriusque sponsi consensu...* ».

Leo XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* l. c., p. 25 s.: « ... in matrimonio christiano contractum a sacramento *non esse dissocia-*

[120] *bilem*; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit *eo ipso sacramentum*. Nam Christus Dominus *dignitate* sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est *ipse contractus,* si modo sit factus iure... Itaque apparet, omne inter Christianos iustum coniugium, *in se et per se* esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum *decus* quoddam *adiunctum,* aut proprietatem allapsam *extrinsecus* quae a contractu disiungi ac disparari hominum arbitratu queat ».

Ita etiam in pluribus aliis magisterii Ecclesiae documentis.

[6] Cf. Pius IX, *Syllabus*, n. 66: Denz. 1766;

Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* l. c.;

In Concilio Vaticano Primo, quoad hoc paratus erat sequens canon: « Can. 2: Si quis dixerit, matrimonii *sacramentum* non esse *ipsum* inter Christianos contractum, qui *consensu* perficitur; aut esse aliquid contractui accessorium et ab eo *separabile*; aut vi contractus mere civilis posse inter christianos verum matrimonium consistere: A. S. », Mansi 53, col. 721.

[7] Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: Denz. 2225: « ... qui quidem liber voluntatis actus, quo *utraque pars* tradit et acceptat ius coniugii proprium, ad verum matrimonium constituendum tam necessarius est, ut *nulla humana potestate suppleri valeat* ».

Cf. CIC, can. 1081, § 1.

Pius XII, *Sermo,* 5 martii 1941: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. III, p. 8: « Davanti all'altare, solo la vostra libera volontà è valsa a congiungervi col nesso del sacramento del matrimonio, e *nessun altro consenso poteva sostituirsi al vostro.* Altri sacramenti — quelli cioè che sono più necessari — quando manchi il ministro, possono essere suppliti dalla potenza della misericordia divina, che varca anche i segni esterni per portare la grazia nei cuori... *Ma nel sacramento del matrimonio non v'è supplenza di ministri, come non v'è sostituzione di persone*: vi trionfa l'incomparabile grandezza del maggior dono, che è la libertà del volere... ».

[8] Doctrina de inseparabilitate contractus a sacramento matrimonii et vice versa valde discussa, elaborata et praeparata fuit in Conc. Vat. I. Multum disputatum fuit de definibilitate vel minus. Affirmari potest hoc fuisse quoddam caput praecipuum totius Commissionis ad parandum schema quoad matrimonium christianum. Hoc explicatur ex errore *liberalismi et laicismi,* qui tunc temporis late invalescebat.

Canones parati quoad hoc erant sequentes: Mansi 53, col. 720 s.: « Can. 1. Si quis dixerit, Christum non evexisse matrimonium ad sacramenti dignitatem, et viri ac mulieris coniunctionem haberi inter christianos posse, quae sit verum matrimonium, non autem sacramentum: A. S. ». Can. 2: cf. supra, n. 6.

[9] Cf. *Catechismus Romanus,* c. VIII: De matrim. Sacr., nn. 4-8.

Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: Denz. 2237: « Et quoniam Christus ipsum coniugalem inter fideles validum consensum *signum* gratiae *constituit,* ratio sacramenti cum christiano coniugio tam intime coniungitur, ut nullum inter baptizatos verum matrimonium esse possit, " quin sit eo ipso sacramentum ". Cum igitur sincero animo fideles talem consensum praestant, *aperiunt sibi sacramentalis gratiae thesaurum,* ex quo

supernaturales vires hauriant ad officia et munera sua fideliter, sancte, perseveranter ad mortem usque adimplenda ». [121]

PIUS XII, *Sermo,* 5 martii 1941: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. III, p. 6: « ... voi stessi siete stati costituiti da Dio *ministri del sacramento,* voi, di cui Egli si è servito per stringere l'indissolubile unione vostra ed effondere nelle vostre anime le grazie e che vi rendano costanti e fedeli ai vostri nuovi obblighi. *A quale grande onore e dignità vi ha Egli innalzati!* ».

[10] Cf. CONC. TRID., Sess. XXIV, Doctr. *De sacr. matrimonii*: DENZ. 969.

[11] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: DENZ. 2236.

[12] Vide etiam Constitutionem *de Ecclesia,* caput V.

[13] Conferas quoque Constitutionem *de Ordine morali.*

[14] PIUS XII, *Sermo,* 6 dec. 1939: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. I, p. 414: « È immacolato dinnanzi a Dio chiunque compia con fedeltà e senza debolezza *gli obblighi* del *proprio stato.* Dio non chiama tutti i suoi figli allo *stato di perfezione,* ma invita ciascuno alla perfezione del suo stato: " Siate perfetti, diceva Gesù, come è perfetto il vostro Padre celeste " (Mt. 5, 48). I doveri della castità coniugale voi li conoscete. Essi *esigono* un coraggio reale, *talvolta eroico,* e una fiducia filiale nella divina Provvidenza... ». Cf. etiam PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 579.

Ut patet ex isto textu et ex Constitutionis nostrae contextu verbum « perfectio » hic accipitur in sensu morali sat amplo quatenus scilicet includit *praecepta* et consilia: nam Summus Pontifex imprimis loquitur de *obligationibus* proprii status.

[15] CONC. TRID., Sess. XXIV, Doctr. *De sacr. matrimonii*: DENZ. 969: « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus Sancti instinctu pronuntiavit, cum dixit: " Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una " (Gen. 2, 23 s.; cf. Eph. 5, 31) ».

Hoc autem vinculo *duos tantummodo copulari* et coniungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tamquam a Deo prolata, referens dixit: « Itaque iam non sunt duo, sed una caro » (Mt. 19, 16), statimque eiusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: « Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet... ».

Can. 2: DENZ. 972: « Si quis dixerit, licere Christianis *plures* simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum (Mt. 19, 4 ss. 9): A. S. » ... can. 7: DENZ. 977: « Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam (Mc. 10; 1 Cor. 7), propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit: A. S. ».

Cf. etiam *Prima Romana Synodus,* 1960, artt. 491-492.

[121] [16] Leo XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* Acta Leo-
[122] nis XIII, t. II, p. 12 s.: « Atque illa viri et mulieris coniunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte *impressas et insculptas prae se tulit proprietates,* nimirum unitatem et perpetuitatem ».

Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* passim.

[17] Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 541: « ... quae proinde leges nullis hominum placitis, nulli ne ipsorum quidem coniugum contrario convento obnoxiae esse possint... ».

Pius XII, Litt. Encycl. *Sertum laetitiae,* 1 nov. 1939: AAS 31 (1939) p. 640 sq.: « Hac ipsa de causa summopere curandum est, ut *dogma,* quod adserit divino iure *individuum perpetuumque matrimonium vinculum,* a nuptias contrahentibus *religiose retineatur sancteque custodiatur...* Utinam patria vestra alieno experimento potius quam proprio usu novisset damnorum cumulum, quem divortiorum licentia parit! Suadeat religionis reverentia, suadeat erga nobile americanum genus pietas, ut dire invalescens curetur et avellatur morbus, cuius consectaria ita nervose et vere Leo Pp. XIII descripsit: " Divortiorum causa fiunt maritalia foedera mutabilia: extenuatur benevolentia: infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur: tuitioni atque institutioni liberorum nocetur: dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio: discordiarum inter familias semina sparguntur: minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt, ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias, frangendas regnorum opes nihil tam valet quam corruptela morum, facile prospicitur *prosperitati familiarum ac civitatum maxima inimica esse divortia* " (Litt. Encycl. *Arcanum*) ».

[18] Verba Constitutionis directe refellere volunt etiam falsam persuasionem, qua divortium vinculi valeret etiam in foro Dei et introductio divortii esset signum civilitatis, cum omnes fere nationes *materialiter* civiliores illud institutum habeant. Unde necessitas declarandi sollemniter illud potius esse sic dictae « civiltà del peccato » effectum.

[19] Momentosum est in primis affirmare, ipsos fines matrimonii esse intelligendos iuxta ordinem constitutum ab ipso Deo iuxta doctrinam Pii XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 542: « ... *Ex Deo* sunt ipsa matrimonii institutio, *fines,* leges, bona... ».

[20] Fontes doctrinae circa quaestionem de fine matrimonii videntur significari verbis Pii XII, *Sermo ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 849: « Precisamente per tagliar corto a tutte le incertezze e le deviazioni, che minacciavano di diffondere errori intorno alla scala dei fini del matrimonio e ai loro reciproci rapporti, redigemmo Noi stessi alcuni anni or sono (10 marzo 1944) una dichiarazione sull'ordine di quei fini, indicando quel che la stessa struttura interna della *disposizione naturale rivela,* quel che è *patrimonio della tradizione cristiana,* quel che i *Sommi Pontefici hanno ripetutamente insegnato,* quel che poi nelle debite forme è stato fissato dal Codice di Diritto canonico ». Si tales fontes valent pro hierarchia finium, valent iam etiam pro ipsorum exsistentia et natura.

[21] Cf. in primis *Catechismus Romanus,* De matrimonii Sacramento,

c. VIII, n. 12: « Quod vero a Domino dictum est: Crescite et multiplicamini, id eo spectat, ut *cuius rei causa matrimonium institutum erat,* declaret ». Quae verba praecedunt omnia alia quae postea ipse Catechismus Romanus dicit de rationibus quibus homines moventur ad matrimonium. Adde: [122] [123]

LEO XIII, Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* 15 maii 1891: Acta Leonis XIII, t. XI, p. 104: « Ius coniugii naturale et primigenium homini adimere, *causamve nuptiarum praecipuam,* Dei auctoritate initio constitutam, quoquo modo circumscribere lex hominum nulla potest: *Crescite et multiplicamini* ».

PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 543: « Itaque *primum* inter matrimonii bona locum tenet *proles* ».

PIUS XII, *Sermo,* 3 oct. 1941: AAS 33 (1941) p. 423: « Nella quale delicata altrettanto che difficile questione due tendenze sono da evitarsi: quella che nell'esaminare gli elementi costitutivi dell'atto della generazione dà peso unicamente al *fine primario* del matrimonio, come se il *fine secondario* non esistesse o almeno non fosse *finis operis* stabilito dall'Ordinatore stesso della natura; e quella che considera il fine secondario come ugualmente *principale,* svincolandolo dalla essenziale sua subordinazione al fine primario, il che per logica necessità condurrebbe a funeste conseguenze. Due estremi, in altre parole, se il vero sta nel mezzo, sono da fuggirsi: da una parte, il negare praticamente o il deprimere eccessivamente il fine secondario del matrimonio e dell'atto della generazione; dall'altra, lo sciogliere o il separare oltre misura l'atto coniugale dal fine primario, al quale secondo tutta la sua intrinseca struttura è primieramente e in *modo principale* ordinato ».

PIUS XII, *Sermo,* 18 martii 1942: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. IV, p. 5: « Dio ha stabilito che al *fine essenziale e primario* del vincolo coniugale, che è la *generazione dei figli,* cooperassero il padre e la madre... ».

PIUS XII, *Sermo ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 848 s.: « Ora la verità è che il matrimonio, come *istituzione naturale,* in virtù della *volontà del Creatore* non ha come fine primario e intimo il perfezionamento personale degli sposi, ma *la procreazione e la educazione* della nuova vita... » et paulo post, p. 852, prosequitur: « Ora invece questo è insomma tutto subordinato e ordinato a quell'*unica grande legge* della *" generatio et educatio prolis ",* vale a dire al compimento del *fine primario del matrimonio* come origine e sorgente della vita ».

Et in eodem sermone PIUS XII dicit, p. 850 s.: « Tutti questi valori secondari della sfera e dell'attività generativa rientrano nell'ambito dell'*ufficio specifico* dei coniugi, che è di essere autori ed educatori della nuova vita ».

Cf. etiam *Prima Synodus Romana,* 1960, art. 493.

[22] PIUS XII, *Sermo ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 849.

[23] Cf. CIC, can. 1013, § 1.

Non agitur hic de distinctione inter *ius et exercitium iuris.*

[24] Cf. S. C. S. OFFICII, *Decretum,* 1 apr. 1944: AAS 36 (1944) p. 103.

[123] [25] Cf. S. THOMAS, *In 1 Cor.* 7, 2-9.

[26] Cf. PIUS XII, *Sermo ad obstetrices,* 29 oct. 1951, l. c.

[124] [27] Cf. PIUS XII, *Allocutio ad S. Romanae Rotae Auditores,* 3 oct. 1941: AAS 33 (1941) p. 421; et *Sermo ad obstetrices,* l. c.

[28] Cf. *S. Romanae Rotae Sententia,* 22 ian. 1944: AAS 36 (1944) pp. 179-200.

[29] Cf. PIUS XII, *Sermo ad obstetrices,* 29 oct. 1951, ll. cc.

Fines enim secundarii in matrimonio consequendi, licet subordinate, participant naturam specificam unionis coniugalis, quae a quacumque, etiam amicali unione specifice differt, per relationem intrinsecam essentialem ad finem primarium, ad quem igitur illi fines obiectivi sed secundarii per se ordinati etiam sunt.

Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 561.

[30] *Catechismus Romanus,* De matrim. Sacr., c. VIII, n. 13. Ibidem sermo fit de finibus matrimonii sub aspectu *subiectivo* seu finis operantis.

[31] Hic agitur de motivis personalibus, quibus coniuges vario modo moventur ad ineundum matrimonium particulare cum determinata persona. Nam matrimonium in casu particulari exsurgere non potest sine sponsorum voluntate: cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 541.

[32] LEO XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880, Acta Leonis XIII, t. II, p. 18.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 539 ss.

Haec autem Ecclesiae potestas, ut expresse dicitur in documentis haud paucis magisterii Ecclesiae se extendit sive ad ipsa sponsalia, sive ad ipsum vinculum ineundum vel relaxandum, sive ad conditiones quoad validitatem et liceitatem, sive ad iudicia declarationis nullitatis, sive ad separationem coniugum, sive ad defensionem sanctitatis in matrimonio servandae, etiam adiuncta canonica coactione; et in genere se extendit ad omnia, quae ei competunt iuxta iuris divini latitudinem, ab ipsa sola Ecclesia authentice interpretandam.

[33] Hic innuitur *Privilegium Paulinum et Petrinum.* Cuius potestatis exercitium, etiamsi antea intercesserit dispensatio ab *impedimento disparitatis cultus,* Ecclesiae iudicio prudenti relinquitur. Ideo non dantur in Constitutione aliae declarationes.

[34] LEO XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae*: Acta Leonis XIII, t. II, p. 17: « Neque iis dumtaxat quae commemorata sunt, Christiana eius perfectio absolutioque continetur. Nam primo quidem nuptiali societati excelsius quiddam et nobilius propositum est, quam antea fuisset; ea enim spectare iussa est non modo ad propagandum genus humanum, sed ad *ingenerandam Ecclesiae sobolem, cives sanctorum et domesticos Dei*: *ut* nimirum *populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur* (*Cath. Rom.,* cap. VIII) ».

[35] PIUS XII, *Allocutio ad S. Romanae Rotae Auditores,* 3 oct. 1941: AAS 33 (1941) pp. 421-426, praesertim p. 424, n. 3 usque ad p. 426; 1 oct. 1942: AAS 34 (1942) pp. 338-343; 2 oct. 1944: AAS 36 (1944) pp. 281-290.

[36] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 552:

« Quod si exceptioni, etsi rarissimae, haec firmitas obnoxia videatur, ut [124]
in quibusdam coniugiis *naturalibus* solum *inter infideles* initis vel, si inter *Christifideles,* ratis illis quidem sed nondum consummatis, ea exceptio non
ex hominum voluntate pendet, neque potestatis cuiuslibet mere humanae, [125]
sed ex *iure divino,* cuius una custos atque interpres est Ecclesia Christi. Nulla tamen, neque ullam ob causam, facultas huiusmodi cadere unquam poterit in *matrimonium christianum ratum atque consummatum* ».

[37] BENEDICTUS XIV, Litt. *Redditae sunt nobis,* 17 sept. 1746: MIGNE, *Theol. Curs. compl.,* Paris 1839-1845, t. 25, p. 682.

PIUS VII, Litt. *Que votre Majesté,* 26 iunii 1805.

PIUS IX, Litt. *La lettera,* 9 sept. 1852: *CIC Fontes,* v. II, pp. 869-872.

LEO XIII, Litt. *Ci siamo,* 1 iunii 1879: Acta Leonis XIII, tom. I, p. 236 s.

LEO XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae*: Acta Leonis XIII, t. II, pp. 10-40; *Allocutio consistorialis,* 18 martii 1895: Acta Leonis XIII, t. XV, pp. 73-77; Litt. *Quam religiosa,* 10 aug. 1898: Acta Leonis XIII, t. XVIII, pp. 140-144.

PIUS XII, *Allocutio ad S. Romanae Rotae Auditores,* 6 oct. 1946: AAS 38 (1946) pp. 391-397.

[38] PIUS VI, Litt. *Litteris tuis,* 11 iulii 1789: MIGNE, *ibidem,* t. 25, p. 703.

[39] PIUS VI, Litt. *Deessemus nos,* 16 sept. 1788: MIGNE, *ibidem,* t. 25, p. 694.

PIUS VII, Litt. *Que votre Majesté,* 26 iunii 1805.

LEO XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae*: Acta Leonis XIII, t. II, pp. 10-40; *Allocutio consistorialis,* 16 dec. 1901: Acta Leonis XIII, t. XXI, pp. 185-188.

PIUS XII, *Allocutio ad S. Romanae Rotae Auditores,* 6 oct. 1946 l. c.

[40] Ex documentis pontificiis sat constat, quod auctoritas civilis non potest delimitare finem primarium matrimonii (ut alio loco Constitutionis dicitur) neque leges ferre, legibus divinis iniuriosas, circa unitatem, indissolubilitatem, fidelitatem, etc. Plura sunt quoad hoc documenta Ecclesiae.

[41] PIUS VI, Const. *Auctorem fidei* contra errores Synodi Pistoriensis, errores de sponsalibus et matrimonio, prop. 60: DENZ. 1560.

[42] Hae iudiciales sententiae Ecclesiae possunt intelligi etiam quoad sponsalia, quoad vinculum vel etiam quoad simplicem separationem coniugum: pro qua tamen cf. PIUS XI, *Casti connubii.* Cf. etiam notam sequentem.

[43] PIUS IX, Litt. *La lettera,* in *Codicis Iuris canonici Fontes,* t. II, p. 870: « Non vi è pertanto altro mezzo di conciliazione che, *ritenendo Cesare quello che è suo, lasci alla Chiesa ciò che ad essa appartiene.* Il potere civile disponga pure degli effetti civili, che derivano dalle nozze, ma lasci alla Chiesa il regolarne la *validità* fra i cristiani. La legge civile *prenda le mosse dalla validità od invalidità del matrimonio,* come sarà dalla Chiesa determinata, e partendo da questo fatto, che è fuori della sua sfera il costituirlo, disponga allora degli effetti civili ».

[44] Cf. *Catechismus Romanus,* De matrim. Sacr., c. VIII, n. 1.

[45] Cf. Schema paratum in Conc. Vat. I: MANSI 53, 719 s.

[125] [46] Cf. Schema paratum in Conc. Vat. I: *ibid.*

[47] Cf. etiam Schema Const. *De Ordine Morali,* a Commissione Theologica paratum.

[126] [48] CONC. TRID., Sess. XXIV, Doctr. *De sacr. matrimonii,* c. 5-7; DENZ. 975-977.

PIUS IX, *Syllabus*, n. 67: DENZ. 1767.

LEO XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* cf. supra not. 2.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* cf. supra not. 2.

PIUS XII, *Allocutio,* 22 apr. 1942: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. IV, p. 47: « Il vincolo del matrimonio cristiano è così forte, che, se esso ha raggiunto la sua piena stabilità con l'uso dei diritti coniugali, *nessuna potestà al mondo, nemmeno la Nostra, quella cioè del Vicario di Cristo, vale a rescinderlo* ».

PIUS XII, *Allocutio,* 16 martii 1946, *ibid.,* t. VIII, p. 14: « ... il matrimonio fra battezzati validamente contratto e consumato non può essere sciolto da nessuna potestà sulla terra, *nemmeno dalla Suprema autorità ecclesiastica* ».

[49] Cf. varias sententias erroneas de finibus matrimonii inter quos: H. DOMS, *Vom Sinn und Zweck der Ehe,* Breslau, 1935. Cf. etiam E. MICHEL, *Ehe, Eine Anthropologie der Geschlechtsgemeinschaft,* Stuttgart 1948 (2ª ed. 1950). Hic liber in *Indicem librorum prohibitorum* a S. C. S. OFFICII insertus est: AAS 44 (1952) p. 879.

[50] Qui statuunt amorem coniugalem uti finem primarium matrimonii increpantur expresse a PIO XII, *Allocutio,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 849 s.: « Non soltanto l'opera comune della vita esterna, ma anche tutto l'arricchimento personale, lo stesso arricchimento intellettuale e spirituale, *perfino tutto ciò che vi è di più spirituale e profondo nell'amore coniugale come tale, è stato messo, per volontà della natura e del Creatore, al servizio della discendenza* ».

PIUS XII, *Allocutio,* 19 maii 1956: AAS 48 (1956) p. 469 s.: « Plusieurs fois déjà Nous avons cru nécessaire de rappeler comment les intentions particulières des conjoints, leur vie commune, leur perfectionnement personnel, ne pouvaient se concevoir que subordonnés au but qui les dépasse, la paternité et la maternité. " Non seulement l'œuvre commune de la vie extérieure, disons-Nous dans une allocution adressée aux sages-femmes le 29 octobre 1951, mais encore tout l'enrichissement personnel, même l'enrichissement intellectuel et spirituel, jusqu'à ce qu'il y a de plus spirituel et profond dans l'amour comme tel, a été mis par la volonté de la nature et du Créateur au service de la descendance ". Tel est l'enseignement constant de l'Eglise; elle a rejeté toute conception du mariage qui menacerait de le replier sur lui-même, d'en faire une recherche égoïste de satisfactions affectives et physiques dans l'intérêt des seuls époux ».

Cf. etiam: PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930), p. 548 s., quamvis quidam ex verbis *Catechismi Romani,* ibidem relatis, indebite superextollant amorem coniugalem ut finem primarium obiectivum ipsius matrimonii.

CAPUT II [127]

DE IURIBUS, OBLIGATIONIBUS, VIRTUTIBUS MATRIMONIO CHRISTIANO PROPRIIS

15. [*Iura et officia singulorum hominum*]. Omnis homo habet per se ius innatum, personale et inviolabile matrimonium legitime ineundi. Potest tamen obstare, absolute vel relative, perpetuo vel ad tempus, aliquod legitimum impedimentum.[1] Aliquando vero quidam propter rationes varias, v. gr. medicas, eugeneticas, oeconomicas, sociales adhortandi sunt, ne contrahant matrimonium, nisi rationes praevalentes ordinis personalis et moralis, aliis quidem rationibus inferioris momenti non obstantibus, suadeant ut etiam illi matrimonium ineant vel eo utantur.[2] Itidem nulla privata vel publica auctoritate homo, naturaliter capax, indebitis limitibus et conditionibus praematrimonialibus vi iuris a matrimonio ineundo impediri potest.[3] His iuribus salvis, uniuscuiusque officium est se etiam in iis, quae matrimonium praecedunt, prudenter, iuste casteque gerere.[4] Hac de causa moraliter improbanda sunt imprudentia sponsalia, alterius partis dolosae deceptiones, et illicitae libertates sexuales inter futuros sponsos, etiam ad matrimonium securius ineundum.[5] Non enim, monente Apostolo (cf. Rom. 3, 8), facienda sunt mala ut eveniant bona. Summi momenti autem est ad matrimonium recta atque christiana educatio et diligens cum aptis instructionibus praeparatio, in spiritu castitatis, caritatis et sacrificii, adiuvantibus varii generis mediis cum naturalibus, tum maxime supernaturalibus, vitatis naturalismi erroribus.[6] In ipsa denique nuptiarum celebratione officium grave est consensum requisitum legitime exprimere, vetita quacumque simulatione seu profanatione.

16. [*Iura et obligationes quoad bonum prolis*]. Ex ordine divinitus constituto, circa matrimonii naturam, proprietates et fines, clare patet, Deum ipsum et Christum illud ordinavisse ad quaedam bona consequenda. Quae quidem bona veluti in summam collegit S. Augustinus hisce verbis: « Haec omnia bona sunt, propter quae nuptiae bonae sunt: proles, fides, sacramentum ».[7] Circa ista tria bona divinitus data sunt iura et obligationes, a coniugibus

[128] debite servanda; et inter ea, attento fine, ob quem matrimonium a Deo institutum est, bonum prolis primum locum tenet.[8] Ideoque oportet proles amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur, ut nervose dicit idem S. Augustinus; [9] eademque, ut saepenumero monet S. Scriptura, tamquam verum bonum, benedictio caelestis donumque Dei fideliter agnoscatur.[10] Quod attinet ad ipsum procreandi actum, qui, utpote a Deo ordinatus, per se legitimus et bonus est,[11] ius et officium coniugum est, in modo agendi ea servare quae sunt secundum naturam.[12] Quare etiam in matrimonio legitime inito desiderium per se tam laudabile habendi prolem ex proprio coniugio, non licitam efficit fecundationem, quam vocant artificialem: non autem prohibet artificiale adiumentum actus coniugalis.[13] Similiter omnes modi vel artes, quibus in usu coniugii directe, de industria humana, impeditur procreatio prolis, ut intrinsece et graviter mala haberi debent.[14] Onanismus coniugalis formalisque ad eundem cooperatio semper graviter prohibentur.[15] Quoad amplexum, qui reservatus audit, pastores et fideles, se gerant iuxta doctrinam et decreta S. Sedis.[16] Ad prolem conservandam quod attinet, coniuges grave officium habent vitandi quamcumque, sive ut finem sive ut medium, intentam prolis occisionem,[17] quamvis peragatur per abortum therapeuticum procurata.[18] Illicitum quoque est post actum coniugalem positum, processum conceptionis quocumque gradu obtentum interrumpere,[19] vel fetus nondum nati directam destructionem operari: qua quidem agendi ratione etiam peccatur contra grave praeceptum Dei.

17. [*Iura, obligationes et virtutes quoad bonum fidei*]. Coniugum quoque est sancte servare et promovere bonum fidei, quod importat praeter cetera coniugii unitatem et castam coniugum fidelitatem, et christianum inter coniuges amorem.[20] Exigit autem casta fidelitas ab utroque coniuge, etiam iustitiae titulo, ut serventur et reddantur iura sibi invicem in contrahendo matrimonio tradita. Quaevis igitur adulterina relatio absolute est ab utroque coniuge vitanda. Nam a peccato adulterii non excusat adulterium alterius coniugis, nec eiusdem silentium vel consensus, vel suorum iurium renuntiatio,[21] vel infidelitas solis actibus internis commissa (cf. Mt. 5, 28). Insuper casta fidelitas exigit ut in debito mutuo reddendo nullo modo agatur contra legem Dei, etiamsi id actus vere heroicos imponat. Quos tamen actus coniuges, iuvante Dei gratia, praestare possunt. Deus enim impossibilia non

iubet, sed iubendo monet et facere quod possis et petere quod non [129] possis, et adiuvat ut possis, cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos, supra id quod possumus, tentari (cf. 1 Cor. 10, 13).[22]

18. [*De caritate coniugali*]. Supra autem omnia iura, officia et virtutes, proprium principatum tenens,[23] splendet caritas, quae etiam in vita coniugali alias leges supponit et implet, immo complet et elevat, monente Apostolo: « Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam » (Eph. 5, 25). Quapropter amor christianus coniugalis non tantum excellat oportet gloriosis insignibus caritatis, ab Apostolo exaltatis (cf. 1 Cor. 13, 4-7), sed quantum fieri potest imitari debet suo modo amorem Christi erga Ecclesiam (cf. Eph. 5, 25 ss.), sanguine acquisitam (Act. 20, 28). Est igitur caritas amoris coniugalis perfectio [24] ac plenitudo: nam etiam de statu matrimoniali valet verbum Dei: plenitudinem legis esse dilectionem (cf. Rom. 13, 10). Ne tamen consensus nuptialis dicatur invalidus, si de facto amor coniugalis deficit; [25] nec amoris perfectio potius quam in divinae voluntatis ex toto corde observantia ponenda est in quadam animae mollitie, a nonnullis proclamata veluti basis vitae cuiusdam spiritualis solis coniugibus propriae;[26] absit denique, ut restringatur ad quasdam sensuales et caecas inclinationes: sed animo et opere coniuges, in Deo et propter Deum, se invicem ament oportet.[27]

19. [*Obligationes quoad bonum sacramenti*]. Bonum sacramenti « quo denotatur et vinculi indissolubilitas et contractus in efficax gratiae signum per Christum facta elatio atque consecratio » [28] sub proprio aspectu est praecellens [29] atque etiam gravia importat munera. Imprimis grave officium christifidelium est, ne seposito connubio religioso ab Ecclesia praescripto, solo « matrimonio civili » se iungant, quo actu iuridico hoc solo sensu coniuges ab auctoritate civili declarantur, quatenus in foro status civilis instruuntur iuribus oneribusque mere civilibus. Sciant fideles ex unione sola et mere civili, quae contradicit legibus irritantibus Ecclesiae, nullum sibi exsurgere coram Deo validum vinculum coniugale vel Sacramentum. Hac de causa dolose atque invalide contra leges Ecclesiae coniuncti iure merito ut publici peccatores habentur, atque Ecclesia ius habet filios suos errantes publice ut tales declarandi eosque poenis canonicis afficiendi.[30]

[130] 20. [*De divortio civili*]. Graviter prohibentur coniuges quominus petant divortium, quod vocant civile, veluti proprie dictam dissolutionem, ac si ipsum validum vinculum coram Deo acceptum ab auctoritate civili posset dissolvi; immo neque aliis licitum est directe et formaliter ad tale divortium civile cooperari. Nullo enim in casu et nulla ratione, etsi non raro gravi et dolorosa, fidelibus licet, permanente sacro vinculo, dimittere uxorem ad accipiendam aliam, ut clare docet ipse Dominus (Mc. 10, 11), quamvis nonnumquam hoc invalide concedat civilis auctoritas. Aliquando vero ipsum « divortium civile », salvo tamen vinculo et non contradicente auctoritate ecclesiastica, peti potest. Nec illa, quae vocatur simplex separatio facienda est leviter, sine iusta, gravi, proportionata causa.[31]

21. [*De matrimoniis mixtis*]. Ubi matrimonium inter duos catholicos sine extraordinariis difficultatibus contrahi potest, bonum religionis plerumque exigit, ut viri et mulieres catholici vitent matrimonia quae mixta dicuntur, maxime cum infidelibus. Sed etiam fidelium est, iuxta prudentiae et aliarum virtutum dictamina, vitare matrimonium cum illis, qui Deo vel religioni adversantur[32] vel cum illis qui nomine non vita sunt catholici. Licet Ecclesia sua potestate utendo mixta matrimonia permittat, tamen pars catholica, ipsa dictante lege divina, in matrimonio mixto sibi concesso vitare debet pericula fidei et indifferentismum, sedulo semper incumbere in catholicam prolis educationem, atque amanter et prudenter conari coniugem ad veritatem catholicam perducere.[33] Pastores autem specialem curam habeant eorum, qui matrimonio mixto iuncti sunt. Scit quidem S. Synodus matrimonia mixta in nonnullis locis vitari non posse, sed ex hoc facto quod alicubi contingere potest ne deducantur falsa principia vel periculosa incitamenta.[34]

22. [*Errores reprobantur*]. S. Synodi est severe damnare illud quod vocant « matrimonium ad tempus » vel « ad experimentum » vel « amicale ».[35] Reiicit insuper, ut homine atque maxime ut christiano indignas, instructiones illas, quibus variis artificiis, veri nominis hedonismus in ipso sacro ac sancto coniugio propagatur.[36] Reprobat theorias, quibus ut licita retinetur coniugibus fidei coniugalis violatio, sive cum amor mutuus inter coniuges deficit sive cum sexualitatis impetus intra limites matrimonii monogamici coarctari non posse falso putatur.[37] Erroneum

quoque est asserere ipsam auctoritatem civilem nullo in casu [131] gaudere potestate puniendi, et quidem per se aequali poena cum viros, tum mulieres adulteros.[38] Increpat autem illos qui autumant, et quidem sub specie boni Ecclesiae, universaliter et per se loquendo coniugia mixta potius esse promovenda quam toleranda. Erronea quoque est sententia, quae tenet, ex solo defectu amoris matrimonium ut invalidum declarari vel solvi posse.[39] Severissime denique condemnat S. Synodus illum quem vocant « amorem liberum », quo etiam falso praetextu inter homines construendi novam fraternitatem et societatem, contra ordinem divinum peccatur atque letale vulnus infligitur non solum matrimonio, sed etiam familiae et societati.

NOTAE

1 Leo XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880: Acta Leonis XIII, t. II, pp. 10-40.

Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: AAS 22 (1930) pp. 539-592, passim.

Pius XII, *Allocutio,* 3 oct. 1941: AAS 33 (1941) p. 422: « E in primo luogo, se si considera il *diritto al matrimonio,* i Nostri gloriosi Predecessori Leone XIII e Pio XI insegnarorno già, che " niuna legge umana può togliere all'uomo il *diritto naturale e primitivo del coniugio* ". Tale diritto invero, poichè fu dato all'uomo *immediatamente* dall'Autore della natura, supremo Legislatore, non può essere ad alcuno negato, se non si provi che egli, o vi abbia liberamente rinunziato o sia incapace di contrarre matrimonio per difetto di mente o di corpo. Ma, perchè nei casi particolari il matrimonio da contrarre venga impedito o già contratto sia dichiarato nullo, è necessario che questa incapacità antecedente e perpetua consti non soltanto in modo dubbio o probabile, ma con morale certezza; e in tale condizione di certezza, nè il matrimonio si può permettere, nè già celebrato può dirsi valido ».

2 Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 565: « Et fas profecto non est homines, matrimonii ceteroquin capaces, quos, adhibita etiam omni cura et diligentia, nonnisi mancam geniturus esse prolem conicitur, ob eam causam gravi culpa onerare si coniugium contrahant, quamquam saepe matrimonium iis dissuadendum est ».

Pius XII, Allocutio, 7 sept. 1953: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. 15, p. 265: « Certainement, on a raison, et dans la plupart des cas le devoir, de faire remarquer à ceux qui sont certainement porteurs d'une hérédité très chargée, quel fardeau ils sont sur le point de s'imposer à eux-mêmes, au conjoint et à leur descendance; ce fardeau deviendra peut-être intolérable. Mais déconseiller n'est pas interdire. Il peut y avoir d'autres motifs, surtout moraux et d'ordre personnel, qui l'emportent tellement qu'ils autorisent à contracter et à user du mariage même dans les circonstances indiquées ».

[131] [3] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 564 s.
[132] PIUS XII, *Allocutio,* 7 sept. 1953, l. c., p. 264 s.: « Un autre chemin conduit au même but: l'interdiction du mariage ou son impossibilité physique par l'internement de ceux dont l'hérédité est tarée sont également à rejeter. L'objectif poursuivi est bon en soi, mais le moyen de l'obtenir lèse le droit personnel à contracter et à user du mariage. Quand le porteur d'une tare héréditaire n'est pas apte à se conduire humainement, ni par conséquent à contracter mariage, ou lorsque plus tard il est devenu incapable de revendiquer par un acte libre le droit acquis par un mariage valide, on peut l'empêcher d'une manière licite de procréer une nouvelle vie. Hors de ces cas, l'interdiction du mariage et des rapports matrimoniaux pour des motifs biologiques, génétiques et eugéniques est une injustice, quel que soit celui qui porte cette interdiction, un particulier ou les pouvoirs publics ».

[4] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 585. Implicite hic improbantur illi moderni sed imprudentes modi inveniendi coniugem per sic dictam « Agenzie matrimoniali » non tamen *per se,* sed quatenus aliqua virtus christiana in illis modis laeditur.

[5] *Prima Romana Synodus,* 1960, art. 495, § 2.

[6] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* l. c.; S. C. S. OFFICII, *Decretum,* 21 martii 1931: AAS 23 (1931) p. 118.

PIUS XII, *Allocutio ad parochos,* 22 febr. 1944: AAS 36 (1944) pp. 69-87; *Allocutio,* 18 sept. 1951: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. 13, pp. 241-245; *Allocutio,* 19 martii 1953: *ibid.,* t. 15, pp. 9-17; *Allocutio,* 19 apr. 1953: *ibid.,* pp. 95-98; *Allocutio,* 8 sept. 1953: *ibid.,* pp. 269-272.

Prima Romana Synodus, 1960, art. 494.

[7] S. AUGUSTINUS, *De bono coniugali,* 24, 32: PL 40, 394: « Haec omnia bona sunt, propter quae nuptiae bona sunt: proles, fides, sacramentum »: cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 543.

[8] Cf. Gen. 1, 28; 1 Tim. 5, 14.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* l. c.: DENZ. 2228: « Itaque primum inter matrimonii bona locum tenet proles ». Cf. etiam *Catechismus Romanus,* De matrim. Sacr., c. VIII, n. 23: « Primum igitur bonum est proles... ».

[9] S. AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* IX, 7, 12: PL 34, 397.

[10] Cf. Ps. 126, 3; Ps. 127, 3; Io. 16, 21; 1 Tim. 2, 15.

PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 848 s.

[11] Cf. PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* l. c.

[12] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* l. c.: DENZ. 2239.

PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* l. c.

[13] Cf. S. C. S. OFFICII, *Decretum,* 26 martii 1897: ASS 29 (1896-1897) p. 704.

PIUS XII, *Allocutio,* 29 sept. 1949: AAS 41 (1949) pp. 557-561.

PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* l. c., p. 850: « ... abbiamo *formalmente* esclusa dal matrimonio la *fecondazione artificiale* ».

PIUS XII, *Allocutio,* 19 maii 1956: AAS 48 (1956) p. 471: « Sur les diverses questions de morale qui se posent à propos de la fécondation artificielle, au sens ordinaire du mot, ou "insémination artificielle ", Nous

avons déjà exprimé Notre pensée dans un discours adressé aux médecins [132]
le 29 septembre 1949; aussi Nous renvoyons pour le détail à ce que Nous
disions alors et Nous Nous limitons ici à répéter le jugement donné pour [133]
conclure: " En ce qui touche la fécondation artificielle, non seulement il y a lieu d'être extrêmement réservé, *mais il faut absolument l'écarter* ". En parlant ainsi, on ne proscrit pas nécessairement l'emploi de certains moyens artificiels destinés *uniquement* soit à faciliter l'acte naturel, soit à faire atteindre sa fin à l'acte naturel normalement accompli ».

In Constitutione, uti patet, interdicitur quaecumque fecundatio vere artificialis, ut iam fecit *Prima Synodus Romana,* art. 493, § 2. Sine addito condemnatur: ideoque non solum inter ipsos coniuges, sed a fortiori extra legitimum coniugium vel ex alio viro.

[14] Ergo in primis condemnatur omnis sterilizatio *directa* sive *perpetua* sive *temporanea,* quae operatur ad vitandam prolem: Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 560: « quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari ».

PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 844. Quoad modernas artes ad tempus suspendendi facultatem generativam (scilicet irradiatione, pillulis, « drogues », etc.), verba Summi Pontificis prae oculis habenda sunt: PIUS XII, *Allocutio,* 12 sept. 1958: AAS 50 (1958) pp. 734-736.

[15] Plura sunt documenta et decisiones S. Sedis quoad onanismum coniugalem:

S. Paenitentiaria Apost.: 15 nov. 1816; 23 apr. 1822; 1 febr. 1823; 8 iunii 1842; 27 maii 1847; 21 maii 1851; 2 martii 1853; 14 dec. 1876; 16 iunii 1880; 10 martii 1886; 13 nov. 1901; 2 sept. 1904; 3 apr. 1916; 3 iunii 1916: cf. quoad omnia: FR. HÜRTH, *Leo XIII et Pius XI*: *Enc. de Matrimonio Christiano, Textus et Documenta, Ser. Theologica 25,* Romae 1953, p. 86 ss.

S. C. S. OFFICII, 21 maii 1851; 19 apr. 1853; 1 dec. 1922: *ibid.,* p. 87, 99, 94.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 559 ss.

PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 842 ss.; *Allocutio,* 19 maii 1956: AAS 48 (1956) p. 469 ss.

[16] Hic prae oculis habetur illa copula reservata, quae licet non moderni temporis, sed etiam antiquitus usitata a coniugibus, hodie maxime diffunditur etiam a catholicis ore ac scriptis; immo adsunt aliqua Instituta (e. g. in Gallia « Dynam-Institut » et « L'Institut de sexologie familiale », etc.) qui methodos docent et propagant. Licet Commissio sciat de difficultate determinandi, num talis amplexus in se sit intrinsece malus, tamen Ecclesia ob periculum hedonismi diffundendi ius habet practice prohibendi quominus propagetur, sicut iam fecit *Monitum* S. C. S. OFFICII, 30 iunii 1952: AAS 44 (1952) p. 546.

Cf. etiam PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) pp. 851-853.

[17] Cf. inter alia: PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: DENZ. 2242.

[133] [18] Cf. S. C. S. OFFICII, *Decretum,* 4 maii 1898: ASS 30 (1897-98) p. 704; 24 iulii 1895: ASS 28 (1895-96) p. 383 s.; 31 maii 1884: ASS 17 (1884) p. 556.

[134] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* l. c.: DENZ. 2243.

[19] Hic condemnantur omnes artes quibus processus vitalis humanus iam inceptus interrumpitur. Neque excusat probabilis sententia, qua anima rationalis tantum post aliquod tempus a conceptione infundi retinetur. Quidquid de veritate istius doctrinae, etiam a magnae auctoritatis viris retenta, remanet principium, quo numquam licet interrumpere processum vitalem humanum iam inceptum.

[20] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* l. c.: DENZ. 2231 ss., 2247 s.

[21] Ex professo de condemnatione adulterii sub omnibus aspectibus: PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* ubi expresse etiam improbantur qui « quaecumque de fide coniugali retinenda latae fuerint poenales reipublicae leges, eas irritas esse volunt, aut certe irritandas »: AAS 22 (1930) p. 566.

Cf. S. C. S. OFFICII, *Decretum,* 4 martii 1676, prop. 50: DENZ. 1200: « Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium ».

Cf. etiam: *Prima Romana Synodus,* 1960, art. 492, § 2: « Coniugalis fides est *utrique* coniugii ius et officium sacrum ». Non raro putatur adulterium esse reprehensibile tantum in muliere.

[22] CONC. TRID., Sess. VI, Decr. *De iustif.,* c. 11: DENZ. 804 et Sess. XXIV, Doctr. *De sacr. matrimonii,* can. 9: DENZ. 979.

S. AUGUSTINUS, *De natura et Gratia,* c. 43, n. 50: PL 44, 271.

PIUS XII, *Allocutio,* 20 aug. 1941: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. III, p. 184: « Allorchè i Nostri Predecessori di venerata memoria, e particolarmente il Sommo Pontefice Pio XI nella Lettera Enciclica *Casti connubii,* hanno richiamato e ricordato *le sante ed ineluttabili leggi della vita matrimoniale, ponderavano e si rendevano perfettamente conto che in non pochi casi agli sposi cristiani si richiede un vero eroismo per osservarle inviolabilmente* ».

PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 846 s., ubi denuo agit de possibilitate et de gratia.

[23] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: DENZ. 2232.

[24] Multi hodie confundunt *amorem* coniugalem *naturalem* cum *caritate* coniugali, quae est ordinis supernaturalis. Unde Constitutio sermonem facit de caritate. Gratia perficit amorem ipsum coniugalem iuxta doctrinam CONC. TRID., Sess. XXIV, Doctr. *De sacr. matrimonii*: DENZ. 969.

PIUS XII, *Allocutio,* 29 ian. 1941: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. II, p. 384: « Un'affezione mutua, nata nella sola inclinazione che vi porta l'uno verso l'altra, o anche nella mera compiacenza per i doni umani che scoprite con tanto appagamento l'uno nell'altra; una tale affezione, per quanto bella e profonda si riveli e riecheggi nella intimità dei fidi colloqui di sposi novelli, non è mai che basti; nè varrebbe a pienamente comporre quell'unione delle vostre anime, quale l'ha intesa e bramata l'amorosa Provvidenza di Dio nel condurvi l'uno verso l'altra. *Soltanto la carità soprannaturale, vincolo di amicizia fra Dio e l'uomo,* può stringere nodi incrollabili a tutte le scosse, a tutte le vicissitudini, a tutte le prove inevitabili durante una lunga vita a due... ».

Et in eodem sensu iam LEO XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae*: Acta Leonis XIII, t. II, p. 16: « Iamvero Apostolis magistris accepta referenda sunt, quae sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt, nimirum Christum Dominum ad sacramenti dignitatem evexisse matrimonium... atque in eo, *ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato, et amorem qui est naturae consentaneus perfecisse,* et viri et mulieris individuam suapte natura societatem *divinae caritatis* vinculo validius coniunxisse ». [134] [135]

[25] Reprobatur hic sententia, qua amor coniugalis dicitur *obiectum* proprium consensus matrimonialis, qua talis. Cum e contra solum *ius* ad actus per se aptos ad prolis generationem, utpote obiectivum, non vero amor coniugalis, exsistere potest per se « etiam non considerato qualiter ab agente fiat » ut dicit S. THOMAS (*Summa Theol., II-II,* q. 57, a. 1). Attamen non negatur, amorem coniugalem, perfectum caritate supernaturali, esse legem quae debet totam vitam coniugalem christiane pervadere. Alius error adest, qui statuit amorem coniugalem uti finem primarium matrimonii; qui quidem error improbatur circa finem Constitutionis.

[26] Habetur prae oculis quaedam falsa « spiritualitas coniugalis » et quaedam falsa opinio de amore coniugali, in quibus praescinditur a legibus, ut iam monuit agens contra sic dictam « moralem novam » PIUS XII, *Nuntius radioph.* 23 martii 1952: AAS 44 (1952) p. 270 ss. et 18 apr. 1952: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. XIV, p. 71 ss.

Iam antea PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 583: « Quidquid tandem verbo et scripto asseri et propagari velit, firmiter constanterque coniugibus sanctum ac sollemne esto: in omnibus quae ad matrimonium pertinent, sine ulla haesitatione *Dei mandatis stare se velle*: *mutuo caritatis auxilio semper praestando,* castitatis fide servanda, vinculi firmitate numquam violanda, *iuribus per coniugium acquisitis non nisi christiane semper et moderate adhibendis, primo praesertim coniugii tempore,* ut, si quando postea rerum adiuncta continentiam postularint, uterque iam assuetus continere, faciliore negotio, se queat ».

[27] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: DENZ. 2232, cui adde: PIUS XII, *Allocutio,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 852 s.: « Al presente... si suole sostenere, con le parole e con gli scritti (anche da parte di alcuni cattolici) la necessaria autonomia, il proprio fine e il proprio valore della sessualità e della sua attuazione, indipendente dallo scopo della procreazione di una nuova vita... Non si vorrebbe ammettere altro freno nel modo di soddisfare l'istinto che l'osservare l'essenza dell'atto istintivo... Questo edonismo anticristiano troppo spesso non si arrossisce di erigerlo a dottrina, inculcando la brama di rendere sempre più intenso il godimento nella preparazione e nella attuazione della unione coniugale; come se nei rapporti coniugali tutta la legge morale si riducesse al regolare compimento dell'atto stesso, e come se tutto il resto, in qualunque modo fatto, rimanga giustificato dalla *effusione del reciproco affetto, santificato dal sacramento del matrimonio, meritevole di lode e di mercede dinnanzi a Dio e alla coscienza.* Della dignità dell'uomo e della dignità del cristiano, che mettono un freno agli eccessi della sensualità, non si ha cura. *Ebbene no.* La gravità e la santità della legge morale cristiana non ammettono una sfrenata

[135] soddisfazione dell'istinto sessuale e di tendere così soltanto al piacere e al godimento; essa non permette all'uomo ragionevole di lasciarsi dominare sino a tal punto, nè quanto alla sostanza, nè quanto alle circostanze dell'atto. Si vorrebbe da alcuni addurre che la felicità nel matrimonio è in ragione diretta al reciproco godimento nei rapporti coniugali. No: la feli-
[136] cità nel matrimonio è invece in ragione diretta del vicendevole rispetto fra i coniugi, anche nelle loro intime relazioni; non già quasi che essi giudichino immorale e rifiutino quel che la natura offre e il Creatore ha donato, ma perchè questo rispetto, e la mutua stima che esso ingenera, è uno dei più validi elementi di un *amore puro,* e *per ciò stesso tanto più tenero* ».

[28] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: DENZ. 2234.

[29] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 569: « Sed sicut haec bona tertium, quod sacramenti est, longe antecellit, ita nil mirum, quod hanc imprimis excellentiam multo acrius videmus ab iisdem oppugnari »; cf. etiam pp. 550-553.

[30] Quoad matrimonium civile iam in CONC. VAT. I parati erant aliqui canones: cf. MANSI 53, 721, 718 (n. 16), 752.

De hac re innumera sunt documenta magisterii Ecclesiae: cf. inter alia:

Instructio S. C. de Disciplina Sacramentorum: AAS 21 (1929) p. 352 et *Prima Romana Synodus,* 1960, art. 496, § 2: « Itali fideles noverint, si " forte civiliter contrahere ausi fuerint, quamvis animus ipsis sit celebrandi postea religiosum matrimonium, se pro publicis peccatoribus habitum iri, et parochum ad normam can. 1066 se gessurum " ».

In aliquibus tamen regionibus matrimonium civile imponitur ut praecedat matrimonio religioso. In his casibus evidenter satis est ut fideles faciant quod possint.

[31] Doctrina contra divortium civile innumeris continetur documentis Ecclesiae, quae unusquisque facile sibi comparare potest.

Quoad iustam causam in separatione considerandam sic scribit *Catechismus Romanus,* De matrim. Sacr., n. 20: « Neque enim sancta Ecclesia viro et uxori permittit, ut sine *gravioribus causis* alter ab altero discedat ».

[32] Etiam quoad matrimonium mixtum, in CONC. VAT. I doctrina et canon parata erant: MANSI 53, 721, 754 s.

Cf. S. C. S. OFFICII, *Decretum,* 1 iul. 1949: AAS 41 (1949) p. 334, et *Declaratio,* 11 aug. 1949: AAS 41 (1949) p. 427 s.

[33] BENEDICTUS XIV, Litt. Encycl. *Magnae nobis,* 29 iunii 1748: *Bullarium,* t. II, Romae 1754, p. 247 ss.

CLEMENS XIII, Litt. Apost. *Quantopere,* 16 nov. 1763: *Bullarii Rom. Continuatio,* t. II Pont. Clem. XIII, Romae 1837, p. 425 ss.

PIUS VI, Litt. *Exsequendo nunc,* 13 iulii 1782: *CIC Fontes,* Vol. II, p. 655 ss.

PIUS VIII, Litt. Apost. *Litteris altero,* 25 martii 1830: *CIC Fontes,* Vol. II, p. 733 ss.

GREGORIUS XVI, Litt. Encycl. *Summo iugiter,* 27 maii 1832: Acta Gregorii Papae XVI, Vol. I, Romae 1901, p. 140 ss.; Litt. Encycl. *Commissum divinitus,* 17 maii 1835: *ibid.,* Vol. II, Romae 1901, p. 32 ss.;

Breve *Non sine gravi,* 23 maii 1846: *ibid.,* Vol. III, Romae 1902, p. 537 s.; Litt. Apost. *Quas vestro,* 30 apr. 1841: *ibid.,* Vol. III, Romae 1902, p. 122 ss. [136]

LEO XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae,* 10 febr. 1880: Acta Leonis XIII, t. II, p. 10 ss.; *Constanti Hungarorum,* 2 sept. 1893: *ibid.,* t. XIII, p. 268 ss.; Litt. *Quam religiosa,* 16 aug. 1898: *ibid.,* t. XVIII, p. 140 ss. [137]

PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930), p. 539 ss.

PIUS XII, Litt. Encycl. *Sertum laetitiae,* 1 nov. 1939: AAS 31 (1939) p. 635 ss.

CIC, cann. 1060-1066.

[34] PIUS VII, Breve *Etsi Fraternitatis,* 8 oct. 1803: *CIC Fontes,* t. II, p. 718: « Atque horum primum est, Catholicorum cum haereticis connubia Ecclesiam catholicam tamquam illicita, perniciosa et detestabilia perpetuo interdixisse et reprobasse, quod innumeris possemus Conciliorum, Summorumque Pontificum decretis demonstrare... Et licet in quibusdam regionibus propter locorum et temporum difficultatem eadem connubia *tolerari* contingat, id quidem ad eam referendum est aequanimitatem, quae *nulla ratione approbationis et consensus cuiuspiam loco habenda sit,* sed merae *patientiae,* quam ad maiora vitanda mala affert necessitas, non voluntas... », coll. pluribus aliis documentis, maxime enumeratis in nota ad DENZ. 1499 et in nota ad CIC, can. 1060. Quod ad canones 10 et 31 CONC. LAODICEN. attinet (MANSI II, 565 et 570), observetur eos intellegendos esse in luce totius doctrinae Concilii, quod ne permittit quidem, ut fideles cum haereticis et schismaticis orent.

[35] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 558 s.: « Hisce principiis innixi, quidam eo devenerunt, ut nova effingerent coniunctionum genera, ad praesentes hominum ac temporum rationes, ut opinantur, accommodata, quae totidem novas matrimonii species esse volunt: aliud ad *tempus,* aliud ad *experimentum,* aliud *amicale* quod plenam matrimonii licentiam omniaque iura sibi vindicat, dempto tamen indissolubili vinculo et prole exclusa, nisi partes suam vitae communionem et consuetudinem in pleni iuris matrimonium deinde converterint ».

[36] Hic habetur prae oculis vulgatus liber *Il matrimonio perfetto* auctoris VAN DE VELDE in Indicem librorum prohibitorum relatus; et condemnatur etiam modus quo in pelliculis ipsa sanctitas matrimonii profanatur publice.

[37] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* ubi isti errores expresse damnantur.

[38] Hic non agitur particularibus quaestionibus vel erroribus circa delictum adulterii eiusque punitionem iuxta leges civiles. Sed tantum quoddam principium generale improbatur.

[39] De isto « libero amore » etiam hodie continuo Ecclesiae adversarii sermonem faciunt. Quare ista divulgata opinio tandem explicite est damnanda.

[138]

Caput III

DE ORDINE FAMILIAE CHRISTIANAE DIVINITUS CONSTITUTO

23. [*Origo et dignitas familiae christianae*]. Familia ex ipso ordine divino parentibus et prole constituitur, et quidem, ex legitimo matrimonio,[1] quo deficiente per se neque dari potest, coram Deo et Ecclesia, aliqua legitima familia. Proles tamen illegitima possidet iura et officia, quae obveniunt ex ipso procreationis facto. Origine, natura sua et fine, familia, sicut matrimonium, est sacra et pro christianis sancta,[2] qua sanctitate familia christiana prae aliis splendescit. Secundum igitur ordinem divinum, in ipsa regnare debent gratia et virtutes, atque in primis caritas, quemadmodum contigit in sanctissima nazarethana familia, quae est omnis familiae christianae perfectissimum exemplar.[3]

24. [*Familia ut vera societas*]. Attento eodem ordine divino, familia vera societas est, alias societates naturales per se antecedens; [4] licet ab his, ut proprios suos fines reapse consequi valeat, iuvari et promoveri possit ac debeat. Immo familia est, et usque ad finem saeculorum erit, societas cuique homini, in quocumque ordine sociali, necessaria et inviolabilis, aliarum societatum principium et praesuppositum, propria unitate spirituali et morali, iuridica atque oeconomica praedita.[5] Proprietates igitur et bona quibus matrimonium ornatur, praesertim unitas, indissolubilitas et casta fidelitas utriusque coniugis, etiam in tutamen et bonum totius familiae a Deo data sunt.[6]

25. [*Auctoritas in societate domestica*]. Familia utpote ordinatus convictus, non potest esse sine propria auctoritate,[7] quae ita est intelligenda, ut bonum aliorum membrorum procuret, secundum illud Mt. 23, 11: « Qui maior est vestrum, erit minister vester ». Etsi vir et mulier tamquam personae humanae eiusdem dignitatis sunt coram Deo et plena iurium aequalitate gaudent in iis quae constituunt contractus matrimonialis essentiam: tamen vir naturaliter praeest toti familiae,[8] uxori nempe, ut sociae peculiariter honorandae et diligendae, liberis autem qui enutrien-

di et educandi sunt. Qui naturalis primatus in uxorem confirma- [139] tus et elevatus est per sacramentum matrimonii,[9] docente Apostolo: « Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae. ... Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus » (Eph. 5, 22-24). Quamvis igitur mulier subiecta sit viro, tamen ut mater propriam etiam habet in filios auctoritatem, patris auctoritati subordinatam. Immo vices viri in gerenda familia uxor habet si forte ille officio suo satisfacere non possit.[10] Sequitur ut filii in parentum potestate sint (cf. 1 Tim. 3, 4), quousque et ipsi sui iuris fiant.[11] Insuper mulier in familia est velut cor, propriis distinctisque dotata qualitatibus et muneribus, ut suaviter et efficaciter disponat omnia ad totius convictus domestici bonum.[12] Hac de causa uxor a viro non veluti ancilla habenda est, quae sit quibuslibet mariti placitis subiecta; sed mulier socia viri in procreatione, etiam socia in prolis educatione esse debet et viro adiumentum, ut voluit Deus iam ab initio (cf. Gen. 2, 18), in caritate et sanctificatione.[13] Ecclesia autem, memor doctrinae Apostoli, qui docet coram Deo non esse masculum neque feminam, sed omnes baptizatos esse unum in Christo Iesu (cf. Gal. 3, 28), reiecit et reiicit ideas falsas, quibus mulier describitur veluti maturo deficiens iudicio, vel suorum actuum dominii incapax, vel ad iura sua exercenda non satis instructa.[14] Viri ergo in uxorem auctoritas informari atque temperari debet virtutibus tum naturalibus tum supernaturalibus, praesertim amore coniugali secundum divinum mandatum: « Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea » (Eph. 5, 25). Ut autem utriusque genitoris in prolem auctoritas ea moderatione exerceatur sine qua educationis uberior fructus sperari nequit, parentibus et peculiariter patri dictum est: « Nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant » (Col. 3, 21).[15] Sint fortes et suaves: si vero mites fuerint, Deus eos docebit vias suas (Ps. 24, 9), ut et ipsi filios conducere valeant in via Domini. Sicut autem auctoritas patris amore informari oportet, sic oboedientia uxoris filiorumque sit etiam amoris obsequium.

26. [*Quidam errores improbantur*]. Erroneum igitur est divinam familiae originem negare vel ordinationem in ipsa a Deo positam subvertere, vel ordinis divini et Ecclesiae regimini et influxui illam subducere. Atque ideo haec S. Synodus dum iura

[140] mulieris defendit, reprobat tamen illam malam emancipationis formam qua eiusdem mulieris, sive ut filiae sive ut uxoris sive ut matris, propria natura, functio et munus deturpantur, falsa quadam aequalitatis cum viro opinione inducta.[16] Nec approbat eam agendi rationem, qua quidam, immo vel ipsa auctoritas civilis, in detrimentum etiam boni familiaris, naturales viri et mulieris distinctas qualitates et munera vel negant, vel parvipendunt, vel, quod peius est, practice destruunt, falsa quadam libertatis exaltatione moti.[17]

NOTAE

[1] Cf. Leo XIII, Epist. *Ci siamo,* 1 iun. 1879: Leonis XIII P. M. Acta, I, pp. 237-238.

Id., Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880: ASS 12 (1879-80) p. 391.

Id., Epist. *Il divisamento,* 8 febr. 1893: Leonis XIII P. M. Acta, XIII, pp. 37-38.

Id., *Allocutio in Consistorio,* 18 mart. 1895: Leonis XIII P. M. Acta, XV, pp. 74-75.

Pius XII, *Allocutio ad sponsos,* 12 iul. 1939: *Discorsi e Radiomessaggi,* I, p. 247.

[2] Cf. Leo XIII (in documentis supra notatis).

Pius XI, Litt. Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922: AAS 14 (1922) p. 678.

Id., Litt. Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: AAS 22 (1930) pp. 539 ss., 583-584, 590.

[3] Leo XIII, Epist. Apost. *Neminem fugit,* 14 ian. 1891: Leonis XIII P. M. Acta, XII, p. 149.

Pius XI, Litt. Encycl. *Ubi arcano*: AAS 14 (1922) p. 690.

[4] Leo XIII, Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* 15 maii 1891: Leonis XIII P. M. Acta, XI, p. 104: « En igitur familia seu societas domestica, perparva illa quidem, sed *vera societas,* eademque omni civitate *antiquior*; cui propterea sua quaedam iura officiaque necesse est, quae minime pendeant a republica ».

Pius XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: AAS 22 (1930), pp. 52-53.

[5] Pius XII, *Allocutio,* 21 nov. 1953: *Discorsi e Radiomessaggi,* XV, p. 477: « Essa [la Chiesa] non può cessare di ammonire e di ricordare che, secondo la volontà del Creatore e l'ordine naturale da lui stabilito, la famiglia dev'essere un'unità *spirituale e morale, giuridica ed economica...* ».

[6] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Sertum laetitiae,* 1 nov. 1939: AAS 31 (1939) p. 640.

Leo XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: Leonis XIII P. M. Acta, V, p. 129.

Id., Litt. Encycl. *Caritatis,* 19 mart. 1894: *ibid.,* XIV.

ID., Litt. Encycl. *Longinqua oceani,* 6 ian. 1895: *ibid.,* XV, p. 15. [141]
PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) pp. 553-554.

[7] LEO XIII, Litt. Encycl. *Rerum novarum*: Leonis XIII P. M. Acta, XI, p. 105: « Quemadmodum civitas, eodem modo familia, ut memoravimus veri nominis societas est, *quae potestate propria, hoc est paterna regitur* ».

[8] LEO XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880: Leonis XIII P. M. Acta, II, p. 18: « Vir est familiae princeps et caput mulieris... ».

[9] LEO XIII, Litt. Encycl. *Quod apostolici,* 28 dec. 1878: Leonis XIII P. M. Acta, I, pp. 178-179.

[10] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) pp. 549-550: « Immo si vir officio suo defuerit, uxoris est vices eius in dirigenda familia supplere ».

[11] Hic tamen minime tanguntur quaestiones iuridicae de emancipatione legali et iuridica filiorum, quae dependet etiam a variis Statuum legislationibus.

[12] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 549: « Si enim vir est caput, mulier est cor, et sicut ille principatum tenet regiminis, haec amoris principatum sibi ut proprium vindicare potest et debet ».

[13] LEO XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* l. c.: « ... [mulier] subiiciatur pareatque viro, in morem non ancillae sed sociae ».

PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* l. c., p. 549: « ... neque obsecundare eam iubet quibuslibet viri optatis, ipsi forte rationi vel uxoris dignitati minus congruentibus... ».

[14] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* l. c. p. 549: « ... nec denique uxorem aequiparandam docet personis, quae in iure minores dicuntur, quibus ob maturioris iudicii defectum vel rerum humanarum imperitiam liberum suorum iurium exercitium concedi non solet... ».

[15] LEO XIII, Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae*: Leonis XIII P. M. Acta, II, p. 18, citatur in:

PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: AAS 22 (1930) p. 550: « ... divina caritas esto perpetua moderatrix officii. ».

[16] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) pp. 567-568, ubi ex professo et fuse error reprobatur de falsa mulieris emancipatione.

Prima Romana Synodus, 1960, art. 213, § 2.

[17] LEO XIII, Epist. *Quod apostolici,* 28 dec. 1878: Leonis XIII P. M. Acta, I, pp. 171, 178 ss.

BENEDICTUS XV, Motu proprio *Bonum sane,* 25 iul. 1920: AAS 12 (1920) p. 314.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: AAS 22 (1930) pp. 49-86.

ID., Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) p. 568.

[142]

Caput IV

DE IURIBUS, OBLIGATIONIBUS VIRTUTIBUS FAMILIAE CHRISTIANAE PROPRIIS

27. [*Responsabilitas parentum quoad numerum filiorum*]. Parentum reapse christianorum, hodie praesertim, veluti signum distinctivum esse debet generosus ille et ad normas virtutum christianarum conformatus agendi modus, quo circa filiorum numerum et recte sentiant et factis congruenter se gerant.[1] Minime utique ignorat S. Synodus quot et quantae difficultates, hac in re gravi coniugibus occurrere possint. Universim ideo docet e lege divina, naturali vel positiva, ad numerum filiorum in unaquaque familia habendum quod attinet, non esse universalem normam, sed in singulis casibus ponderandum esse, quid conditiones individuales, bonum totius familiae et societatis innuant, iuxta dictamina prudentiae christianae, cum aliis etiam virtutibus connexae. In suis igitur particularibus consiliis capiendis fideles ne moveantur solis considerationibus temporalibus et materialibus, sed in primis supernaturalibus, ac luce rationis et fidei ducantur.[2] Et, ut christianos decet, in ipsa numerositate prolis mensuranda, memores sint Providentiae divinae, qua omnia sapienter ordinantur. In re tam gravi caveant etiam fideles ab irrationali et caeco instinctu et a variis hedonismi formis.[3] Licitum autem est coniugibus, recte utrisque consentientibus, ex iusta causa matrimonio uti solis illis diebus, qui praevidentur infecundi.[4] Ipsa tamen usus matrimonii renuntiatio illicita coniugibus evadit si per illam, ut animadvertit ipse Apostolus (cf. 1 Cor. 7, 5), coniuges in proximum peccandi periculum versentur. Suprema vero regula esto Apostoli universale monitum: « Omnia vestra in caritate fiant » (1 Cor. 16, 14). Atque ideo valores rationesque mere medicales, eugeneticae, oeconomicae, sociales et aliae ordinis temporalis et materialis minime opponi, praeponi vel aequari possunt valoribus et rationibus altioris ordinis, scilicet religiosi et moralis.[5]

28. [*De quaestione demographica*]. Nulla obligatio restringendi prolis multiplicationem ex solo timore nimiae hominum

multitudinis absolute consideratae, seu disproportionis universalis, [143] necessariae et definitivae inter numerum hominum viventium et quantitatem mediorum temporalium ipsis necessariorum, per se deduci potest. Theoria enim quae in hoc timore innititur a priori probari nequit, nisi negetur indoles spiritualis agentis humani, immo nisi defectus divinae Providentiae ponatur in ordine creationis ab ipso sapientissimo Deo constituto.[6] Quaedam vero iusto maior hominum multitudo relativa et temporanea, quae propter concursum variarum causarum contingentium hic vel alibi evenire potest, potius stimulare debet homines ad novas vias in bonis gignendis quaerendas et in bonis effectis recte distribuendis quam ad procreationem contra legem divinam prolis limitandam. Propagatio idearum circa necessitatem adaequationis generationis infantium ad conditiones oeconomicas continue variabiles, in res, quae ad familiam pertinent, quandam inducit aestimandi rationem, quae nimis ad utilitatem spectat, materialismum sapit ac proinde a germana domestici convictus natura prorsus est aliena.[7] Nihil sane prohibet, quominus quidam processus et quaedam transformationes sociales in ordine oeconomico, hygienico, instructionis publicae in aliisque bonis consequendis promoveantur. Valde tamen cavendum est, ne in his transformationibus socialibus, valores essentiales et ordinis superioris convictus domestici corrumpantur; sed omnino curandum ut ipsae mutationes cum legibus divinis conformiter perficiantur.[8]

29. [*Iura et officia parentum quoad prolis educationem*]. Parentum officium grave et divinitus sancitum est, praesertim verbo et exemplo prolem propriam educare non solum quoad naturalia et terrena, sed praesertim quoad supernaturalia et aeterna.[9] Unde in primis ipsi parentes, etiam ex debito officio erga ipsam prolem, curare debent ut non tantum neonati quam primum fieri potest in vita supernaturali renascantur, sed etiam ut iam a prima aetate religiose educentur praesertim quoad elementa religionis christianae rectamque observantiam legis evangelicae.[10] Ipsum enim matrimonium et familia eo quoque spectat, ut crescat corpus Ecclesiae numerusque electorum augeatur.[11] Bona naturalia et terrena parentes in filiorum educatione attendere debent, servata tamen recta valorum aestimatione et gradu.[12] Scientiae autem et artes paedagogicae sint oportet veris et christianis principiis conformes,[13] idque hac in re praesertim animadvertatur, quod homo ex una parte illuminationibus et motionibus

[144] Spiritus Sancti illustratur et ducitur, ex altera vero parte malae concupiscentiae et aliis peccati originalis sequelis manet obnoxius.

30. [*Iura et officia filiorum*]. Filii suorum parentum re vera esse debent honor (cf. Mal. 1, 6), corona et gloria (cf. Prov. 17, 6). Oportet igitur ut filii reapse sint erga parentes oboedientes, dociles, ipsos ament non solum affective sed etiam effective seu operibus, ut non una vice monet S. Scriptura.[14] Curandum etiam ne filii in suis iuribus laedantur, praesertim cum agitur de libera proprii matrimonii electione vel de sequenda libere sua, maxime ad divinum servitium, vocatione.[15]

31. [*Munera cum aliorum tum societatis civilis erga familiam*]. Cognati quoque sive naturales sive spirituales et alii etiam qui ex munere vel officio familiis addicti sunt, adiuvare debent easdem aliquo modo sibi coniunctas, imprimis in prolis sustentatione et recta educatione. Etiam auctoritas civilis sua habet officia erga convictum domesticum. Auctoritas igitur civilis, sive nationalis sive internationalis, propriis organis et mediis, ius et officium habet servandi, defendendi et promovendi bona familiae, ipsam etiam positive iuvando, praesertim in filiorum sustentatione et educatione, iuxta exigentias boni communis.[16] Quamobrem eadem publica auctoritas curare debet ne familia deficiat vel privetur rebus sibi necessariis, etiam ad iustum et rectum sui in coetu sociali profectum; insuper ne familiae ius ad laborem, cum debito et congruo salario, contra ipsam naturalem iustitiam vel aequitatem, violetur; ne denique familia debita facultate emigrandi privetur neve eius membra iniuste separatim vivere cogantur; et generatim, ne ipsi parentes, maxime vero matres, directe vel indirecte, a facultate recte implendi propria munera prohibeantur.[17]

32. [*Familia et scholae*]. Quod ad scholas attinet, auctoritati civili iusta parentum et Ecclesiae iura laedere non licet, ut nempe filii recte et christiane etiam in scholis educentur.[18] Immo eadem auctoritas civilis familiam etiam hac in re mediis sibi congruentibus et pro viribus iuvare debet.[19] Parentum enim ius et officium est diligenter cavere, ne filii scholas vel associationes adeant in quibus vel religio vel morum integritas in proximo

periculo versetur,[20] quod saepe obtineri nequit nisi expensis, quae [145] familiae solvere non valent.

33. [*Familia et Ecclesia*]. Familia iure divino Ecclesiae concredita est, non solum quia matrimonium, e quo legitime oritur, ad Ecclesiam primo et per se pertinet; sed etiam quia Ecclesia divinitus ius habet gravissimum illudque independens et inviolabile a quacumque potestate humana, educationem christianam impertiendi, per suos quidem magistros et scholas, non solum filiis familias sed etiam ipsis parentibus, praesertim ad ipsorum instructionem, ut christiane implendis proprii status obligationibus pares sint.[21] Hoc ius Ecclesiae proprium est cum propter suum universale magisterium, tum etiam propter suam maternitatem spiritualem in filios et parentes.[22] Nam soli Ecclesiae, per administrationem Sacramentorum ad sanctuarium conscientiae sive parentum sive filiorum nomine Christi aditus patet.[23] Ipsa igitur intimitas coniugalis vel familiaris proprios habet limites, etiam quoad ipsa familiae membra. Ex quo fit ut familia christiana talis ac tantae matris Ecclesiae evadat honorificum organon vivum atque sanctum, in aedificationem Corporis Christi.

34. [*Errores reprobantur*]. Erroneum est, immo humanae atque christianae dignitatis laesivum in ponderandis demographicis quaestionibus, hominum procreationem eorumque familiam unice in ordine ad servitium societatis civilis considerare vel eas ad modum specierum animalium tractare et sic re vera dehonestare.[24] Hac de causa S. Synodus, dum instantissime omnes hortatur ut quisque pro sua facultate familias filiorum numero oneratas efficaciter adiuvet, simul severe reprobat commendationem vel propagationem inhonestorum mediorum anticonceptionalium ad delimitandam prolem; quibus non tantum non defenditur bonum populorum, ut hodie aliquando falso putatur, sed potius corrumpitur totus ordo socialis.[25] Damnat insuper S. Synodus theorias omnes, quibus quocumque modo negantur Ecclesiae et familiae iura quoad puerorum educationem; vel quibus hac in re ius primarium auctoritati civili attribuitur; eosque gravissime improbat, qui ad leges iniquas, de matrimonio et familia ferendas, directe dant operam vel formaliter cooperantur.[26] Reiicit autem, quoad ipsam educationem iuvenum, cuiusdam moralis doctrinae placita, quibus Ecclesia diffamatur ac si in educatione morali potius quam legem libertatis et amoris foveret ex-

[146] clusive quamdam educationem moralem unice legibus et timore innixam, negativam, contradicentem, uti aiunt, authenticae Christi doctrinae et methodo. Quae quidem quam falsae sint erga Ecclesiam accusationes vel malevolae insinuationes, patebit si illud in memoriam recolatur, quod nempe Ecclesia in sua de educatione christiana doctrina, semper prae oculis habuit exemplum divini Magistri, qui dum ex una parte concredidit Ecclesiae novum et magnum mandatum caritatis, ex altera parte tamen ursit Decalogi etiam praecepta negativa (cf. Mt. 19, 18),[27] immo instanter sui ipsius abnegationem et crucem proposuit (cf. Mt. 16, 24). Et si Apostolus, Spiritu divino ductus, omnes fideles monet ut cum timore et tremore operentur suam salutem (cf. Phil. 1, 12), ea verba sibi duplicem ob titulum ii sibi dicta sciant, qui educationi christianae aeque onerosae ac gloriosae ex divina voluntate se tradunt.

NOTAE

[1] Pius XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 841: « Purtroppo non sono rari i casi in cui il parlare, anche soltanto con un cauto accenno, dei figliuoli come di una " benedizione ", basta per provocare contraddizione o forse anche derisione. Molto più spesso domina l'idea e la parola del grave " peso " dei figli. Come quella mentalità è opposta al *pensiero di Dio* e al linguaggio della Sacra Scrittura, e anche alla sana ragione e al sentimento della natura! ».

Id., *Allocutio Dirigentibus Foederationis nationalis Italicae Sodalitatum e Familiis cum multa prole,* 20 ian. 1958: AAS 50 (1958) p. 93: « Soltanto la luce divina ed eterna del cristianesimo illumina e vivifica la famiglia, in tal modo che, sia nell'origine sia nello sviluppo, la famiglia numerosa è spesso presa come sinonimo di famiglia cristiana ».

[2] Cf. Pius XII, *Iis qui interfuerunt Conventui VII internationali a « Societate internationali Hematologiae »* Romae habito, 12 sept. 1958: AAS 50 (1958) pp. 732-740.

Id., *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) pp. 835-854.

[3] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: AAS 22 (1930) p. 548.

Pius XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 853: « La gravità e la santità della legge morale cristiana non ammettono una sfrenata soddisfazione dell'istinto sessuale... ».

[4] Cf. *Responsum S. Poenitentiariae Apost.,* 2 mart. 1853, 16 iun. 1880.

Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: AAS 22 (1930) p. 561.

Pius XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: AAS 43 (1951) pp. 844 ss.

Ob controversias hodie vigentes inter theologos, Constitutio non decernit utrum iusta et *gravis* causa requiratur sub poena peccati gravis. [147]

[5] Pius XII, *Nuntius Radiophonicus,* 24 dec. 1952: AAS 45 (1953) p. 42: « Ma voler trarsi d'imbarazzo con la formula che il numero degli uomini deve essere regolato secondo la *economia* pubblica, equivale a sovvertire l'ordine della natura e tutto il mondo psicologico e morale ad essa legato ».

[6] Cf. Pius XII, *Allocutio Dirigentibus Foederationis nationalis Italicae Sodalitatum e Familiis cum multa prole,* 20 ian. 1958: AAS 50 (1958) pp. 92-93.

Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: AAS 53 (1961) pp. 445 ss.

N. B.: Quod spectat ad absolutam impossibilitatem superpopulationis universalis, Commissionis theologicae membra non idem sentiebant. Alii putabant decisionem tam claram non esse opportunam. In subcommissione, in qua erant duo sociologi, non erat divisio. Omnes tenebant impossibilitatem superpopulationis non quidem sociologice, sed dogmatice constare. Si enim est superpopulatio, cadit illud Gen. 1, 22: « Crescite et multiplicamini », ideoque finis primarius matrimonii.

[7] Pius XII, *Allocutio Dirigentibus Foederationis nationalis Italicae Sodalitatum e Familiis cum multa prole,* 20 ian. 1958: AAS 50 (1958) pp. 92-93: « Anche di recente si è visto come la cosidetta " politica demografica " non ottiene notevoli risultati, sia perchè sull'egoismo collettivo, di cui essa è spesso la espressione, prevale quasi sempre l'individuale, sia perchè le intenzioni ed i metodi di quella politica *avviliscono la dignità della famiglia* e delle persone, pareggiandole quasi a specie inferiori ».

Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* l. c., p. 447.

[8] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* l. c., pp. 446-447.

[9] CIC, can. 1113.

Pius XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 mart. 1952: AAS 44 (1952) pp. 270-278.

Pius XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: AAS 22 (1930) pp. 49-86.

Id., Litt. Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: AAS 22 (1930) p. 545.

[10] Cf. CIC, can. 770.

Pius XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: l. c. passim.

[11] Pius XII, *Allocutio,* 24 maii 1939.

Catechismus Romanus, De matrim. Sacr., c. VIII, n. 15.

[12] Cf. CIC, can. 1113.

Pius XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* l. c. passim.

[13] Cf. S. Pius XI, Litt. Encycl. *Editae saepe,* 26 maii 1910: AAS 2 (1910) pp. 357-380.

Pius XII, *Nuntius Radiophonicus,* 12 ian. 1954: AAS 46 (1954) pp. 59-62.

Id., *Allocutio ad docentes et alumnos Universitatum Studiorum et*

[148] *Scholarum e Gallia Romam peregrinantes,* 21 sept. 1950: AAS 42 (1950) pp. 735-738.

[14] Cf. Prov. 6, 20; Eccli. 3, 14; Eph. 6, 1; Col. 3, 20, etc.

[15] Cf. CIC, cann. 214; 1087; 2352.

Prima Romana Synodus, 1960, art. 495, § 2.

[16] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* l. c.

[17] Plura sunt documenta pontificia sive quoad salarium familiare sive quoad alia iura hic recensita.

[18] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* l. c.

[19] Hic innuitur munus societatis civilis adiuvandi etiam scholas liberas catholicas iuxta tamen leges iustas.

[20] Cf. *Prima Romana Synodus,* 1960, artt. 241-243.

[21] In aliquibus regionibus enim, tyrannice oppressis, solus modus praesentiae Ecclesiae est per parentes recte et christiane instructos atque ita educantes prolem.

[22] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini illius Magistri*: AAS 22 (1930) pp. 53 ss.

[23] Cf. PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 mart. 1952: AAS 44 (1952) p. 271: « La coscienza è quindi, per dirla con una immagine tanto antica quanto degna, un ἄδυτον un santuario, sulla cui soglia tutti debbono arrestarsi; anche, se si tratta di un fanciullo, *il padre e la madre. Solo il sacerdote vi entra come curatore di anime e come ministro del sacramento della penitenza...* ».

[24] Cf. PIUS XII, *Allocutio iis qui interfuerunt Conventui Sodalitatis vulgo nuncupatae « Fronte della Famiglia » atque Consociationum inter Familias copiosae prolis,* 26 nov. 1951: AAS 43 (1951) p. 856: « Ma vi è una miseria anche più profonda, dalla quale occorre preservare la famiglia, vale a dire l'avvilente servaggio, a cui riduce una mentalità, che tende a farne un puro organismo al servizio della comunità sociale, per procreare ad essa una massa sufficiente di " materiale umano " ».

[25] Hic agitur de condemnatione omnium modorum quibus diffunditur actus coniugalis perversio ad vitandam prolem; cf. iam PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*: AAS 22 (1930) pp. 559 ss. Sed in Constitutione damnatur error non solum sub aspectu individuali sed etiam sub aspectu sociali.

[26] Damnatio est necessaria ut ipsi catholici in re publica responsabilitatem habentes recte invigilent atque dent operam salvandis et promovendis iuribus familiae iuxta Ecclesiae doctrinam.

[27] PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 mart. 1952: AAS 44 (1952) pp. 274 s.: « Egli [Gesù] ha parlato della " porta stretta " e della " angusta via " che conduce alla vita (cf. Mt. 7, 13-14) (...) Similmente al giovane ricco, che lo interroga, egli dice: " Se vuoi entrare nella vita, osserva i comandamenti " e alla nuova domanda " Quali? " risponde: " *Non* uccidere! *non* commettere adulterio! *non* rubare! *non* fare testimonianza falsa! *onora* il padre e la madre! e ama il prossimo tuo come te stesso! ". Egli ha messo come *condizione* a chi vuole imitarlo, di *rinunziare* a se stesso e di prendere ogni giorno la sua croce (cf. Lc. 9, 23) (...). Così parlava Gesù Cristo, il *divino Pedagogo,* che sa certamente, meglio degli uomini, pene-

trare nelle anime e attrarle al suo amore con le infinite perfezioni del suo Cuore, *bonitate et amore plenum.* E l'Apostolo delle genti S. Paolo ha forse predicato altrimenti? (...) sono altrettanto suoi gli ammonimenti come questo: " Operate *con timore e tremore* la vostra salute " (Phil. 2, 12) (...) Di guisa che l'accusa di durezza opprimente, dalla " nuova morale » mossa contro la Chiesa, in realtà va a colpire in primo luogo la stessa adorabile Persona di Cristo ». [149]

PARS TERTIA [150]

DE SACRA VIRGINITATE

35. [*De sacrae virginitatis excellentia*]. Quodsi sancta Mater Ecclesia castitatem, ut fructum eximium Spiritus Sancti (cf. Gal. 5, 23) peculiari in honore habuit, utique inter thesauros suos maxime pretiosos omni tempore reputavit perfectam illam castitatem, qua quis se sacra virginitate consecrat Dei famulatui, et amore singulari erga Deum, propter regnum coelorum (cf. Mt. 19, 12), spirituali liberae voluntatis proposito, a nuptiis earumque corporalibus delectationibus abstinet. Qui honor a Sponsa Christi datus adhuc crescit, si illa castitas suscepta ex vinculo perpetuo, maiore circumdatur robore ac firmitate.[1] Tali enim consecratione homo quodammodo puritatem Angelorum aemulatur,[2] statum coelestium aliquatenus iam hisce in terris anticipat, perfectius Christo Virgini, ex Virgine immaculata nato, adsimulatur, atque arctius cum Deo, Spiritu purissimo, coniungitur. Eadem quoque consecratione, iuvante Dei gratia, obtinetur, ut homo sese totaliter tradere possit servitio divinae Maiestatis, facilius vacet rerum divinarum contemplationi, atque liber a curis saecularibus et carnalibus promptius aggrediatur opera apostolica, ob Regni Dei dilatationem suscepta.[4]

36. [*Virginitas et matrimonium*]. Mirum igitur esse nequit, si Sancta Ecclesia ab ipso divino Magistro et gentium Apostolo edocta (cf. Mt. 19, 11-12; 1 Cor. 7, 25-27, 32-36, 38-40), virginitatem prae matrimonio extollere numquam destitit, etsi semper fuerunt et erunt, qui, teste ipso Domino, eius verbum non capiant (cf. Mt. 19, 12). Sobrie, sed clare, alios ut solet deiloquos Patres [5] secutus, dicit S. Ioannes Damascenus: « Virginitas angelicum est vitae genus, incorporeae omnis naturae peculiaris nota. Neque id dicimus, ut matrimonium detrahamus, absit: scimus

[150] enim Dominum praesentia sua nuptiis benedixisse, illumque novimus, qui dixit: honorabile connubium... et thorus immaculatus (Hebr. 13, 4); sed quia nuptiis, quamvis alioquin bonis, praestare virginitatem agnovimus ».[6] Nec minus sobrie et clare S. Synodus Tridentina docuit, melius esse et beatius manere in [151] virginitate aut coelibatu (utique propter Deum susceptis), quam iungi matrimonio.[7] Nec per sacram virginitatem, quippe quo modo prorsus singulari Christo virgini conformamur, propriae personalitatis evolutio impeditur vel diminuitur, sed potius augetur et ad perfectiorem gradum adduci potest (cf. 1 Cor. 7, 33-40).[8]

37. [*Praxis Ecclesiae*]. Non obstante igitur matrimonii eximia dignitate et familiae christianae numquam satis laudanda excellentia, Ecclesia ordinem obiectivum a Deo per Iesum Christum institutum considerans, voluit ut castum quoque connubium, quod est magnum mysterium in Christo et Ecclesia (cf. Eph. 5, 32), honore cederet statui sacrae virginitatis, etiam ubi virginitas non iungitur voto vel professioni aliorum consiliorum evangelicorum, dummodo reapse sit suscepta non propter rationes humanas, sed ob Dei et Iesu Christi amorem; et a sacrorum ministris latini ritus postulat, ut volenter libenterque sacram virginitatem ut sponsam eligant eidemque ad mortem usque fideles maneant, dum eandem castitatem virginalem ministris rituum orientalium ut dulce decus sacerdotale commendat.[9]

38. [*Errores reprobantur*]. Pia Mater Ecclesia, sicut prae gaudio exsultat ob magnum numerum eorum, qui in variis regionibus, nominatim in ecclesiis recenter fundatis, Spiritu Sancto inspirante et iuvante, sacrum amplectuntur virginitatis statum: ita quoque non sine anxia sollicitudine observat in non paucis regionibus, in quibus olim virginitas sacra decus erat multarum familiarum, nunc minui et nonnumquam notabiliter reduci numerum eorum, qui divina gratia ad statum a Deo tam singulariter dilectum aspirent; idque non solum ob spiritum mundanum, facilius hodie quam olim in familias quoque catholicas penetrantem, sed etiam ob errores de indole matrimonii et sacrae virginitatis sparsos ac propagatos. Quare dura necessitate coacta renovat condemnationem severam olim a Sacro Concilio Tridentino prolatam contra eos, qui asserere audent, statum coniugalem esse anteponendum statui virginitatis vel coelibatus,[10] et illorum graviter quoque reprobat sententiam, qui proferunt hodie vinculum

coelibatus esse obsoleti valoris, immo hodie impossibile, exce- [151] dens Ecclesiae competentiam atque relaxandum secundum voluntatem subiecti.[11] Severe quoque reicere debet periculosam et vitae Ecclesiae nocivam valde sententiam, qua docetur obligationes circa castitatem virginalem a iuvenibus sese Deo dicare volenti- [152] bus assumptas, esse practice non exsistentes, cum adolescentes a priori et universali ratione praesumantur carere maturitate psychologica atque praerequisita circa alterius sexus personas experientia.[12]

Hortatur tandem S. Synodus parentes christianos ut oratione, vitae puritate et veneratione erga statum sacerdotalem et religiosum, sacras vocationes promoveant, scientes castum connubium tunc maxime honorari, cum ex eo procedunt flores sacrae virginitatis.

EPILOGUS

39. [*Admonitio brevis*]. Haec sunt, quae Sacrae Synodo pro huius temporis necessitatibus exponenda videntur, non tantum ut veritas melius innotescat, sed etiam ut libentius agnoscatur atque in ipsa vita salutariter exprimatur. Monet igitur Pastores, ut fideles sancte de hisce decretis instruant bonisque consiliis adiuvent; monet coniuges ut continuo crescere in se sinant dona et gratias, quae in suscipiendo Sacramento, quo figuratur amor sponsalis Christi et Ecclesiae, caelitus acceperunt; monet parentes et filios, ut imitantes sacram Nazarethanam familiam ad altiora continuo tendant; monet eos qui sacra virginitate Deo inserviunt, ut amore Iesu Christi abnegantes saecularia desideria, amorem carnalem omnem in spiritualem convertant. Monet omnes, ut incommoda et asperitates, in hoc ordine post Adae lapsum veluti inevitabiliter cum donis divinis coniuncta, animo generoso in spiritu amoris et subiectionis ultro suscipiant Deoque offerant. Ut pia mater fidelium Ecclesia compatitur angustiis, miseriis, angoribus, quibus magnus infantium numerus premitur nec raro deprimitur. Sed etiam sacrificia a Deo et Iesu Christo volita, silere non potuit. Et non minus fidelibus nonnullis lamentantibus, quam inimicis multis calumniantibus respondere cogitur: « Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum iudicate. ... Oboedire oportet Deo magis quam hominibus » (Act. 4, 19 et 5, 29). Quod si vero vox Ecclesiae audiatur, matrimonium et fa-

[152] milia respondebunt consiliis Dei, qui est amor, et Iesu Christi, qui caritate perpetua dilexit nos; id autem « quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur » (2 Cor. 4, 17-18).

[153] NOTAE

[1] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 mart. 1954: AAS 46 (1954) pp. 161-191. De voto *ibidem,* p. 165.

[2] S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Mt.* hom. 70, 5: PG 58, 660.

S. BONAVENTURA, *De perfectione evangelica,* q. 3, a. 3.

S. THOMAS, *Catena aurea in Matth. evang.,* cap. 22, v. 30-32 ed. Parm. 1860, p. 254 *B*: « ... sic omnes virtutes sunt *res angelicae, praecipue tamen castitas,* per quam vincitur natura virtutibus ».

S. CYPRIANUS, *De habitu virginum,* 22: PL 4, 462: « Cum castae perseveratis et *virgines, Angelis Dei estis aequales* ».

S. AMBROSIUS, *De Virginibus,* lib. 1, c. 8, n. 52: PL 16, 202-203.

PIUS XII, Lit. Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954: AAS 46 (1954) pp. 167, 173.

[3] Cf. Mt. 22, 30.

[4] Cf. 1 Cor. 7, 32-34.

[5] Cf. imprimis DIDYM. ALEX., *Contra Manich.* 8: PG 39, 1096, et S. IOANNES CHRYSOST., *De Virginitate* 10: PG 48, 540.

[6] *De fide orth.,* IV, 24: PG, 94, 1210.

[7] CONC. TRID., Sess. XXIV, Doctr. *De sacr. matrimonii,* can. 10: DENZ. 980: « Si quis dixerit, *statum* coniugalem anteponendum esse *statui virginitatis vel coelibatus,* et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut coelibatu, quam iungi matrimonio (cf. Mt. 19, 11 s.; 1 Cor. 7, 25 s. 38, 40): A. S. ».

[8] PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas*: AAS 46 (1954) p. 176 s.: « Nam, quamquam ii omnes, qui perfectae castitatis institutum amplexi sunt, humano huiusmodi amore se abdicaverunt, nihilo secius hac de causa affirmari non potest eos ob hanc eandem privationem suam reddidisse humanam personam quasi imminutam ac despoliatam. Ii enim a caelestium ipso munerum Datore spirituale aliquid accipiunt, quod quidem illud in immensum exsuperat " mutuum adiutorium ", a coniugibus sibi invicem impertitum. Cum siquidem ei omnino se devoveant, qui suum principium est, quique divinam cum ipsis participat vitam, *semetipsos non minuunt, sed quam maxime adaugent* ».

PIUS XII, *Sermo,* 15 sept. 1952: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. XIV, p. 334: « Aujourd'hui Nous voulons uniquement Nous adresser à ceux qui, prêtres ou laïcs, prédicateurs, orateurs ou écrivains, n'ont plus un mot d'approbation ou de louange pour la virginité vouée au Christ; qui depuis des années, malgré les avertissements de l'Eglise et à l'encontre de sa pensée, accordent au mariage une préférence de principe sur la virginité; qui vont même jusqu'à le présenter comme le seul moyen capable d'assurer

à la personnalité humaine son développement et sa perfection naturelle: ceux qui parlent et écrivent ainsi, qu'ils prennent conscience de leur responsabilité devant Dieu et devant l'Eglise ». [153]

[9] Cf. CONC. TRID., Sess. XXIV, Doctr. *De sacr. matrimonii,* can. 10: DENZ. 980.

[10] Ibid.

[11] Ibid., can. 9: DENZ. 979.

[12] Ita PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas*: AAS 46 (1954) [154] p. 183 s.: « Nonnulli siquidem autumant christianos omnes, ac praesertim sacrorum administros, non ut superioribus aetatibus esse a mundo segregandos, ut aiunt, sed mundo praesentes esse oportere, et ideo necesse est eos *aleam subire atque eorum castitatem in discrimen adducere, ut inde clare pateat utrum habeant, an non, validam, obsistendi facultatem*: omnia igitur videant iuvenes clerici, ita ut omnia cernere aequo animo assuescant, atque adeo quibusve perturbationibus se immunes reddant ».

Sed iam eousque hodie proceditur ut etiam relationes amorosae consulantur illis qui vovere se cupiunt castitati perpetuae. Insuper directe hic id increpari intenditur quod affirmant multi psychologi, tempore nempe pubertatis et primae iuventutis hominem esse incapacem actus humani plene liberi et plene responsabilis. Haec pro dolor est opinio quae auditur etiam a psychologis catholicis. In Constitutione evidenter non increpatur sanus educationis modus ad castitatem, quo iuvenes et etiam clerici, si ad curam animarum destinati sunt, educantur ita, ut omnia quae debent videre vel tractare, cum animo puro et simplici videant ac tractent. Item non intenduntur conditiones extraordinariae vel pathologicae, vel impetuosae sexualitatis, quae redderent iuvenem minus aptum sese vovendi castitati perfectae vel quae possent minuere imputabilitatem. Quae omnia in singulis casibus secundum singulorum adiuncta sunt mensuranda.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Gongregatio Generalis XXXI

PAG.

Secretarii generalis monitum 9

Exitus suffragationum circa emendationes VI-IX *de sacra Liturgia* (cap. I nn. 1-9) 10

Disceptatio:

1. Schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia.* – Cap. I: *De Ecclesiae militantis natura* (nn. 1-7). – Cap. II: *De membris Ecclesiae militantis eiusdemque necessitate ad salutem* (nn. 8-10). – Cap. III: *De episcopatu ut supremo gradu sacramenti Ordinis et de sacerdotio* (nn. 11-12). – Cap. IV: *De episcopis residentialibus* (nn. 13-16). – Cap. V: *De statibus evangelicae adquirendae perfectionis* (nn. 17-19). – Cap. VI: *De laicis* (nn. 20-27). – Cap. VII: *De Ecclesiae magisterio* (nn. 28-35). – Cap. VIII: *De auctoritate et oboedientia in Ecclesia* (nn. 36-39). – Cap. IX: *De relationibus inter Ecclesiam et Statum* (nn. 40-44). – Cap. X: *De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum* (nn. 45-47). – Cap. XI: *De oecumenismo* (nn. 48-55) 12
   Schema constitutionis dogmaticae *de B. Maria Virgine Matre Dei et Matre hominum* (nn. 1-6) 92

2. Relatio em.mi P. D. Alfredi card. Ottaviani, praesidis commissionis de doctrina fidei et morum 121

3. Relatio exc.mi P. D. Francisci Franić 122

4. Patrum orationes:
   Card. Liénart 126
   Card. Ruffini 127
   Card. Bueno y Monreal 130
   Card. König 132
   Card. Alfrink 134
   Card. Ritter 136
   Exc. Bernacki 138

Exitus suffragationis circa propositionem de decreto *de unitate Ecclesiae* . . 141
   Exc. De Smedt 142
   Exc. Lefebvre Marcellus 144
   Exc. Elchinger 147
   Exc. D'Avack 148
   Exc. Pawlowski 151
   Exc. Van Cauwelaert 156
   Exc. Carli 158

Congregatio Generalis XXXII

PAG.

Secretarii generalis monitum 165

1. Emendationes ad schema *de sacra Liturgia* (cap. I, nn. 10-15) 166

2. Textus schematis 166

3. Relatio exc. P. D. Francisci Grimshaw 170

Patrum orationes quoad schema *de Ecclesia*:
Card. Spellman 172
Card. Siri 174
Card. McIntyre 175
Card. Gracias 175
Card. Léger 182
Card. Döpfner 183
Exc. Kominek 189
Exc. Marty 191
Exc. Gargitter 193
Exc. Huyghe 195
Exc. Hurley 197
Exc. Barbetta 199
Exc. Jubany Arnau 201
Exc. Rupp 204
Exc. Musto 206
Exc. Kozlowiecki 208

Exitus suffragationum circa emendationes ad cap. I nn. 10-15 schematis *de sacra Liturgia* 213

Congregatio Generalis XXXIII

Secretarii generalis monitum 217

Exc. Šeper: Significatio Patrum obsequii erga Summum Pontificem 218

Patrum orationes quoad schema *de Ecclesia*:
Card. Frings 218
Card. Godfrey 221
Card. Suenens 222
Card. Bea 227
Card. Bacci 230
Card. Browne 232
Exc. Blanchet 233
Exc. Rabban 236
Exc. Guerry 240
Exc. Gonzalez Moralejo 242
Exc. Maccari 244
Exc. Holland 247
Exc. Devoto 250

PAG.

Exc. Vairo 251
Exc. Hengsbach 254
Exc. Doumith 255
Exc. Descuffi 257

CONGREGATIO GENERALIS XXXIV

Secretarii generalis monitum 265

1. Emendationes ad schema *de sacra Liturgia* (cap. I, nn. 16-31) 266

2. Textus schematis 268

3. Relatio exc. P. D. Caroli Iustini Calewaert 278

Patrum orationes quoad schema *de Ecclesia*:
Card. Ruffini 290
Card. Montini 291
Beat. Saigh 295
Exc. Florit 298
Exc. Plaza 303

Secretarii generalis communicatio de ominibus nataliciis 305
Exc. Pluta 305
Exc. Fiordelli 309

Secretarii generalis communicatio de benedictione Summi Pontificis in platea S. Petri 311
Exc. Mels 312

Exitus suffragationum circa emendationes ad cap I, nn. 16-31 (emendationes I-IV) 315

CONGREGATIO GENERALIS XXXV

Secretarii generalis monitum 319

Exitus suffragationum circa emendationes ad cap. I, nn. 16-31 (emendationes V-VIII) 319

1. Emendationes ad schema *de sacra Liturgia* (cap. I, nn. 32-36) 322

2. Textus schematis 323

3. Relatio exc. P. D. Francisci Grimshaw 326

Patrum orationes quoad schema *de Ecclesia*:
Card. Lercaro 327

Secretarii generalis communicatio circa facultates quoad Sacrum celebrandum 330

Secretarii generalis communicatio ordinis servandi in intervallo temporis . . 330
Exc. Compagnone 331
Exc. Hervás y Benet 334
Exc. Méndez Arceo 338

PAG.

Exc. Philbin 341
Exc. Renard 344
Exc. Fares 346
Exc. Velasco 349
Exc. Barrachina Estevan 351
Rev. Buckley 353
Exc. Stella 356
Exc. Hakim 358

Exitus suffragationum circa emendationes schematis *de sacra Liturgia,* cap. I, nn. 16-31 (emendationes IX-XI), et cap. I, nn. 32-36 (emendationes I-II) 360

Propositio suffragii circa prooemium et cap. I schematis *de sacra Liturgia* . . 361

Congregatio Generalis XXXVI

Secretarii generalis monitum 365
Moniti translationes in linguas vernaculas 366

Card. praesidis omina 369

Patrum orationes quoad schema *de Ecclesia*:
Card. König 369
Card. Lefebvre 371
Exc. Reyes 373
Exc. de Bazelaire de Ruppierre 374
Exc. Ghattas 376
Exc. Ancel 379
Exc. Silva Santiago 381

Exitus suffragationis de prooemio et cap. I schematis *de sacra Liturgia* . . . 384
Exc. D'Souza Eugenius 384
Exc. Volk 386
Rev. Butler 389

Summi Pontificis allocutio 391

Animadversiones scripto exhibitae quoad schema de Ecclesia

Card. Tatsuo Doi 397
Card. Feltin 405
Card. Richaud 408
Exc. Alba Palácios 413
Exc. Alter 415
Exc. Battaglia 418
Exc. Beck 420
Exc. Bergonzini 422
Exc. Bertoli Vitalis Bonifatius 425
Exc. Boillon 426

PAG.
Exc. Cambiaghi 428
Exc. Canzonieri 431
Exc. Charue 432
Beat. Cheikho 439
Exc. Cibrián Fernández 440
Exc. Cooray 442
Exc. Corboy 444
Exc. Costantini 445
Exc. Daem 449
Exc. Darmancier 451
Exc. de Araújo Sales 453
Rev. Degrijse 454
Exc. de Provenchères 458
Exc. Emanuel 489
Exc. Franco Cascón 492
Exc. Gahamanyi 495
Exc. Garcia y Garcia de Castro 496
Exc. Garrone 498
Exc. Goliński 500
Exc. González Arbeláez 501
Exc. Gopu 504
Exc. Guano 504
Exc. Guiller 506
Exc. Haller 509
Exc. Hannan Philippus Matthaeus 510
Exc. Hermaniuk 511
Exc. Hoa Nguyen-van-hien 513
Exc. Höffner 516
Exc. Janssen Franciscus 517
Exc. Kervéadou 518
Exc. Lamont 520
Exc. Llopis Ivorra 521
Exc. Loayza Gumiel 522
Exc. Lokuang 524
Exc. Longo Victorius 525
Exc. López Ortiz 525
Exc. Malanczuk 528
Exc. Martin Petrus 531
Exc. Melendro 532
Exc. Menager 533
Exc. Molin 534
Exc. Motolese 535
Exc. Noser 536
Exc. Olano y Urteaga 537
Exc. Perantoni 538
Exc. Petit 540
Exc. Primeau 541
Rev. Reetz 544

PAG.

Exc. Rendeiro 546
Exc. Rigaud 548
Exc. Rodriguez Pardo 549
Exc. Rusch 551
Rev. Salvini 553
Exc. Sansierra 554
Exc. Schick 557
Exc. Schoiswohl 559
Exc. Sensi 561
Exc. Šeper 568
Rev. Sépinski 576
Exc. Simons 579
Rev. Sortais 580
Exc. Stourm 582
Exc. Temiño Saiz 584
Exc. Tenhumberg 586
Exc. Thiandoum 588
Exc. Toutoungy 589
Exc. van der Burgt 590
Exc. van Velsen 592
Exc. Veniat 594
Exc. Weber 595
Exc. Wojcik 596
Exc. Wojtyla 598
Exc. Yü pin 599
Exc. Ziadé 600

Conferentia episcopalis Germaniae-Austriae 601

PRIMAE PERIODI CONCLUSIO

Primae periodi conclusio 643
Allocutio Summi Pontificis Ioannis XXIII 643

APPENDIX

1. Schema constitutionis dogmaticae *de deposito fidei pure custodiendo.* – Prooemium (nn. 1-2). – Cap. I: *de cognitione veritatis* (nn. 3-5). – Cap. II: *De Deo* (nn. 6-11). – Cap. III: *De creatione et evolutione mundi* (nn. 12-16). – Cap. IV: *De revelatione publica et de fide catholica* (nn. 17-28). – Cap. V: *De progressu doctrinae* (nn. 29-31). – Cap. VI: *De revelationibus privatis* (nn. 32-35). – Cap. VII: *De ordine naturali et supernaturali* (nn. 36-41). – Cap. VIII: *De peccato originali in filiis Adae* (nn. 42-49). – Cap. IX: *De novissimis* (nn. 50-55). – Cap. X: *De satisfactione Christi* (nn. 56-59) 653

PAG.

2. Schema constitutionis dogmaticae *de ordine morali christiano.* – Cap. I: *De fundamento ordinis moralis christiani* (nn. 1-6). – Cap. II: *De conscientia christiana* (nn. 7-11). – Cap. III: *De subiectivismo et relativismo ethico* (nn. 12-15). – Cap. IV: *De peccato* (nn. 16-22). – Cap. V: *De naturali et supernaturali dignitate personae humanae* (nn. 23-28) . . 695

3. Schema constitutionis dogmaticae *de castitate, matrimonio, familia, virginitate.* – Prooemium (n. 1). – Pars I: De casitate. – Cap. I: *Praemittenda de sexibus* (nn. 3-4). – Cap. II: *De castitate solutorum* (nn. 5-7). – Pars II: De matrimonio et familia. – Cap. I: *De ordine matrimonii christiani divinitus constituto* (nn. 9-14). – Cap. II: *De iuribus, obligationibus, virtutibus matrimonio christiano propriis* (nn. 15-22). – Cap. III: *De ordine familiae christianae divinitus constituto* (nn. 23-26). – Cap. IV: *De iuribus, obligationibus, virtutibus familiae christianae propriis* (nn. 27-34). – Pars III: De sacra virginitate (nn. 35-38). – Epilogus (n. 39) 718

Index 773